R. P. JOANNIS
DE
CARDENAS
HISPALENSIS SOC. JESU
CRISIS THEOLOGICA;
SIVE
DISPUTATIONES SELECTÆ
EX MORALI THEOLOGIA:

In quibus plurimæ opiniones, partim apologeticè, partim criticè ad examen vocantur.

Ubi etiam traditur methodus discernendi opiniones probabiles ab improbabilibus.

PARS TERTIA.



VENETIIS, M. D C C.
Apud Nicolaum Pezzana.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIIS.



A D L E C T O R E M.

Occasio scribendi, scopus, & methodus hujus tertiæ partis.



Ententia de vera probabilitate practica admittenda securè ad praxim quiescit in quadam pacifica quasi possessione in Regnis Hispaniarum, in quibus Theologia felicissimè floret: amplectuntur hanc sententiam omnes Academiæ, Collegia, studia generalia, & privata, sive Thomistarum, sive Scotistarum, sive Jesuitica. Ita ut nullus, aut ferè nullus sit in his Regnis Theologus, qui dissentiat.

In Regnis verò Galliarum, & aliis exteris, mirum est, quantus fragor excitatus fuerit paucis ab hinc annis super hac controversia; [An tuta conscientia sequi possimus in praxi quamlibet opinionem probabilem, quanvis illa minus sit probabilis, & stans pro libertate contra legem, incertam illam quidem?] Cujus partem affirmantem multi Theologi Galliæ tanto odio detestantur, tanto ardore conantur evellere, ut non dubitent primarios Theologiæ Moralis Doctores, sive ex Thomistica, sive ex Jesuitica schola, contemptui habere, ex eo solùm capite, quòd docuerint, tutum esse in conscientia deducere ad praxim quamlibet opinionem verè probabilem.

Præcipua ratio, quæ eos impellit ad hanc tenacissimam persuasionem, est, quòd videant oriri ab aliquibus Scriptoribus non paucas opiniones improbabiles, & scandalosas; qui existimant, utique insigniter decepti, quòd hæc licentia intrudendi opiniones has scandalosas originem trahit ex nostra doctrina [de quavis opinione practicè probabili eligenda ad praxim.] Et quidem zelus bonus est; conatus extirpandi opiniones scandalosas, optimus: existimo tamen, quòd scopum non attingunt, dum in quovis conflictu opinionum omnem probabilitatem volunt evellere.

E contra Theologi præcipuè Hispani, agnoscentes, veram, & sanam doctrinam de probabilitate practica esse non posse originem earum opinionum, quæ scandalosæ dicuntur; omnes verè probabiles admittunt, improbabiles, & scandalosas excludunt, & detestantur.

Et quidem dubitari non potest, quin multæ opiniones improbabiles, & periculosæ subrepserint, & intrusæ fuerint ut probabiles; ut patet ex decretis Alexandrii VII. quæ proposui in 1. part. Cris. Theol disp 9. cap. 20. In eo autem, quòd existimant, hanc perniciosam licentiam opinandi trahere originem ex nostra doctrina de probabilitate practica, egregiè decipiuntur.

Igitur hac deceptione ducti contra doctrinam nostram de probabilitate scripserunt (post Candidum Philalethum, quem non vidi, & qui primus dicitur scripsisse contra nostram doctrinam) Prosper Fagnanus, & Julius Mercorus Itali, Vincentius Baron, & Joannes Baptista Gonet natione Galli.

Edidi in lucem anno 1670. Crisim Theologicam, in qua conatus sum deturbare ab honorabili sede probabilitatis multas opiniones, quas aliqui Scriptores contenderant ad eam sedem sublimare. In qua Crisi disputationem 15. institui, in qua tueor sententiam, quæ docet, posse eligi ad praxim, quamvis opinionem practicè probabilem illam quidem bene intellectam. Ubi accuratè explico solidas, & firmas limitationes, quibus ea sententia coercenda est, ut ita bene intellecta possit ad praxim deduci.

Et quia Vincentius Baron (quem solùm ex Autoribus partis oppositæ tunc videram) promovere conatus fuerat, non solùm argumentis hinc inde petitis, sed etiam multis exclamationibus, & execrationibus, eam opinationem, quæ docet, [semper eligendam esse opinionem strictiorem, quæ stat pro lege contra libertatem, in quovis conflictu opinionum; nisi quando opinio stans pro libertate prope infinito excessu opinionem adversam superat in probabilioritate; ego multis rationibus, ut credo, demonstrativis eam opinationem expugnavi in ea disput. 15.

Et quamvis ego à non paucis Patribus Dominicanis, doctissimis illis quidem, & sui Ordinis in Provincia Bætica primatibus Magistris, quos summo studio, & veneratione colo, multas, & magnas gratulationes audiverim de mea Crisi Theologica; novissimè tamen ex eodem Ordine Jacobus à S. Dominico natione Gallus in tractatu nuper edito, qui inscribitur, *Compendiaria Theologiæ moralis explicatio*, conatus est parare invidiam meo operi, eo tempore, quo magnus armorum strepitus inter Hispanos, & Gallos homines intercedit: quasi sævientium armorum fragore etiam mentes Religiosorum hominum tangantur: & disputationem meam de quavis opinione practicè probabili ad praxim seligenda, quam plurimis incriminationibus, calumniis, & objurgationibus, conviciis, contumeliis, & acerbissima verborum amarulentia exagitat.

Attribuit mihi cum summa falsitate plurimas opiniones falsas; de quibus posteà. Affirmat, me *tota disp. 15. clam illudere lectoribus*. Vide in disp. Apolog. cap. 2. Proclamat *intentionem* meam reddendi *obscuriorem* materiam de Probabilitate *per fucatam remissæ Probabilitatis restrictionem*; insimulat *audaciam*; vocat *evanidas, ac inutiles* meas distinctiones. Vide cap. 3. *Temeritatem* simul, & *audaciam* attribuit, meque supparem facit *Simoni Mago, hæreticis Valentinianis, & Gnosticis, & Sectariis huius temporis*, non sine acerbissima sermonis amarulentia. Vide cap. 6. Me magno *studio legibus insidiari*: elicere me consequentiam ex S. Thoma, *quæ omnibus risum moveat*. Vide cap. 8. art. 2. *Me docere artem a Deo, & hominibus reprobatam, semper claudicandi in utramque partem, omnibus veritatis amatoribus, mirum in modum exosam*. Vide eod. cap. art. 7. *Corrupisse me, ac diffamasse S. Thomam*, dum ejus mentem cum nobilioribus Thomistis exposui. Et *S. Doctoris quodlibetis manifestè illusisse, & eius distinctionem confudisse*. Vide ibid. art. 10. Me *solitis, & solis uti cavillis*. Vide ibid. art. 13. Me *sanctissimo Patriarcha Ignatio illusisse, & eius constitutionibus*. Vide ibid. art. 14. Sed hæc omnia parva sunt, si ea compares cum acerbitate, & amarulentia verborum, quibus ea convicia in me coniicit, ut in locis citatis comperies.

Sed adhuc majora sunt, quæ contra doctrinam de Probabilitate, à me propugnatam, profundit. Hanc enim vocat *Artem peccandi fucatam; Artem claudicandi in utramque partem: quæ propemodum finit unumquemque ad arbitrium vivere, & suæ imaginationis idolum colere, nulla habita ratione legis, aut consideratione ultimi finis*: vocat *Artem cavillandi, vel potius fucatam peccandi licentiam, simplicitati Christianæ prorsus inimicam, & toti humano generi perniciosam*. Vociferatur, *incidisse me in abyssum probabilitatis*, deflet *morbum probabilitatis*, & *malum* (quasi per antonomasiam) *probabilitatis*. *Vagam* vocat probabilitatem, *remissam, laxativam conscientiæ, stantem pro lucro, commodo, & voluptate*. Vide cap. 9.

Sed jam diù viri Docti experimento, & rationibus comprobarunt, ubi hoc genus amarulentiæ interponitur, causam agi satis dubiam, & suspiciosam, argumentationesque esse nimium debiles, quæ ad sui confirmationem indigent maledictis. Parum enim fidit causæ suæ, qui existimat, illam conviciis confirmari, & acerbitate verborum. Ideo nullum magnum Doctorem reperies, qui simili maledicendi tenore suas opiniones conetur confirmare.

Sed & illud admiratione dignum reperies, quòd ea omnia convicia, & maledicta, quæ vel in me nominatim, vel in meam doctrinam jactat, sine ulla penitus probatione profundat; ut simul desinas jam admirari, quòd ea tot, tantaque sint. Nam facillimum est dicere, quæ probanda non sunt. Quæ autem sine probatione dicuntur, à viris doctis negliguntur, id est, nec leguntur. Ideò enim viri docti legunt, ut doctiores evadant; nec possunt evadere doctiores ex iis, in quibus probationes, & argumentationes non inveniunt. Apud vulgares plausum invenient hujus scriptoris convicia: nam vulgus scholasticorum, quia subtiliora non capit, satyricis delectatur. Heroes autem sapientiæ, præter discursum, cætera contemnunt.

Et quamvis præfatus Jacobus dignus esset, cui maledicta sua in caput suum retorquerentur; tamen absit à me, ut eodem stylo utar. Tum quia veneratio, qua Dominicanam Familiam colo, arcet me ab eo scribendi genere. Tum quia leges sacræ deterrent me à privata vindicta in personam, & solùm concedunt vindicias veritatis. Tum denique quia argumenta, quibus mea doctrina communitur, non indigent tam ignobili confirmatione.

Duo sunt, quæ me obstringunt ad has vindicias assumendas. Primum, quòd Jacobus mihi imputaverit opiniones, & assertiones, quas nunquam cogitavi, nedum dixi; & quæ in meam doctrinam cadere non possunt. Nequis ergo existimet, docere me propositiones absurdas, debeo sincerè veritatem doctrinæ meæ aperire, explicare, & confirmare. Et ut si quis ejus compendiariæ explicationis præfati Jacobi lectione deceptus, attribuerit mihi eas falsas opiniones, eas dedoceatur.

Secundum, quòd me ad has vindicias obstringit, est, quòd videam, Doctores hujus sententiæ, de quavis opinione practicè probabili admittenda ad praxim, contemni, & pessumdari, dum eorum doctrina proclamatur tamquam *fucata peccandi licentia, simplicitati Christianæ prorsus inimica, & toti humano generi perniciosa*. Contemnuntur itaque, & parvi fiunt PP. Suarius, Vazquius, Thomas Sancius, Gregorius de Valencia, Lessius, Granadus, & alii similes, ex Jesuitica quidem schola; & ex Thomistica insignes Magistri Medina, Bañez, Alvarez, & Illustriss. Archiepiscopus Hispalensis Petrus de Tapia, & plures alii: illi quidem in ordine sapientiæ de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur. Sicut ergo numquam præsument locustæ vocalissimis suis clamoribus giganteas vires superare, ita & nos, qui giganteæ eorum Sapientiæ comparati, quasi locustæ videbimur, non debemus ita spernere ea nomina, quæ potius suspicere debemus. Neque enim possum sine admiratione referre, quæ de suis insignioribus Thomistis, quasi de desertoribus S. Thomæ, scribit Joannes Baptista Gonet in dissert. de Probabilit. num. 210. in hæc verba: [Quare non possum satis mirari, quo modo tot Thomistæ, aliàs graves, pro secundis intentionibus, & entibus rationis, pro indivisibilibus continui, pro natura, & existentia temporis, & aliis similibus quæstionibus, quæ nec proficere, nec obesse possunt animarum saluti; pro S. Doctore tanta animi contentione decertent: & vix advertant, quid in rebus moralibus, & præsertim in hac gravissima de Probabilitate quæstione senserit.] Hucusque Gonetus non sine injuria suæ Thomisticæ scholæ; cui consultius fuisset tam magna nomina suspicere, quàm illos Doctores errasse, putare.

Causam ergo communem ago pro sapientissimis Doctoribus, quibus nullos sapientiores tribus ab hinc retro sæculis vidit Respublica litteraria. Neque enim patiar, eos contemni ab adversariis, ita ut eorum doctrina tamquam perniciosa, & damnabilis proponatur. Quo genere injuriæ eos magnos Doctores afficiunt, quotquot nostram sententiam de Probabilitate impugnare nituntur. Contendunt enim isti Neotherici Probabilioristæ eos magnos Doctores errasse, & horum doctrinam esse damnabilem, & se solos probabilioritate sua novam sapientiæ lucem Ecclesiæ attulisse; sed numquam credam,

Pigmæos

Pigmæos Gigantibus esse præponendos. Quod argumentum suo loco latius prosequar.

Finis ergo, & scopus hujus tertiæ partis Crisis Theologicæ est, propulsare calumnias ab hac doctrina solidissima, & certissima, omnium Doctorum primæ classis, qui in hoc proximo sæculo floruerunt, judicio, & consensu confirmata: eamque denuò roborare, & ab objectionibus vindicare: ostendere ejus certitudinem; demonstrare, quo modo adversarii adhuc non penetrent sensum illius; eam explicare secundum eas limitationes, quas Doctores primæ classis nobis tradiderunt. Et præcipuè ostendere, quomodo opiniones scandalosæ, & damnabiles, quæ paucis ab hinc annis subrepserunt, non possint trahere originem à nostra sententia. Deinde verò proponere media in ordine ad compescendum licentiam intrudendi opiniones scandalosas, & damnabiles. Et per hæc media, ut spero attingetur scopus, quem Doctores Gallici intendunt, extirpandi opiniones scandalosas, & temerarias.

Ergo ut in hunc scopum perfectè collimem, hanc tertiam partem Crisis Theologicæ distribuo in Tractatus quinque. In primo agam de Probabilitate. Cujus prima Disputatio (quæ ordine est quinquagesima quinta; nam secunda pars desinit in quinquagesima quarta) solùm continebit per Compendium formulam nostræ doctrinæ de Probabilitate. Deinde disputatio 56, quæ est Apologetica, dividitur in duas partes. In prima vindicatur mea doctrina à calumniis, & falsis opinionibus, quas mihi affingit Jacobus à S. Dominico. In secunda parte demonstratur certitudo nostræ doctrinæ, & à multis objectionibus vindicatur. In ea disputatione comperies, quanta sit certitudo nostræ sententiæ, quàm sinistrè intellecta ab adversariis; quàm injustè proclamata tamquam origo opinionum damnabilium. In ea reperies tria præcipuè media ad discernendum opiniones verè probabiles à scandalosis, & temerariis; vel ex incompossibilitate cum principio certo; vel ex levitate & inutilitate fundamenti; vel ex dubia probabilitate. In disputatione 57. comperitur, quo modo opiniones multæ improbabiles oriantur ex prava intelligentia ejus communis sententiæ [quòd unus Author doctus, & probus sufficit ad probabilitatem opinionis.] Et confirmatur denuo ex mente Doctorum primæ classis doctrina tradita in 1. par. Cris. Theol. disp. 11. quòd ad probabilitatem opinionis non sufficit unus, vel plures Doctores, nisi sint omni exceptione majores. Et quo modo illæ quatuor exceptiones, quæ minuunt Doctoris authoritatem, sint ex mente Doctorum primæ classis. Reliquæ disputationes prioris tractatus rem probabilitatis exhaurient.

In tractatu secundo proponuntur exempla opinionum, quæ sunt incompossibiles cum principio certò; atque adeò tanquam certò falsæ à numero probabilium excludendæ; idque, ad promovendum primum medium discernendi à probabilibus improbabiles.

In tractatu tertio dabo exempla opinionum, quæ nituntur fundamento levi, æquivoco, aut sophistico; ad promovendum secundum medium discernendi probabiles à non probabilibus. Ubi constabit, quantum intersit ad rem probabilitatis penetrandam rectè distinguere inter propositionem directam, & reflexam.

In tractatu quarto proferam exempla opinionum dubiæ probabilitatis; quæ eo ipso pariunt dubium practicum, in quo tutior pars necessariò sequenda est, distinguamque varia capita hujus dubitationis.

In tractatu quinto à calumniis vindicabo aliquas opiniones verè probabiles, quæ apud hos neothericos Probabilioristas malè audiunt; qui eas proponunt tamquam damnabiles, cùm tamen non ostendant caput, aut principium aliquod, unde tales censendæ sint.

In decursu hujus tertiæ partis, ex votis D. Joannis Caramuelis, de aliquibus ejus opinionibus judicium meum proferam. Adhuc tamen omnibus testatum esse jubeo, non esse meæ intentionis, opiniones illius, aut alterius Authoris censura, aut nota aliqua Theologica inurere, vel notare, nisi quantum ipsa vis consequentiæ ad id coegerit.

Sed & Jacobum à S. Dominico monitum esse velim, quòd si ad has ratiocinationes respondere velit animo pacato, & amarulentia verborum prætermissa, ejus responsiones, & discursus legam, & satisfacere conabor. Si tamen solitis verborum acerbitatibus, & conviciis in me bellum gesserit, omninò à me erunt negligenda, id est, nec legenda.





SERIES
TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, CAPITUM, ET ARTICULORUM
Hujus Tertiæ Partis.

Art.

Art.

DISPUTATIO LXIV.

DISPUTATIO LXV.

DISPUTATIO LXVI.

CATALOGUS

TRACTATUS III.

De opinionibus, quae defectu fundamenti non pertingunt ad gradum probabilitatis.

DISPUTATIO LXVII.

DISPUTATIO LXVIII.

DISPUTATIO LXIX.

CATALOGUS

TRACTATUS IV.

De opinionibus dubiae probabilitatis.

DISPUTATIO LXX.

DISPUTATIO LXXI.

DIS-

I N-



INDEX

Disputationum ad varios Tractatus Theologiæ pertinentium.

An

An extra necessitatem extremam liceat egenis accipere de alieno necessaria ? D.80.

An in gravi necessitate Reipublicæ liceat succurrere ex operibus ad alium finem à testatore destinatis ? D.80. cap.2.

AD TRACTATUM
De Eucharistia.

An reprobata sit opinio eorum, qui dixerunt numquam expedire laicis communicare quotidie ? D.66. cap.2.

An maneat antiquata opinio, quæ docebat omnibus generatim consulendam esse communionem quotidianam ? D. 66.cap 3.

An maneat antiquata opinio asserentium, debere fideles communicare quotidie, etiam reluctante confessario, vel superiore ? Ibid. cap.4.

An maneat antiquata opinio docens ad communionem quotidianam non exigi aliam dispositionem, quàm carere culpa lethali ? Ibid.cap.5.

An reprobata maneat opinio asserentium, accipiendam esse à fidelibus Eucharistiam feria 6. in Parasceve ? Ibid. cap.6.

An reprobata maneat opinio asserentium communionem quotidianam esse de jure divino ? Ibid. cap. 7.

An doctrina, quæ negat expedire omnibus communionem quotidianam, adversetur doctrinæ conciliorum ? Ubi concluditur, ne unum quidem concilium ex viginti quatuor, quæ obiiciunt adversarii, stare pro communione quotidiana omnium ? Ibid.cap.8.per novem art.

An sit probabile tempore pestis non teneri Parochum administrare Eucharistiam, & Extremam Unctionem ? D.76.

An Episcopus, & Parochus teneantur etiam cum periculo vitæ succurrere subdito in gravi necessitata spirituali constituto? D 76 cap.2.

AD TRACTATUM
De pœnitentia.

An possit dari confessio valida informis ex defectu doloris efficacis ? D. 70.

An possit dari confessio valida informis defectu attritionis extensivæ ? Ibid.cap.1.art.2.

An sit probabilis opinio docens dari confessionem validam informem ex defectu doloris efficacis, qui defectus procedit ex ignorantia invincibili ? Ibid. cap. 2.

An sit probabilis opinio docens esse confessionem validam informem ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam mortaliter culpabilem ? Ibid. cap.3.

An attritio sufficiens ad valorem, & effectum confessionis possit esse naturalis, & ex motivo humano, & naturali ? D.71.

An sit probabilis opinio, quæ admittit confessionem validam informem ex defectu integritatis cum ignorantia mortaliter culpabili ? D. 72.

An sit probabilis opinio asserens validam esse confessionem ejus, qui mortale peccatum in confessione tacet, sciens in hoc mortaliter delinquere, & simul existimans invincibiliter, se validè absolvi à reliquis peccatis tunc explicatis ? D.72.cap.2.

An possit esse confessio valida informis defectu integritatis ex ignorantia invincibili ? D.73.

An peccata dubia sint necessariò in confessione exponenda ? D.74.

AD TRACTATUM
De Extrema Unctione.

Vide tractatum de Eucharistia.

AD TRACTATUM
De irregularitate.

An irregularitas, quæ est pœna delicti sit censura Ecclesiastica, & talis, ut in eam cadat absolutio? D. 75.

An virtute Bullæ Cruciatæ possit quis absolvi ab irregularitate, etiam si sit ex homicidio voluntario? D. 75. cap.4.

AD TRACTATUM
De Matrimonio.

An possit Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, etiam ante illud contractum, in casu urgentis necessitatis, in quo non est recursus ad Romanum Pontificem ? D. 75.n 65.& D.79. per tot.


An Principes sæculares ex natura suæ potestatis possint suis legibus indicere impedimenta matrimonium dirimentia fidelibus sibi subditis, nisi Romanus Pontifex sibi hanc potestatem reservasset ? D.57.n 67.

An cessante in particulari fine legis humanæ statuentis impedimentum dirimens, cesset lex in particulari; & liceat in eo casu contrahi matrimonium absque dispensatione ? D.62.per totam.





TRA-



TRACTATUS PRIMUS.
DE
PROBABILITATE OPINIONUM.

DISPUTATIO LV.

In qua per compendium traditur Formula Doctrinæ de opinione probabili eligenda ad praxim.

SUMMARIUM.

Quid sit opinio & quotuplex, & in quo differat à judicio temerario? n. 1.
Contra certitudinem nulla est probabilitas? n. 2.
An ad probabilitatem extrinsecam requiratur Author omni exceptione major? & quæ minuunt authoritatem Doctoris? n. 4.
An sint probabiles opiniones Authorum, si non discutiant fundamenta utriusque partis? n. 5.
In conflictu opinionum probabilium non tenemur sequi partem strictiorem. Et quo modo sententia opposita sit implicatoria? n. 6.
In conflictu opinionum æque probabilium licet sequi partem benigniorem. Et quo modo rationes unius partis non enerventur rationibus alterius? num. 7.
An liceat sequi opinionem minus probabilem? n. 8.
Quo modo resultet dictamen certum, cum quo tutò operatur, qui sequitur opinionem probabilem? n. 9.
An in omni opinione probabili contineatur ignorantia invincibilis? n. 10.
An possit quis obligari præcepto, contractu, aut voto ad sequendam hanc, vel illam opinionem? n. 11.
Quantum intersit ad rectam intelligentiam probabilitatis, distinguere propositionem directam à reflexa? n. 12.
Quo modo adversarii non intelligant nostram doctrinam de probabilitate? n. 13. & seqq.
Disparitas inter quæstionem facti, & quæstionem juris quo ad producendam dubium? n. 24.
Decipiantur adversarii, dum putant, omnes opiniones cujuslibet Doctoris admitti ut probabiles? n. 25.
Opiniones improbabiles non possunt oriri à doctrina de probabilitate bene intellecta? n. 26.
An debeamus tollere opiniones probabiles benignas, ut amputentur opiniones scandalosæ? n. 27.
Tria media ad coercendas opiniones scandalosas? n. 28.
An communis sententia Doctorum in aliquibus materiis faciat evidentiam moralem; & quæ nam sint istæ? n. 29., & seqq.
An detur matrimonium merè probabile? n. 35.
An contra possessionem valeant rationes probabiles? n. 36. & 37.
Multæ opiniones jurisperitorum contra immunitatem Ecclesiasticam reprobantur tamquam improbabiles? n. 38.

1  Pinio (juxta S. Bernardum *lib. 5. de consider. ad Eugen. c. 3.*, & communem acceptionem) est *assensus verisimilis.* Dividitur in probabilem, non probabilem, & positivè improbabilem. Opinio probabilis est *assensus verisimilis incertus innixus fundamento firmo, & gravi.* Et dicitur *incertus*, hoc est, *nec certus, nec certò falsus*, debet que esse incertus invincibiliter. Opinio non probabilis est *assensus, qui licèt videatur verisimilis, incertus est, & nititur fundamento levi, aut sophistico, aut æquivoco.* Opinio positivè improbabilis est *assensus, qui licèt videatur verisimilis, est tamen certò falsus.* Vide *disp. seq. cap. 5. art. 2.* Est etiam notissima divisio opinionis probabilis in practicam *quæ dirigit ad operationem*; & speculativam, *quæ sistit in contemplatione objecti.* Opinio probabilis differt à judicio temerario; quòd hoc nititur fundamento levi, vel nullo. Et in hoc sensu omnis opinio non probabilis est temeraria. Vide *disp. seq. cap. 2 art. 1.*

2 Contra certitudinem, nullam esse veram probabilitatem, est metaphysicè evidens. Nam assensus probabilis est incertus, id est, nec certus, nec certò falsus. Et propositionis certæ contradictoria est certò falsa; implicat autem, quod sit certò falsa, & simul incerta in sensu præfato. Vide *in 1 part. Crisis Theolog. disp. 4. num. 6.*

3 Probabilitas est duplex: alia extrinseca, quæ ab authoritate desumitur; alia intrinseca, quæ à ratione gravi, & firma.

4 Ad probabilitatem practicam extrinsecam non sufficiunt unus, duo, vel plures Authores, nisi sint omni exceptione majores. Sufficit verò unus, si sit omni exceptione major. Exceptiones autem, quæ contra authoritatem Doctoris opponi possunt, quatuor sunt. Prima, quòd doceat aliquid contra principium certum. Secunda, quòd opinetur ex fundamento levi, sophistico, vel æquivoco. Tertia, quòd varia improbabilia docuerit. Quarta, quòd doceat opinionem, sine discussione rationum hinc inde pugnantium: quam exceptionem patiuntur meri summistæ, aut meri compilatores. Vide *in 1. part. Crisis disp.* 11. Qui autem dicendi sunt meri summistæ, & meri compilatores, vide *ibid. num.* 56.

5 Hinc fit, illas opiniones non esse probabiles ab authoritate, quæ prodeunt ab illis authoribus, qui non examinant, nec discutiunt diligenter fundamenta utriusq; partis: & ad summum sunt dubiæ probabilitatis; quæ quidem non sufficit ad regendam conscientiam. Deinde nemo debet reputare probabilem opinionem, quæ est ejus Authoris, cujus scripta non vidit, nec scit, an diligenter discutiat fundamenta utriusque partis, nec ne. Vide *disp.* 58.

6 In hac praxi probabilitatis tres sunt propositiones certæ. Prima in quæstionibus practicis probabiliter opinabilibus omnino certum est, quod nulla obligatione tenemur sequi partem strictiorem, quæ stat pro lege, incerta illa quidem, contra libertatem. Id esse certum, constat ex argumentis, quæ proposui *in 1. part. Crisis Theolog. disp. 15.* Et in omnibus materiis justitiæ cernitur clarè hęc implicatio. Nam ubi probabile est, quòd Petrus tenetur solvere Titio; tutior pars respectu Petri est, quòd solvat, & tutior pars respectu Titii est, quòd non admittat solutionem. Tenebitur ergo Petrus solvere, sed nemini: quæ est implicatio contradictionis. Vide hoc argumentum fusius propositum *in ea disp. 15. cap. 11. & in hac 3. part. disp. seq. cap. 15.* ubi convincuntur responsiones, quę contra illud excogitari possunt. Huc accedit, certissimum esse, omnes opiniones morales S. Thomæ esse securas in praxi; cum tamen S. Thomas in conflictu opinionum, multas docuerit pro libertate contra legem incertam. Vide *disput. 15. cap. 6. art. 1. & in disp. seq. 56. cap. 8.*

7 Secunda, in conflictu opinionum æqualiter probabilium, supposita ea certitudine, quòd non tenemur sequi partem strictiorem contra libertatem, ob eamdem rationem implicationis; certum remanet, quòd possumus semper sequi benigniorem pro libertate. In quo conflictu opinionum rationes unius partis non enervant eas rationes, quæ militant pro opposita: quia cùm sequor opinionem benigniorem, solvo rationes oppositæ partis, & quasi ad nihilum eas redigo; & ad meam resolutionem nitor rationibus, quæ militant pro benigniori. Vide *in 1. part. Crisis disp. 15. cap. 4. art. 7. & 8. & præcipuè num. 265. & cap. 8. & in hac 3. part. disp. 56. cap. 16.*

8 Tertia in conflictu opinionum probabilioris, & minus probabilis, certum debet esse, quòd non teneor sequi, quam existimo probabiliorem Quia nihil est, quod cogat intellectum ad assensum, nisi sola certitudo; & opinio, quamvis probabilior, adhuc est incerta. Et ubi solvuntur rationes partis probabilioris, intellectus manet expeditus ad assensum partis oppositæ; vel saltem ad deponendum judicium de probabilioritate. Vide *disp. seq. cap. 7. art. 2. fine, & in 1. part. Cris. disputat. 6. cap. 5. num. 67. & disp. 15. cap. 4. art. 7.* Deinde quia laudabile est, judicium proprium alieno subiicere: id, quod negari non potest in subdito respectu Prælati, cui subditus laudabiliter obedit in omnibus, in quibus non reperitur manifestum peccatum; sicut non reperitur in opinione minus probabili. Præterea quia voluntas potest physicè flectere intellectum ad unam partem, dum eum non cogit evidentia veri: neque est unde probetur, quòd obstringitur moraliter aliquo præcepto, ad hoc ut flectat intellectum ad partem probabiliorem. Vide

in eadem disp. 15. *cap.* 4 *art.* 9. Limita, quando opinio est multo excessu probabilior, quia in eo casu id plerumque accidit, quòd pars opposita nititur rationi levi, atque adeo non probabili; aut saltem quòd ejus partis probabilitas est dubia.

9 Ex his tribus propositionibus certis resultat dictamen practicum certum, cum quo tutissimè operatur, qui in praxi sequitur quamcumque opinionem practicè probabilem. Vide *disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 5. *num.* 228. *& seq & disp.* 56. *cap.* 18.

10 In omni opinione verè probabili continetur ignorantia invincibilis, ex S Thoma, qui affirmat errorem conscientiæ excusare, *quando procedit ex ignorantia ejus, quòd quis scire non potest, vel scire non tenetur*. Nam qui habet opinionem probabilem, ignorat, quæ pars, affirmativa ne, an negativa, sit à parte rei vera, nec potest, nec tenetur id scire. Sed neque tenetur se reducere ad dubium practicum, & in illo partem tutiorem eligere: quia dubium practicum sufficienter deponitur ratione verè probabili. Potest quidem se reducere ad id dubium practicum, sed non tenetur, quia potest illud prudenter deponere. Cùm autem dubitatur de probabilitate practica opinionis benignioris, tunc intercedit dubium practicum, in quo opposita opinio eligenda est.

11 Quamvis hæc ita sint, potest homo ex circunstantia superaddita obligari ad hanc opinionem sequendam in praxi, non illam: puta ex præcepto, contractu, voto, &c. Ex præcepto superaddito, v. g. Est probabile, quòd valet baptismus in lixivio; sed quia baptizans tenetur præcepto charitatis ad non exponendum frustrationi cum baptismum, non potest licitè sequi eam opinionem. Ex contractu, quia potest quis pacisci cum alio de sequenda ista, non illa, opinione. Et ita si verum est, quòd judex ex contractu cum Republica obstringitur ad judicandum meliori modo, quo possit, peccat graviter, si non ferat sententiam secundùm jus probabilius. Voto, quia potest quis vovere Deo in aliqua materia id, quòd perfectius fuerit.

12 Hinc fit, in multis materiis distinguendas esse duas propositiones, primam directam, secundam reflexam, quæ reflectitur supra probabilitatem primæ. Ubi malè arguunt, qui ex prima volunt inferre secundam, cùm secunda addat novam circunstantiam, quæ non reperitur in prima. v. g. *Probabile est, quòd valet baptismus in lixivio*: non valet: *ergo probabile est, quòd extra casum necessitatis, potest Parochus ministrare baptismum in lixivio*. Quia id non est probabile propter præfatum præceptum charitatis. Similiter non valet, *Probabile est, hanc domum esse Petri, non Joannis: ergo Judex, qui censet probabilius, eam domum esse Joannis, potest ferre sententiam pro Petro*, si verum est, quòd Judex ex quasi contractu tenetur dicere jus probabilius. Vide *in ea disp.* 15. *cap.* 4. *articul.* 2. *& cap.* 15.

13 Hæc doctrina de probabilitate tutissima est in praxi, si rectè intelligatur. Eam non rectè intelligunt Authores, qui illam impugnant. Primò enim cum dicimus, posse tutò nos sequi quamlibet opinionem probabilem; putant dicere nos, posse tutò sequi quamlibet opinionem, quæ in quolibet summista, aut Scriptore reperitur. Quod falsum est; præcipuè, cùm dixerimus, non sufficere ad probabilitatem unum quemlibet Authorem, sed eum, qui sit omni exceptione major. Vide *cap.* 17. *art.* 3. *disp. seq.*

14 Secundò, cùm dicimus, etiam in administratione Sacramentorum posse nos tutò sequi quamlibet opinionem verè probabilem, putant, dicere nos, posse fieri baptismum, v. g. cum materia solùm probabili extra casum necessitatis; cùm tamen hoc dicamus, esse improbabile. Vide *disp. seq. cap.* 17. *art* 3.

15 Tertiò, dum dicimus, posse nos tutò sequi opinionem probabilem in articulo mortis, putant, dicere nos, quòd possumus uti mediis dumtaxat probabilibus ad salutem æternam consequendam. Cùm tamen dicamus, nullam esse opinionem, nisi improbabilem, quæ præscribat, posse uti ad salutem medio dumtaxat probabili, cùm adest certum. Vide *disp. seq. cap.* 17 *art.* 3.

16 Quartò, dum dicimus, Medicum posse uti qualibet opinione practicè probabili, censent, dicere nos, posse eligere pharmacum minus probabile, & minus tutum cum periculo ægroti, quando penes ipsum est aliud probabilius, & tutius. Cùm tamen dicamus, eam opinionem esse omnino improbabilem. Vide *disp. seq. cap.* 15. *art.* 3

17 Quintò, cùm dicimus, quòd venator probabiliter putat id, quod occurrit, esse feram, non hominem; existimant, dicere nos probabile, quòd liceat tunc jacere sagittam; cùm tamen istud dicamus improbabile; quia non valet ab illa propositione speculativa ad istam practicam Vide *disp.* 15. *c.* 4. *art.* 2. *& disp. seq. c.* 17. *art.* 3.

18 Sextò, cùm dicimus, Judicem opinari probabiliter, Petrum esse reum mortis; existimant dicere nos, esse probabile, quòd Judex possit Petrum capitis plectere; cùm tamen hoc secundum dicamus improbabile. Vide eamdem Crisim *disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. *& disp. seq. cap.* 17. *art.* 3.

19 Septimò, cùm dicimus, esse certum illud dictamen, quòd qui sequitur opinionem practicè probabilem, non peccat, existimant, dicere nos, certitudinem reperiri in ipsa opinione probabili: quod est implicatorium. Vide *c.* 4. *art.* 5. *& disp. seq. c.* 17. *art.* 3.

20 Octavò, cùm aliqui Authores dicant, non posse nos uti opinione probabili, cùm vergit in detrimentum proprium, vel alienum; nec nos exprimamus istam limitationem; censent dicere nos, licitum esse uti opinione probabili cum detrimento proprio, vel alieno. Cùm tamen dicamus, eo ipso, quòd sit cum tali detrimento, eam opinionem esse improbabilem. Vide *disp. seq. cap.* 17. *art.* 3.

21 Nonò, cùm dicimus, posse contingere, quòd ethnicus audiens prædicationem Evangelii, judicet probabilius posse consequi salutem æternam in lege Evangelii, & minus probabiliter in sua; putant dicere nos, ethnicum posse eligere eam Religionem, quæ minus probabiliter sibi proponitur ut salubris. Cùm tamen dicamus, improbabile esse, quòd ethnicus non teneatur ad salubriorem eligendam. Vide *disput. seq. cap.* 17. *art.* 3.

22 Decimò, dum dicimus, etiam in bello gerendo posse eligi opinionem probabilem, si talis reperta fuerit, putant dicere nos, posse Regem gerere bellum pro vindicanda injuria probabili; cùm tamen hoc secundum dicamus improbabile. Vide *disp. seq. cap.* 17. *art.* 3.

23 Fateor non paucos Theologos ex illis, qui nobiscum sentiunt, quamlibet opinionem probabilem posse tutò deduci ad praxim, perperam intellexisse hanc doctrinam; tum putantes, unum quemlibet Authorem, quicumque ille sit, sufficere ad probabilitatem; tum etiam arguentes à pura speculatione ad praxim, nec distinguentes inter propositionem directam, & reflexam. Ex qua prava intelligentia ortæ sunt quamplurimæ opiniones improbabiles & scandalosæ. Sed veritas non amittit vim suam ex prava aliquorum intelligentia. Ideò sæpius dixi, probabilitatem bene intellectam securissimè posse reduci ad praxim.

24 Una est difficultas, quæ solet vexare viros doctos in hac sententia. Nam positis duobus testimoniis adversis æqualis fidei, & authoritatis de delicto Petri; Judex hæret dubius; ut patet in judicio Salomonis inter testimonia duarum meretricum ambientium filium unicum: ergo in conflictu duarum opinionum adversarum eodem modo hæret dubius intellectus.

25 Est tamen magna disparitas inter quæstionem facti, & quæstionem juris. Nam cùm intellectus non inveniat modum ad dissolvendam vim unius testimonii affirmativi adversùs alterum testimonium; neque enim habet modum, quo solvat eam objectionem, sive attestationem, *Ego vidi*; habet tamen modum, quo in questione juris solvat objectiones unius partis, & quasi ad nihilum redigat per eam solutionem: nam discursus discursu solvitur: quo pacto tollitur impedimentum, ut sic possit deponere dubitationem innitendo rationibus probabilibus alterius partis, vi quarum assentiri jam valet intellectus isti alteri parti. Verum quidem est, quòd aliquando hæret dubius intellectus inter rationes utrimque probabiles, potest tamen intellectus deponere dubitationem, solvendo rationes unius partis, & innitendo rationibus alterius. Vide *in* 1. *part. Cris. Theol. disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 7. *&* 8. *& in hac* 3. *par. disp. seq. cap.* 16.

26 Authores, qui nostram sententiam de Probabilitate impugnant, contendunt, ex ea oriri plurimas opiniones laxativas conscientiæ, & improbabiles, quæ in aliquibus libris Recentiorum præcipuè reperiuntur. Et, ut proximè ajebam, cùm dicimus, posse deduci ad praxim opinionem etiam minus probabilem, putant, dicere nos, posse deduci ad praxim quamlibet opinionem repertam in quolibet libro cujuscumque Authoris moderni. Omnes enim eas opiniones, quæ reperiuntur in libris, dicunt probabiles, id est, verisimiles: in quo sensu nos non admittimus probabilitatem: nam ad hanc requirimus ulterius fundamentum grave, & dignum viro prudente.

27 Et sanè negari non potest, plurimas opiniones improbabiles, & laxativas conscientiæ reperiri in aliquibus libris Authorum; ut constat ex decreto Alexandri VII. quod latè explicatum reperitur in eadem Crisi Theolog. *disp.* 9. *cap.* 20. Sed cùm illæ sint improbabiles, & scandalosæ, implicat contradictionem, quòd oriantur à vera doctrina de Probabilitate. Illæ quidem tegunt se prætextu probabilitatis: sed non propterea opiniones verè probabiles deserendæ sunt: *Quia & illæ oves non debent pelles suas deponere; si aliquando eis lupi se contegunt*. Vide ea *disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 1.

28 Præfati impugnatores nostræ sententiæ contendunt, non aliter compescendas esse opiniones scandalosas, & laxativas conscientiæ, nisi improbando, & amputando omnes opiniones probabiles benignas, quæ stant pro libertate contra legem, illam quidem incertam. Sed non debemus incidere in scyllam, ut vitemus Caribdim; neque incidere in eam opinionem, quòd semper sequenda sit opinio strictior contra libertatem: quia sic incidemus in foveam contradictionis implicatoriam; & sic necesse erit damnare opiniones S. Thomæ, immò & S. Augustini, & S. Hieronymi, quæ stant pro libertate; sicut & plurimorum Theologorum primæ classis. Vide *disp. seq. cap* 15. *&* 16.

29 Medium ergo coercendi opiniones scandalosas, & laxativas conscientiæ, est triplex. Primum, quòd attendat diligenter Theologus principium certum, cum quo est incompossibilis propositio laxativa conscientiæ; talis enim propositio incompossibilis cum principio certò est certo falsa, & positive improbabilis. Secundùm, quod attendat diligenter, an fundamentum opinionis sit sophisticum, æquivocum, aut aliter leve; sic enim opi-

nio

nio non est probabilis, neque licet regere conscientiam opinione non probabili.

30 Tertium, quod attendat Theologus, an sit dubium de probabilitate opinionis: nam ubi probabilitas est dubia, non potest reddere tutam conscientiam. Dubitatur autem de probabilitate opinionis; primò, quando Author opinionis non est omni exceptione major, nec ratio ejus videtur firma. Secundò, cùm Author docet opinionem singularem, nec dat rationem illius. Tertiò, cùm unus vel alter tradit opinionem; & plures alii illam dicunt, vel improbabilem, vel parum tutam, vel rejiciendam. Quartò cum dubitatur, an ratio conclusionis sit levis, an gravis. Quintò quando Author non est diù probatæ authoritatis, vel non est mihi notus ex ejus scriptis, vel dubito, an sit omni exceptione major.

31 Communis sententia Doctorum in aliquibus materiis facit evidentiam moralem. In quo casu opiniones, quæ opponuntur communi sententiæ, sunt certò falsæ, & improbabiles. Quòd si unus, vel alter resistit reliquis omnibus, imprudenter opinatur, atque adeò improbabiliter. Primo, quando aliqua materia dependet omnino à judicio prudentum tamquam à mensurâ extrinseca, v.g magnitudo, & parvitas materiæ præceptæ: quæ quidem non ex alia mensura desumitur, quam à judicio prudentum.

32 Secundò, communis sententia facit evidentiam moralem in quæstionibus, quæ omnino dependent à significatione vocum; cùm hæc non dependeat ab acceptione unius, vel alterius, sed ab acceptione communi.

33 Tertiò, in quæstione facti, communis sententia facit certitudinem moralem, v.g. de existentia præcepti positivi, traditionis, aut consuetudinis. Tunc enim Doctores in unum conspirantes faciunt probationem plenissimam. Et à fortiori communis existimatio omnium Fidelium de præcepto imposito facit de illo evidentiam moralem.

34 Quartò, quando quæstio de probabilitate opinionis reducitur omnino, ad inquirendum, an fundamentum illius sit grave, vel leve; si communis Doctorum reputat leve, ea communis sententia facit certitudinem moralem. Vide præfatam Crisim *disp.* 12.

35 Quintò, communis sententia Doctorum facit certitudinem moralem in intelligentia legis humanæ, & interpretatione illius; & in hoc sensu verum est axioma jurisperitorum, quòd sententia communis (omnium Doctorum, aut ferè omnium) habenda est pro lege. Vide in Additionibus, quæ sunt in fine *partis* 2. *num.* 26. *& seq*

36 Sextò, communis sententia (omnium aut fere omnium) de diversitate specifica peccatorum facit evidentiam moralem. Contra quam nulla potest esse opinio probabilis. Vide in hac 3. *part. disp.* 57. *cap.* 2. *& in* 2. *part. disp.* 53.

37 Non est admittendum, quòd detur matrimonium merè probabile, ita ut ratione ejus probabilitatis liceat conjugi recedere à matrimonio, sua privata authoritate, etsi probabile sit, dari impedimentum dirimens. Vide *in* 1. *part. Crit. Theol. disp.* 19.

38 Titium habentem possessionem legitimam domus, non licet Sempronio illum spoliare propter rationes probabiles suffragantes proprietati Sempronii. Vide *in* 1. *part. Crit. Theol. disp.* 16. *cap.* 8. *art.* 3. *& seq.*

39 Prælato, qui est in possessione pacifica suæ jurisdictionis, non potest subditus negare obedientiam propter rationes probabiles nullitatis electionis, sive communiter ignoratas, sive omnibus notas. Vide *ibid.*

40 Multæ opiniones Jurisperitorum contra Immunitatem Ecclesiasticam reprobantur à Theologis; & in praxi reprobandæ sunt tamquam improbabiles, quia militant contra regulam juris, juxta quam semper (in dubiis, & in dubitabilibus) judicandum est favore Religionis. Vide *in* 1. *part. Crit. disp.* 17.

41 Non est cujuslibet etiam mediocriter docti, ferre judicium de probabilitate intrinseca opinionis; sed solius viri doctissimi, & in re morali versatissimi. De probabilitate autem extrinseca, & authoritate Doctoris, qui sit apud omnes sapientes probatæ authoritatis, & omni exceptione major, v.g P. Suarius, aut P. Thomas Sanchez; vir mediocriter doctus potest ferre judicium, dummodo rectè intelligat. De probabilitate autem extrinseca, quam reliqui Authores dant, præter notoriè probatos; solius viri doctissimi, & in re morali versatissimi est, ferre judicium. Vide *disp.* 59

42 Opinio, quæ ab intrinseco est improbabilis, non potest esse absolutè probabilis ab extrinseco: nulla enim authoritate fit probabilis. Vide *in* 1. *part. Crit. Theol. disp.* 11. *cap.* 9. *à num* 261.

DISPUTATIO LVI.

APOLOGETICA.

Vtrùm licitum sit, & tutum deducere ad praxim quamlibet opinionem practicè probabilem, etiam in conflictu probabilioris?

PRIMA PARS DISPUTATIONIS

In qua Author expostulat cum Jacobo à S. Dominico de monstrosis opinationibus sibi ab eo per calumniam attributis.

CAPUT I.

Quàm sit evidenter falsa sententia ejus Authoris eo modo, quo ab ipso propugnatur.

SUMMARIUM.

Opinio Jacobi à S. Dominico de strictiori opinione seligenda. n. 1.
Quo modo probetur, eam esse evidenter falsam, & inniti fundamentis evidenter falsis. n. 2.
Referuntur propositiones falsæ, quas meæ doctrinæ affingit. n. 3. & seqq.

1 JAcobus à S. Dominico, in tractatu nuper edito, quem inscripsit *Compendiariam Theologiæ moralis explicationem*, totus est in propugnando, in quovis conflictu opinionum, sive æque probabilium, sive probabilioris & minus probabilis, semper standum esse pro parte strictiori, & tutiori pro lege (incerta illa quidem) contra libertatem. Et ad hoc promovendum, & impugnandam meam doctrinam, affingit mihi plurimas opinationes falsas, quas nunquam tradidi; & in illis maximè nititur impugnatio, qua me impetit.

2 Hinc infero, quàm evidenter falsa sit sententia ejus, meæ impugnatrix, eo modo, quo ab illo propugnatur. Etenim illa conclusio est evidenter falsa, quæ nititur fundamentis evidenter falsis: sic se habet præfati scriptoris sententia meæ impugnatrix, eo modo, quo ab ipso fulcitur: ea ergo est evidenter falsa. Major, & consequentia patent.

3 Minor ostenditur primò. Nam ad excludendum prudentiam, quam constituimus in qualibet opinione practice probabili, affingit mihi, dixisse in *disp.* 15 idem esse *prudens & temerarium*, & ad opinionem probabilem sufficere id *motivum*, *quo nititur judicium temerarium*; unde subjungit, affirmatum à me, licitum esse judicium temerarium; quæ omnia sunt enormiter falsa. Vide in hac *disp c.* 2.

4 Ostenditur secundò. Nam ad impugnandam meam doctrinam, & probandum, non sufficere ad praxim opinionem probabilem, affinxit mihi, quòd dixerim, ubi venator probabiliter putat, id, quòd sibi occurrit, esse feram, non hominem; probabile esse, quòd tunc liceat venatori sagittam jacere, cum periculo homicidii, si fortè ille esset homo, non fera; cùm tamen id apertè, & expressè dixerim improbabile. Vide *cap.* 3.

5 Ostenditur tertiò. Nam ad idem intentum, imponit mihi, docere tamquam probabile, ubi judex dumtaxat probabiliter cognoscit, Titium esse reum, licitè posse condemnatoria censura punire reum: cùm tamen dixerim, id esse improbabile. Vide *cap.* 4.

6 Ostenditur quartò. Etenim ad probandum, nostram sententiam non esse tutam in praxi, & ad excludendum certitudinem ejus, affingit mihi dixisse, in opinione probabili formaliter inveniri certitudinem; cùm expresse dixerim, implicare, quòd in opinione probabili inveniatur certitudo; hanc autem formaliter reperiri in ipso dictamine conscientiæ præscribente, licitum esse usum opinionis probabilis; quia hoc dictamen conscientiæ nititur argumentis saltem moraliter evidentibus, quæ proponuntur infra *cap.* 15. 16. *&* 17. Vide *cap.* 5.

7 Ostenditur quintò. Nam meæ doctrinæ affingit sensum hæreticalem, & comparem me facit Simoni Mago, Valentinianis, Gnosticis, & Sectariis nostri temporis; cum mea doctrina tradatur communiter à Theologis, & habeat sensum ab omni labe immunem. Vide *cap.* 6.

8 Ostenditur sextò. Nam ut meam doctrinam proscribat, fingit me docere, licitum esse reclamare propriæ conscientiæ, in electione opinionis minus probabilis; cùm expresse dicam, esse rectum judicium conscientiæ, quòd possimus sequi quamlibet opinionem vere probabilem, etiam omissa probabiliori utpote incerta, & ideò non cogente intellectum ad assensum. Vide *cap.* 7.

9 Ostenditur septimò. Nam ut authoritate S. Thomæ pugnet contra me, fingit me citasse S. Thomam pro electione opinionis minus probabilis: cùm ego dumtaxat citaverim S. Thomam pro sententia, quæ asserit, in conflictu opinionum probabilium non debere nos semper stare pro opinione, quæ est pro lege contra libertatem; quia S. Thomas in simili opinionum conflictu eligit opiniones stante pro libertate contra legem, incertam illam quidem. Vide *cap.* 8.

Ostenditur octavò. Nam probare volens, ex Constitutionibus Sanctissimi Patriarchæ Ignatii teneri me ad probabiliores opiniones eligendas; affingit mihi, quòd mentem S. Patris, & sensum Constitutionis corruperim; cùm expressè ostenderim ex ipsis Constitutionibus, eum esse legitimum sensum Constitutionis. Vide *cap.* 8. *articul* 14.

10 Ostenditur nonò. Nam, ut probet absurditatem contineri in mea doctrina, affirmat, ex illa inferri, omnes opiniones scandalosas, & damnabiles oriri ab hac doctrina, & eas omnes à me admitti, & approbari; cùm expressè dixerim, solùm esse admittendas, quæ vere fuerint probabiles practicè, & opiniones scandalosas non esse practicè probabiles, sed potius improbabiles. Vide *cap.* 9

11 Ostenditur decimò. Nam ad invidiam parandam meæ doctrinæ,

fingit me admittere omnes opiniones, quæ circumferuntur sub prętextu probabilium in libris Casuistarum; Cùm expresse docuerim, non esse probabiles multas opiniones, quæ circumferuntur; quin potius damnabiles, ex quibus multas damnavit Alexander VII. Vide *cap.* 10.

12 Ostenditur undecimò. Affirmat enim, docere me multiplicitatem conscientiarum pro numero opinionum probabilium omnium, quæ circumferuntur in Casuistarum libris. Quod omnino est ab ipso confictum. Vide eodem *cap.* 10.

13 Ostenditur duodecimò. Nam ad idem intentum imponit mihi, quòd dixerim, posse licite præberi assensum contra immortalitatem animæ, & contra Regimen Divinæ providentiæ, quoties non fuerit aperta, & convincens demonstratio de opposito; cùm tamen sæpius docuerim, esse metaphysica evidentia demonstrabile, contra certitudinem esse non posse probabilitatem. Vide *cap.* 11.

14 Ostenditur tredecimò. Affirmat enim, nostram doctrinam de quavis opinione probabili eligenda damnatam esse Romæ à Sacra Congregatione Indicis; cùm tamen id sit planè falsum. Vide *cap.* 12.

15 Ostenditur decimoquartò. Affirmat enim, me supposuisse quinque falsitates in doctrinam S. Thomæ; cùm meridiana luce clarius sit, eas, quas retuli, esse opiniones S. Thomæ; præter unam, in qua est diversitas sententiarum, circà sententiam S. Thomæ; quam eo modo retuli. Vide *cap.* 14. *art.* 4.

16 Cùm ergo impugnatio meæ sententię facta à pręfato Jacobo nitatur tot propositionibus evidenter falsis, mihi affictis; constat, conclusionem talem esse, quales sunt præmissæ, quibus innititur.

CAPUT II.

Prima calumnia meæ doctrinæ imposita, quòd ad probabilitatem sufficit fundamentum judicii temerarii.

ARTICULUS I.

Proponitur præfata calumnia falsa.

SUMMARIUM.

Opinio Baronii, quòd inter duo motiva non possit flecti intellectus imperio voluntatis ad minus probabile. n. 17.
Olim à me impugnata. n. 18.
Imperio voluntatis posse intellectum flecti ad judicium temerarium; & inde inferri, quòd possit flecti ad minus probabile. num. 19. & seq.
Falsa impostura, quòd dixerim sufficere ad probabilitatem id motivum, quòd sufficit ad judicium temerarium. n. 22. & seqq.
Quid inferat adversarius ex prava intelligentia meæ doctrinæ. nu. 26.

17 Vincentius Baron, etiam natione Gallus, dixerat, esse omnino impossibile, quòd intellectus positus inter duo motiva, alterum probabilius, alterum minus probabile, imperio voluntatis directo, seu indirecto, flectatur ad minus probabile, relicto probabiliori; sed necessariò futurum, quòd intellectus inclinet ad motivum probabilius, & vi illius præstet assensum parti probabiliori, neque prodesse posse imperium voluntatis ad hoc, ut parti minus probabili præstetur assensus.

18 Ego, qui censeo, numquam intellectum cogi ad assensum alicujus objecti, nisi ubi intercedit certitudo; docui, ubi neutra pars proponitur intellectui ut certa; à neutra parte cogi intellectum; & tunc posse imperio voluntatis intellectum à voluntate determinari.

19 Id ita esse, demonstrari existimavi; ex eo quòd, cùm aliquis homo nullius criminis arguitur, licet non sit certum esse innocentem, est tantum probabilius, eum esse innocentem: & adhuc mens hominis infensi prodit in judicium temerarium contra innocentiam illius: ergo possibile est, quòd imperio voluntatis flectatur intellectus ad assensum ejus partis, quæ minus probabilis est.

20 Itaque ex eo, quòd mens hominis infensi imperio malevolæ voluntatis flectatur, contra motivum probabilius innocentiæ, ad partem minus probabilem, reatus illius hominis innoxii; infero, possibile esse, intellectum positum inter duo motiva, alterum magis, alterum minus probabile; flecti posse ex imperio voluntatis in eam partem, quæ minus est probabilis; cùm utraque pars sit incerta; atque adeo nulla interveniat certitudo, qua intellectus ad unam partem determinatè necessitetur.

21 Verbi gratia. Dubitat intellectus, an homo teneatur ad restitutionem damni, quod intulit quis absque culpa mortali: & cùm repræsententur intellectui motiva opinionis affirmantis obligationem restituendi, & motiva opinionis negantis; & in motivo opinionis affirmativæ inveniat intellectus majorem probabilitatem, cum formidine tamen; possibile est, quòd intellectus flectatur imperio voluntatis ad assensum partis negantis obligationem. In quo casu, cùm intellectus habeat rationem probabilem ad assensum partis negantis; ille assensus dici non potest temerarius, sed prudens, quia nititur ea ratione gravi opinionis negantis, quæ digna est viro prudente. Hæc ita docui ea *disputat.* 15. *cap.* 1. *art.* 9. *à num.* 297.

22 Sed ecce inopinato impetu insurgit Jacobus à S. Dominico in tractatu, qui inscribitur *Compendiaria Theologiæ moralis explicatio. lib.* 1. *cap.* 9 *sect.* 1. *à num.* 4. & affirmat, me docere, sufficere ad probabilitatem opinionis illud motivum, quod sufficit ad judicium temerarium, & consequenter quodvis judicium temerarium, etiam contra virum innocentem, licitum esse. Si hæc docui, ignarus sum, barbarus sum, & analphabetos; & millenis contradictionibus me implicui; dignusque sum, qui à Republica litteraria omnino exulem. In cujus enim hominis, quantumvis barbari, & stolidi, intellectum cadere potuit, illum operari prudenter, qui ausu temerario operatur? Quis, nisi amens, potuit credere, judicium temerarium dignum esse viro prudente? In cujus mentem venire potuit, idem omnino esse temeritatem, & prudentiam? Potius credam, nivem esse nigram, & igne frigefaciendam aquam, & lapides motu proprio ascendere sursum, quàm judicium temerarium affici posse probabilitate. Et tamen prædictus Jacobus à S. Dominico sibi persuasit, & Reipublicæ litterariæ persuadere voluit, adeò rationis lumen in me fuisse extinctum, ut assererem, quòd nullus hucusque barbarus cogitavit.

23 Ergo vel ut insidias pararet doctrinæ meæ, (quod non credo) vel ut notabili æquivocationi suæ excusationem prætexeret; duobus artificiis usus est. Primò duas, tresve periodos transcripsit hinc inde; intermedias autem, quæ rem evidenter declarant, omnemque amphibologiam, & æquivocationem evertunt, omnino prætermisit. Secundò, quia dixi, posse intellectum assentiri per judicium temerarium, imperio malevolæ voluntatis, alicui crimini contra innocentiam Petri; quando Petrus est in possessione bonæ famæ; præmittit longo discursu, duplicem esse potentiam, naturalem, & moralem: naturalem dici, qua potest quis bonum, & malum operari; moralem verò esse, quę potest secundùm Deum, & rationem operari, qua ratione dicitur quis, posse sibi manum præscindere, secundùm potentiam naturalem; non verò secundùm potentiam moralem, quia non potest licitè. Addit, cùm in moralibus inquiritur, an possit quis opinionem minus probabilem sequi; non inquiri de potentia naturali, sed de morali: & similiter, cùm inquiritur, an possit voluntas flectere intellectum ad judicium temerarium, non inquiri de potentia naturali, sed de morali, an videlicet licitè possit ad judicium temerarium inclinare intellectum. Cùm ergo dixerim, posse fieri, quòd voluntas malevola flectat intellectum ad judicium temerarium, intelligendus sum dixisse de potentia morali; atque adeò docuisse, quòd licèt, intellectum prodire in judicium temerarium contra innocentiam Petri. Addit, me facere gradum à potentia naturali ad moralem: & quia per potentiam naturalem potest intellectus prodire in judicium temerarium; me facere transitum ad potentiam moralem, ideòque docuisse, licitum esse, quòd intellectus prodeat in judicium temerarium.

24 Sed audienda est accusatio prædicti Jacobi, ut firmiùs, & clariùs demonstretur eversa ex ipso meo contextu. Itaque *num.* 4. sic scribit. [Verùm non egrediamur extra probabilitatis chorum, quin hìc in antecessum Cardenam ipsum audiamus, cujus de probabilitate Crisim antequam exploremus, obiter animadvertere licebit, qui nititur Cardenas arbitrariam eligendi facultatem tueri, ut postmodum facilius suadere possit, licitum esse opinionis minus probabilis, etiam ex legis, delectum. Qua in re à potentia naturali, *vitioso transitu* migrat ad moralem; & rursum data occasione pro potentia morali naturalem obtrudit; cùm tamen *de sola morali potentia* sit sermo in moralibus, quando inquiritur, utrùm possit, vel non possit quispiam aliquid efficere. Porrò Cardenas *disput.* 15. *de Probabilit. pag.* 213. *num.* 303. ait. *Quando una pars repræsentatur intellectui ut evidenter probabilior, potest voluntas flectere intellectum ad assensum partis minus probabilis.* Sed nota, quod sequitur. *Patet*, inquit, *conclusio. Nam dum quis fruitur bona fama de honestate morum; non est certum esse innocentem; tamen probabilius est, esse innocentem: & tamen hominis infensi voluntas sæpe flectit intellectum, ut temerè judicet illum noxium.* At quid magis fraudulentum, ac injustum, quam sumere id, quòd non fit, nisi temerè, & iniquè *in Regulam*, aut exemplum ejus, quod licitè tantum fieri debet, & secundùm Deum. Et tamen (quod certè stupendum est) in hoc ipso quòd fatetur temerè fieri, asserit ibidem, *actum judicii niti fundamento gravi, quamvis minori.*] (NOTA. Istud scripsit characteribus, ut vocant, cursivis: Illud autem, *In hoc ipso quòd fatetur temerè fieri*, non scripsit litteris cursivis; quia non ex meo textu, sed ex suo cerebro deprompsit.) & prosequitur Jacobus immediatè.

25 [Audiendus adhuc ipsemet Cardenas *ibidem num.* 306. (NOTA. Attende lector, verba præcedentia mei textus ab ipso citata, esse ex *num.* 303. verba autem sequentia, quæ affert ex meo textu, esse ex *num.* 306. Numeros autem intermedios, ex quibus manifestè colligitur mens Authoris, omninò esse prætermissos.) *Nos autem*, inquit, *ex eo, quòd voluntas possit flectere intellectum ad judicium temerarium contra majus rationis pondus, inferimus non esse impossibile, quod voluntas flectat intellectum* (nota) *ad partem minus probabilem.*

babilem. Quo assensu jam posito, clarè convincimus illum non esse temerarium, cùm ipse nitatur ratione prudenti; & si minus efficaci. Verùm potest ne quispiam magis indignè abuti nomine Prudentiæ? Et ubi ratio, nisi perversa, in tali judicio, quod ipse temerarium esse fatetur? Vides, mi lector, quàm periculosum sit hac in parte à supra laudata D. Thomæ doctrina, sicut & in cæteris *recedere*: quàmque vitiosus sit hujusmodi *transitus*, de quo supra mentionem fecimus: quem non negamus tamquam impossibilem; sed tamquam illicitum, seu nunquam prædamnamus, numquam enim *dubitavimus* quo minus naturaliter possit voluntas intellectum flectere, etiam contra rationem: immò tam possibile id dicimus esse, quam facilè hominem peccare posse. Sed de hoc non est controversia: neque de hac infelici loquimur potentia in moralibus; alias omnia subverterentur.] Hucusque Jacobus in illo suo *num.* 4. Deinde immediatè in *nu.* 5. subjungit.

26 [Ex præfata Cardenæ doctrina duo inferuntur, quibus tota *disp.* 15. de Probabilitate lectoribus clam illuditur: nimirum quid sit apud *Antithomistas*, & ipsum Cardenam, *Niti fundamento gravi*, vel aliquid fieri *ratione prudenti*. Etenim si is, qui temerè judicat ex passione de homine integræ famæ (quòd est directè oppositum Charitati, quæ non cogitat malum) adhuc dicatur à Cardena *prudenter agere*, *& niti fundamento gravi*; certè via poterit quidquam assignari adeò leve, evanidum, aut inane, quòd ratiunculæ alicujus fucatum specie, non sit apud Cardenam satis grave ad probabilitatem stabiliendam: sique vel ei semel concesserimus, *eum prudenter* agere (ut ait) *& niti fundamento gravi*, etiam qui de proximo temerè judicat, ut in casu supradicto de homine integræ famæ; ea eo scilicet, quòd de ejus probitate evidentem non habeat demonstrationem; non nisi rarissimè, & nonquam fortasse, nisi stolidus, imprudenter egisse dicetur, sicque destruitur tota moralis Theologia.]

27 Hucusque accusatio, vel potius immanis æquivocatio Jacobi à S. Dominico, qui late prosequitur exemplis, & rationibus damnans judicia temeraria, potuissetque confirmare eorum judiciorum improbitatem clarioribus demonstrationibus, à priori, & posteriori, ut mox videbimus. Simulque me condemnat (summa immersus æquivocationis caligine) tamquam Authorem probabilitatis judiciorum temerè elicitorum. Eamdem falsam accusationem repetit in Appendice 1. *canical.* 5. *num.* 1.

ARTICULUS II.

In quàm multis erret hac accusatio Jacobi à S. Dominico.

SUMMARIUM.

An id argumentum loquatur de potentia naturali voluntatis ad flectendum intellectum, an de morali? nu. 28.
An si objectio loquatur de potentia naturali, debeat responsio esse de morali? nu. 29.
Quam aliam majorem æquivocationem passus sit adversarius? n. 30.
An quæ dicuntur de judicio probabili confundat cum judicio temerario? nu 31.
An prætermittat verba, quæ rem declarant? n. 32.
An mutaverit terminum, qui rem declarat? n. 33.
An mea doctrina sit conformis D. Thomæ? n. 34.
Quo modo non fiat transitus à potentia naturali ad moralem? n. 35.
An Baronius mea censeat impossibile, quòd voluntas flectat intellectum ad minus probabile? n. 36.
Quàm immeritò dicat Antithomistas eos, qui nostram sententiam sequuntur? n. 40.
Quantum distent judicium temerarium, & ratio prudens? n. 41.

28 Errat primò, dum initio ejus periodi, asserit, me vitioso transitu à potentia naturali migrare ad moralem; & rursum pro potentia morali naturalem obtrudere. In quo eam æquivocationem passus est, quia cùm dixerim, voluntatem habere vim naturalem, ut flectat intellectum ad judicium temerarium, ubi intellectus non cogitur evidentia innocentiæ; ipse Jacobus absq; fundamento putavit me dixisse, voluntatem posse licitè flectere intellectum ad judicandum temerè. Quod ea contextu evidenter falsū est.

29 Errat secundò: dum dicit, *de sola morali potentia* fieri posse sermonem in moralibus. Nam si objectio loquatur (ut in præsenti fieri ostendam inferius) de sola potentia physica, & naturali, saltabimus extra chorum, si respondeamus objectioni, loquendo de potentia morali.

30 Errat tertiò, dum dicit, id quod temerè, & iniquè fit, à me sumi *in Regulam ejus*, quod licitè tantum fieri debet, & secundùm Deum. Etenim æquivocatio ejus scriptoris eo usque processit, ut putaret, quia dixi, voluntatem posse physicè flectere intellectum ad judiciū temerarium; me dixisse, voluntatem licitè posse flectere intellectum ad illud. Quod à contextu meæ crisis alienissimum est.

31 Errat quartò, dum refert verba formalia mei contextus, caracteribus, ut vocant, cursivis exarata, nempe *Actum judicii niti fundamento gravi, quamvis minori*; & ea vult dicta esse de eo, quod temerè fit, cùm ea verba dicta sint de assensu probabili, non de judicio temerario, ut proposito & explicato contextu patebit.

32 Errat quintò, dum à *num.* 303. mei contextus transitum facit ad *num.* 306. prætermittens intermedia, unde clarè constat, me non dixisse, nec dicere potuisse, judicium temerarium niti ratione prudenti, vel fulciri fundamento gravi. Quod supra notavi *cap.* 1. referens periodum Jacobi. Et in infra referendis notabit lector, morem esse ejus scriptoris, referre textus dimidiatos meorum argumentorum, prætermittereque ea omnia, in quibus vis, & efficacia eorum consistit.

33 Errat sextò, dum in postremo textu meæ Crisis ab ipso relato abstulit dictionem *iste*, & substituit dictionem *ipse*. Etenim quando sermo est de duobus, dictio *iste* refertur ad postremum. Cùm ergo in eo contextu loquerer de duobus actibus, primò judicii temerarii, secundò assensus probabilis; dictio *iste* non debebat referri ad primum, sed ad secundum; & ideo dixi; *Cùm iste nitatur ratione prudenti*. Ablata ergo est dictio *iste*, quæ rem clarius ostendebat.

34 Errat septimò, dum dicit, propugnatores doctrinæ de quavis opinione practicè probabili eligenda, *recedere* à satis laudata D. Thomæ doctrina. In quo egregiè decipitur: est enim manifestum, nostram sententiam, quæ negat, in quovis conflictu opinionum probabilium standum esse pro lege contra libertatem, ab Angelico præceptore traditam esse, & ad praxim reductam, ut satis constat ex mea Crisi *disp.* 15. *cap.* 6. *art.* 3. *à num.* 448. & infra ampliùs constabit. Neque est, cur sibi arroget plenam, & privativam, ut ita dicam, intelligentiam mentis D. Thomæ, contra intelligentiam fere omnium Thomistarum. Et cùm in tam claro contextu meæ Crisis adeò hallucinatus fuerit, ut attribuerit mihi doctrinam omnimodis reprobandam; ne miretur, si existimemus, ipsum non perfectè calluisse doctrinam Angelici Præceptoris.

35 Errat octavò, in eo, quod repetit, me in hac materia fecisse *transitum* à potentia naturali ad moralem, quatenus omnino deceptus putat, me docuisse, quòd sicut voluntas potest physicè, ita posse licitè flectere intellectum ad judicium temerariū. Quod quam falsum sit, & quam incompossibile cum contextu, inferiùs constabit.

36 Errat nonò, dum dicit, Authores suæ sententiæ non censere *impossibile*, sed dumtaxat illicitum, quòd voluntas flectat intellectum ad partem minus probabilem; cùm Vincentius Baron (contra quem in eo textu ago) dicat illud esse impossibile omnino.

37 Nec est ad rem, si dicas, Jacobum, quamvis in numero plurali loquatur, agere solùm de sua ipsius sententia, qua censet, id non esse physicè impossibile; non verò de sententia Vincentii, cujus ibi non meminit. Quia cum Jacobus conetur impugnare ea, quæ pro solutione objectionis Baronianæ dixi; non esset ad rem, neque ad impugnationem assertionis meæ, proponere, non quæ dixerat Baron, cui contradico; sed quæ ipse Jacobus affirmat, cui ibi non contradico; cùm tractatus istius editus sit in lucem post sex annos ab editione meæ Crisis.

38 Et ideo, cùm dicit, *Numquam enim dubitavimus, quo minus naturaliter possit voluntas intellectum flectere etiam contra rationem*; si in illo verbo *Numquam dubitavimus* de se ipso loquatur, non est ad rem; si loquatur etiam de Vincentio, quem in eo loco impugno, omnino est falsum; ut clarè constabit *cap. sequenti*.

39 Errat decimò, dum repetit, *Neque de hac infelici loquimur potentia in moralibus*. Id est, dum inquirimus, an voluntas possit flectere intellectum ad judicium temerarium, non inquirimus, an possit physicè, sed an possit licitè. In quo errat, sicut in præcedenti, nam cùm objectio Baronii loquatur de potentia physica, responsio ad objectionem non debuit facere transitum ad potentiam moralem, sive ad hoc, quòd id possit licitè fieri.

40 Errat undecimò, dum vocat *Antithomistas* eos, qui defendunt, quamlibet opinionem verè probabilem eligi posse ad praxim. Quo nomine eos appellat, ad invidiam ejus conciliandam: de quo redibit sermo, cùm videamus, quot, & quibus nominibus contemptibilibus afficiat opinionem nostram, & sectatores ejus.

41 Errat duodecimò, dum dicit apud nos idem esse. *Niti fundamento gravi, & niti ratione prudenti*; ac *temerè* judicare. Quod non capit intellectus hominis, etiam stolidissimi; sicut non capit duo contradictoria simul vera: neque enim minorem oppositionem asserunt, *operari temerè, & operari prudenter*; ut constabit ex infra dicendis.

ARTICULUS III.

Ex meo contextu aperitur veritas meæ assertionis, & accusationis falsitas.

SUMMARIUM.

An dum dicitur voluntatem posse flectere intellectum ad judicium temerarium, id asseratur de potentia naturali nu. 42. & seq.
Quæ sit objectio Baronii in hac materia? nu. 44 & seq.
Quæ fuerit responsio ad eam objectionem? n. 46.
Quo modo constet, in ea responsione non dici voluntatem licitè flectere intellectum ad judicium temerarium? n 50.
Quo modo constet evidenter ex ipso contextu falsitas calumniæ? nu. 53. & seq.

41 UT constet meridiana luce clarius, esse meram calumniam ex suo cerebro depromptam, quam mihi infert prædictus Jacobus; duo manifestissimè ostendam. Primum, cùm in eo *art.* 9. relato dixi, voluntatem hominis infensi flectere posse intellectum, ut eliciat judicium temerarium, contra motivum probabilius innocentiæ; nec locutum fuisse me, nec loqui debuisse de potentia morali, sed solùm de physica; id est, de eo quòd, non licite, sed physicè possit voluntas flectere intellectum ad eliciendum actum judicii temerarii. Secundum, me non dixisse in eo loco, ad motivum probabilitatis sufficere motivum judicii temerarii; neque duo alia, quæ inde infert Jacobus, nempe judicium temerarium niti fundamento gravi, & ratione prudenti; item judicium temerarium esse licitum; immò verò oppositum constare clarissimè ex ipso contextu.

43 Quod attinet ad primum, oportet attentè considerare objectionem Baronii à me ibi propositam, & solutam, in qua prædictus Baronius expressè asserit, quòd voluntas non potest physicè flectere intellectum ad partem minus probabilem, ubi intellectui proponitur motivum probabilius. Ecce verba Baronii, quæ refero in eo *art.* 9. *num.* 297. *Qui censet partem unam probabiliorem, judicat, alteram minus probabilem falso propius abesse: ergo si istam alteri anteponat, adhærebit parti, quam judicat magis falsam; quo nihil potest absurdius dici.* Ecce arguit Baronius non à malitia voluntatis flectentis intellectum ad minus probabile; sed à modo operandi intellectus tamquam causæ necessariæ.

44 Prosequitur immediatè Baronius eam objectionem. *Addo etiam ad hujus sententiæ confirmationem, quamlibet potentiam innato pondere ad suum objectum, tamquam ad bonum congenitum, ferri, & à contrario abhorrere.* Vides, quo modo loquitur Baronius de intellectu tendente ad objectum probabilius innato pondere, & tamquam de causa necessaria, & necessariò operante. Et enim confirmatio omnino est inutilis ad probandum, esse peccatum, & illicitum flecti intellectum ad objectum minus probabile.

45 Subjungit immediate sequentia. *Sic aqua recto cursu fluit ad mare, & ambages, & alvei circuitus fugit. Ergo cùm intellectus objectum sit verum, id tamquam unicum bonum quærit, & illi parti adhæret, quæ sibi plus veri habere visa fuerit: ergo non potest adhærere minus probabili relicta probabiliori, id est, quæ magis ad veritatem accedit.* Vides, quo modo, cùm Baronius dicit, quòd intellectus *non potest adhærere minus probabili, relicta probabiliori*, non capit eum sensum, quòd non potest licitè, licèt possit physicè adhærere minus probabili. Æquiparat enim motum intellectus ad verum motui aquæ ad mare: quæ æquiparatio stolida esset ad probandum, voluntatem non posse licitè flectere intellectum ad minus probabile. Et ea æquiparatio eò tendit, ut probare conetur, quòd sicut aqua tamquam causa necessaria suum motum ducit ad mare; ita intellectus tamquam causa necessaria suum motum ducit ad probabiliorem partem. Ex quo evidenter sequitur, quòd Baronius non solùm affirmat esse illicitum, quòd intellectus adhæreat parti minus probabili; sed esse physicè impossibile, quòd intellectus assentiatur parti minus probabili relicta probabiliori: atque adeò non loquitur de potentia morali, sed de potentia physica.

46 Ad tenorem ejus argumenti debuit esse responsio mea, ut esset ad rem: atque adeò debui ostendere, non esse physicè impossibile, adhærere intellectum parti minus probabili, relicta probabiliori, nempe ex imperio & inclinatione voluntatis. Et ita *num.* 303 sic ad objectionem Baronii respondi: [Etiam quando una pars repræsentatur intellectui, ut evidenter probabilior, *potest* voluntas flectere intellectum ad assensum partis minus probabilis.] Ubi id verbum *Potest* in eodem sensu debet sumi in mea responsione, in quo sumitur in objectione, nempe de possibilitate physica; non de morali, quippe quæ non esset ad rem.

47 Subjunxi immediate probationem in eodem *num.* 303. [Et quidem cùm repræsentatur ut evidenter probabilior, adhuc ea pars repræsentatur ut incerta, & talis, ut ab ejus assensu abstinere possit, nisi à voluntate flectatur. Unde dum intellectus videt, partem oppositam esse incertam, etsi probabiliorem, ad cujus assensum ideò non cogitur; potest voluntas flectere intellectum ad partem oppositam.] Ubi clarissimè vides, nos non asserere, quòd voluntas potest licitè flectere intellectum ad partem oppositam; nam de hoc non erat quæstio in objectione Baronii; sed quòd potest physicè flectere intellectum, contra ipsum Baronium, qui contendebat, sicut aqua fluminis fluit ad mare motu necessario, ita intellectum motu necessario moveri ad partem probabiliorem.

48 Hanc assertionem sic propositam de potestate physica voluntatis ad flectendum intellectum, ut adhæreat parti minus probabili; immediatè sic probavi eodem *num.* 303. [Patet conclusio. Nam dum quis fruitur bona fama de honestate morum, non est certum esse innocentem; tamen probabilius est, illum esse innocentem: & tamen hominis infensi voluntas sæpe flectit intellectum, ut temerè judicet, illum esse nocivum: ergo ubi pars aliqua probabilior est, sive ubi præponderat majus robur probabilitatis, potest voluntas flectere intellectum ad partem oppositam.]

49 Vidit præfatus Jacobus hoc argumentum esse evidens ad probandum, voluntatem physicè posse flectere intellectum ad assensum partis minus probabilis, & ut eluderet vim argumenti, nixus est, licèt conatu irrito, obtrudere sensum potentiæ moralis; & facere transitum à potentia physica ad moralem, quem ego non feci, & ipse reprehendit.

50 Et ideo agens de ea responsione à me data ad objectionem Baronii, dixit Jacobus: *Numquam enim dubitavimus, quin minus naturaliter possit voluntas intellectum flectere etiam contra rationem.* Et ut notavi supra, loqui debuit non solùm de sententia sua in hoc puncto, sed etiam de sententia Baronii, cujus erat objectio, ad quam ego ibi respondebam. Ideòque falsum est omnino, quòd Baronius admiserit, quòd posset physicè voluntas flectere intellectum ad minus probabile, vel ad non probabile, ut constat ex dictis.

51 Manet ergo firmum, me non dixisse in eo textu, ex *num.* 303. quòd voluntas possit potentia morali, sive licitè, flectere intellectum ad assensum judicii temerarii; sed solùm quòd possit physicè, contra id, quod contendebat Baronius.

52 Deveniendo ad secundum articulum accusationis, & stolidam ejus falsitatem; constabit, nihil tale à me dictum, per hoc, quòd reproducatur meus contextus; non dimidiatus, qualem proposuit Jacobus, sed plenus, & integer.

53 Et ut clarius ad illum procedatur, animadvertendum est, in eo argumento desumpto ab imperio physico, quod habet voluntas ad flectendum intellectum ad assensum judicii temerarii; intervenire duos assensus: alterum judicii temerarii, qui assumitur in antecedente argumenti; alterum opinionis minus probabilis, de quo negat Baronius, quòd ad illum possit voluntas flectere; & de hoc agitur in consequente.

54 Verbi gratia, dicebat Baronius (licèt hunc individualem casum non expresserit) cùm Pictori occurrit, ut minus probabile, quòd licet pingere in die festo; voluntatem physicè non posse flectere intellectum ad assensum ejus partis minus probabilis. Ego autem assumo pro antecedente, quòd voluntas physicè possit flectere intellectum ad judicium temerarium, in quo nulla est ratio prudens, nullumve fundamentum grave; & inde à majori ad minus consequentiam elicio, quòd possit physicè voluntas flectere intellectum ad assensum ejus partis minus probabilis, quòd Pictori liceat pingere in die festo.

55 Igitur ad præoccupandam responsionem, quæ ei argumento occurrere posset, in *num.* 304. sic dissero. [Nec valet, si dicas, illud esse judicium temerarium; & solùm negari imperium voluntatis, ut flectat intellectum ad partem minus probabilem, ita ut resultet actus opinativus, & probabilis.] Hæc est responsio, qua fortasse aliquis vellet eludere vim argumenti, dicendo, quòd sicut voluntas potest physicè flectere intellectum ad assensum judicii temerarii, ita poterit flectere intellectum, ut Pictor assentiatur ei parti, quod licet pingere in die festo, ita ut assensus iste maneat non probabilis, sed temerarius.

56 Ad confutandam eam responsionem, hæc immediatè subjungo *num.* 305. [Etenim hic sunt duæ quæstiones diversæ. Prima: An voluntas possit flectere intellectum ad unam partem, quando pro opposita, illa incerta quidem, est majus pondus probabilitatis? Secunda: An actus iste judicii, qui ex illa inclinatione voluntatis resultat, sit probabilis, & opinativus, an potius temerarius.

57 Siste gradum, lector, & antequam progrediamur ad decisionem utriusque quæstionis, considera ultima verba ejus periodi, *Probabilis, & opinativus, an potius temerarius.* Et videbis apud me incompossibilia esse ea duo prædicata, *probabilis & temerarius*: & inde colliges quanta cum injuria affingat mihi Jacobus, quòd dixerim, assensum judicii temerarii esse probabilem; vel ad probabilitatem sufficere motivum judicii temerarii; cùm intellectus rationalis non capiat prædicata incompossibilia respectu ejusdem subjecti.

58 Deinde attentè considera eas duas quæstiones, & præcipuè secundam, in qua quæritur, an actus ille, quo Pictor assentitur ei parti, quòd licet pingere in die festo, evadat probabilis, an potius temerarius?

59 Itaque in eo *num.* 305. prosequor immediatè sequentia. [Quo ad primam quæstionem attinet, si certum est, quòd voluntas flectit intellectum ad unam partem *carentē omnino fundamento gravi*, quando pro opposita præponderat majus robur probabilitatis, ut patet in casu proposito; à fortiori certum erit, quòd in simili casu possit voluntas flectere intellectum ad eam partem, quæ *gravi fundamento*, quamvis minori fulcitur.]

60 Nota iterùm, in hac decisione primæ quæstionis, quæ est ponderatio argumenti desumpti à judici temerario, intervenire duos assensus: alterum *carentem omnino fundamento gravi*, qui est judicii temerarii, & assumitur pro antecedenti; alterum nitentem *fundamento gravi* quamvis minori, qui est assensus probabilis, & ponitur in consequente: & fit argumentatio à primo ad secundum. Et hinc patet evidenter, eum assensum, qui dicitur niti ratione prudenti, & fundamento gravi, non esse primum, sed secundum; non actum judicii temerarii, qui ponitur in antecedente; sed actum opinativum, verbi gratia quòd licet pingere in die festo, qui ponitur in consequente. Et hoc satis erat ad intelligendum, me numquam dixisse, quòd actus judicii temerarii nitatur ratione prudenti, aut fundamento gravi.

61 Videamus, quod respondi in eo textu ad secundam quæstinnem, nempe [An cùm voluntas flectat intellectum ad partem minus probabilem, v. g. quòd Pictori liceat pingere in die festo, ille assensus dicendus sit probabilis, vel temerarius?] Ad quam sic respondi in eodem *num.* 305. [Quo ad secundam verò quæstionem, cùm actus ille judicii, qui resultat, nitatur fundamento gravi, quamvis minori, non poterit dici esse actus judicii temerarii, sed prudentis] Ecce iterùm declaratur oppositio inter judicium temerarium, & prudens. Unde, quòd nitatur ratione prudenti, non potuit attribui assensui temerario, sed illi assensui, pro quo stat ratio prudens, v. g. pro eo quòd licet Pictori pingere in die festo.

62 Id quod magis declaratur *n.* 306. in iis verbis, etiam prætermissis à Jacobo, quæ statim immediate subjungo. [Et quidem Vincentius, in eo argumento proposito, non intendit vires argumenti in eum scopum, ut probet, illud judicium, quòd terminatur *ad partem minus probabilem*, esse temerarium; sed potius ut probet, intellectum necessitari ad assensum partis probabilioris, casu quo aliquem assensum eliciturus sit; & intellectui impossibile esse, quòd assensum præstet *parti minus probabili*; nec voluntati inesse vires ad inclinandum intellectum ad hujusmodi assensum ad objectum *minus probabile*.]

63 Iterùm nota, quoties mentionem facimus *partis minus probabilis*, nec loqui nos, nec posse loqui de judicio temerario; quia in judicio temerariu implicat contradictionem, quòd inveniatur pars minus probabilis. Nam si ea pars haberet probabilitatem, assensus non esset temerarius, & eo ipso quòd sit temerarius; ea pars, cui adhæret, minime probabilis est; ut vel ipsa institutio præfatæ quæstionis secundæ manifestat.

64 Modò facile intelliges ea verba, quæ refert præfatus Jacobus ex meo textu *n.* 306. quę immediata sunt proximè relatis: Dummodo firmiter teneas, & præ oculis habeas, in antecedenti loqui me de assensu temerario, & in consequenti de assensu probabili; & si minus probabili. V. g. quòd licet pingere in die festo. Verba autem sunt hæc. [Nos autem ex eo, quòd voluntas possit flectere intellectum ad *judicium temerarium* contra majus rationis pondus, inferimus, non esse impossibile, quòd voluntas flectat intellectum ad *partem minus probabilem*. Quo assensu jam posito, clarè convincitur, illum non esse temerarium, cùm iste nitatur ratione prudenti, & si minus efficaci.] *Iste* dicit, non *ipse*.

65 Quem textum, miror vehementer, quòd adeò sinistrè interpretatus fuerit Jacobus, ut velit intelligi ultima verba de judicio temerario, cùm omnia verba præcedentia, immò & ipsa postrema ei sinistræ interpretationi manifestè resistant. Si antecedens loquitur de judicio temerario, & consequens de assensu probabili, & verba postrema referuntur ad consequens; quo modo potuerunt intelligi postrema verba de assensu judicii temerarii; qui nec probabilis est, nec reperitur in consequente? Ea verba *Quo assensu jam posito*, numquid non ad posteriorem assensum referri debent; non autem ad priorem? ea enim est vis relativi, ut ad terminum sibi proximum referatur. Deinde in iis verbis *Cùm iste nitatur ratione prudenti*, quis ignorat, eam dictionem *iste* referri non ad terminum remotum, sed ad terminum sibi proximum. Atqui terminus magis remotus est *judicium temerarium*, qui ponitur in antecedente; terminus autem proximus est *assensus probabilis*, qui ponitur in consequente. Unde ea postrema verba sic debuit necessariò interpretari: *Quo assensu probabili* (non temerario) *jam posito, clarè convincitur, illum non esse temerarium: cùm* iste assensus *probabilis nitatur ratione prudenti, & si minus efficaci*. Et notavi jam *art.* 2. terminum *iste*, vel per injuriam, vel per subreptionem, sublatum fuisse, & substitutum terminum *ipse*, qui non est ita aptus ad claritatem desideratam.

66 Ex quibus clarissimè constat, præfatum Jacobum in meridiana luce caligasse, & summam passum fuisse æquivocationem: neque in eo textu meæ Crisis esse aliquod vel levissimum fundamentum, ut mihi attribuat, quòd dixerim, judicium temerarium niti ratione prudenti.

67 Et hic invoco, & obtestor totum tractatum prædicti Jacobi, in quo nititur omnem probabilitatem excludere in quovis conflictu opinionum; quare à fortiori debet excludere quamlibet opinionem, quæ militat contra præceptum certum. Et tamen ipse contra præceptum certum charitatis, non judicandum esse temerè, & absque fundamento de proximo, absque fundamento attribuit mihi tam immane piaculum perversæ doctrinæ, quæ non cadit in hominem barbarum. Et ideò discursus, quem eo *cap.* 9. affert contra judicia temeraria, totus regreditur contra suum Authorem.

ARTICULUS IV.

Ex aliis textibus meæ Crisis constat etiam accusationis falsitas.

SUMMARIUM.

An cognoscatur falsitas impostura, ex ipsa explicatione opinionis probabilis? n. 68.
An ex ipsa explicatione judicii temerarii? nu. 69.
An ex aliis textibus? n. 70. & seqq.

68 IN *cap.* 7. ejus disputationis 15. allegavi definitionem opinionis probabilis; & remisi lectorem ad disputationem primam. In qua *num.* 16. dixi, judicium temerarium esse illud, quod caret fundamento gravi. Ecce verba formalia. Opinio probabilis est [*conclusio incerta gravi fundamento nixa*. Ea vox *incerta* significat conclusionem, quæ neque certa est, neque certò falsa. Et per eam vocem *incerta*, convenit cum judicio temerario; quod neque certum est, neque certò falsum: & per eandem differt à conclusione scientifica, & improbabili; & per reliqua verba differt ab assensu *temerè, & absque gravi fundamento* elicito.]

69 Secundò idem constat *ibid. n.* 20. illis verbis, [Improbabilis negative eadem est, quę non probabilis: id est, quæ non sit certò falsa, tamen non est probabilis. Talis est hæc propositio, *Turca dormit*; quæ non est certò falsa; cùm tamen nullum habeamus fundamentum grave ad eam asserendam, ideò non est probabilis: *qua ratione se habet omne judicium temerarium*.] Vides, quo modo judicium temerarium est illud, quod nullum habet fundamentum grave. Quo modo ergo potuit in mentem meam cadere, quod judicium temerarium nitatur *fundamento gravi, & ratione prudenti*? Et quo modo Jacobus non advertit, ubi sermo erat de duobus actibus, alio probabili, alio temerario; attribuere me fundamentum grave probabili, & carentiam fundamenti gravis temerario?

70 Secundò, idem constat ex *disp.* 6. *num.* 17. ubi ad rem ejus disputationis probans adversùs Caramuelem, propositionem ex nulla, vel ex levi ratione ductam, non esse dubitationem, sic arguebam. [Nullum judicium temerè elicitum est dubitatio (cùm dubitatio non sit judicium, sed suspensio judicii in utramque partem contradictionis:) *sed omnis propositio, ex levi, vel ex nulla ratione ducta, est judicium temerè elicitum*: ergo nulla propositio, ex levi, vel ex nulla ratione ducta, est dubitatio.] Considera minorem ejus syllogismi, & videbis, cum ea incompossibilem esse eam atrocem doctrinam, quam mihi affingit Jacobus. Ea enim minor docet, judicium temerarium ex levi, vel ex nulla ratione duci.

71 Tertiò, constat adhuc clarius ex probatione ejus minoris datæ in eodem numero. Ubi sic dicitur: [Minor est ferè identica, si penetrentur termini: idem enim est propositio mentalis, & judicium; idem est *temerè* ac *sine gravi ratione*.] Cùm ergo sit idem formaliter *temerè*, & *sine gravi ratione*; quo modo potuit intelligi, asseri à me, quòd judicium dum *temerè* elicitur, nitatur ratione gravi?

72 Quartò in eadem *disp.* 6. *num.* 35. in quodam syllogismo proposui hanc minorem: [Omnis assensus *ex levibus* dumtaxat conjecturis est judicium *temerarium*.] Quam minorem esse de mente Caramuelis, ostendi ibi, referens ejus verba, & immediate subjungo: [Ecce minorem, quòd determinatus assensus *ex levibus* conjecturis sit judicium *temerarium*; & per hoc differt à dubitatione.] Quo modo clarius dici potuit, judicium temerarium esse illud, quod ex levibus ducitur conjecturis? aut quo modo componitur, quod mihi affingit Jacobus; quòd judicium temerarium nitatur ratione gravi? Numquid cadit in intellectum rationalem, quòd dicat, conjecturas leves esse rationes graves?

73 Quintò in eodem *n.* 35. adjunguntur hæc verba: [Nam quamvis præscinderes rationes omnes certas, & probabiles, non solùm formaliter, sed etiam realiter, ita ut realiter manerent dumtaxat rationes *leves*, non maneret assensus dubius, sed judicium *temerarium*.] Vides, constanter à me dictum esse, judicium temerarium ex rationibus levibus, non ex gravibus duci. Quibus similia passim reperies in toto opere.

74 Sextò, *in disp.* 11. *cap.* 4. *à nu.* 114. ex professo docui cum multis Doctoribus, non sufficere ad probabilitatem, authoritatem Scriptoris, qui nititur firmare suam assertionem fundamento levi, vel nullo. Cujus hæc sunt verba: [Secundum caput limitationis est *levitas*, vel *nullitas* fundamenti stantis pro conclusione, cui suffragantur Authores. Itaque nulla authoritas extrinseca sufficit ad *probabilitatem* conclusionis, ubi clarè constat, fundamentum ejus conclusionis esse *leve*, vel *nullum*.] Ergo cùm judicium temerè elicitum nitatur fundamento levi, vel nullo; nequit intelligi, quo modo id sufficiat ad probabilitatem. Vide etiam, quæ dixi *disp.* 35. *à num.* 103. *& disp.* 4. *num.* 64. *& disp.* 15. *num.* 550.

75 Tandem *disp.* 4. *num.* 93. probavi, posse unam propositionem esse probabilem, & oppositam non esse probabilem, sic. [Potest dari judicium temerarium de re aliqua, cujus oppositum contradictorium sit probabile: ergo potest dari una propositio, quæ habeat fundamentum grave, cujus opposita nitatur *fundamento levi*. Consequentia patet: *Cùm judicium temerarium nitatur fundamento levi*, & probabile gravi. Antecedens verò ostenditur. Nam judicium temerarium erit judicare *ex levi conjectura* de Clerico bonæ famæ, quòd est luxuriosus: quòd autem sit observator castitatis, est mihi dumtaxat probabile, nempe ex fama, quæ non facit evidentiam moralem, sed solùm probabilitatem.] Quid clarius dici potuit de discrimine judicii temerarii ab opinione probabili? cùm dixerim, opinionem bonæ famæ Clerici esse probabilem, & judicium oppositum non esse probabile, sed temerarium. Item, judicium temerarium niti conjectura levi; & opinionem bonæ famæ niti fundamento gravi. Maneat ergo firmum, judicium temerarium à me dici illud, quod ex levi, vel nulla ratione ducitur; & nequaquam stare posse cum meis assertis, quòd judicium temerarium nitatur fundamento gravi, & ratione prudenti.

ARTICULUS V.

Manifesta contradictio debuit avertere Jacobum ab ea sinistra interpretatione.

SUMMARIUM.

Prima contradictionis implicatio. n. 78.
Secunda implicatio. n. 79.
Tertia implicatio. n. 80.
Quarta implicatio. n. 81.
Quinta implicatio. n. 82.
An Adversarius non adverterit has implicationes? n. 83. & seqq.

76 DElirat homo, neque sanitate mentis fruitur, dum admittit tamquam compossibilia duo contradictoria. Hinc est, quòd de nullo scriptore, & si mediocriter docto, credendum est, admisisse de eodem subjecto duo prædicata, quæ manifestè, & sine tergiversatione contradictoria sunt.

77 Et quidem quòd judicium sit temerarium, & quòd nitatur fundamento gravi, & prudenti, tam clarè, & manifestè sunt prædicata contradictoria, ut obstupescendum sit, ea attribui potuisse scriptori sanæ mentis. Quæ manifesta contradictio, & si ipsa per se omnium oculis se obiiciat; adhuc multis modis ostendi potest.

78 Primò. Quis non videt hæc duo predicata contradictoria contineri in ea propositione? *Hoc judicium temerarium nititur ratione gravi; Hoc judicium temerarium non nititur ratione gravi.* Nam prima propositio est, quam mihi affingit Jacobus; quòd autem non nitatur ratione gravi est de conceptu temeritatis per se noto.

79 Secundò continentur in ea propositione mihi falsò; imposita, hæ duæ propositiones contradictoriæ. *Hoc judicium temerarium nititur ratione levi; Hoc judicium temerarium non nititur ratione levi.* Prima continetur, quia de conceptu essentiali per se noto temeritatis est levitas, vel nullitas rationis. Secunda infertur, quia assensus, qui nititur ratione gravi (qualem continet impostura mihi afficta) non potest dici constare ratione levi.

80 Tertiò, ista propositio mihi falso attributa, *Judicium temerarium nititur ratione prudenti*. Continet pro eodem actu simul temeritatem, & prudentiam, quæ manifestam implicationem involvunt. Ideò illa propositio continet has duas contradictorias: *Judicium temerè elicitum est prudenter elicitum. Judicium temerè elicitum non est prudenter elicitum*. Prima continetur; quia æquipollet illi. Secunda etiam continetur, quia temeritas dicit negationem prudentiæ.

81 Quartò; quia similiter prudentia dicit negationem temeritatis; ideò ex præfata propositione mihi sinistrè afficta inferuntur hæ duæ propositiones contradictoriæ: *Judicium temerarium est temerè elicitum. Judicium temerarium non est temerè elicitum*. Et prima infertur: quia cùm sit identica; prædicatum continetur in subjecto. Secunda verò, quia cùm judicium temerarium nitatur ratione prudenti (juxta tenorem ejus monstrosæ propositionis, mihi exorbitanter attributæ) & prudentia dicat negationem temeritatis, infertur id judicium non esse temerè elicitum.

82 Quintò; Similiter probabilitas dicit carentiam temeritatis, & temeritas dicit carentiam probabilitatis: quia prædicatum essentiale probabilitatis (loquimur de probabilitate practica) est niti ratione prudenti: unde sicut ratio prudens dicit carentiam temeritatis; ita probabilitas dicit carentiam temeritatis. Inferuntur ergo ex ea absurdissima propositione mihi absurdissimè imposita istæ duæ propositiones contradictoriæ: *Ista propositio est probabilis: ista propositio non est probabilis*. Prima infertur, quia loquimur de probabili, & quam supponimus probabilem. Secunda etiam infertur; quia cùm juxta falsissimam doctrinam mihi falsissimè attributam, ad probabilitatem sufficiat motivum judicii temerari; & temeritas dicat carentiam probabilitatis; arguitur apertè, illam propositionem non esse probabilem.

83 Hinc summa admiratione afficior, quòd cum præfatus Jacobus, insigniter deceptus, putaverit dixisse me, quòd judicium temerarium nitatur ratione prudenti; collegeritque omnes vires mentis suæ ad impugnandam eam assertionem; non adverterit argumentum, quod adversùs eam assertionem militat, de manifesta implicatione terminorum, & clarissima contradictione. Cùm hoc argumentum tale sit, ut metaphysica evidentia convincat falsitatem ejus assertionis.

84 Sciat ergo Jacobus hæc duo. Primum, nos tam longè abesse ab ea assertione, ut non solùm non eam asseruerimus; verùm neque potuisse nos eam asserere, neque cadere potuisse in intellectum nostrum; qui tam manifestam terminorum contradictoriam implicationem non capit.

Secundum, ipsum Jacobum, quamvis amarulenta verborum colluvie armatum non fuisse assecutum evidentiam metaphysicam, qua ejusmodi assertio perimenda erat. Neque in hoc articulo expostulo de verborum amarulentia: si enim ego talem assertionem protulissem, multo majori amarulentia me dignum existimassem.

ARTICULUS VI.

Quibus aliis argumentis impugnet assertionem mihi enormiter imputatam?

SUMMARIUM.

Quam enormiter erraverit adversarius? n. 85. & seqq.
An ex prudentia attributa judicio temerario inferatur, quòd sit regula, & non regula? nu. 89.
Quæ alia argumenta attulerit adversarius? nu. 90. & 91.

85 MUltis aliis impetit Jacobus eam monstrosam assertionem: in quibus totum oleum, & operam perdidit, quamvis ampliatis per totum *caput* 9. & duas sectiones ejus plus quam octo paginis contentas. Pugnat enim contra hostem, qui numquam extitit in rerum natura.

86 Videtur sibi triumphare de mea Crisi Theologica, dum per enormem errorem putat, me censere, eum, qui temerè judicat, prudenti rationi inniti; quasi ad temeritatem tota res prudentiæ, & conscientiæ reducatur à me. Ideo hæc verba addidit: *Et Deo disponente, suam sic aperuit mentem hac in parte Cardenas, ut nullus deinceps deciperetur his terminis*. Prudenter agere, & niti fundamento gravi; *quibus ille perpetuò tota disp. 15. abutitur*.

87 Sed vides, mi Lector, quomodo triumphus Jacobi evanuerit, & abierit in vacuum; conversusque fuerit in luctum, quo deplorare debet enormitatem erroris, quo putavit, deploratam esse rem nostræ sententiæ. *Et Deo disponente* permissivè, factum est, ut enormiter erraret Jacobus in intelligentia meæ assertionis, *ut nullus deinceps deciperetur his terminis*. Prudenter agere, & niti fundamento gravi; *quibus ille* credebat me *perpetuò tota disp. 15 abuti*, & illos confundere cum temeritate operandi: utque omnes intelligerent, *prudenter agere*, *& temerè*, esse terminos contradictoriè oppositos.

88 Sed in eodem errore persistens multa alia congerit in eam assertionem, quam si ego defenderem, posset mihi præjudicium afferre. Et uno verbo omnia amputantur, dicendo, errasse enormiter Jacobum, dum mihi attribuit propositionem omnimodis absurdissimam. Aliqua tamen referam ex iis, quæ opponit, ut materia hæc clarius constet.

89 Primum. *Ibid. numer.* 8. sic ait: [Inquiro à Cardena, an voluntas hominis insensi sit *regula* rectè judicandi? Quo vel solùm audito omnes pertimescunt.] idque interrogat, quia dixi, quòd voluntas hominis insensi imperat judicium temerarium. Putat autem per errorem, me dixisse eam temeritatem esse rationem prudentem. Sciat ergo Jacobus, ex ea falsa propositione, quam mihi falso attribuit, inferri, quòd *sit regula*, & quòd *non sit regula*: nam ubi conjunguntur temeritas, & prudentia; conjunguntur etiam regula, & non regula, atque adeò terminorum implicatio.

90 Secundum. *Ibid. num.* 11. multa argumenta, & exempla, quę attuli in Crisi Theolog. *disp.* 6. ad probandum, in quæstione facti, testimonia æqualis Authoritatis non parere probabilitatem, sed dubitationem; ipse Jacobus eadem adducit, sine distinctione quæstionis facti, vel juris. Ubi miror, quòd cùm ego *disp. 15. cap. 4. art. 8. num.* 278. constituerim disparitatem quoad hoc inter quæstionem juris, & quæstionem facti; præfatus Jacobus neque solvat argumenta ibi à me proposita, neque instantiam aliquam afferat contra responsionem, qua opposita argumenta solvit. Sed quia hæc materia independens est à materia hujus capitis, in qua vindico me à falsitate mihi enormiter attributa; ideo commodius dicam de hoc argumento infra *cap.* 16.

91 Tertium, quod *ibid. n.* 13. proponit ex eo quòd Alexander VII. damnaverit quadraginta quinque propositiones tamquam scandalosas, quæ ab aliquibus propositæ fuerant ut probabiles; inferri nostram doctrinam de quavis opinione practicè probabili seligenda falsam esse. Nam si vera esset, etiam illæ propositiones damnatæ possent dici probabiles. Sed quia etiam hæc objectio est independens à falsitate mihi imputata, illam remitto ad secundam partem hujus Apologeticæ disputationis.

CAPUT III.

Altera Calumnia desumpta à distinctione assertionis directa, & reflexa.

ARTICULUS I.

Proponitur prima periodus calumniæ.

SUMMARIUM.

An res probabilitatis non tectè ab omnibus penetretur? n. 92.
Quantum intersit inter quæstionem directam & reflexam? nu. 93.
An amarulentia verborum addat vim argumentationi? n. 94.
Quomodo conqueritur adversarius de obscuritate? n. 95.
Quantùm decipiatur adversarius, dum putat dixisse me, licitum esse venatori jacere sagittam, cùm probabiliter censet id, quod adest, esse feram, non hominem? n. 97.
Quàm clarè dixerim, eam propositionem esse improbabilem? n. 97.

92 Per

92 PEr totam disputationem 15. Crisis Theologicæ firmavi, & demonstravi, licitum esse amplecti in praxi quamlibet opinionem practicè probabilem *benè intellectam*: probabilem quidem, non probabilitate verisimilitudinis, qualem definiunt adversarii, sed probabilitate proveniente à fundamento gravi, & ratione prudenti; & habita per discursum dignum viro prudenti. Dixi etiam, *Benè intellectam*: quia non omnes, non solùm ex adversariis, sed etiam ex defensoribus probabilitatis, perfectè callent hanc materiam; quam propterea in primo tractatu per undeviginti disputationes explicui. Et in 15. docui, eam sic benè intellectam posse securissimè reduci ad praxim.

93 In eadem disputatione à cap.7. multis demonstrationibus eam confirmavi; ita ut censeam, hanc assertionem esse omninò certam, saltem certitudine morali. Et uberiùs demonstrabo infrà *cap.* 15. 16. *&* 17. & in ea *disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. ut occurrerem objectioni, & æquivocationi Vincentii Baron, hallucinantis se exemplo venatoris, qui existimat probabiliter adesse feram, non hominem, quasi diceremus licere venatori jacere sagittam; latè distinxi, quantum intersit inter hanc propositionem probabilem directam in mente venatoris consistentem. *Adest fera, non homo*, & inter istam reflexam, *Licitum est venatori jacere sagittam, quando habet judicium probabile, quod adest fera, non homo*. Et cùm rem hanc dilucidè explicuerimus, adhuc Jacobus à S. Dominico fatetur se non intellexisse.

94 Igitur Jacobus *cap.* 11 *sectioni* 1. præfigit hunc titulum: [Inventio Cardenæ circà fucata remissæ probabilitatis restrictionem, & duo falsa ipsius principia ostenduntur; & quò ascendat Cardenæ *audacia* in probabilitate propugnanda?] Incipe, lector, attendere amarulentiam verborum, qua se armat scriptor iste; & considera, an docuerit Aristoteles, amarulentiam hanc vires addere arti syllogisticæ, vel S. Thomas, argumentis Theologicis? An potiùs scriptores, quibus deficiunt argumenta, pro illis substituant verborum acerbitatem?

95 Jam verò primam periodum sic incipit. [Unum videtur fuisse à Cardena in sua adeò prolixa disputatione de probabilitate intentum; scilicet, ut rem ex natura sua satis obscuram, suis distinctionibus, ac falsis principiis obscuriorem redderet. Siquidem, ut existimaretur recedere à nimia Caramuelis laxitate, falsissimam instituit contra ipsum disputationem; sed ne judicaretur inde ad Thomistas accedere, aut ipsis consentire, novas quasdam excogitavit distinctiones, mysteriis prope similes, quibus fucum facit rebus, & Probabilitatis malum tantummodò tegitur, quin immò verè augetur. Cùm enim posset nobiscum simpliciter distinguere quæstiones speculativas à practicis, & certitudinem saltem moralem cum Thomistis assignare ad securitatem conscientiæ, ille perpetuò usus est terminis *directæ, & reflexæ quæstionis*; passimque ait, *cognitionem aliquando versari circà praxim modo speculativo, aliquando modo practico*. Ex quibus tam frequentes, quam evanidas ac inutiles suas *probabilitatis directæ, & probabilitatis reflexæ, modalis itidem, & absolutæ* infert ac educit distinctiones, quibus, ut ajunt, *Lupus in ovili includitur*.] Ecce quàm tumultuanti fragore parturiunt montes. Videat modò lector, quis nascatur, catulus ne Leonis, an musculus?

96 Immediatè prosequitur præfatus Jacobus discursum suum sic. [Cùm enim dicimus v. gr. venatorem non posse sine reatu homicidii sagittam emittere ad interficiendum animal, quod subobscurè apprehendit in nemore, quia certus esse debet, priusquam emittat sagittam, esse feram, non verò hominem: hoc explicat Cardenas præfatis suæ directæ, & reflexæ probabilitatis terminis *pag.* 199. *num.* 166. *& seq.* & ita implicat, ut impossibile sit ominari, quid ipse velit, (nisi fortè tenebras offundere) ut legenti patebit. Certum est enim, nullum esse in mundo æquum judicem, qui morte puniendum non judicet venatorem, qui interfecerit hominem, cum his omnibus Cardenæ distinctionibus *probabilitatis directæ, aut reflexæ*: quantumvis hic venator, probabiliter *modo speculativo*, aut practico (ut loquitur Cardenas) sive modalem, *sive absolutam haberet probabilitatem*.] Hucusque prima periodus Jacobi.

97 Ubi vides, putasse Jacobum, insigniter deceptum, me docuisse, licitum esse venatori jacere sagittam in eo casu, & interficere hominem, ex probabilitate reflexa, vel directa; speculativa, vel practica, absoluta vel modali. Sed quo fundamento id putaverit Jacobus, videbis, si recolas solutionem ejus argumenti facti à Baronio, à me propositam *num.* 185.

98 Cujus verba formalia hæc sunt. [Hinc constat, quam inaniter fidat Baron exemplo venatoris. Authores Probabilistæ (ut vocat) nunquam dixerunt, conclusiones probabiles purè speculativas, & quæ nullo modo respiciunt praxim pro objecto, esse regulas morum; sed solùm opiniones practicè probabiles, & quæ probabiliter præscribunt praxim. In exemplo ergo venatoris duæ sunt propositiones. Prima: *Id quod nunc occurrit, probabile est esse feram, non hominem*. Secunda: *Quando probabile est, id, quod occurrit, esse feram non hominem, licet jacere sagittam*. Prima quidem, licèt affirmet probabilitatem, est purè speculativa, neque habet pro objecto praxim. Secunda licèt practica sit, *non est probabilis, sed certò falsa*, atque adeò improbabilis. Ergo in prædicto exemplo venatoris nulla est propositio practicè probabilis, quæ possit esse regula morum; cum prima non sit practica, & secunda non sit probabilis.] Hucusque responsio data ad exemplum venatoris.

99 Ubi vides, claris, & disertis terminis à me affirmatum esse improbabilem, & certò falsam esse propositionem, quæ dicit, *licitum esse jacere sagittam, quando probabile est, id, quod occurrit, esse feram, non hominem*. Et tamen Jacobus ausus est dicere: *Hoc explicat Cardenas præfatis suæ directæ, & reflexæ probabilitatis terminis*.·.·. *& ita implicat, ut impossibile sit ominari, quid ipse velit (nisi fortè tenebras offundere) ut legenti patebit*. Itaque cùm dixerim, esse improbabile, & certò falsum, quòd liceat in eo eventu jacere sagittam, *impossibile* est præfato Jacobo *ominari, quid ipse velim, nisi fortè tenebras offundere*. Et quasi rem evidentem dixisset, adjungit, *ut legenti patebit*.

100 Sed intende animum, lector, si vis rem admiratione dignam perpendere. Ille, qui *non potuit ominari, quid ipse velim*, in hoc casu affingit mihi assertionem contradictoriam meæ affirmationi. Dixi, esse improbabilem, & certò falsam propositionem, quòd licet in eo eventu jacere sagittam; & refert me dixisse probabilem. Relege ea verba Jacobi: [Certum est enim, nullum esse in mundo æquum judicem, qui morte puniendum non judicet venatorem, qui interfecerit hominem cum his omnibus Cardenæ distinctionibus *Probabilitatis* directæ, & reflexæ; quantumvis hic venator *probabiliter* modo speculativo aut practico, ut loquitur Cardenas, sive modalem, sive absolutam, &c.] Dixit Cardenas, improbabiliter dici, licere in eo eventu jacere sagittam: & refert Jacobus, dixisse Cardenam, id dici *probabiliter*. Quorsum enim tendunt ea verba: *Quantumvis hic venator, probabiliter modo speculativo, aut practico, ut loquitur Cardenas, &c.* nisi ad affingendum mihi contradictoriam assertionem ei, quam expressè tradidi.

101 Quod si licuit Jacobo, non modò in periodo sequenti mox referenda, sed etiam in ipsa fronte capitis *intentionem Cardenæ judicare*; cur non etiam mihi licebit investigare intentionem Jacobi? Numquid ergo impositurus mihi assertionem contradictoriam meæ assertioni, ideò obscuritatem, & tenebras voluit meis assertionibus attribuere, ut excusationem prætexeret, si quando convinceretur de falsa impostura? Adhuc tamen non assero eam Jacobi intentionem: quia non multùm fido conjecturis; sed ad propugnandum pronus sum ea, quæ solidis argumentationibus firmantur.

102 Cùm ergo Jacobus falsò referat, me affirmare, esse probabiliter licitum, quòd venator in eo eventu jaciat sagittam; miror vehementer, quòd dixerit initio periodi suprà relatæ, me fucum facere rebus. Inquiro quis majorem fucum facit doctrinæ; ille qui per imposturam, falsam doctrinam attribuit scriptori; an ille qui doctrinam ita solidè tradit, ut non nisi falsis imposturis valeat impugnari? Quam quæstionem viris doctis decidendam relinquo.

ARTICULUS II.

Quam immeritò reproducatur argumentum ab exemplo venatoris? Et an adversarii intendant impugnare, quod non omninò penetrant?

SUMMARIUM.

Quomodo ex eo, quòd venator putet probabiliter esse feram, non hominem, non inferatur esse probabile, quòd liceat jacere sagittam? num. 103. & seqq.

Quo modo adversarii non percipiant nostram sententiam? num. 106.

Quàm inutiles sunt impugnationes adversariorum? num. 107.

103 QUia nostra sententia docet, quamlibet opinionem practicè probabilem posse tutò reduci ad praxim; putabat Baronius, nostram sententiam vexari exemplo venatoris qui probabiliter putans, id, quod occurrit, esse feram, non hominem, jecit sagittam, & hominem interfecit, quasi inferatur ex nostra sententia, ex eo, quòd sit probabile illam esse feram, licitè potuisse jacere sagittam.

104 Constat ex dictis, me in ea *disp.* 15. *num.* 185. *& seq.* dixisse, esse probabile illam esse feram, & esse improbabile, quòd liceat in eo casu jacere sagittam: quia cùm dicimus, tutò posse reduci ad praxim quamlibet opinionem probabilem, non loquimur de opinione merè speculativa, qualis est illa, *id, quod occurrit, est fera*; sed de opinione practicè probabili, quæ expressè dictat, quid liceat, quid non liceat.

105 Et cùm hæc responsio sit tam clara, & evidens; adhuc prædictus Jacobus reproducit contra nostram sententiam eam argumentationem, putans inferri ex nostra sententia, venatori licere jacere sagittam. Sciat ergo Jacobus, non inferri unum ex alio, & stare ista duo simul, & quòd probabiliter putet venator, eam esse feram; & quòd improbabile sit, licere jacere sagittam: & hæc duo optimè componi cum nostra sententia asserente, quamlibet opinionem practicè probabilem posse tutò reduci ad praxim: quia opinio practicè probabilis est illa, quæ dictat, quid liceat, vel quid non liceat; illa autem propositio, *id, quod*

quod occurrit, est fera; non dictat, an liceat jacere sagittam, & ideò non est ex practice probabilibus, quas dicimus tutò posse reduci ad praxim.

106 Hinc constat, adversarios non dum rectè percipere nostram sententiam, de qualibet opinione practicè probabili tutò deducenda ad praxim. Patet. Nostra sententia loquitur de opinione practicè probabili, quæ dictat, quid liceat: sed adversarii adhuc putant, nos loqui de opinione speculativa, quæ non dictat, quid liceat, qualis est ista, *id, quod occurrit, est fera*: ergo decipiuntur, & non penetrant sententiam nostram.

107 Hinc infertur, impugnationes, quibus adversarii impetunt sententiam nostram, esse frustraneas, & inanes. Demonstratur. Sicut implicat contradictionem, justè damnari reum incognita causa; ita implicat reprobari scholastice, & efficaciter impugnari doctrinam, incognito ejus sensu: sed adversarii non dum cognoscenne sensum nostræ doctrinæ: ergo implicat, quòd ab adversariis reprobetur scholasticè, & efficaciter impugnetur nostra doctrina: ergo inaniter, & frustraneè impugnatur. Minor constat ex *num. antecedenti*.

ARTICULUS III.

An terminis quæstionis directæ, *& reflexæ, obscuriorem reddiderit Cardenas materiam probabilitatis?*

SUMMARIUM.

An sit pessima consequentia à propositione directa ad reflexam? num. 108.
An versetur obscuritas in terminis directæ, & reflexæ quæstionis? num. 110.
An hi termini notissimi sint in schola Thomistica? num. 111.
An quæstio directa, & reflexa sint diversæ? num. 113.
An quæstio reflexa inquirat de novo objecto? num. 114.
An non valeat à resolutione directa ad reflexam? num. 115.
Unde proveniat, quòd non valeat ea consequentia? num. 116.
Quid de opinione practica, & speculativa? num. 117.

108 UT uberiori solutione enervarem vim existimatam ejus argumenti desumpti ab exemplo, casu ejus venatoris relato; in *disp. 15. cap. 4. ex art. 2. à num.* 168. dixi, eam propositionem, *id, quod occurrit, est fera*, esse decisionem quæstionis directæ, hanc vero propositionem. *In eo eventu apprehensionis probabilis, licitum est jacere sagittam*, esse resolutionem quæstionis reflexæ: esse autem pessimam argumentationem, quæ desumitur à decisione quæstionis directæ ad decisionem quæstionis reflexæ. Et ideò non valere argumentum ab apprehensione probabili feræ ad hoc, quòd in casu ejus probabilis apprehensionis liceat jacere sagittam.

109 Igitur præfatus Jacobus relatus suprà *num.* 5. magnificis verbis nititur extollere magnitudinem caliginis, & obscuritatis meæ doctrinæ; immò verè usque ad intima penetralia intensionis ascendens, affirmat, intentionis meæ fuisse, tenebris offundere hanc materiam, *excogitando novas quasdam distinctiones mysteriis prope similes*, ut his rebus, *fucum facerem*. Videamus ergo, in quo consistit hæc obscuritas.

110 In terminis, inquit, *directæ, & reflexæ* quæstionis. Immò verò mecum expostulat, quòd cum possem terminis Thomistarum uti, hanc novam distinctionem excogitaverim. Relege ea verba relatæ periodi: *Cùm enim posset nobiscum simpliciter distinguere quæstiones speculativas à practicis, & certitudinem saltem moralem cùm Thomistis assignare ad securitatem conscientiæ; ille perpetuò usus est terminis directæ, & reflexæ quæstionis, &c.*

111 Et si quidem hæc diceret scriptor parum versatus in doctrina Thomistica, non mirarer, hos terminos sibi fore incognitos. Ego enim eos didici à S. Thoma 1. *part. quæst. 87. artic.* 3. in quo quærit, an intellectus cognoscat suos proprios actus? Ubi videndus est Cajetanus, ubi explicat, quid sit cognitio directa, & reflexa. De qua distinctione cognitionis directæ, & reflexæ sæpissimè agit S. Thomas variis in locis.

112 Et quidem in Philosophia, & Theologia nihil magis notum, quam hæc distinctio cognitionis directæ, & reflexæ. Omnes enim sciunt, cognitionem hanc, *Petrus currit*, esse directam; hanc verò, *ista propositio Petrus currit, non est necessaria, sed contingens*, esse reflexam. Irrogat ergo injuriam Jacobus scholæ Thomisticæ, dum ei denegat notionem distinctionis vulgatissimæ.

113 Igitur in eo *art.* 2 quædam docui, quæ Jacobo visa sunt obscurissima, & mysteriis similia. Primum docui *num.* 169. quæstionem directam, & reflexam, esse diversas. Ideò diversas esse has duas quæstiones; primam, *An id, quod venatori occurrit, sit fera, vel homo?* Secundam, *An venatori probabiliter opinanti, esse feram, liceat in illam telum projicere?* quam quæstionum diversitatem multis exemplis ibidem ostendi.

114 Secundum docui *num.* 174. quæstionem reflexam inquirere de novo objecto, quod non respicit quæstio directa. Quod in eodem exemplo patet: nam prima quæstio directa inquirit, *An illud sit fera?* secunda autem inquirit, *An liceat jacere sagittam in illam feram probabiliter existimatam*, quarum secunda, nemo dubitare potest, quod superaddit objectum, ad quod non se extendit prima. Nam prima quæstio non inquirit, an licitum sit jacere sagittam.

115 Tertium docui *num.* 175. non valere argumentum à resolutione quæstionis directæ ad resolutionem quæstionis reflexæ. Ideò pessimam esse hanc consequentiam: *Probabile est, hanc esse feram: ergo venatori, id probabiliter opinanti, licitum est jacere sagittam.* Quod ibidem multis argumentis, & exemplis confirmavi. Præcipue hoc exemplo. *Validus est Baptismus in lixivio*; quæ propositio directa probabilis est: & inde non licèt inferre hoc consequens, *Ergo etiam extra casum necessitatis potest licitè conferri Baptismus in lixivio*; Nam hæc secunda propositio est improbabilis. Et eodem modo non valet consequentia in medicina probabili, quando potest adhiberi medicina certa.

116 Deinde à *num.* 179. declaro radicem, ex qua provenit, quòd non valeat consequentia à resolutione quæstionis directæ ad resolutionem quæstionis reflexæ, nempe quia respectu quæstionis reflexæ superadditur præceptum, vel contractus, vel votum, &c. Et in exemplo de materia probabili Baptismi id clarè cernitur; quia quamvis probabile sit, esse verum Baptismum in ea materia probabili; deveniendo ad quæstionem reflexam, occurrit præceptum charitatis præscribens, non exponendum proximum periculo probabili carendi Baptismo. Et in exemplo proposito venatoris, deveniendo ad quæstionem reflexam, *An probabiliter opinanti esse feram, licitum sit jacere sagittam?* occurrit præceptum non exponendi se periculo probabili occidendi hominem, quòd ibidem multis exemplis explicatur.

117 Et *num.* 182. explicui probabilitatem practicam esse, quæ respicit praxim, sive objectum practicabile; speculativam verò, quæ non respicit praxim. Ut ita significarem, cùm dicimus posse licitè uti quavis opinione probabili, intelligi debere de opinione practicè probabili, non vero de opinione speculativa, quæ non respicit praxim; qualis est illa propositio venatoris, *id, quod occurrit, est fera, non homo.*

ARTICULUS IV.

An obscuritas immeritò tribuatur Authori?

SUMMARIUM.

An res probabilitatis sit subtilis, & metaphysica? num. 119.
An oporteat incumbere in intelligentiam quæstionis directæ, & reflexæ? num. 126.
An adversarius potuerit judicare distinctionem hanc esse inutilem? num. 121.

118 HÆc, quæ proximè diximus, sunt, quæ *obscurissima* visa sunt adversario, *& mysteriis prope similia, & ita implicata*, ut impossibile sit Jacobo à S. Dominico *ominari, quid ipse velim, nisi fortè tenebras offundere*. Constat autem ex proximè dictis, caligare adversarios, dum conantur probare, ex eo quod venator probabiliter dicat, *id, quòd nunc occurrit, est fera*; inferri in nostra sententia, quòd liceat jacere sagittam. Hæc autem æquivocationis caligo ea duplici capite doctrinæ à me traditæ evanescit, & ad lucem, claritatemque veritatis restituitur; ut constat ex proximè dictis.

119 Et sanè non est mirandum, quòd tantam obscuritatem in his invenerit Jacobus. Nam materia de probabilitate, res est obscura, & valdè metaphysica, quæ multas subit reflexiones mentis; ideòque ad illam penetrandam requiritur non parum subtilis acies ingenii.

120 Damnat quidem adversarius obscuritatem ortam à terminis cognitionis directæ, & reflexæ. Sciat ergo Jacobus, oportere ipsum toto conatu incumbere in intelligentiam eorum terminorum: nam defectu ejus intelligentiæ, quem ipse fatetur, produxit illam enormissimam consequentiam: *Venator probabiliter putat, id esse feram, non hominem: ergo venatori probabile est, licere sibi jacere sagittam*. Si enim advertisset, antecedens esse propositionem directam; & consequens esse propositionem reflexam, quæ superaddit novam obligationem præcepti, quæ non reperitur in propositione directa antecedentis, non prorupisset in tam illegitimam consequentiam. Existetque in periculo errandi in multis aliis similibus, dum eos terminos, eamque dialecticæ regulam non calluerit. Et in *cap. seq.* videbimus, quo modo defectu ejusdem intelligentiæ attribuit mihi aliam similem falsitatem, eamque enormissimam.

121 Illud est magnopere admirandum, quòd fateatur, se non intelligere meas obscurissimas distinctiones; & quòd simul dicat, eas esse evanidas, & inutiles. Si ergo eas non intellexit, quo modo scit esse evanidas? Etenim intellectus humanus non potest formare enunciationem prædicati de subjecto non cognito: ergo mens humana, quæ non intellexit distinctiones, non potuit de illis enunciare, quòd sint evanidæ: ergo solùm verbo tenus id dixit Jacobus: ergo dumtaxat verbo tenus dixit esse evanidas, cùm non potuerit affirmativè judicare, esse evanidas.

122 Quòd autem dixerit, eas distinctiones esse inutiles, clariùs con-

convincitur de falsitate. Nam si Jacobus eas calluisset, non elicuisset eas consequentias adeò illegitimas: ergo illi fuissent distinctiones valdè utiles ad rectè syllogizandum in hac materia probabilitatis.

ARTICULUS V.

An aliqua obscuritas oriatur ex terminis practici, & speculativi, & aliis.

SUMMARIUM.

Quo modo intelligatur quòd opinio speculativè probabilis sit etiam practicè probabilis? num. 124. & seq.

An detur cognitio speculativa, quæ respiciat pro objecto praxim? num. 126.

An probabilitas modalis, & absoluta sint termini obscuri? num. 128. & seq.

123 INter alios terminos, quibus obscuritatem attribuit Jacob. à S. Dom. sunt isti, probabilitatis *practica*, & *speculativa*, ut constat ex verbis ejus relatis suprà *num.* 5. illis præcipuè: [Passimque, ait cognitionem aliquando versari *circà praxim modo speculativo, aliquando modo practico.*]

124 Sed ut videas, ex eorum terminorum usu magnam exortam esse claritatem, satis est referre, quæ circà hoc punctum scripsi in eo *art.* 2. relatu meæ Crisis. Pro cujus explicatione notandum est, Vincentium Baron objecisse, quòd multi ex Authoribus nostræ sententiæ dicant, eo ipso quòd opinio sit speculativè probabilis, fore etiam practicè probabilem. Unde arguit, in exemplo venatoris, eam propositionem, *id, quod nunc occurrit, est fera*, esse speculativam, & tamen ideò debere esse practicè probabilem. Vide textum Baronii in *disp.* 15. meæ Crisis *num.* 168.

125 Cui objectioni respondi *num.* 186. in hæc verba: [Laborat autem ingenti æquivocatione Baron, dum ait, Probabilistas affirmare, quidquid est speculative probabile, esse etiam practicè probabile: neque enim calluit Probabilistarum mentem. Hi enim dum id affirmant, loquuntur de opinione speculativè probabili, quæ habet pro objecto praxim: asserunt enim, qui sic discurrunt, id esse verum, loquendo de opinione speculativa, quæ habeat idem objectum, ac opinio practica: neque potest esse objectum utriusque, nisi opinio speculativa respiciat praxim, quam respicit opinio practica. Non autem loquuntur Probabilistæ de opinione speculativa, quæ omninò sistit in contemplatione objecti, & nullo modo respicit praxim. Neque enim venire potuit in mentem hominum, hanc propositionem, *Materia prima potest diversas recipere duas formas*, eo quòd speculativam probabilitatem habeat, esse etiam practicè probabilem. Cùm ergo venator asserit hanc propositionem probabilem, *Id, quod nunc occurrit, est fera, non homo*; Cùm hæc propositio non versetur circà praxim, sed sit omninò speculativa, illa non est practicè probabilis; nec esse practicè probabilem, potuit in mentem ullius Authoris venire, nisi cum deleruerit humana ratio.] Sic differebam de opinione speculativa, & practica.

126 Sed quia oportebat præoccupare instantiam adversariorum, subjunxi immediatè sequentia *num.* 187. [Quòd si opponat Baron, repugnare, quod detur cognitio speculativa, quæ respiciat pro objecto praxim. Respondeo, id negari à prædictis Authoribus; nec in quæstione de nomine multùm esse contendendum. Dicunt enim, cognitionem quandoque versari *circà praxim modo practico*, id est eo modo suo cognoscendi, præscribendo, quo modo licitè praxis exercenda sit, quam vocant cognitionem practicam: & quandoque versari *circà praxim modo speculativo*, non præscribendo quo modo exercenda sit praxis, sed sistendo in contemplatione ejus veritatis; & hanc vocant opinionem speculativam.]

127 Ubi duo notanda veniunt. Primum, homini vel mediocriter docto nihil clarius esse posse in hac materia. Cùm objectioni, & instantiæ clarissimè respondeatur. Secundum, in hac sola periodo afferre me hos terminos *modo practico*, & *modo speculativo*, quia eos requirebat instantia: & tamen Jacobum asserere, me *passim* uti eis terminis: ut videas quàm mala fide refert meas assertiones. Et ex dictis satis constat, quo modo lux meæ doctrinæ dissipet eas tenebras, quas Jacobus illi obiicit, refundendas in eum, qui conqueritur de obscuritate in meridie.

128 Sed num quid oritur obscuritas ex terminis *Probabilitatis modalis, & absoluta?* Affirmat Jacobus à S. Dom. ibid. Pro cujus distinctionis claritate, sciendum est, Caramuelem, ad cujus argumentationem in tota Crisi Theologica respondi, usum esse frequenter iis terminis *Probabilitatis modalis, & absoluta*. Et inquiro, an respondenti liceat, omittere terminos argumenti, & alios substituere? Item, an in disputationibus publicis, quibus interfuit Jacobus à S. Dom. non ægrè tulerit, quòd sui argumenti terminos inverterit propugnator? fanè id non poterit negare. Si ergo Caramuel in argumentis suis, his terminis utitur, quo modo ab illis possem abstinere? Aut quo modo posset esse clara responsio, si omitteret terminos argumenti? vel quo modo potest obscurari responsio ex eo, quòd per terminos argumenti procedat.

129 Deinde quia hi termini per se clarissimi sunt. Nemo enim est, qui ambigat, hanc propositionem, *Baptismus in lixivio est validus*, esse absolutam; hanc verò, *Baptismum in lixivio esse validum, est probabile*, esse modalem. Cur ergo damnandi sunt de obscuritate illi termini, quos omnes docti intelligunt; & qui vel ipsos summulistas non latent?

130 Ubi denique notabis, in his, & reliquis terminis Jacobum à S. Domin. affirmasse obscuritatem, & similitudinem mysterii; sed affirmasse sine probatione. Et ubi aliquis non probat, assertio evanescit.

ARTICULUS VI.

Quam multipliciter deviet à veritate prima illa Periodus cum suo titulo Jacobi à S. Dominico.

SUMMARIUM.

An sit judicium temerarium judicare de intentione? num. 131.

An proponatur in titulo, quod mox non probatur? num. 132.

An sit fucata restrictio probabilitatis deducta ex principiis certis? num. 133.

An adversarius falsas criminationes imponat meæ doctrinæ? num. 134.

An sint indigna Religioso obiicere indecora verba in Religiosum? num. 135.

An ut eu verba proiiciat, affingat falsa? num. 136.

An intentio Authoris fuerit obscuriorem reddere rem probabilitatis? num. 137.

An mea sententia de probabilitate sit communis inter Thomistas? num. 138.

An sit nova distinctio cognitionis directa, & reflexa? num. 139.

An hæ distinctiones sint mysteriis similes? num. 140.

An possit judicare adversarius, per has distinctiones fucum fieri rebus? num. 141.

An per injuriam probabilitas vocetur malum? num. 142.

An sit ad rem dicere, quòd Lupus in ovili concludatur? num. 144. & seq.

Enormis impostura? num. 146.

An multa falsa mihi affingat sine probatione? num. 147.

An judex, qui sine probatione damnat reum, ipse fiat reus? num. 148.

An sit prolixa disputatio, in qua nihil dicitur sine solidis probationibus? num. 149.

131 DEviat primò à recto veritatis tramite titulus in eo, quòd proponat intentionem meam indagare; cum intentio, quæ non manifestatur extrinsecùs, soli Deo, tamquam judici, reservetur. In quo judicii temerarii reus est, quisquis ita judicat de intentione; cùm præstet assensum objecto absque fundamento gravi. Et meminerit Jacobus, ipsum toto cœlo errasse, dum putavit me asserere, judicium temerarium niti fundamento gravi, & ratione prudenti; videatque quæ dixi *cap.* 2.

132 Deviat secundò, dum proponit in titulo, quod postea in contextu capitis non probat. In titulo enim ea dumtaxat proponenda, quæ probanda sunt. Quòd autem id non probet Jacobus, ex contextu ipsius patet, & ea dicendis.

133 Deviat tertiò, vocando *fucatam* restrictionem, quæ metas probabilitatis circumscribit. In ea *disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 1. *à num.* 163. octo metas probabilitatis enumero, quæ per totum tractatum de probabilitate firmiter stabilitæ manent. Quomodo ergo hæc restrictio potest dici *fucata*, quando evidentia morali constant ea omnia, quæ probabilitatem restringunt. Meliori jure diceret Jacobus fucatam suam sententiam, ad quam firmandam indiguit criminationibus falsis, & fictitiis adversùs meam doctrinam.

134 Deviat quartò, dum dicit, *duo falsa ipsius principia ostendantur*; quia in illis duobus principiis, quæ ostitur impugnare, duas falsas criminationes imponit meæ doctrinæ; ut constabit ex sequentibus capitibus.

135 Deviat quintò, iis verbis, *quo ascendat Cardena nimia audacia*: quia ea licentia proiiicendi tam indecora verba in virum Religiosum, indigna est viro Religioso: & quamvis sua ipsius maledicta in caput suum possem faciliè retorquere; quia, sacrum nomen suæ familiæ veneror, ab eis libenter abstineo.

136 Deviat sextò, & multò pejus, in eo quòd ut me de nimia audacia argueret, affinxit falsam criminationem meæ doctrinæ; attribuitque mihi assertionem, à qua sum alienissimus, ut constabit ex *cap.* 8. Evanuit planè Cardenæ nimia audacia; quia super falso fundamento nitebatur maledictum.

137 Deviat septimò, dum dicit, meam intentionem fuisse, obscuriorem reddere materiam probabilitatis; non solùm quia, ut suprà dixi, temerè judicat de intentione, de qua solus Deus judicat; sed etiam quia impossibile est, quòd scriptor mediocriter prudens id intendat. Quod sic probo. Nam cùm quis elegit media contraria tali intentioni, non potest censeri, quòd habeat talem intentionem. Rem explico. Video hominem eradum facere sursum per scalas; si judicavero intentionem illius esse, non pertingere ad sublime, sed descendere ad subterranea, temerè judicabo. Si ergo video assumere medium explicationis alicujus difficultatis, quæ explicatio medium est ad declarandam

randam difficultatem; temerè judicabitur, intentionem ejus esse, tenebris offundere. Nec valet, si dicas, me assumere medium terminorum obscuritate scatentium; cùm id falsum esse, constet ex dictis.

138 Deviat octavò, dum dicit, *Ne judicaretur inde ad Thomistas accedere*, quasi à sententia Thomistarum alienum sit asserere, quòd quævis sententia practicè probabilis, etiam minùs probabilis, possit licitè reduci ad praxim; cùm pro hac sententia stent complures, & nobiles Thomistæ: ut clarè cernes in P. Thom. Sanch. *lib. 1. sum. cap. 9. num. 14.* & in mea Crisi *disp. 15. cap. 6. art. 3. num. 452.* & interiùs in hac *disp. cap. 15. 16. & 17.*

139 Deviat nonò, dum asserit, *novas quasdam excogitavit distinctiones*, quasi nova sit distinctio cognitionis *directa, & reflexa*; sive *modalis, & absoluta*; cum sint termini in scholis, & præcipuè Thomistica, notissimi; & vel inter summulistas ipsos sæpissimè jactati.

140 Deviat decimò, cùm affirmat, eas distinctiones esse *mysteriis propè similes*. In quo sibi ipsi injuriam facit, dum per id significat, se non intelligere ea, quæ reliquis viris doctis clarissima sunt. Totum enim mysterium quæstionis *directæ, & reflexæ* stat in eo, quòd hæc est parva consequentia: *Venator habet hoc judicium probabile, quòd id, quod occurrit, est fera: ergo venatori licèt jacere sagittam.* Pravitas autem consequentiæ stat in eo, quòd fiat argumentum à propositione directa ad reflexam; quia directa nullam habet connexionem cum reflexa.

141 Deviat undecimò, dum affirmat, me per has distinctiones *fucum facere rebus*. Et quidem Jacobo à S. Domin. hæ distinctiones ita obscuræ visæ sunt, ut dixerit, *impossibile sibi esse ominari, quid ipse velim, nisi fortè tenebras offundere*; ergo quod ignorat, condemnat. Numquid ergo meæ distinctiones obscuræ sunt, ne illas possit impugnare Jacobus, & item claræ, & dilucidæ, ut possit affirmare (sine probatione tamen) per eas *fucum fieri rebus*? Sanè fucus fit veritati per sophismata, & æquivocationes terminorum. Si ergo argumentationes meæ sophisticæ sunt, vel æquivocationibus innixæ; impugnet, vel respondeat; quòd si non agnoscit in eis aliquid sophisticum, vel æquivocum, quare asserit, *fucum fieri rebus*; vel dicat, in quo consistit iste *fucus*. Debent enim scriptores omnia asserta ad trutinam rationis expendere: nam profundere dicteria dextrorsum, sinistrorsum, non est scriptoris Theologi.

142 Deviat duodecimò, dum veritatem certam, & demonstratam, ab innumeris Authoribus sapientissimis traditam, vocat *Probabilitatis malum*; quo epitheto solemus notare id, quod magna lacrymarum colluvie deplorandum est.

143 Deviat decimotertiò, dum scribit ea verba: *Passimque ait, cognitionem aliquando versari circa praxim modo speculativo, &c.* quibus terminis semel dumtaxat usus sum, & non *passim*. De quo vide suprà *art. 5.*

144 Deviat decimoquartò, dum ait, quòd his distinctionibus *Lupus in ovili includitur*. Quòd proverbium ad rem erit, & in meam doctrinam optimè conveniet, si his distinctionibus tamquam retibus mea doctrina capiatur, & concludatur, ubi victoriam sperabam. Si his distinctionibus ita usus fuerit Jacobus à S. Dom. ne doctrinam, & argumentationes in illis distinctionibus contentas, retorserit, & reflexerit in meam doctrinam. Sed quàm abs re, & ut (vulgò dicitur) quàm ad Ephesios asseratur Lupus in ovili conclusus, inde constat; quòd prædictus Jacobus ne minimo quidem digito tetigerit has distinctiones *quæstionis directæ, & reflexæ, &c.* ad impugnationem meæ doctrinæ.

145 Unde sic argumentatio efformatur. Ut dicatur, per has distinctiones *Lupus in ovili includi*, necesse est, quòd istæ distinctiones retorqueantur in doctrinam ejus Authoris, qui sub nomine Lupi introducitur. Sed istæ distinctiones à Jacobo non retorquentur, immò ne levissimè quidem tanguntur, in doctrinam ejus Authoris: ergo perperam dicitur, quòd per eas distinctiones Lupus in ovili includitur. Et quidem facilè est, hæc dicteria profundere; sed difficillimum probare. Quid, si demonstretur, ea non esse ad rem?

146 Deviat decimoquintò, & sanè enormiter, dum ait, me asseruisse, venatori probabiliter opinanti, id, quod occurrit, esse feram, licitum esse jacere sagittam; cùm disertis verbis dixerim, esse improbabile affirmare, quòd sit licitum. De quo vide *art. 1.*

147 Deviat decimosextò, dum multas, & fœdas censuras profert in meam doctrinam, sine ulla probatione. Dicit meis *distinctionibus, ac falsis principiis obscuriorem reddidisse rem probabilitatis*; sed non probat. Dicit *novas excogitasse distinctiones, mysteriis propè similes*; sed non probat. Affirmat, me *fucum facere rebus*; sed non probat. Asserit, his distinctionibus *Probabilitatis malum tantummodo tegi, quin immò verò augeri*; sed non probat. Dicit, has distinctiones *evanidas, ac inutiles esse*; sed non probat. Et multa alia affirmat in ea periodo, quæ non probat; sed dumtaxat sub fide sua relinquit. Unde si illum interrogemus, quo modo hæc omnia effata probat, respondebit, sua ipsius authoritate consistere. Ergo ne credenda sunt, quia Jacobus dicit? Nunquid ergo hæc sunt propè similia mysteriis, quæ creduntur, non discutiuntur? Ut modo omittam convicium de *nimia audacia*, quæ in sola impostura falsæ doctrinæ mihi afflictæ potuit subsistere, ut constabit ex *cap. 5.*

148 Jam verò judex, qui absque probatione censuram fert in reum, ipse fit reus: & actor, qui destitutus probatione accusat, omninò causa cadit. Ergo Jacobus, dum has, & alias censuras sine probatione profert, & reus censendus est, & causa cadere.

149 Hinc infertur, quòd deviat decimoseptimò, dum meam disputationem 15. de quavis opinione practicè probabili amplectenda, vocat *adeò prolixam*: cùm timere deberet, ne suam illam disputationem, contra probabilitatem opinionum, viri docti reputarent nimis prolixam. Illa enim non est prolixa, quæ quamvis multa dicat, nihil tamen asserit, quòd non confirmet instrumentis artis syllogisticæ, & argumentationibus Theologicis. Illa autem censetur prolixa nimis, quæ quamvis paucioribus paginis contineatur; tamen multa dicit, multasque censuras profundit absque probationibus; nam id nihil aliud est, quàm implere paginas; & sciendi cupidum lectorem gravare, qui desiderat stylum scientificum: deficit enim stylus scientificus, ubi multa dicuntur, & non probantur.

CAPUT IV.

Tertia calumnia, quòd juxta meam doctrinam Judex possit condemnare, quem probabiliter putat esse reum.

ARTICULUS I.

Proponitur periodus altera Jacobi; & falsitas sinistrè imposita meæ doctrinæ.

SUMMARIUM.

An adversarii non rectè intelligant nostram doctrinam de probabilitate? num. 150.
An verum sit, quòd, qui probabiliter agit, benè ac prudenter agit; vel potiùs sit periculosum? num. 151.
An probatio, quæ affertur de Judice, declaret, non rectè intelligi doctrinam de probabilitate? num. 152. & seq.
An sit improbabile, quòd Judex possit damnare reum, quem probabiliter putat esse reum? num. 154.
Quo modo id sit explicandum? num. 155. & seq.

150 Dixi sæpiùs in *disp. 15.* meæ Crisis Theologicæ, posse nos amplecti quamlibet opinionem practicè probabilem, *benè intellectam*. Quod postremum verbum consultò apposui, quia video, nostram sententiam non benè intelligi ab adversariis. Quam intelligentiam sinistram satis ostendit Jacob. à S. Dom. in periodo mox referenda, dum mihi attribuit doctrinam falsissimam, videlicet, quòd Judex habens opinionem probabilem de delicto Petri, potest licitè illum pœna legis punire.

151 Igitur in periodo immediata ejus capitis 11. sic differit. [Attamen ne videretur Cardenas à sua doctrina recedere, duos veluti polos, seu axes constituit suæ probabilitatis, quibus tota volvitur. Primus est *agere prudenter*, seu *niti fundamento gravi*. Ex quibus tam ipse, quàm Antithomistæ hoc ceu axioma ab omnibus recipiendum constituunt. *Qui probabiliter agit, benè ac prudenter agit*. Quòd tamen est falsum, *omniumque sapientum judicio periculosum, ac perniciosum reputabitur*.] Optima propositio & omni expectatione digna! Quis, audita hac propositione, non speraret, à Jacobo texendum esse ingentem catalogum sapientissimorum virorum, qui illud axioma condemnent tamquam periculosum, ac perniciosum? & tamen neminem refert, præter pauculos aliquot ex recentioribus mox referendis.

152 Sed audiamus ab ipso ratiocinationem, propter quam id axioma *periculosum, & perniciosum reputandum est*. In eadem periodo subjungit immediatè. [Nam potest Judex *probabiliter* credere, Tullium esse reum, & crimen, de quo accusatur, commisisse: & tamen non potest, nisi *imprudentissimè*, ipsum condemnare: quia ad prudentem, & justam condemnationem debet Judex habere certitudinem. Ergo *probabiliter* (quocumque modo sumatur) & prudenter agere, non sunt synonima, ut loquitur Cardenas.] Hucusque periodus Jacobi.

153 Attende Lector, quàm meritò jure dixerim, nostram sententiam esse de quavis opinione practicè probabili, *benè intellecta*: & quam immerito Jacobus attribuat nostræ doctrinæ, quòd dicamus, Judici probabiliter opinanti, Tullium esse reum, licitum esse, & prudenter operabile, condemnare Tullium.

154 Dicimus itaque, tutò nos amplecti posse quamlibet opinionem practicè probabilem; & simul dicimus, improbabile esse, quòd Judex probabiliter credens, Tullium esse reum, possit licitè, & prudenter ipsum condemnare, scilicet pœna ordinaria legis. Nam utrùm possit iste Judex condemnare Tullium, mitiori pœna, aut tortura, alterius est instituti.

155 Et quia hic interveniunt duæ quæstiones diversæ, & independentes; & Jacobus fatetur, se non intelligere terminos *quæstionis directa, & reflexa*, quibus hæc res optimè explicatur; ut ei morem geram, non utar modo iis terminis, sed aliis, quæ præfato Jacobo fiant faciliores, & clariores.

156 Dixi, intervenire hìc duas quæstiones: & modò non voco eas directam, & reflexam, sed primam, & secundam. Prima est; *An Tullius sit reus?* cui respondet probabiliter Judex, *Tullius est reus*.

Secun-

Secunda est, *An judici probabiliter opinanti, Tullium esse reum, licitum sit condemnare Tullium?* Et respondemus non, neque licitum, neque prudens, neque probabile esse, quòd possit condemnare Tullium.

157 Instas. Quo modo ergo illa probabilitas, qua judicat Judex, Tullium esse reum, non operatur, quòd probabiliter possit illum condemnare?

158 Respondeo, ideò id non operari, quia probabilitas judicii, quo existimat, Tullium esse reum, non loquitur de probabili condemnatione, sed de probabili reatu.

159 Quòd autem hæ duæ quæstiones vel propositiones sint omninò diversæ, adeò perspicuum est, ut nihil sit demonstrabilius. Illæ enim quæstiones, vel propositiones sunt diversæ, quæ respiciunt diversa objecta: at qui hæ quæstiones respiciunt diversa objecta: ergo sunt diversæ quæstiones. Major, & consequentia sunt indubitabiles.

160 Minor demonstratur. Nam objectum primæ propositionis probabilis est, quòd Tullius sit reus. Secunda autem propositio, *Judici probabiliter opinanti Tullium esse reum, licitum est, illum condemnare*, habet pro objecto licitam condemnationem Tullii, quæ nullatenus est objectum primæ propositionis; & ideò cùm prima admittatur, ut probabilis; secunda est apertè improbabilis.

161 Quòd autem prima non connectatur cum secunda, in omnium sententia evidens est. Quia potest stare, immò & necessariò stat prima sine secunda. Stat enim, Tullium judicari probabiliter reum; cùm eo quòd non propterea sit justè damnandus pœna ordinaria legis.

162 Et hæc sont quæ in Crisi Theologica *disp. 15. cap. 4. art. 2. à num. 168.* explicui, quam pluribus exemplis, & præcipuè à *num. 175.* multis explicui, quo modo non valeat à resolutione quæstionis directæ, ad resolutionem quæstionis reflexæ. Et à *num. 183.* explicui, quantùm errent scriptores aliqui, dum à resolutione directæ arguunt ad resolutionem reflexæ.

163 Et in hunc errorem contra artem argumentationis incidit Jacobus in præsenti. Nam ex eo, quòd hæc propositio directa sit probabilis, *Tullius est reus*; obtrudere vult cam consequentiam reflexam: *ergo Judex probabiliter opinans, Tullium esse reum, prudenter potest illum condemnare*.

164 Deinde ex *num. 182. & 186.* clarissimè constat, quo modo in nostra sententia non valeat à prima ad secundam propositionem. Ibi enim docuimus, solam opinionem practicè probabilem esse, quam tutò sequimur in praxi; ideòque opinionem merè speculativam minimè ducere ad praxim. Cùm ergo id judicium probabile Judicis, *Tullius est reus*, sit merè speculativum, & nihil dicat de praxi, non potest esse regula ad talem praxim exercendam; ideoque à judicio speculativo ad practicum potest esse consequentia.

165 Sit ergo totius litis conclusio, tunc Judicem posse licitè, & prudenter condemnare reum, quando est opinio verè probabilis, docens, licitum esse Judici condemnare reum; non verò, quando Judex habet opinionem probabilem de Tullii reatu.

ARTICULUS II.

An adversarii impugnent, quod non perfectè penetrant?

SUMMARIUM.

An adversarii non satis penetrent nostram doctrinam? num. 166. & seq.
An impugnationes ab illis factæ sint inutiles? num. 169. & seq.

166 Ex dictis constat, quantopere deceptus fuerit Jacobus à S. Dom. putans nos docere, Judici, probabiliter opinanti Tullium esse reum, licitum esse condemnare reum. Et sanè mentem nostram satis potuit deprehendere ex compluribus exemplis, quibus rem hanc explicuimus eo articulo 2. relato, ut cuilibet legenti patebit.

167 Nec satisfacit excusatio, quam prætexit, de obscuritate illius articuli, & distinctionis quæstionis directæ, & reflexæ. Quia esto, in illis terminis tanta sit obscuritas, quantam invenit Jacobus; ipse debuit advertere, modum arguendi esse illegitimum, & talem consequentiam esse nullam; maximè cùm ex loco citato constet opposita conclusio.

168 Hinc infertur, adversarios impugnare doctrinam, quam non satis penetrarunt. Patet illatio. Nostra sententia de qualibet opinione practicè probabili amplectenda loquitur de opinione practicè probabili, quæ dictet, quid sit licitum: v. gr. de opinione probabili, quæ dictet quando Judex possit justè, & licitè damnare reum: sed adversarii adhuc putant, loqui nos de opinione speculativa, qua Judex probabiliter censeat, Tullium esse reum; quasi virtute ejus judicii speculativi possit fieri justè damnatio Tullii: ergo clarè decipiuntur, & non penetrant fines nostræ sententiæ. Ergo cùm illam impugnant, sanè impugnant, quòd non percipiunt.

169 Et ex dictis *cap. 2. art. 2.* fine constat, quàm sint inutiles impugnationes, quibus adversarii doctrinam nostram debellare conantur. Primò, nam Judex iniquè judicat, dum condemnat reum incognita causa: ergo Doctor iniquè condemnat doctrinam, dum eam condemnat incognito sensu doctrinæ.

170 Secundò, quia nemo potest ferre judicium rectum de eo, quod non percipit: sed adversarii non percipiunt sensum nostræ doctrinæ, ut patet ex dictis in hoc, & præcedenti articulo: ergo non possunt ferre judicium rectum de nostra doctrina. Sed ubi non fertur judicium rectum de doctrina, in incertum pugnatur: ergo adversarii dum nostram doctrinam impugnant, in incertum pugnant.

171 Tertiò. Nam ut docui *disp. 11.* Crisis Theologicæ *num. 107.* Author non dat probabilitatem in eo, quod ignorat: sed adversarii ignorant sensum nostræ doctrinæ; ut constat ex dictis: ergo in eo, quod asserunt de nostra doctrina, nullam dant probabilitatem: ergo ejusmodi argumenta ne quidem probabilia sunt.

ARTICULUS III.

An, & quo modo hi termini probabiliter, & prudenter *sint synonimi? Ubi iterùm quam longè distent adversarii ab intelligentia nostra doctrina.*

SUMMARIUM.

Quo modo probet adversarius, non esse synonimos hos terminos probabiliter, & prudenter? num. 172.
An in simili forma probetur, quòd non sunt synonimi hi termini gladius, & ensis? num. 173.
Quo modo esset bona ea argumentatio, ut probaretur, non esse synonimos? num. 174.
An ut probetur negatio identitatis, debeat probari, prædicatum, quòd convenit uni, non convenire alteri? num. 175.
Vitium ejus argumentationis? num. 176. & seq.
Quibus principiis nitatur ars syllogistica? num. 178.
Quo modo argumentatio adversarii non nitatur iis principiis? num. 179. & seq.
Vitium ejus consequentia an fiet in eo, quòd syllogismus habet quatuor terminos? num. 181.
Quo modo hi termini probabile, & prudens sint synonimi? num. 182.
An adversarii non penetrent nostram doctrinam? num. 183.

172 Periodum *art. 1.* relatam terminat Jacobus à S. Domin. illis verbis: [Ergo *probabiliter* (quocumque modo sumatur) & *prudenter agere*, non sunt synonima, ut loquitur Cardenas.] Sed quo modo probat, quòd non sunt synonima? Quia Judex *probabiliter* censet, Tullium esse reum; & tamen non potest *prudenter* condemnare Tullium. O miram arguendi artem, Aristoteli incognitam!

173 In simili forma probo, quòd *gladius*, & *ensis* non sunt synonima. [Titius habet gladium in vagina; & tamen non potest extrahere *ensem* de vagina: ergo *gladius*, & *ensis* non sunt synonima.] Hæc autem esset bona argumentatio: [Titius habet *gladium* in vagina: & tamen non habet *ensem* in vagina: ergo *gladius*, & *ensis* non sunt synonima.]

174 Hæc similiter esset bona argumentatio: [Judex censet *probabiliter*, Tullium esse reum; & tamen non censet *prudenter* Tullium esse reum: ergo *probabiliter*, & *prudenter* non sunt synonima.]

175 Et ratio est: quia ut probetur negatio identitatis inter duo extrema, probari debet, quòd idem met prædicatum, quod convenit uni, non potest alteri convenire. Et ideò benè argaitur, si dicatur, quòd assensus Judicis de reatu Tullii est probabilis; & tamen non est prudens; benè, inquam, arguitur, quòd non sit idem *probabile*, & *prudens*.

176 Cæterùm si ea duo extrema ita se habeant, ut de uno extremo affirmem unum prædicatum, & de altero extremo negem alterum prædicatum; non inde infertur extrema distingui inter se. Ita si affirmem de lapide, quòd est ens; & negem de saxo, quòd est sensibile; non infertur, quòd saxum non sit lapis.

177 Et ita simili vitio laborat argumentatio Jacobi. Nam de probabilitate affirmat, quòd inest ei judicio censenti, Tullium esse reum; & de prudentia negat, quòd insit sententiæ condemnativæ Tullii: inde ergo malè infertur, quòd probabilitas, & prudentia sint res diversæ.

178 Hæc omnia fusse demonstrarem ex toto artificio artis syllogisticæ, nisi hæc scriberem viris doctis, qui in ea arte satis versati sunt. Ideò aliqua ejus artificii brevissimè tangam. Lumine naturæ notissima sunt ea duo principia artificii syllogistici. Primum, quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Secundum; Quando duo ita se habent, ut unum identificetur cum uno tertio, & alterum ab eodem tertio disjungatur, illa duo disjunguntur inter se. Et nota, hic nomine *disjunctionis* intelligi carentiam identitatis. In primo principio nituntur syllogismi, in quibus conclusio est affirmativa. In secundo verò syllogismi, in quibus conclusio est negativa.

179 Et quia hæc conclusio Jacobi, *Ergo probabiliter, & prudenter non sunt synonima*, quæ æquivalet isti; *ergo probabiliter non est idem ac prudenter*; est conclusio negativa, ideò niti debet in illo secundo.

180 Unde ut rectè procedat argumentatio, debet ponere unum & idem tertium, cum quo identificetur *probabile*, & à quo distinguatur *prudens*. Unde sic rectè procederet: [Hæc cognitio Judicis cen-

censens Tullium esse reum, est *probabilis*: hæc eadem cognitio Judicis non est *prudens*: ergo *prudens* non est idem, quod *probabile*.] Qui syllogismus est expositorius in secunda figura, & reducitur ad modum, quem dialectici vocant *Baroco*.

181 Hinc constat, quòd error consequentiæ Jacobi consistit in eo, quòd non assumit unum tertium, sed duo; non unum medium, sed duo, in hunc modum: [Hæc cognitio Judicis, censens, Tullium esse reum, est probabilis: Hæc condemnatio fulminata in Tullium non est *prudens*: ergo *prudens* non est idem ac *probabile*.] Qui syllogismus vitiosus est, quia habet duo media, scilicet cognitionem Judicis probabilem, & sententiam condemnatoriam, & ideò habet quatuor terminos; quòd est vitium in arte argumentandi adeò enorme, ut proptereà nihil concludat talis argumentatio. Et hæc quidem dicta sunt de ea vitiosa consequentia.

182 Et quidem non solùm errat in consequentia, sed etiam in consequente. Quia nunquam diximus, *Probabile, quocunque modo sumatur*, esse idem ac *prudens*. Relege dicta ea *disp. 15. num. 247. & num.* 186 & passim alibi. Sæpiùs enim dixi, prudentiam non inveniri in cognitione mere speculativa. Cùm ergo ea cognitio Judicis censens Tullium esse reum, sit merè speculativa, quia non dictat, quid sit agendum; inde est, quòd sit probabilis, eo quod non conveniat ei ratio prudentiæ, de qua loquimur.

183 Et hinc constat manifestè, quàm alieni sint adversarii ab intelligentia nostræ doctrinæ. Primò quia non rectè percipiunt, quomodo sint idem *probabile*, & *prudens*. Deinde non percipiunt, quæ cognitio debeat esse probabilis, ut sit instar regulæ ad operandum prudenter: putant enim, dicere nos, judicium speculativum Judicis, opinantis probabiliter, Tullium esse reum, esse sufficiens, ut sit Judici regula ad condemnandum Tullium. Id enim toto Cœlo distat à nostra sententia. Juxta quam, regula, quam sequi debet Judex ad condemnandum Tullium, est, quæ dictet Judici, licitum & æquum esse, ferre in Tullium sententiam condemnatoriam.

184 Et hinc confirmatur id, quod dixi *art. præced.* fine, scilicet quàm inutiles sunt impugnationes adversarii, dum non percipit nostram doctrinam. Recole argumenta ibidem proposita.

CAPUT V.

Altera falsitas meæ doctrinæ imputata, quòd in ipsa opinione probabili sit formaliter certitudo.

ARTICULUS I.

Proponitur falsa imputatio; & sublata æquivocatione, veritas declaratur.

SUMMARIUM.

Quomodo per deceptionem putaverit adversarius attribui certitudinem ipsi propositioni probabili? num. 187. & seqq.
An in solo actu reflexo sit formaliter certitudo? num. 193.
An componatur optimè, quòd opinio sit probabilis, & quòd dictamen de illa sequenda possit esse certus? num. 196. & seq.

185 Dixi sæpiùs, adversarios non rectè percipere doctrinam nostram; & ideò dum impugnant, nihil aliud præstant, quam aerem verberare. Et hoc punctum de certitudine est unum, in quo mira æquivocatione decipiuntur.

186 Igitur Jacobus à S. Dominico in *cap. 11. sect. 1.* hanc alteram scribit periodum. [Alter axis est suprà ipsam probabilitatem reflexio, quam etiam *cap. 10.* tamquam inutilem comparandæ certitudini ad vitandum peccatum necessariæ probavimus; statimque hic efficacius iterùm probabimus. In hac tamen reflexione, veluti in munitissima arce, suam collocat Cardenas fiduciam. Unde *pag. 216. num. 426.* ait: *Scio, rem probabilitatis non ab omnibus rectè intelligi, præcipuè ubi fit reflexio suprà probabilitatem*; Quòd interim notatum velim.] Hæc verba, quæ *interim notata vult* Jacobus, debuerunt ipsum reddere cautiorem, & solertiorem, ut conaretur assequi veram intelligentiam meæ doctrinæ, quam tamen non est assecutus; cùm tamen in ea *disp. 15. tum cap. 4. art. 5.* & 6 tum in locis ab ipso relatis clarissimè eam tradiderim.

187 Et paucis interjectis ejusdem ferre tenoris, subjungit: [Et nominatim Cardenas pag. 240. ubi ait: *Vincentius non calluit modum certitudinis quem nostra sententia ponit in usu opinionis probabilis. Nos enim* (inquit) *distinguimus has propositiones. Primam*: Licèt pingere in die festo; *quæ Pictori proponitur ut probabilis. Secundam universalem:* Licet uti quacumque opinione probabili; *quæ* inquit, *est omninò certa. Tertiam singularem contentam in hac universali*: Licet uti hac opinione probabili, de pictura exercenda in die festo. *Quæ* (inquit) *etiam est certa.* Hanc nota, amice Lector, ut prætensam illius certitudinem unà appendamus.]

188 Quis crederet in tam aperta distinctione harum trium propositionum, quarum prima ponitur probabilis, & duæ sequentes dicuntur certæ, cadere posse in mentem viri docti tantam æquivocationem; ut mihi statim attribuat dixisse, in ea prima propositione probabili esse formaliter certitudinem.

189 Sed audi, quæ immediatè subjungit. [Suam de probabilitate fiduciam jam testatus est Cardenas *pag. 208. num. 339.* Ubi dixerat, *Nullum esse metum peccati in opinione practicè minùs probabili, quia dictamen reflexum certum docet, nullum esse peccatum in opinione practicè probabili, nullum periculum, sive ea sit minoris, sive majoris probabilitatis*. Cui si addere volueris, quod ibidem ipsemet scripserat *pag. 208. num. 248. Sufficit hoc judicium*, Probabile practicè est, opus artis Pictoriæ non esse prohibitum in die festo. *Idea nostris principiis*, inquit, *evidenter patet. Nam apud nos probabile practicè, & licitum, synonima sunt, nisi quòd licitum universalius est, quia etiam ad certa se extendit*. Ex qua Cardenæ confessione, *Illud probabile practicè non est certum*; ad quòd, nequit se extendere, utpotè minus universale: quod obiter notatum velim. Nam hoc uno ruit tota Cardenæ doctrina de probabilitate. Immò tam repugnat, ut probabile sit certum, quàm quod homo sit leo. Etenim sic opinio in scientiam mutaretur, tamquam in aliam cognitionis speciem. Vel dicendum est contra D. Bernardum loco *cap. præced. citato*, *temerariam non esse securitatem opinioni assertam*. Nec denique verum est, probabile, & licitum esse synonima, ut dictum est suprà de venatore.]

190 Attende, Lector, & vide prodigium discursus enormiter errantis, & in suo errore triumphantis, sicut si homo gladio confodiatur, & simul de victoria sibi blandiatur. Errat itaque iste discursus enormiter, eo quòd supponatur, me docuisse, in actu opinionis probabilis dari certitudinem. Et ideò sibi videtur triumphare, quia ex meo textu colligitur, *Illud probabile practicè, non esse certum.*

191 Et illud mihi vehementi admirationi est, quòd ita erraverit in intelligentia meæ doctrinæ; cum ipse antè paucas lineas attulerit ex meo textu antidotum hujus erroris. Quid clariùs dici potuit, quam distinctio illarum trium propositionum: quarum prima est, *licet pingere in die festo*, quam dixi esse solùm probabilem: duas autem posteriores reflexas, universalem, & singularem esse certas

192 Si dixi, primam esse dumtaxat probabilem, quo modo sibi persuasit hic scriptor, me dixisse illam esse certam? Sciat ergo Jacobus, implicare contradictionem, quod actus opinionis dumtaxat probabilis sit certus. Patet. Nam de essentia actus opinativi est esse incertum: sed implicat contradictionem, quod actus incertus sit certus; ergo implicat cōtradictionē, quòd actus opinativus sit certus.

193 Tota ergo certitudo est in actu reflexo, sive universali, *licitum est uti qualibet opinione practicè probabili*: sive singulari, *licitum est uti hac opinione probabili*, sicut ergo ex his duabus propositionibus, *Materia existit per existentiam formæ; Propositio, quæ attribuit materiæ proprium existentiam, est probabilis*, prima est probabilis, & secunda reflexa est certa; ita fieri potest, quòd actus opinativus practicus, sit probabilis dumtaxat; & actus reflexus, affirmans, usum illius esse licitum, sit certus.

194 Et cùm hæc distinctè dixerim in ipso textu relato à Jacobo antè paucas lineas, ipse confundit actum directum opinativum cùm reflexo; & quia dixi actum opinativum non esse certum, putat amputari omninò certitudinem ab usu opinionis probabilis. Et confusionem suam esse vult confessionem contradictionis, & implicationem meæ doctrinæ.

195 Relege ea verba: *Hoc uno ruit tota Cardenæ doctrina de Probabilitate.* Sed quare ruit? Respondet: *quia tam repugnat, ut probabile sit certum, quàm quòd homo sit leo: etenim sic opinio in scientiam mutaretur, tamquam in aliam cognitionis speciem.* Jubebo ergo, ut relegas tres illas propositiones de pictura in die festo exercenda, quas antè paucas lineas proposuisti; & invenies, quomodo non *ruit*, sed *stat tota Cardenæ doctrina de probabilitate*; ubi intellexeris, in prima directa, de pictura exercenda in die festo, esse dumtaxat probabilitatem; duas verò reflexas universalem, & singularem de usu licito ejus opinionis, esse certas, & in solis iis duabus esse formaliter certitudinem, non in prima.

196 Jam verò, quòd hæc duo possint optimè componi, & quòd opinio sit dumtaxat probabilis, & quòd dictamen de illa sequenda possit esse certum; demonstratur clarissimè in exemplo, quod necessariò debent admittere adversarii. Ægrotus febricitans dubitat, an in die festo debeat surgere è lecto, ut audiat sacrum. Consulit Medicum suum; iste respondet, non debere, Ægrotus dat probabilem assensum consilio Medici: id consilium non excedit probabilitatem, quia solùm nititur authoritate fallibili Medici. Et tamen ægrotus manet certus, & securus, quòd non peccat sequendo consilium probabile Medici. Vel si hoc negas, condemnas praxim omnium infirmorum, qui sunt, & fuerunt in Ecclesia. Ergo benè stat, quòd consilium Medici sit probabile, & quòd dictamen de illo sequendo licitè, sit certum. Similiter ergo Pictor consultat Medicum suum spiritualem, an sit licitum pingere in die festo; & audiens ab illo, id licitum esse; & cognoscens id consilium esse probabile, poterit esse certus, quòd sibi sit licitum pingere in die festo.

197 Accipe aliam demonstrationem. Si Christus Dominus permitteret nobis, aut doceret nos expressè, quòd possimus tutò sequi quaslibet opiniones practicè probabiles; tunc esset certum, quòd possemus sequi opiniones probabiles: & tamen ipsæ opiniones manerent solùm probabiles: ergo hæc duo benè componuntur, & quòd opinio sit probabilis, & quòd dictamen de illa tutò sequenda possit esse certum.

198 Accipe tertiam demonstrationem. S. Thomas *in 4. dist. 29. quæst. unic. art. 4. corp.* ait, filium non teneri obedire Patri quo ad matrimonium contrahendum, nisi quantùm justa causa ad id coegerit.

Et hæc

Et hæc est pars quæstionis benignior stans pro libertate filii, & illa procedit in materia probabili. Nam oppositam tenent multi, & graves Doctores, quos retuli *disp.15. num.479.* Tum sic argumentor. Vel est certum, quòd filius sequens opinionem probabilem S. Thomæ, non peccat, vel non est certum? Si hoc secundum dicas, infero, ergo probabile est, quòd filius sequens eam opinionem S. Thomæ, manet expositus periculo probabili peccandi: atqui illa opinio, quæ hominem relinquit expositum periculo probabili peccandi, improbabilis est: ergo ea opinio S. Thomæ improbabilis est. Id autem est absurdum: ergo, &c.

199 Si verò dicas, ut debes dicere, certum esse, quòd non peccat filius sequens eam opinionem S. Thomæ; infero: ergo hæc duo optimè componuntur, & quòd opinio, quæ reducitur ad praxim sit probabilis; & quòd certum sit, quòd qui eam sequitur, non peccat. Hoc ergo modo dicimus, opiniones, quas sequimur, esse probabiles; & dictamen, quo judicamus, licitam esse praxim earum, esse certum.

200 Accipe quartam aliam demonstrationem, ad hominem, ut vocant, dicunt adversarii, semper sequendam esse opinionem strictiorem, in quovis conflictu opinionum. Tum sic: opinio strictiur solùm est probabilis: & tamen est certum, quòd sequens partem strictiurem non peccat: ergo hæc duo benè componuntur; & quòd opinio, quam sequeris, sit dumtaxat probabilis, & quòd certum sit, quòd sequendo illam non peccas.

201 Sed quod magis miror, est, quòd cùm hæc sit doctrina S. Thomæ, subterfugerit Jacobum. Nam quod lib. 8. *art.* 13. agens de eo, qui admittit plures præbendas, sic ait: *Aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterùm peccat, contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: & sic si maneat dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Ubi vides, admittere S. Thomam, posse fieri, quòd admittens plures præbendas habeat certitudinem absque dubitatione, non obstante conflictu oppositarum opinionum.

ARTICULUS II.

Dissolvuntur objectiones, quas opponit Jacobus à S. Dom. contra certitudinem conscientiæ in usu probabilium.

SUMMARIUM.

In quo sensu accipiat Sanctus Bernardus opinionem? num. 204. & seq.
Solvitur objectio? num. 207. & seq.
An Sanctus Bernardus loquatur de opinione in communi? num. 209.
An dictamen reflexum det certitudinem non opinioni, sed usui opinionis? num. 212.
Quo modo hæc certitudo constet ex syllogismo evidenti? num. 213.
Quo modo minor syllogismi possit esse evidens? num. 214. & seq.
An hæc certitudo possit provenire à consultatione Doctorum hominum? num. 216.
Quo modo præmissæ certæ sint causa certitudinis conclusionis? num. 217. & seq.
Responsio ad loca Sacræ Scripturæ, remissivè? num. 220.

202 IN mea Crisi Theologica *disput. 15. cap. 4. art. 5. & 6. à num.* 220 dissolvi clarissimè objectiones hujus generis. Quarum solutiones vidit præfatus Jacobus; nec tamen eas impugnat; sed contentus est proponere objectiones, quæ non indigent aliis responsionibus, quàm ibidem exhibitis.

203 Et primò quidem videtur vim habere ille textus ex S. Bernardo *lib. 5.* de Considerat. ad Eug. *cap. 3.* quem ex Fagnano proponam *cap. 19. art. 1.* quem proposuit Jacobus in fine periodi suprà relatæ, & cujus verba hæc sunt. *Opinio, si habet assertionem, temeraria est.*

204 Respondeo primò, nos in alio sensu usurpare opinionem, in alio S. Bernardum. Pro quo sciendum est in duplici acceptione, seu significatione usurpari posse opinionem. Primò, pro incerto, quòd est verosimile, sive quòd habet aliquam apparentiam veri. Et hoc modo fatemur, posse fieri, quòd assensus opinativus sit temerarius. Nam id, quod habet apparentiam veri abstrahit ab eo, quòd habeat fundamentum grave, & ab eo quòd habeat fundamentum leve. Quo pacto nos non sumimus probabilitatem. Juxta quam acceptionem etiam improbabilis vocatur opinio. Et ita usurpavit S. Thom. quod *lib. 3 art.* 10. vide infrà *disput. 57. cap. 3. art. 2.*

205 Secundò sumitur opinio pro assensu incerto, quòd nititur fundamento gravi, & ratione digna viro prudente. In quo sensu semper nos accipimus opinionem, & probabilitatem practicam. Quo pacto non potest dici, quòd opinio sit temeraria, cùm nitatur ratione prudenti; cùm temeritas, & prudentia sint res adeò oppositæ, & quarum una dicit negationem alterius.

206 Jam verò S. Bernardus in eo loco usurpat opinionem in prima acceptione, ut patet ex contextu. Ibi enim ait: *Opinio sola verisimilitudine se tuetur.* Et inferiùs: *Opinio certi nihil habens, verum per verosimilia quærit potiùs, quàm apprehendit.* Et infrà: *Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias.* In quo sensu non nego, in assensu opinionis esse posse temeritatem: nego tamen me loqui in eo sensu.

207 Sed hic videntur sibi triumphare adversarii, qui opinionem definiunt per verisimilitudinem; dicunt enim malam esse definitionem, quæ non nititur notione communi vocum, quam communiter exhibent Doctores. Cùm ergo S. Bernardus, & alii Doctores nomine opinionis intelligant id, quod est verosimile; debemus hanc notionem accipere.

208 Respondeo, quidquid sit de bona, vel mala definitione; cùm dicimus, licitum esse usum cujusvis opinionis probabilis, hoc nomine non intelligimus verosimile, sed incertum innixum fundamento gravi. Et hinc patet, quàm inutiles sunt impugnationes, quibus adversarii debellare contendunt nostram sententiam. Ipsi enim impugnant opinionem probabilem in alio sensu diverso ab eo, in quo nos loquimur. De quo vide in relata *disp. 15. cap. 7.* præcipuè *num. 513.*

209 Respondeo secundò ad textum S. Bernardi, aliud esse opinionem in communi; & aliud opinionem probabilem practicè. Et quidem admitti potest, opinionem in communi esse assensum incertum verosimilem. Hæc autem opinio in communi abstrahit ab ea, quæ nititur fundamento gravi, & ab ea, quæ non nititur fundamento gravi. Quare opinio in communi dividitur in probabilem, & non probabilem: alteram, quæ ducitur, alteram, quæ non ducitur fundamento gravi; &, si probabilis sit practicè, dicitur niti ratione prudenti. Igitur S. Bernardus loquitur de opinione secundùm conceptum communem, qua ratione, *si assertionem habeat, temeraria est*: quia non intelligitur probabilis, & prudens, donec intelligatur niti fundamento gravi, & ratione prudenti.

210 Quod autem id ita sit, certum debet esse apud omnes. Quod sic ostendo. Nam vel assertio adhibita opinionibus probabilibus Sancti Thomæ temeraria est, vel non? si primum dicas; tu ipse temerarius eris. Si autem dicas, non esse temerariam; infero: ergo non est de ratione opinionis probabilis, quòd *si assertionem habeat, sit temeraria*, sed ad summum de ratione opinionis abstrahendo ab eo, quòd sit probabilis, vel non probabilis.

211 Secunda objectio Jacobi, quam proponit *cap.* 10 *num.* 8. tota consistit in eo, quòd non potest intelligi, quo modo reflexio possit causare certitudinem in rebus, quæ non sunt certæ. Ideò ibidem sic ait. [Ex reflexione suprà probabilitatem ex natura sua incertam existimant sufficientem se rebus, aut actibus conferre certitudinem. Quasi vero nostra scientia aut reflexio esset causa rerum, & non potiùs causata à rebus: aut ille, qui cogitans non potest ad staturam suam adjicere cubitum unum; possit sua cognitione reflexa (quam magis obesse, suo loco, quam prodesse, ostendemus) certitudinem, quam ex se non habent, in rebus causare.]

212 Respondeo, fatendo, adversarios nondum intelligere modum, quo dictamen reflexum dat certitudinem, non opinioni probabili, sed usui opinionis probabilis, quamvis satis clarè exposuerim eo *art. 5 & 6* relatis. Modus autem hujus certitudinis continetur in hoc syllogismo: [Licitum est uti quavis opinione practicè probabili: sed quòd pingere possim in die festo, est practicè probabile: ergo licitum est pingere in die festo.]

213 Quod conclusio accipiat certitudinem à præmissis certis in argumentatione legitima, indubitabile est; sicut & hunc syllogismum rectè concludere. Ambæ autem præmissæ sunt certæ moraliter. Major est certa propter argumenta moraliter demonstrativa, quæ efformavi in ea *disp. à cap. 7.* & urgentius instaurabo inferiùs *cap. 15. 16. & 17.*

214 Minor vero, quòd practicè probabile sit, picturam non esse opus ex prohibitis in die festo, potest esse moraliter evidens pictori. Etenim vel pictor est homo ignorans Theologiæ, vel ejus peritissimus, vel mediocriter peritus. Si ignarus est, non tenetur perpendere ab intrinseco vim probabilitatis, & fundamenti gravis; sed satis est, si consuluerit viros pios, & doctos: ex qua consultatione acquirit certitudinem moralem illius probabilitatis, quia certus est omninò, se non debere aliquid ultra facere, quàm stare consultationi sapientum, & piorum hominum.

215 Si verò peritissimus sit Theologiæ moralis, optimè poterit perpendere gravitatem fundamenti, quo nititur probabilitas ejus opinionis; atque adeò habere poterit certitudinem moralem de probabilitate illius.

216 Si verò sit mediocriter peritus Theologiæ moralis, qui non possit perfectè callere totam vim probabilitatis, & fundamenti gravis; poterit fieri certus moraliter de probabilitate illius opinionis ex consultatione hominum piorum, & doctorum. Cum discrimine tamen ab eo, qui est omninò ignarus. Nam ignarus à sola fama potest accipere, qui sint viri docti. Qui autem est mediocriter doctus, meliùs cognoscit, & non à sola fama, qui sint viri pii, & docti, quos consulere debet. Ex quibus omnibus fit, illam minorem syllogismi esse posse omninò certam illi Pictori. Hoc ergo modo Pictor fit certus de pictura à se exercenda in die festo, absque metu, aut periculo peccandi.

217 Ad id, quod dicitur, nostram scientiam, aut reflexionem non

esse

esse causam rerum: respondeo, nostram scientiam, id est, præmissas scientificas esse causas illativas conclusionis scientificæ, quia determinant intellectum ad talem conclusionem.

218 Ad id, quod subjungitur, quòd sicut cogitans non potest ad staturam suam adiicere cubitum unum; ita reflexio non potest adiicere ipsis rebus certitudinem, quam in se non habent. Respondeo, quòd cognitio reflexa non adiicit ipsi opinioni certitudinem, quam in se non habet: sed cùm præmissæ reflexæ sint certæ, per modum causæ illativæ, dant certitudinem ultimo judicio practico, quod deducitur ex illis præmissis. De his abundè dixi eo *art. 5. & 6.* relatis.

219 Vide, quæ dixi de ægroto, & Medico, suprà *art. 1.* Considera ergo has duas propositiones. Primam, Medici dicentis: *Iste ægrotus non tenetur audire sacrum in die festo*. Quæ propositio respectu ægroti solùm est probabilis, nam authoritas Medici id dicentis solùm dat probabilitatem. Secundam reflexam. *Qui sequitur consilium probabile Medici, non peccat*, & hæc secunda certa est, illa enim securam reddit conscientiam ægroti. Ergo optimè stat, quòd propositio directa sit probabilis; & propositio reflexa sit certa: ergo propositio, quæ reflectitur suprà probabilitatem, potest esse certa, & securam reddere conscientiam.

220 Posteà confirmare contendit Jacob. suam sententiam, quibusdam locis Sacræ Scripturæ; quibus ego exhibui solutionem in ea *disp. 15.* Crisis Theologicæ *cap. 4. art. 13.* & miror, quòd cùm ejusmodi solutionem viderit Jacob. non eam retulerit, & impugnaverit. Nam vel ea objectio ex locis Sacræ Scripturæ amisit vim ex mea solutione; vel non amisit. Si amisit; infero: ergo non debuit reproducere argumenta, quæ jam vim amiserunt. Si non amisit vim; infero: ergo cum ego conatus fuerim solvere, & affirmaverim soluta, debuit ipse ostendere novis instantiis, solutionem non esse sufficientem: quòd non præstitit. Vide infrà *cap. 19. art. 1.*

ARTICULUS III.

Alia objectio ejusdem Jacobi enervatur.

SUMMARIUM.

Quotupliciter erret eu objectio? num 224 & seq.
An sit illicitum operari in die festo, an potiùs operari serviliter? num. 225.
An detur probabilitas reflexa? num. 226.
An contra certitudinem valeat authoritas? num 233.
An sint paucissimi, qui oppositum opinionem teneant? num. 234.
An quando Authores oppositæ non penetrant sensum opinionis impugnatæ, valeat eorum authoritas? num. 235.
Quam certis principiis nitatur certitudo dictaminis reflexi? num. 236.
An rationes leves conferant probabilitatem? num. 239.

221 CApitis 11. sectionem 2. sic inchoat. [Jam incumbit necessitas, ut positum à Cardena, & ab omnibus probabilitatis defensoribus, fundamentum ostendamus, non ea solidis lapidibus esse constructum, sed merè arenarium; nullo nexu, nulla soliditate compaginatum; quod subinde propria infirmitate sensim ruere, ac dissolvi, necesse sit.] Grandis promissio! videamus demonstrationem, qua nostram sententiam deturbat à fundamentis Jacobus. Quod si arenario aggere circumvallatur doctrina nostra, non est timendum, vel à plumbeo bombardæ globo, qui in arenario aggere vim suam amittit.

222 Subjungit immediatè. [Revocemus igitur, & in medium adducamus tertiam Cardenæ propositionem, quam ipse ait esse certiam; quæ talis est. *Licet uti hac opinione probabili de pictura exercenda in die festo*. Contra quam sic argumentor. Probabilitas, quæ affulget in judicio universali, quo judicatur aliquid esse illicitum, puta *operari* in die festo, est potior ea, quæ affulget in judicio *particulari*, etiam cum quacumque *reflexa probabilitate* (quæ ut *suprà* ostendimus, illis non favet, sed nocet) v. g. Si non licet in communi Clerico in arundine piscari, aut venari in die festo, longè minùs mihi Clerico licebit in particulari: sed prior illa *probabilitas* in communi haud sufficit ad rectitudinem operationis: ergo longè minùs in particulari. Major explicatur; quia causa semper est potior effectu. V. g. si nulli Clerico (cæteris paribus) licet in arundine piscari in Dominica, nec mihi licebit. Quia judicium universale continet in se quasi effectum, virtutem judicii particularis: sed hæc propositio, *Licet uti quacumque opinione probabili*, est universalis, nec est certa. Quod sic probo contra Cardenam, omnesque alios Casuistas Probabilitatis defensores: nec subinde particularis. Primo. Propositio non est certa, quæ non excludit omnem formidinem, ne actus sit malus: sed hæc propositio, *Licet uti quacumque opinione probabili*, non excludit omnem formidinem; cùm tot viri pietate, & summa eruditione præditi asserant, eam esse falsam. Major est apud omnes indubitata. Minor etiam per se patet; cùm per talem propositionem non convincatur intellectus, sicut per demonstrationem convincitur; statimque probabitur confutato adversariorum subterfugio. Secundò, *Opinio* non est certa, quæ nititur principiis incertis: sed præfata est hujusmodi, neque illius ullum certum principium (ut statim ostendam) potest assignari.] Hucusque argumentum Jacobi à S. Dom.

223 Sed quæ sunt illa, quibus statim ostendit, nullum certum principium posse assignari illi conclusioni, quòd *Licet uti quacumque opinione probabili?* Ecce. Primò ait, ultimum subterfugium Probabilistarum esse suffragium multorum Doctorum, quod dat securitatem in praxi. Cui dicit, se opponere omnes Theologos antiquos, & Sanctos Patres. Deinde affert authoritatem Angelici Doctoris, de qua inferiùs dicendum est. Et mox duo alia testimonia ejusdem S. Doctoris, unum circà liberalitatem, & subdit Jacob. [Si intactam voluit (Angelicus Doctor) esse legem liberalitatis, quæ videtur esse momenti levioris, nusquam, & potiori jure credendus est, omisse, quæ sunt graviora legis, qualia sunt ea, pro quibus hic contra probabilitatis defensores militamus.] Alterum circà eam quæstionem *An infantes infidelium baptizari possint invitis parentibus?* Et post relatam opinionem D. Thomæ addit: [Certè si in re tanti momenti non patitur Doctor Angelicus legem naturæ violari, quis dicere audeat ipsum in aliquo relaxari, ob *leviores* probabilitatis ratiunculas, quas ipse toties subvertit à fundamentis.] Hæc est tota machina, qua se putat Jacobus nostræ doctrinæ murum arietare.

224 Sed scriptor oleum, & operam perdit, aggrediens impugnationem ejus sententiæ, cujus terminos, & sensum non penetrat: sic enim ictibus suis aerem fatigat. Pro ejus intelligentia videndum est, quotupliciter errat argumentum propositum, defectu ejus intelligentiæ.

225 Errat primò, dum proponit tamquam illicitum *operari in die festo*, cùm dicere deberet, *operari serviliter*. Ideò enim probabilis, immò probabilior sententia docet, non esse illicitum pingere in die festo, quia censet, picturam non esse opus servile, sed liberale.

226 Errat secundò, cùm judicium practicum de opinione probabili ad praxim deducenda, vocat *probabilitatem reflexam*, quasi nos doceamus illud dictamen practicum esse talem probabilitatem. Sciat ergo Jacobus illud non esse probabile, nec probabilitatem reflexam: nam eo ipso quòd dicimus esse dictamen certum, dicere non possumus esse probabile, nec probabilitatem reflexam.

227 Errat tertiò, dum dicit, *suprà se ostendisse, eam probabilitatem reflexam*, ut ipse vocat, *non favere* nostræ sententiæ, *sed nocere*. Nihil enim suprà dixerat ad rem, nisi quæ articulo 2. proposita, & quæ tamquam nullius momenti adeò facilè dissoluta sunt.

228 Errat quartò in eo, quòd cùm argumentum aggrediatur probare, non esse certum hoc dictamen affirmativum, *Licet uti quacumque opinione probabili*; proponitur in majori judicium universale, quod affirmat illicitum illis verbis. *Probabilitas, quæ affulget in judicio universali quo judicatur aliquid esse illicitum, &c.* & deinde assumit in minori: *sed prior illa probabilitas in communi haud sufficit ad rectitudinem operationis*. Et ut hanc minorem probet, mutat medium dicens: *Hæc propositio, licet uti quacumque opinione probabili, est universalis, nec est certa*. Itaque cùm proposuerit probare, probabilitatem, quæ affulget in judicio universali, quo judicatur aliquid esse illicitum, non sufficere ad rectitudinem operationis; & deberet probare illud judicium de illicito non esse certum; & probat judicium de licito non esse certum. Cætera, in quibus errat argumentum, constabunt ex responsione, quam jam adhibeo.

229 Omissis ergo iis omnibus, quæ in forma minùs legitima proponuntur, respondeo negando, illud dictamen, *Licet uti quacumque opinione practicè probabili*, non esse certum.

230 Ad primam probationem, nego suppositum, quod sit probabilitas illa, quæ affulget in illo dictamine universali, *Licitum est ubi quovis opinione probabili*: illud enim dictamen est certum ex argumentis propositis infrà *cap. 15. 16. & 17.* Et hæc responsio datur attendendo ad propositionem, quam ipse intendebat probare.

231 Sed quia ipse mutat intentum, & loquitur de judicio universali, quo credat Pictor esse illicitum operari in die festo, respondeo, non dari in Pictore tale judicium de inhonestate suæ operationis; & ad summum posse dari in tali Pictore judicium, quo opinetur illicitum esse ex vi principii directi; absolutè tamen licitum: cum hoc discrimine, quod putet esse probabiliter illicitum, sed certo licitum, propter regulam certam de quavis opinione practicè probabili securè amplectenda.

232 Ad id, quod subditur, si non licet in communi Clerico in arundine piscari in die festo, longè minùs mihi Clerico licebit in arundine piscari, respondeo; diverso modo contingere in Pictore. Nam si non licet in communi operari serviliter; non benè arguitur ad particularem, vel singularem, ergo multò minùs Pictori, licet pingere; quia probabilissimum est, artem picturæ non esse servilem, sed liberalem.

233 In forma ergo respondeo concessa majori, quòd non sit certa propositio, nisi excludat omnem formidinem. Minorem nego; quòd videlicet illud judicium non excludat omnem formidinem. Ad ejus probationem, qua dicitur, tot viros pietate, & summa eruditione præditos asserere, eam esse falsam; respondeo primò, contra certitudinem habitam à principiis intrinsecis non valere authoritatem extrinsecam; ut satis clarè demonstravi in Crisi Theologica *disp. 11. cap. 4. & seq.*

234 Respondeo secundo, paucissimos esse, qui censeant, in varietate opinionum semper standum esse pro lege contra libertatem. Nam præter Sinichium, Mercorum, Fagnanum, Gonetum, & Baroni, nullus alius bonæ notæ Author, quem sciam, id docuit. Quòd vero nõ possit eligi quævis opinio practicè probabilis, paucio-

res

res sunt, ii, qui tenent, eligi non posse minus probabilem; plures, & nobiliores, qui tuentur, etiam eligi posse minus probabilem, dummodo verè sit practicè probabilis. Ut ostendam *infra à cap.* 15. Et quando tres, vel quatuor scriptores tuentur aliquam assertionem contra communem sententiam reliquorum Doctorum, maximè sine ratione urgenti; creduntur imprudenter procedere, eo quod opponant se reliquis omnibus prudentibus. Quod contingit in præsenti casu.

235 Accedit, quòd pauci isti scriptores nondum perfectè callent nostram sententiam, nec sciunt, quid dicamus; & impugnant multa, quæ non dicimus. Scriptores autem in iis, quæ ignorant, nullam habent authoritatem, ut ostendi in mea Crisi *disp.* 11. *cap.* 9. *num.* 263. Quæ autem sint illa, quæ ignorant, satis constat ea dictis. Nam in re præsente putant, nos dicere opinionem probabilem fieri certam, cùm sit longè diversa assertio nostra, ut ea hoc capit. constat. Patet etiam in exemplo venatoris, de quo *capit.* 3. diximus. In quo putant dicere nos esse probabile, quòd probabiliter opinanti esse feram, liceat jacere sagittam, cùm id dicamus esse improbabile. Idem simili modo patet in exemplo judicis probabiliter opinantis Titium esse reum. Sic etiam, putant dicere nos, ex quavis ratione verosimili posse licitè operari; cùm dicamus, quantumvis ratio sit verosimilis, non sufficere ad rectè operandum, nisi adsit fundamentum urgens, & grave. Et sic in multis aliis. Quo modo ergo possunt conferre probabilitatem, ne dum certitudinem iis, in quibus tam apertè errant?

236 Ad secundam probationem minoris, concedo majorem; & minorem nego, quòd hoc dictamen reflexum non nitatur principiis certis; ut ostendi ea *disp.* 15 *à cap.* 7. & demonstrabo iterùm *cap.* 15. 16. & 17. Et quidem in tam prolixa propositione argumenti, hoc sine probatione reliquit, quod illi unicè erat probandum; scilicet illud dictamen reflexum non habere principia certa, unde ejus certitudo constet. Quod nitatur principiis certis, constat ex ea *disp.* 15. *à cap.* 7. ubi propositæ sunt rationes saltem moraliter demonstrativæ. Et præterea modò ostendo, eas esse pro moraliter certis habendas. Nam Jacobus eas legit, & cùm deberet ad eas respondere, & conari ad solutionem earum, non tamen præstitit: ergo judicavit illas insolubiles. Illæ autem rationes, quæ sunt insolubiles, certæ judicantur.

237 Ad id, quod addit, ultimum subterfugium Probabilistarum esse multorum Doctorum suffragium; apertè decipitur; nam ultimum subterfugium est certitudo moralis principiorum, & præmissarum, ex quibus deducitur certitudo ejus conclusionis, quòd licet uti quavis opinione practicè probabili.

238 Illud verò, quod de liberalitate affertur, ex S. Thoma, non est ad rem. Quia neque S. Thomas, neque nos patiemur, *omitti graviora legis:* nam qui habet fundamentum grave, & urgens, ad credendum, non dari talem legem, non *omitti graviora legis*; tunc enim credit prudenter, non impositam esse eam legem.

239 Ad id verò, quod subjungit ex S. Thoma circà quæstionem de baptizandis infantibus infidelium invitis parentibus; respondeo, non modò non esse ad rem, verùm etiam magnam fieri implicationem terminorum, & attribui nostræ doctrinæ novam falsitatem in iis verbis: *Quis dicere audeat, ipsum* (S. Th.) in aliquo relaxari ob *leviores probabilitatis ratiunculas?* Nam eo ipso quòd leviores sint ratiunculæ, non datur probabilitas, sed temeritas: hæc enim est, quæ nititur levioribus ratiunculis; probabilitas autem non admittitur, nisi solidissimis rationibus fulciatur; ideòque multas opiniones, quæ ab aliquibus circumferuntur, à probabilitate excludimus.

CAPUT VI.

Falsitas quinta, eaque enormissima, quòd mea doctrina non satis absit ab hæresibus Simonis Magi, Valentinianorum, Gnosticorum, & sectariorum nostri temporis.

ARTICULUS I.

Proponitur periodus; & explicatur falsitas imputata.

SUMMARIUM.

An non declaret adversarius, in quo consistat absurditas attributa propositioni? n. 244. & seqq.
Unde dignoscendus sit sensus, qui attribuitur propositioni? n. 246. & seq.
Duplex sensus absurdus attributus propositioni? nu. 250.

240 Jacobus à S. Dom. in eo *capit.* 11. in fine sectio 1. hæc scribit. [Et ut videas, totum Cardenæ præsidium esse, non in lege, sed in sola probabilitate; ait ibid. *Ut Pictor licitè exerceat in die festo opus artis Pictoriæ, non est necesse, quòd habeat hunc assensum absolutum; opus artis pictoriæ non esse lege prohibitum in die festo.* Quid ergo opus facto? aut quæ secura nobis erit regula? Sola temeritas; vel ut mitius loquar, sola audacia. Profectò dum id, quod statim subiiciam, in Cardena legerem, vix credebam oculis. Ait enim *pag.* 216. *num.* 228. (corrige 328.) *art.* 11. *Pictor, qui ex opinione probabili pingit in die festo, certò scit, se non peccare sequendo opinionem probabilem. Et ubi tamquam certum sibi proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum.* Perpende hæc verba, Lector, & obstupescere. (Corrige, obstupesce; quamvis error contra grammaticam reputetur levis.) Ut res ista melius intelligatur, sciendum est, Sanctos Patres, omnesque pios Doctores, valdè semper timuisse, ne jam dudum extinctæ revocarentur effrænes quædam opiniones, seu impudorata quorumdam hæreticorum inverecundia, quæ omnia spernebat. Sic Simon Magus, teste Theodoreto *libr.* 1. *hære. fabul. Jubebat eos, qui in ipsum crederent, leges minas non pertimescere, sed tamquam liberos facere, quæ vellent.* Valentinianis itidem, ut refert Lindanius, *peccatum nihil erat nisi eorum opinione, qui se peccare putarent.* Aliique erant, v. g. Gnostici, ut refert D. August. *lib.* 4. *contra Julian. capit.* 8. apud quos hoc habebatur adagium. *Si quis homicidium, conscientia formidante, commiserit, reus est, quia timuit. Si autem aliquod facinus exultante perpetraverit audacia, velut credens, se ex fide facere, quod malè facit, culpam evasit.*

241 At facta comparatione deliriorum, & amentiæ horum hereticorum, cum his sequentibus Cardenæ verbis, *ubi tamquam sibi certum proponitur* (corrige, tamquam certum sibi proponitur) *in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum.* Non potest non, nisi immeritissimè de nobis conqueri, si expostulemus, aut dixerimus, suam de Probabilitate doctrinam non satis abesse ab eorum hæreticorum audacia, seu temeritate; nam sic essent absolvendi ab omni culpa interfectores Apostolorum, qui arbitrabantur, se obsequium præstare Deo: sicut & Judæis quibusdam videbatur valdè religiosum, antequam comederent, aut biberent, occidere Paulum. Suam ergo doctrinam emendet Cardenas, cùm superstes sit, censuris personam agens in Caramuelem: ne hoc in ipsum cadat proverbium, *Medice, cura te ipsum. Et judicans alium, condemnet semetipsum.*] Hucusque periodus Jacobi.

242 Et in eodem *cap.* 11. *sect.* 3. *pag.* 130. repetens eumdem textum meum, dimidiatum illum proponit. Omittit enim illa verba priora, *Certè scit, se non peccare, sequendo opinionem probabilem:* & repetit posteriora, quæ ipse conatur trahere ad sensum hæreticalem, sic: Et *ubi*, inquit, *tamquam certum alicui proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum; nullum penitus est peccatum* Ita loquitur *pag.* 216. *nu.* 228. Hoc certè mihi videtur favere spiritui privato nostri ævi hæreticorum: qui jactant, se posse certos esse, quòd sint in gratia, dummodo hac de re certam habeant persuasionem, seu fidem, qua sibi persuasum habeant, obtinuisse à Deo hac fide remissionem peccatorum.] Hæc iterùm Jac. à S. Dom.

243 Ego quidem pacato animo perpendebam tot, tantaque fulmina, & tonitrua. Et primò aspectu expavi, non ad tempestatis fragorem; sed quia nesciebam, quorsum tam amarulentus censurarum stridor? quorsum tanta temeritas, & audacia? quorsum effrænes opiniones jam dudum extinctæ, rursus revocatæ? quorsum tam impudorata hæreticorum inverecundia? Quorsum comparatio deliriorum, & amentiæ hæreticorum cum mea propositione? quorsum spiritus privatus sectariorum ævi nostri?

244 Certè sperabam, ut explicaret adversarius, in quo consisteret depravatus sensus ejus propositionis; & ut posteà probaret, talem sensum esse damnabilem. Et tamen neutrum præstitit. Sed solùm remittit se ad Lectorem, & jubet illum perpendere, & obstupescere. Nonne oporteret, ut ipse scriptor perpenderet prius; & propositis rationum jaculis, obstupescere faceret legentes?

245 Et quidem si dixisset adversarius, eundem esse sensum meæ propositionis cum sensu earum hæresum, aliquid firmum haberet discursus. Asserit tamen, meam propositionem, *non satis abesse ab horum hæreticorum audacia.* Et ego, qui percipere desidero mentem adversarii, interrogo, quantum abest, aut quantum appropinquat? viginti leucas (si licet materialibus intellectualia explicare.) vel decem leucas, vel unam, vel dimidiam? dicendo enim, *non satis abesse;* nihil firmum habemus ad ejus mentem explorandam.

246 Igitur quandoquidem non sufficienter se explicuit, ex duobus capitibus conabimur investigare, quem sensum attribuit meæ propositioni. Primò ex ipsis hæresibus, quas refert. Et quidem Simon Magus volebat homines non obedire legibus, sed operari tamquam liberos ab obligatione legum. Et ita mea propositio quodam modo simili relinquit liberos homines ad peccandum. Valentiniani, cùm perpetrabant homicidia, furta, adulteria, asserebant non peccare, nisi quando putabant, se peccare: quando verò opinabantur se non peccare, affirmabant nullum esse peccatum. Sicut & Gnostici, qui affirmabant, non peccare, committendo homicidium, si crederent se id facere ea dictamine propriæ conscientiæ. Sensus ergo quem adversarius attribuit meæ propositioni, cùm dicatur non satis abesse ab audacia eorum hæreticorum, erit iste; quòd quamvis homo furetur, adulteretur, scandalizet; si sibi tamquam certum proponatur, in iis actionibus se non peccare, nullum erit peccatum.

247 Similiter hæretici nostri temporis jactant, se certos esse de sua justificatione, dummodo sibi certò persuadeant de remissione peccatorum sibi indulta, quæ quidem persuasio est certitudo quædam affectata, & pro libito. Quare juxta mentem adversarii, sensus meæ propositionis est, quod ubi tamquam certum alicui proponitur, scilicet certitudine affectata, & pro libito, in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum.

248 Secundò colligitur mens adversarii, & sensus attributus meæ propo-

propositioni ex duobus absurdis, quę ex mea propositione infert. Primò. Nam *sic essent absolvendi interfectores Apostolorum qui arbitrabantur, se obsequium præstare Deo.* Sed quare absolvendi? Nempe quia tamquam certum sibi proponebant, se in ea occisione non peccare, atque adeò ibi nullum esset peccatum.

249 Secundum absurdum erat. *Sicut & Judæis quibusdam videbatur valde religiosum, antequam comederent, aut biberent, occidere Paulum.* Et cùm illis proponebatur tamquam certum, ibi non esse peccatum, ea mea propositione videtur inferri, eos non peccasse.

250 Ex quibus omnibus colligitur, hos duos sensus, juxta adversarii mentem, contineri in mea propositione. Primum, quòd ubi tamquam certum alicui proponitur, scilicet certitudine affectata, & pro libito, in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum. Secundum, quòd quamvis homo perpetret quævis facinora, adulterii, homicidii, odii; ubi tamquam certum sibi proponitur, in iis operationibus non esse peccatum, nullum penitus est peccatum.

ARTICULUS II.

Aperitur veritas propositionis sugillatæ, & convincitur esse innoxia.

SUMMARIUM.

An ea propositio possit accipi dupliciter, & quo modo? nu. 251.
An pictor in eo casu habeat evidentiam moralem de rectitudine operationis? nu. 252.
An similem evidentiam habeat ægrotus, dum consulit medicum? n. 54.
Ex quibus principiis habeatur evidentia moralis in usu opinionis probabilis? n. 255.
An propositio loquatur de certitudine affectata? n. 256.
An implicet, quòd proponatur aliquid intellectui tamquam certum, & certitudine affectata? n. 257. & seq.
An quando certitudo habetur ex principiis certis, ibi nullum sit peccatum? n. 260.
An certitudo, de qua loquitur ea propositio, sit ex dictamine reflexo, & quanta sit hujus certitudo? n. 262.
An inconsequenter procedat adversarius, sequendo in probabilibus strictiorem, in evidentibus certò illicitam partem? n. 265.
An eadem inconsequentia laboret, dum mihi affingit probabilitatem judicii temerarii? n. 266.

251 Duplici modo potest accipi ea propositio. Primò circà subjectam materiam, de eo, qui habet dictamen reflexum certum, per quod certò scit ex principiis certis, se non peccaturum, dum sequitur opinionem practicè probabilem. Secundo potest accipi propositio ut jacet, & non ut subest ei dictamini reflexo certo, sed abstrahendo ab eo, & independenter ab hac materia de probabilitate. Et utroque modo habet sensum verum, & legitimum, & toto cœlo abhorrentem à deliriis hæreticorum. De primo dicam in hoc articulo, de secundo in sequentibus.

252 Ut veritatem meæ doctrinæ clarissimè cognoscas, relege textum meæ Crisis, quem affert Jacobus; non illum dimidiatum, quem refert secundo loco; sed illum integrum, quem primo loco adducit. *Pictor qui ex opinione probabili depingit in die festo, certò scit, se non peccare, sequendo opinionem probabilem. Et ubi tamquam certum sibi proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum.* Et veritatem meæ doctrinæ, simul & falsitatem imposturæ reperies in illis verbis, *certò scit, se non peccaturum*, sequendo opinionem probabilem. Ad quæ noluit attendere adversarius, ut imposturam suam prætexeret. Ex ea enim prima parte propositionis, convincitur, secundam partem propositionis loqui juxta subjectam materiam de eo, qui habet dictamen reflexum certum de quavis opinione probabili securè amplectenda.

253 Est ergo doctrina, quam tueor, illum habere cognitionem saltem moraliter evidentem, qua scit, se non peccare, sequendo opinionem practicè probabilem. Et ubi virtute ejus certissimæ cognitionis, id sibi proponitur tamquam certum, ibi nullum est peccatū; quia operatur cum conscientia certa de rectitudine operationis.

254 Similis est casus iste. Petrus graviter ægrotat, & quia est vir timoratæ conscientiæ, dubitat an in die festo teneatur surgere, & sacrum audire. Consulit Medicum, à quo accipit, magno se periculo exponendum, si surgat, adeòque non teneri surgere. In hoc casu pronuncio istam propositionem similem alteri. *Ægrotus certò scit, se non peccare omittendo sacrum in eo die festo. Et ubi tamquam certum sibi proponitur, in ea amissione sacri non esse peccatum, nullum est peccatum.* Quis calumniari potest hanc propositionem? dicendo: [Ergo si cui proponatur ut certum, se esse in gratia, eo ipso erit in gratia.] Ideò autem illa propositio de ægroto rectè procedit; quia quod proponatur illi ut certum, se non peccare, non est ea certitudine affectata, sed habita ex motivis omnino certis: est enim certum, quòd sequens consilium periti medici, non peccat. Sed in nostro casu, quod proponitur tamquam certum illi Pictori, non est ex certitudine aliqua affectata, sed ex motivis certis, & moraliter evidentibus: ergo eodem modo recto tramite procedit.

255 Quòd si interroges, ex quibus principiis certis scit Pictor, se non peccare, sequendo opinionem probabilem? Respondeo, ex omnibus illis rationibus, quas proposui *in 1. part. Crisis Theol. ea disp. 15. à cap. 7.* & quas proponam *cap. 15. 16. & 17.* quæ sunt saltem moraliter demonstrativa. Quod intellige, si Pictor peritissimus sit Theologiæ. Nam si ignarus sit, eam certitudinem accipit à consultatione sapientum, & piorum hominum; & sic manet practicè certus, se non debere ampliùs facere. Vide, quæ dixi *cap. præced. nu.* 195.

256 Jam verò falsitas, quam meæ doctrinæ attribuit adversarius, consistit in eò, quod Pictor, quamvis re vera nullam habeat certitudinem de rectitudine operationis; ubi ea affectata certitudine sibi proponitur ut certum, quòd non peccat, nullum erit peccatum. Quod quantum distet à mea doctrina, quilibet judicabit.

257 Ea autem doctrina, quam mihi affingit adversarius, perversa est, atque damnabilis, & implicatoria. Implicat enim contradictionem, sicut, quòd intellectus rationalis assentiatur advertenter duplici extremo contradictorio, ita etiam quòd proponatur intellectui aliquid tamquam certum, & non ex principiis certis, sed ex certitudine affectata. Quod enim dicebant Gnostici, eum, qui committit homicidium, vel adulterium, non peccare, si sibi persuadeat non peccare, in locutionem cadere id potest, non in intellectum.

258 Etenim intellectus non potest resistere certitudini ortæ ex lumine naturali (abstraho à casu raro hominis stolidissimi, & loquor de communiter accidentibus) quia videt, adulterium esse illicitum. Si ergo certo videns, adulterium esse illicitum, sibi persuaderet esse licitum, assentiretur duplici extremo contradictorio: haberet enim assensum ad hoc, quòd sit licitum, & assensum ad hoc, quòd non sit licitum.

259 Similiter in nostro casu, si non ex principiis certis, sed ex certitudine affectata, proponeret sibi intellectus aliquid tamquam certum; daretur implicatio contradictionis. Etenim intellectus non potest reddi certus nisi ex principio certo; aliunde autem affirmatur certus ex certitudine affectata: esset ergo certus. & non esset certus. Quomodo ergo cadere potuit in mentem meam ea doctrina contradictione plena? Aut quomodo adversarius non opposuit nobis eam implicationem contradictionis.

260 Et quidem, quòd, quando certitudo non est affectata, sed habita ex præmissis certis, verificetur, quòd ubi sibi tamquam certum proponitur, quòd non peccat, ibi nullum sit peccatum; meridiana luce clarius est. Quod sic demonstro. Qui habet conscientiam certam de rectitudine operationis, non peccat, id operando: sed ubi Pictori proponitur tamquam certum se non peccare, habita certitudine ex principiis certis; habet conscientiam certam de rectitudine operationis: ergo ubi pictori proponitur tamquam certum, se non peccare, habita certitudine ex principiis certis; non peccat. Quod autem in nostro casu procedat Pictor cum certitudine habita ex principiis certis, constat ex illis verbis præmissis, *certò scit, se se non peccare sequendo opinionem probabilem*. Non enim potest id certò scire, nisi ex principiis certis jam explicatis.

261 Colligitur etiam hæc prævia certitudo, quæ datur in pictore ex verbis ferè immediatis, quæ scripsi in eo *art. 11. num.* 330. hujus tenoris: [Aliud est, quando ex motivis tam directis, quàm reflexis probabiliter putaret, se re ipsa peccaturum, aut non esset ex dictamine reflexo certus, se non peccaturum. Tunc enim cùm non esset certus de peccato à se vitando, exponeret se periculo probabili peccandi, si sic operaretur.] Ubi vides, Pictorem esse antecedenter certum ex dictamine reflexo, se non peccaturum; non quia affectet certitudinem, neque quia pro libito proponatur id tamquam certum; sed quia dictamen reflexum cogit intellectum, ut sit certus. Ergo manifestè errat adversarius, dum meæ doctrinæ imputat certitudinem pro libito sibi propositam.

262 Eadem certitudo prævia, quam statuo in eo, qui utitur opinione verè probabili, constat clarissimè ex tota ea *disp.* 15. & præcipuè *cap. 4. artic. 5.* & 6. fundamenta autem, ex quibus hanc certitudinem haurit dictamen illud reflexum, quod Pictori proponitur ut certum, proponuntur *cap. 7.* & sequentibus ejus disputationis. Et hæc omnia vidit, & legit adversarius. Quomodo ergo cadere potuit in mentem adversarii, me dixisse, eum Pictorem habere dumtaxat certitudinem pro libito sibi propositam? Vide ergo, quàm parum fidat adversarius suæ opinioni; quam falsis imposturis conatur promovere.

263 Relege prætereà ea verba, quæ scripsi *ibid. nu.* 230. [Asserendum primò, hoc dictamen universale reflexum esse omnino certum. *Licitum est sequi in praxi quamcumque opinionem practicè probabilem*, Cujus certitudinem late ostendemus in capitibus sequentibus.] Ergo loquimur de certitudine dictaminis reflexi, non pro libito affectata, sed ostensa, & demonstrata in capitibus sequentibus.

264 Vides, Lector optimè, quo modo adversarius immane falsitatis, & absurditatis monstrum mihi immeritissimo affingat. Nonne consultius esset Jacobo (quandoquidem fatetur, pro obscuritate mei textus, se illum non intelligere, immò neque ominari posse, quid ipse velim) incumbere in intelligentiam contextus, antequam tam acri censura damnaret, & meam doctrinam cum hæreticali confunderet.

265 Sed videamus, qua consequentia in his procedat adversarius. Docet in probabilibus sequendam esse strictiorem partem pro lege, illa quidem dubitabili, & incerta contra libertatem. Sed numquid ipse in rebus certis sequitur eam partem, quæ est pro libertate con-

contra legem certam, & indubitatam? Instituo hanc quæstionem, an licitum sit, comparare virum Religiosum, & non indoctum cum Simone Ma[illegible]o, cum Valentinianis, cum Gnosticis, & aliis hæreticis nostri ævi; & proiicere in illum indecora verba, & falsò illi attribuere perversam, & insanam doctrinam? In hac quæstione lex naturalis certa, & indubitata præcipit, nihil tale faciendum. Et tamen in ea quæstione Jacobus à S. Dom. sequitur eam partem, quæ est pro libertate & crimine, contra legem certam & indubitatam. Ergo, *Medice, cura te ipsum. Et judicans alium, condemnet semetipsum.* Præterea qui in probabilibus acriter digladiantur, ut sequamur partem strictiorem; & evidentem legem Charitatis erga proximum violant; caveant sibi ne coram Deo adnumerentur illis, *qui alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt super humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.*

266 Idem inconsequentiæ genus cernitur in eo, quòd aliud doceat de judicio temerario, & aliud sequatur in praxi. Etenim (ut vidimus *cap. 1.*) ipse *cap. suo 9.* attribuit meæ doctrinæ eam enormissimam imposturam, quòd docuerim, ad probabilitatem sufficere fundamentum judicii temerarii; & hanc esse prudentiam, quam usui probabilitatis attribuo. Qua occasione data, acriter invehitur in judicia temeraria; & posset multo acrius invehi. Et tamen descendens ad praxim multa judicia temeraria efformat adversùs meam doctrinam: ergo inconsequenter procedit, dum aliud docet, & aliud præstat in praxi.

267 Minor demonstratur. Illud est judicium temerarium, quòd absque fundamento judicat de dicto, vel facto alterius: sed iste adversarius absque fundamento judicat, meam doctrinam continere eas falsitates, quas non continet; ut clarè constat ex omnibus præjactis: ergo ipse in praxi exercet judicium temerarium, quod ipse adeò condemnaverat. Ergo, *Medice, cura te ipsum, & judicans alium, condemnet semetipsum.*

ARTICULUS III.

Ejusdem propositionis sensus innoxius, independenter à subjecta materia de Probabilitate.

SUMMARIUM.

An ea vox certum sumatur primò, ut subest rectæ rationi? nu. 269.
Secundò, ut subest conscientiæ erroneæ invincibili? nu. 270.
Tertiò, ut subest conscientiæ erroneæ vincibili? nu. 271.
An quatenus ea vox certum subest conscientiæ erroneæ invincibili, propositio sit vera? n. 272.
An in casu ignorantiæ invincibilis malitia non sit voluntaria? nu. 273. & seq.
An ea sit doctrina S. Thomæ? nu. 275. & seq.
An si quis ex ignorantia invincibili peccaret, inferatur, quòd Deus juberet impossibilia? n. 274. & seq.

268 QUæritur in præsenti, de hac propositione, *Ubi tamquam certum sibi proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum*; an independenter, & abstrahendo à subjecta materia de probabilitate, ea propositio, ut jacet, habeat sensum innoxium, verum, immò & omnino certum.

269 Itaque hæc propositio, ut jacet, triplici modo potest considerari. Primò quatenus ea vox *certum* subest rectæ rationi. Et, si hoc modo sumatur, nulla est difficultas; quia ubi tamquam certum sibi proponitur, quòd ex recta ratione certum est, in aliqua operatione non esse peccatum, indubitabile est, quòd nullum penitus sit peccatum; quo pacto procedit explicatio tradita *in art. praced.*

270 Secundò potest considerari ea vox *certum*, ut subest conscientiæ erroneæ invincibili; ita ut qui censet invincibiliter, mendacium esse licitum; firmiter, & absque formidine adhæreat ei dictamini; dicaturque id sibi proponi ut certum.

271 Tertiò potest considerari ea vox *certum*, ut subest conscientiæ erroneæ vincibili, & culpabili; ita ut qui vincibiliter judicat, mendacium, vel homicidium esse licitum, adhæreat firmiter, & absque formidine ei dictamini; dicaturque id sibi proponi, ut certum. Neque inveniri potest modus alius, nisi fictitius, quo se habere possit, aut considerari is terminus *certum*. Cùm ergo de primo modo non sit dubitatio, ut perpendenti patebit; restat, ut dicamus de ea propositione, ut subesse potest aliis duobus modis.

272 Igitur dicendum est, quòd ubi alicui proponitur tamquam certum, nempe ex conscientia invincibiliter erronea, non esse peccatum in aliqua operatione, nullum penitus est peccatum. Demonstratur primò, ibi nullum est peccatum, ubi malitia non est voluntaria: sed in casu hujus propositionis malitia non est voluntaria; ergo in casu hujus propositionis nullum est peccatum. Consequentia est evidens. Et majori nihil est evidentius.

273 Minor probatur. In casu hujus propositionis malitia non est volita in se, neque in errore intellectus: ergo nullo modo est voluntaria. Quòd malitia non sit volita in se, patet: quia nihil volitum, quin præcognitum: atqui quando quis putat certum, quòd operatio est recta, nullam malitiam cognoscit: ergo nullam malitiam in se ipsa vult.

274 Quòd verò in eo casu malitia non sit volita in errore intellectus, probatur, & simul explicatur in discrimine, quòd intercedit inter errorem vincibilem, & invincibilem. Nam cùm datur error vincibilis de rectitudine operationis, quæ à parte rei mala est, tunc malitia est voluntaria, quia licet non sit volita in se, est volita in errore, quatenus ex negligentia voluntatis non vincitur talis error vincibilis. Cùm vero non sit in potestate voluntatis vincere errorem invincibilem, malitia, quæ est à parte rei, & non cognoscitur, non potest imputari voluntati.

275 Confirmatur ex S. Thoma 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. corpore, ubi ait: *Dictum est enim supra, quòd ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non. Et quia bonum, & malum morale consistit in actu, in quantum est voluntarius, ut ex præmissis patet; manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni, & mali moralis.* (Intellige respectivè, si ignoratur bonum, tollit rationem boni, & si ignoratur malum, tollit rationem mali.) *non autem illa, quæ involuntarium non causat. Dictum est autem supra, quòd ignorantia, quæ est aliquo modo volita, sive directè, sive indirectè, non causat involuntarium: & dico, ignorantiam directè voluntariam, in quam actus voluntatis fertur; indirectè autem propter negligentiam ex eo, quòd aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur, ut supra dictum est. Si igitur conscientia erret errore voluntario, vel directè, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quòd quis scire tenetur, tunc talis error rationis, vel conscientiæ, non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiæ sic erranti sit mala.* Ecce S. Thomas docet, errorem non excusare à peccato, quando est voluntarius directè, vel indirectè.

276 Deinde immediatè docet, quando error neque directè neque indirectè est voluntarius, ejusmodi errorem excusare à peccato. *Si autem sit error, qui causat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumstantiæ absque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conscientiæ excusat, ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala.*

277 Constat ergo ex mente Angelici præceptoris, ubi error est directè, vel indirectè voluntarius, illum non excusare à culpa. Ubi autem error est involuntarius, qualis est invincibilis, illum taliter excusare, *ut voluntas concordans rationi erranti non sit mala.* Ergo qui ex errore invincibili putat certum, operationem esse honestam, nullum committit peccatum.

278 Et nota, cùm dicit S. Thomas, *involuntarium procedens ex ignorantia alicujus circumstantiæ*; id positum esse exempli causa, non enim loquitur S. Thomas de sola ignorantia circumstantiæ: quidquid in contrarium velit Jacobus à S. Dom. *cap.* 10. *num.* 26. quia ex contextu patet doctrinam esse generalem de omni errore, qui neque directè, neque indirectè est volitus; atque adeò de omni errore invincibili. Posuit autem exemplum in errore circumstantiæ: quia de lege naturali certa raro contingit error invincibilis. Sed hoc non tollit, quominus nos loquamur de eo casu raro.

279 Demonstratur secundò: Si ille, qui ex conscientia erronea invincibili putat certum, operationem esse rectam, adhuc peccaret; Deus juberet impossibilia: atqui hæreticum est dicere, Deum jubere impossibilia: ergo non peccat ille, qui ex conscientia erronea invincibili putat certum, operationem esse rectam. Minor, & consequentia manifestæ sunt.

280 Sequela probatur. Si ille peccaret, violaret Dei præceptum: sed peccaret, omittendo operationem sibi impossibilem fieri; vel faciendo operationem, quam sibi impossibile est omittere: ergo præceptum Dei esset de operatione, vel de omissione impossibili. Major, & consequentia patent.

281 Minor ostenditur, in casu, quo, quis errore invincibili putaret certum, licitum esse, & obligatorium mendacium pro tuenda vita proximi. Nam vel iste homo mentiendo peccaret, quia vult malitiam mendacii in se ipsa; & hoc implicat, quia velle non potest in se ipsa malitiam, quam nullo modo cognoscit. Vel peccaret, quia non amoveret à se errorem illum; atqui cùm ille error sit invincibilis, non est in potestate hominis illum amovere: ergo peccaret omittendo diligentiam, sibi impossibilem fieri.

ARTICULUS IV.

Dissatitur tertius modus, quo potest considerari ea vox certum in præfata propositione.

SUMMARIUM.

An in eam propositionem possit cadere is sensus, juxta quem ea vox certum subsit conscientiæ erroneæ vincibili? n. 282. & seq.
An error vincibilis afferat formidinē, & certitudo illum excludat? n. 284.
An error vinci non possit, nisi aliqua formido pulset animum? n. 285.
Egregia doctrina P. Vasquez. n. 286. & seq.
Et P. Suarez. nu. 288.
Et P. Thomæ Sanchez. n. 289.
Quomodo non sint absolvendi interfectores Apostolorum, eo quòd error erat vincibilis? nu. 290. & seq.

282 REstat ut dicamus de tertio modo, id est, ita ut ea vox *certum* consideretur, ut subest conscientiæ erroneæ vincibili: & sic quæstio est, an ubi tamquam certum proponitur alicui, ex errore vincibili, in aliqua operatione esse peccatum, nullum penitus sit peccatum?

283 Respondeo, hunc sensum non posse cadere in eam propositionem, neque posse proponi ut certum id, quod quis putat ve-

rum ex errore vincibili; & eo ipso quòd aliquid proponatur ut certum, unum è duobus fieri necesse est, vel quòd ut certum ex ratione recta, vel quòd proponatur ut certum ex ratione invincibiliter errante. Item eo ipso, quòd aliquid proponatur intellectui ex ignorantia vincibili, non posse proponi ut certum.

284 Probatur conclusio. Error vincibilis necessariò secum affert formidinem, vel rationem dubitandi, quæ pulsat animum in contrarium: sed certitudo vera, vel apparens omnino excludit formidinem, quæ pulsat animum in oppositum, ideòque non componitur cum formidine in oppositum: ergo certitudo vera, vel apparens non componitur cum errore vincibili. Ergo non potest proponi ut certum, quod proponitur cum errore vincibili. Minor, & consequentia patent.

285 Major probatur primò. Error vincibilis est ille, quem possumus, & debemus vincere: sed nisi aliqua formido pulset animum, non potest animus adhibere diligentiam ad cognoscendum verum, & deponendum errorem; nam qui adhibet diligentiam ad cognoscendum verum, ideò adhibet, quia non est securus, quòd assecutus sit verum: ergo error vincibilis secum affert formidinem, vel rationem dubitandi, quæ pulset animum.

286 Probatur secundò eadem major. Nam, ut docet P. Vasquez *in 1.2. disp. 123. cap. 2. num. 6. Illa ignorantia legis censenda est omnino invincibilis, cujus nulla notitia, nec ratio dubitandi in universum, aut peculiariter occurrit. Ut enim ibi (disput. 107. cap 3.) dicebamus, nisi naturaliter nobis occurrat aliqua dubitatio, vel notitia de re aliqua, non est in nostra potestate, de illa consultare, aut illam amplecti, & vincere*: ergo ut ignorantia sit vincibilis, occurrere debet aliqua ratio dubitandi, aut cogitatio, quæ afferat formidinem intellectui circà id, quod sibi proponebatur. Atqui eo ipso, quòd occurrat intellectui formido aut ratio dubitandi, quæ illum faciat formidare, intellectus non manet certus; non enim componitur certitudo, etiam apparens, cum formidine: Ergo quod intellectui proponitur tamquam certum, non potest ita proponi per errorem vincibilem.

287 Notatione digna sunt verba, quæ subjungit P. Vasquez ibidem. *Id, quòd nunc diximus, & ex professo probavimus supra disp. illa 107. cap. 3. nempe tunc esse ignorantiam, vel inconsiderantiam invincibilem, quando nulla subiit cogitatio, aut ratio dubitandi; primum docuimus in nostro collegio complutensi anno Domini 1581. quòd, quamvis aliquibus viris doctis paulò post, primo aspectu, visum fuerit difficile, tandem re bene perspecta, & rationibus expensis, non solùm probarunt, sed etiam scripto docuerunt, & tamquam propriam doctrinam tradiderunt: ut vel inde discant, non nisi maturo judicio aliorum opiniones notare.*

288 Eamdem doctrinam tradit P. Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 8. num. 18* Cujus rationem sic proponit: *Ratio autem naturalis est quia non potest homo sese applicare ad aliquid considerandum, vel addiscendum, nisi præcedat cogitatio aliqua, qua possit voluntas moveri: quia homo non se applicat, nisi per voluntatem: & voluntas non potest se movere, nisi prævia cogitatione. Propter quod ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio, quæ propterea non poterit esse voluntaria, sed rationalis, & ab extrinseco proveniens: ergo quando nulla talis cogitatio in mentem subiit, qua possit voluntas excitari ad appetendam, vel quærendã scientiam, vel considerationem, non est in potestate hominis, se ad illam movere, & consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est involuntaria, ac propterea inculpabilis, & invincibilis*. Quam rationem existimo esse demonstrativam. Et quidem cùm hæc duo fulmina belli scholastici Suarius, & Vazquius conveniunt tam asseveranter in una conclusione, ego eam semper tamquam certam, & indubitatam amplector.

289 Quod idem tradit P. Thomas Sanchez *lib. 1. sum. cap. 1. num. 7. & 8. & cap. 16. num. 21.*

290 Et hinc patet evidens solutio ad illa duo, quæ opponebat adversarius in illa sua fulminante periodo: quòd si nullum penitus est peccatum, ubi alicui proponitur tamquam certum, in aliqua operatione non esse peccatum; *essent absolvendi ab omni culpa interfectores Apostolorum, qui arbitrabantur se obsequium præstare Deo*; sicut & Judæi volentes occidere Paulum.

291 Respondeo ergo, non esse immunes à culpa interfectores Apostolorum, quia quamvis arbitrarentur se obsequium præstare Deo, id arbitrabantur per errorem vincibilem, quem necessariò comitatur ratio dubitandi, & formido; atque adeò non poterat proponi illis ut certum, se obsequium præstare Deo.

292 Quod autem error in illis esset vincibilis, & associatus ratione dubitandi, immò multis rationibus dubitandi, patet. Nam stupenda miracula, quæ fiebant per manus Apostolorum, & insignis vitæ, atque morum sanctitas, & puritas, sanctitasque doctrinæ; non poterant non generare in mentibus inimicorum saltem dubitationem, vel formidinem de atrocitate suæ voluntatis occidendi illos. Cùm ergo arbitrarentur se obsequium præstare Deo, cum formidine, immò cum multis rationibus dubitandi, non poterat proponi illis tamquam certum, quòd obsequium præstabant Deo. Et idem dicendum est de Judæis volentibus occidere Paulum.

ARTICULUS V.

An in eam propositionem cadere possit sensus hæreticalis de certitudine affectata?

SUMMARIUM.

Quo modo ea propositio longè distet à sensu hæreticali? n. 294.

Quo modo hæretici jactabant certitudinem affectatam contra certitudinem mentis? nu. 295.

Quo modo ea propositio incapax sit illius sensus? nu. 296. & seq.

Quid de hæreticis asserentibus, quòd certi essent se esse in statu gratiæ? nu. 300.

An paritas desumpta à Simone Mago saltet extra chorum? n. 302.

293 Dixi *art. 3.* præter tres illos modos certitudinis, quos perpendimus circà eam propositionem notatam ab adversario, non posse quartum alium considerari, nisi fictitium. quia quartus iste modus certitudinis, quem modo discutimus, vere fictitius est, atque chimæricus, sed necessariò examinandus.

294 Enim verò cùm adversarius opposuerit nobis, eam propositionem, *non satis abesse ab horum hæreticorum audacia, seu temeritate*; nec ipse explicuerit, quis sit sensus, in quo mea propositio assimiletur ei audaciæ hæreticali; restat, ut inquiramus sensum doctrinæ hæreticalis, ut videamus quàm longè, & quàm *satis* distet ab eo sensu hæreticali.

295 Igitur Gnostici, & Valentiniani, homicidium, adulterium, perjurium clarè cognoscebant esse delicta, dictante lumine rationis, quod in natura rationali non poterat esse extinctum. Jactabant tamen se non peccare, si ex opinione, vel fide, aut securitate conscientiæ putarent se non peccare. Quare cùm certi essent de malitia eorum delictorum, non poterant habere certitudinem, aut opinionem de opposito, nec de honestate earum operationum, nisi solùm affectatam; & voce tenus jactatam.

296 Vide ergo, quo modo mea propositio, non modò non est capax ejus sensus; sed etiam millenis intervallis distat ab eo sensu. Nam quando contra certitudinem intellectus de malitia objecti, affectatur certitudo de bonitate morali illius; hæc certitudo affectata verbo tenus habetur, nec residet in intellectu; quia impossibile est, quòd intellectus rationalis assentiatur duplici extremo contradictorio, qualis est malitia moralis, & carentia malitiæ moralis. Habebant ergo in intellectu cognitionem certam malitiæ; & verbis jactabant certitudinem, vel opinionem de carentia malitiæ.

297 Compone ergo meam propositionem cum ea doctrina hæreticorum. Juxta meam propositionem, ubi tamquam certum alicui proponitur, licitam esse operationem, nullum est peccatum: sed illis hæreticis non proponitur tamquam certum, licitum esse adulterium, sed dumtaxat jactatur mendaciter, ut certum: ergo tantùm abest mea propositio à doctrina hæreticorum, quantum abest veritas à mendacio.

298 Deinde mea propositio loquitur de eo, quod proponitur intellectui ut certum; & doctrina hæreticorum loquitur de eo, quod solo verbo tenus jactatur, ut certum: ergo nihil habet commune, vel simile mea propositio cum falso dogmate hæreticorum.

299 Tertiò id, quod dicitur certum certitudine affectata, & pro libito, non proponitur intellectui ut certum: sed quòd adulterium sit licitum, solùm est certum apud hæreticos certitudine affectata, & pro libito: ergo quòd adulterium sit licitum, apud hæreticos, non proponitur intellectui ut certum. Ergo cùm loquitur mea propositio de eo, quòd proponitur intellectui ut certum, implicat, quòd ibi intelligatur bonitas moralis adulterii, ex certitudine affectata, & mendacii.

300 Multò minus favet mea propositio hæreticis asserentibus, se posse esse certos, quòd sint in gratia, dũmodo hac de re habeant certã fidem, aut persuasionem, de remissione peccatorum sibi indulta. Dixi, *multò minus*, quia aliud est judicium conscientiæ requisitum ad operandum; & aliud est judicium speculativum, quo quis putet se esse in gratia. Et siquidem Gnostici, possent habere judicium certũ, saltem ex errore invincibili, quòd adulterium esset licitum; propter hanc conscientiam invincibiliter erroneam non peccarent: & ideò non excusantur à peccato, quia non possunt habere certitudinem, vel opinionem de honestate morali adulterii, propter certitudinẽ, quam à lumine naturali accipiunt de malitia adulterii. At verò isti hæretici nostri temporis non loquuntur de judicio practico conscientiæ; sed de speculativo: in quo tam sunt stolidi, quàm homo, qui diceret, se habere pennas ad volandum, ex eo quòd sibi certò persuadet, se iis pennis præditum esse. Cùm ergo mea propositio loquatur de judicio practico conscientiæ verissimo, & solidissimo, ut probatum manet, & isti hæretici loquantur de judicio speculativo, illo quidem stolido, & stultissimo; quid habent sidera commune cum stercore?

301 Deinde illud maximè desidero in hoc scriptore, ut aliqua ratione, saltem apparenti, probet ea, quæ dicit: ostendat ergo nobis, quo modo hæc illatio sit bona, aut saltem verisimilis: [Ubi tamquam certum alicui proponitur, in operatione à se præstanda non esse peccatum, nullum penitus est peccatum: ergo ubi certum alicui proponitur, se esse in gratia, ille est in gratia.] Quòd si hanc infert, inferat & istam: ergo cui certum proponitur, se habere alas, habet alas.

302 Quod affertur ex Simone Mago, saltat omnino extra chorum. Vel dicat mihi adversarius, quo modo bona, aut saltem apparens sit hæc illatio? [Ubi tamquam certum alicui proponitur in operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum: ergo homines sunt liberi à legibus, & liberè possunt agere, quæ velint.] Numquid judicium conscientiæ dat libertatem hominibus ad operandum, quantumvis ad judicium procedat ex errore invinci-

vincibili? Immò judicium conscientiæ quamtumvis erroneæ invincibiliter constringit homines, ne malum faciant, & ut Dei præcepta exequantur. Habemus enim præceptum à Deo sequendi ductum conscientię, quamtumvis invincibiliter erroneæ. Et ideo S. Thomas 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. *ad* 2. *ait. Quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.*

ARTICULUS VI.

Syllogismus totam rem demonstrans.

NON EGET SUMMARIO.

303 Objecta ante oculos propositione, de qua loquimur, scilicet, *ubi alicui proponitur tamquam certum in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitus est peccatum*, sic procedit syllogismus demonstrativus. Judicium conscientiæ, sive rectæ rationis, sive rationis invincibiliter errantis, longissimè distat à sensu hæreticali: sed hæc mea propositio est judicium conscientiæ ejusmodi: ergo hæc mea propositio longissime distat à sensu hæreticali: Consequentia obligat, quia est syllogismi efformati in tertio modo primæ figuræ, quem Dialectici vocant Darii.

304 Ambas præmissas censeo evidentes. Et quidem major est indubitabilis. Nam ex præcepto Divino tenemur sequi ductum conscientiæ, non solùm rectæ rationis, sed etiam invincibiliter errantis, proponentis aliquam obligationem; & similiter sequi possumus similem conscientiam proponentem aliquam operationem, tamquam licitam; ut utrumque docent omnes Theologi cum S. Thoma 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. & 6. Quod autem omnes Theologi cum S. Thoma docent, evidens est, quòd longissimè distat à sensu hęreticali.

305 Jam verò minor non est minus evidens. Nam ut constat ex articulis præcedentibus, quòd proponatur alicui tamquam certum in aliqua operatione, non esse peccatum, non habet locum, nisi in ratione recta, vel in ratione invincibiliter errante: id autem quid aliud est, quam judicium conscientiæ, sive rectæ rationis, sive rationis invincibiliter errantis?

ARTICULUS VII.

Quotupliciter erret ea periodus relata?

SUMMARIUM.

An ea propositio trahatur in sensum insanum contra evidentiam contextus? nu. 306.
Quo modo adversarius pravum sensum attribuat sine probatione? n. 307.
An totum præsidium meæ doctrinæ sit in lege certa; & ubi deest lex certa, in probabilitate? nu. 308.
An implicet contradictionem, dum meam doctrinam arguit de temeritate? nu. 309.
An ea calumnia resiliat in adversarium? n. 311.
Quid senserit P. Suarez de ejusmodi censuris? n. 312.
Quo modo censura audaciæ resiliat in adversarium? n. 313.

306 Errat primò illa periodus, quòd propositionem sanæ doctrinæ traxerit in sensum insanum, contra evidentiam eorum omnium, quæ in præfata *disp.* 15. dicta sunt, nempe ad sensū præcipuè eorum hęreticorum, qui ex certitudine, vel opinione affectata sibi persuadebant, ea de licta esse licita; à quibus quàm longè absit præfata propositio, constat evidenter ex articulis pręcedentibus.

307 Errat secundò (& mihi est vehementi admirationi) in eo, quòd, cùm assertioni meæ affingat tam insanum, & absurdum sensum, non conetur probare, neque afferat aliquam, vel levem probatiunculam, ut suadeat, eum esse sensum ejus assertionis. Ut cum Sixto Papa loquar, qui multas passus calumnias ab Anicio Basso, & Mariniano, per Leonem Diaconum dixit: *Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit?* Numquid ergo debent credere Lectores, eum esse sensum; solùm quia adversarius id dicit? Numquid ergo conciliavit sibi totam authoritatem fidei humanæ, qui tot falsitates attribuit doctrinæ meæ, quot hucusque numeratæ sunt, & in sequentibus capitibus numerabuntur?

308 Errat tertiò, dum dicit *Totum præsidium* meæ doctrinæ esse, *non in lege, sed in sola probabilitate*. Quem errorem sic debet corrigere: *non in lege incerta, & dubitabili; sed in lege certa; & in defectum legis certæ, in probabilitate practica bene intellecta, & non qualiter intelligit adversarius*. Quæ postrema verba infrà explicabuntur. Itaque totum præsidium meæ doctrinæ sunt leges certæ, & certò obligantes, propter quas, ut existimo, non paucas opiniones aliorum à statu probabilitatis deturbavi. In defectum tamen harum legum certò obligantium admitto veram, & practicam probabilitatem.

309 Errat quartò, dum dicit, quòd *securn mihi regula est sola temeritas, vel sola audacia*. Et quidem hoc dicto implicat terminos, & contradictionem manifestam importat. Etenim mea doctrina requirit pro regula dictamen omnino certum de rectitudine operationis: sed temeritas, & certitudo secum afferunt prædicata contradictoria: ergo mea doctrina non affert pro regula temeritatem. Major constat ex ea *disp.* 15. præcipuè *cap.* 7. & *seq.* & constabit ulterius, ex *cap.* 18. Consequentia verò est inevitabilis.

310 Minor ostenditur. Etenim certitudo non habetur, nisi ex fundamento certo, & præmissis saltem moraliter evidentibus; temeritas autem est, quę caret fundamento, saltem gravi: sed quòd habeat fundamentum grave, & quòd careat fundamento gravi, sunt prædicata contradictoria: ergo temeritas, & certitudo secum afferunt prædicata contradictoria.

311 Numquid potius dicas de adversario, quòd in suis ipse verbis habeat pro regula temeritatem? Considera hunc syllogismum. Ille temerè procedit, qui procedit absque fundamento: sed adversarius, dum meæ doctrinæ affingit eum perversum sensum, procedit absque fundamento: ergo temere procedit. Major, & consequentia patent, & minor est evidens: quia adversarius meæ doctrinæ attribuit eum insanum sensum absque ulla penitus probatione: ergo absque fundamento. Deinde ex ipsomet contextu constat evidenter de contrario sensu ei, qui mihi affingitur: ergo absque fundamento mihi affingitur: ergo cum temeritate. Quę ergo est secura *regula* adversario, ad eum sensū mihi attribuendū? Numquid sola temeritas?

312 Et quidem qui expuit in cœlum, in faciem suam recipiat sputum, necesse est. Veritas jure merito vocatur cœlum. Numquid ergo qui solidam veritatem temeritatis nota inurit, ipse temerarius audiet? Audiendus est P. Suarez *disp.* 19 *de Fide sect.* 2. *nu.* 21. in hæc verba. *Sicut potest esse temerarium, aliquam simplicem propositionem asserere; ita erit temerarium, censuram temeritatis tribuere sine fundamento, quando propositio illam non meretur. Et tales censuræ sine discretione prolatæ scandalum generant, & injuriosæ sunt, quia & infamiam inurunt: & interdum inducunt alia incommoda, & detrimenta. Ideò prudens Theologus, ac timoratus diligentissimè observare debet, ut has censuras sine magno judicio non efficiat.* Ex quibus patet, censura temeritatis inurendum esse eum, qui propositionem veram, certam, & ab omnibus receptam de temeritate notavit. Sed quid diceret P. Suarez, si sanguinolentas reliquas censuras, quæ sequuntur, audisset?

313 Quintò errat in eo, quòd asserit, regulam meæ doctrinæ esse *audaciam*. Quod propter proximè dicta est evidenter falsum. Numquid prætereà id maximè convenit in adversarium? Et quidem S. Thomas 2. 2. *q.* 127. *art.* 1. *ad* 2. agens de audacia, ait: *Ad 2. dicendum, quòd operatio festina laudabilis est post consilium, quod est actus rationis: sed si quis ante consilium vellet festinè agere; non esset hoc laudabile, sed vitiosum. Esset enim quædam præcipitatio actionis, quod est vitium prudentiæ oppositum.* Juxta quam S. Thomæ sententiam, ille inficitur vitio audaciæ, & præcipitationis actionis, qui ante consilium, & maturam deliberationem festinat ad aliquam actionem: sed adversarius ante consilium, & maturam deliberationem festinavit ad attribuendum sensum insanum meæ doctrinæ: ergo adversarius inficitur vitio audaciæ, & præcipitatione actionis. Major est S. Thomę, & consequentia ligat.

314 Minor ostenditur. Nam adversarius, qui ad primum aspectum deterritus est, & obstupefactus sua prava intelligentia, si semel & iterùm legisset verba, quæ ipse refert, & attenta mentis indagine considerasset; in illis invenisset, suam primam deceptionem non posse subsistere, videlicet, quòd ubi Pictori proponitur pro libito tamquam certum, se non peccare, ibi nullum est peccatum. Nam in verbis antecedentibus affirmatur certitudo prævia, quæ non sit pro libito Pictoris: dicitur enim in verbis antecedentibus, *certò scit, se non peccare, sequendo opinionem probabilem*. Et qui antecedenter habet scientiam, & certitudinem de aliquo objecto, non habet certitudinem affectatam, neque pro libito. Ergo absque consilio, & ante consilium festinè præcipitavit actionem interpretationis meæ doctrinæ in sinistrum sensum. In sinistrum ergo interpretem resilit audaciæ vitium, & convicium.

315 Sextò errat, dum ait, *vix credebam oculis*; quia res hæc non erat committenda solùm officio oculorum, sed attenta mentis acie consideranda, ne tam turpiter laberetur in interpretationem à meo textu alienissimam. Certè si oculus ejus fuisset simplex, totum corpus mei contextus lucidum sibi apparuisset: sed quia eum aspexit oculo nequaquam, & animo infenso, ideo totus ei visus est tenebrosus. Aperiat ergo oculum simplicem adversarius, & videbit, in eo casu inesse Pictori certitudinem, non affectatam, aut pro libito, sed veram & moraliter scientificam. Et nisi velit claudere oculos luci, conspiciet doctrinam *ab effrænibus opinionibus, & impudorata hæreticorum inverecundia*, toto cœlo abhorrentem.

ARTICULUS VIII.

Alia errata ejusdem periodi.

SUMMARIUM.

An debuerit probare pravitatem sensus? n. 316.
An adversarius excitaverit tempestatem contra veritatem solidissimam? num. 317.
Quantus error insit in subsequentibus conviciis? n. 318. & seq.
An qui has censuras fert, non consulat famæ suæ? n. 326.
An comparatio judicii speculativi stolidi barapitorum cum judicio practico Theologorum saltet extra chorum? n. 327.

316 Errat septimò in eo, quòd dicit, *Perpende hæc verba, lector, & obstupescere.* Ubi jubet lectorem perpendere, & obstupescere, ante quam argumento aliquo probaverit, in contextum meum cadere eam insanam interpretationem de certitudine

pro libito habita, qualem volunt statuere hæretici: vel similem aliam hæreticalem: cùm deberet prius probare, eum esse verborum legitimum sensum, super quem posteà caderet stupor. Sed si præcedit stupor mentis, quo modo relinquetur locus intelligentiæ?

317 Errat octavò, dum invocat cœlum, & terram, inclamans *Sanctos Patres, & pios doctores* quasi velit defendere Ecclesiam Catholicam, *à revocandis effrænibus opinionibus jam dudum extinctis*. & ab *impudorata hæreticorum inverecundia*; scilicet Simonis Magi, Valentinianorum, &c. Sed quis revocat has effrænes opiniones, & impudoratam hæreticorum inverecundiam? Numquid Cardenas revocat? & quo modo revocat; nempe per propositionem, quæ nihil aliud continet, quam judicium conscientiæ, sive rationis rectæ, sive rationis invincibiliter errantis, quam utramque tutissimè sequitur voluntas. Errat ergo adversarius, excitando procellam adeò immanem contra solidissimam veritatem; sicut erravit Æolus (si licet uti veterum fabulis, comparationis gratia) commovendo totam ventorum vim contra immane saxum, quod prominebat in Oceano. Ita ut mihi dicere liceat cum Chrysostomo, cùm damnationem quorumdam Episcoporum subiit: *Multi quidem fluctus, & unda immanes: sed submergi non vereor, quia super petram (*veritatis*) sto. Insaniat licet mare; petram non potest commovere.*

318 Errat nonò, in iis verbis, quibus significatur, à me revocari *impudorata hæreticorum inverecundia*. Quæ verba adeò exorbitant à modestia viri Religiosi, ut pudeat me, licèt enormiter læsum, talia verba in suum authorem retorquere.

319 Errat decimò, in iis verbis, *quæ omnia spernit*. Siccine spernit omnia, qui sequitur judicium conscientiæ, cujus sequelam omnes Theologi præcipiunt, & quòd unicum indicat mea propositio? Vel potius spernere omnia dicendus est, qui omnium Theologorum sententiam spernit?

320 Errat undecimò, in comparatione meæ certissimæ assertionis cum libertate peccandi, quam indicebat Simon Magus. Numquid omnes Theologi libertatem peccandi prædicant, dum docent sequendum esse judicium conscientiæ, sive rationis rectæ, sive rationis invincibiliter errantis; quòd etiam docet mea propositio? Numquid non propius accedit ad eam libertatem peccandi, qui virum Religiosum, Theologiæ non imperitum, tam atrocibus censuris infamat? Nonne tenetur infamator ad resarciendam injuriam, qui tam apertè violavit Justitiam? Sane lepida res est, & risu digna, quòd adversarius consulat aliis, ut quando lex est incerta, stent pro lege, & sequantur strictiorem partem: quando verò urget lex certa non infamandi proximum, ipse rigidus consultor legem violet. Audiendus est S. Cyprianus *lib. 1. epist. 1. Non qui audit, sed qui facit convicium, miser est: nec qui à fratre vapulat, sed qui fratrem cædit, in lege peccator est. Et cùm nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui se facere credunt.*

321 Errat duodecimò, in comparatione meæ doctrinæ cum delirio Valentinianorum, & Gnosticorum; quasi eorum hæreses, ex mea assertione inferantur. Peccat ergo in dialecticam, & Theologiam, sicut peccat iste discursus: [Voluntas potest sequi judicium conscientiæ: ergo qui dictante conscientia scit, homicidium, & adulterium esse peccata; potest ex opinione, vel certitudine affectata, sibi persuadere, quòd in illis non peccat.] Antecedens enim est id, quòd continetur in mea propositione; consequens verò est doctrina eorum hæreticorum. Et sicut ex luce malè inferes tenebras; ita ex judicio conscientiæ malè inferes innocentiam affectatam contra proprium judicium conscientiæ. Sed quid, si diceremus, non procul esse à Valentinianis, & Gnosticis, qui contra propriam conscientiam virum Religiosum tam atrociter infamat? In quo non exercet munus scriptoris, sed detractoris. Ideo dixerim cum S. Bonaventura *in Apolog. pauper. respons. 1. cap. 1. Qui legit, agnoscat, quòd libelli hujus conscriptor, ut detractor loquitur, non ut Doctor, sane quia detractionis vitium excæcationem inducit.*

322 Errat decimotertiò, dum ait, meam *de Probabilitate doctrinam non satis abesse ab horum hæreticorum audacia, &c.* Eam propositionem meam, esse doctrinam omnium Theologorum, liquidò constat ex dictis. Doctrinam autem omnium Theologorum toto cœlo abesse ab audacia eorum hæreticorum solus cæcus non videt.

323 Errat decimoquartò, dum non explicat, quis, aut qualis sit sensus meæ propositionis, ut sic possit cum falsis hæreticorum dogmatibus conferri. Si enim explicuisset, facilius possem respondere, & ipse rationabilius impugnaret. Quare optimè dixit S. Thomas opusc. 10 ad postulata de articulis quadraginta duobus. *Fuisset mihi facilius respondere, si vobis scribere placuisset rationes; quibus dicti articuli vel asseruntur, vel impugnantur. Sic enim potuissem magis ad intentionem dubitantis respondere.*

324 Errat decimoquintò, in exemplo, quod affert de interfectoribus Apostolorum, & Judæis ambientibus necem Pauli; id enim exemplum saltat extra chorum. Si enim putabant, se obsequium præstare Deo, id erat ex errore vincibili; cùm tot signa haberent pro ratione saltem dubitandi. Quo pacto non poterit illis proponi ut certum, eam occisionem esse innoxiam. De quo vide supra *art. 4.*

325 Errat decimosextò, in eo, quòd jubet, *ut suam doctrinam emendet Cardenas*; cùm non sit meum emendare communem doctrinam Theologorum, à qua ne latum quidem unguem discedit mea propositio. Potius atroces suas censuras emendet Jacobus à S. Dom. *cùm superstes sit*, si vult conscientiæ suæ consulere.

326 Errat decimoseptimò, dum in his censuris ferendis, non consulit famæ suæ, quin potius illam deformat, dum constituere vult prope hæreticorum deliria doctrinam ab omnibus Theologis admissam. Et sibi imputet, quòd hanc sibi infamiam comparaverit; dum meæ doctrinæ infamiam conciliare voluit. Audiendus S. Augustinus, vel, ut alii malunt, S. Prosper in responsione ad articulos sibi falsò oppositos. *Quidam Christiana, ac fraternæ charitatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant.* Videat ergo adversarius, an suam existimationem evertat; & suæ existimationi prospiciens, emendet censuras, quas immeritissimè contra veritatem projecit.

327 Errat decimooctavò, in comparatione, quam molitur adstruere meæ doctrinæ cum delirio hæreticorum nostri temporis. Comparat enim judicium practicum conscientiæ ab omnibus Theologis admissum, quòd propositio promovet; cum eo delirio speculativo, hæreticorum, qui dicunt se esse in gratia, si sibi persuadeant, consequutos esse remissionem peccatorum. Vide, quæ dixi supra *art. 5.*

CAPUT III.

Alia impostura falsa de operatione contra conscientiam.

ARTICULUS I.

Proponitur periodus Jacobi.

SUMMARIUM.

An resistat propria conscientiæ, qui sequitur opinionem minus probabilem? nu. 332.

An adversarius omiserit verba, in quibus consistit solutio? nu. 333.

328 Sexta impostura, qua fædare conatur meam doctrinam, est, me asserere, quòd in electione opinionum possimus resistere propriæ conscientiæ. Nam eodem *lib. 1. c. p. 11. num. 6.* sic ait.

329 [Duas nobis actionum nostrarum proposuit Deus optimus regulas. Prima est lex æterna, cui in omnibus conformari debemus. Sed quia in pluribus hanc conformitatem minimè cognoscimus, aliam proximam, & notiorem Deus concessit normam, propriam scilicet conscientiam, (in cujus testimonium gloriabatur Apostolus) cujus vocem ita auscultare tenemur, ut ei debeat unusquisque, ceu pædagogo domestico à Deo sibi dato, obedire: quia, *quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quod fit propria reclamante conscientia, numquam caret culpa. Quid ergo egit Cardenas, ne ipse, aut quivis alius propriæ suæ audiret clamorem conscientiæ? Arte mirabili facultatem fecit unicuique, os obstruendi propriæ conscientiæ, dum ipsi laxitate intolerabili permisit, ejus voci, ac propriis illius monitis obsurdescere. Ipsum audiamus *pag. 226. n. 425. Si*, inquit, *una* (opinio) *proponatur intellectui ut probabilior, & altera ut minus probabilis: potest adhuc licitè homo accommodare se in praxi opinioni minus probabili, & si stet pro libertate contra legem: tum quia*, inquit, *potest judicare, fortè se decipi, censendo, esse probabiliorem.* Aliam addit rationem, adhuc pejorem, jamque supra confutatam, quòd scilicet *voluntas possit imperare assensum ad partem minus probabilem; quando de opposita convincentem non habet rationem.*

330 Si tempore passionis Christi hæc vaga probabilitas viguisset, ea Pilatus (qui ut loquitur S. Leo Papa, *judicium reliquit proprium, ut in crimen transiret alienum*) facinus suum excusare potuisset: licèt enim sciret, quòd *per invidiam Christum tradidissent*, quem alii bonum, alii vero seductorem dicebant; potuisset sibi persuadere, ut ait Cardenas, *fortè se decipi*, eumque esse dignum morte; & præcipuè Judæis, eorumque Principibus communi voce asserentibus, *se legem habere, secundùm quam mori debeat.*] Hucusque adversarius, qui remittit se ad append. 1. *conic. 6. nu. 5.*

331 Ubi sic ait: [Unum peto ab ipso (Terillo) an scilicet bonam non haberet intentionem, & cor bene affectum ille Propheta de quo 3. *Reg. cap.* 13. qui, ut loquitur D. Augustinus de cura pro mortuis, *se Deo obedire credebat*, recipiens ab alio hospitalitatis jura? Is tamen in pœnam inobedientiæ à Leone interfectus est. Hìc obtestor Terilli conscientiam, an speciosior unquam fuerit probabilitati locus, seu ratio agendi contra præceptum, quam in hac occasione? Prohibuerat Deus, ne in loco, quo missus fuerat à Deo Propheta, *panem comederet, aut aquam biberet*. Fideliter ille obtemperavit, sibique oblata ab ipso rege constanter recusavit Sed progressu itineris, Senex non minus ætate, quàm labore confectus, jacet sub Terebintho, ceu alter Elias sub Junipero. Ad eum accedit homo, qui se prophetam dicit, asseritque Dei nomine se monitum per Angelum, ut panem, & aquam ei subministraret. Quis non credidisset? certè id habuisset Terillus, ni fallor, pro morali demonstratione, & maximè urgente necessitate: & tamen severè à Justo Judice punitur.] Hucusque Jacobus.

332 Ex quibus constat eatenus meæ doctrinæ attribui, quòd doceam, licitum esse resistere propriæ conscientiæ, quatenus doceo, eum, qui judicat, aliquam opinionem esse probabiliorem, posse accommodare se opinioni minus probabili.

333 Sed ut moris est isti scriptori in referendis meis assertis, omisit in textu meæ Crisis relato ea verba, in quibus consistit adæqua-

adæquata solutio suæ objectionis: ne ergo lector decipiatur, relegat integrum textum ex eo *nu.* 425. [Si una proponitur intellectui ut probabilior, & altera ut minus probabilis, potest adhuc licitè homo accomodare se in praxi opinioni minus probabili, & si stet pro libertate contra legem. Tum quia potest judicare, fortè se decipi, censendo esse probabiliorem. Tum præcipuè, quia ex dictis *cap. preced. art.* 9. cùm motivum probabilius adhuc incertum sit, non cogit intellectum ad sui assensum; ideòque voluntas potest imperare assensum ad partem minus probabilem: quæ cùm habeat etiam rationes graves, & firmas, quibus nitatur, dici non potest assensus temerarius, sed prudens, & viro prudente dignus.]

ARTICULUS II.

Ad ostensionem veritatis præmittitur quidam casus practicus.

SUMMARIUM.

Casus, in quo Theologus censet, suum esse probabiliorem opinione S. Thomæ? nu. 334.
An Theologus iste possit accommodare se opinioni S. Thomæ? nu. 335.
An in hoc casu possit censere, fortè se decipi? nu. 336.
Quo modo inde inferatur, in eo casu non operari contra conscientiam reclamantem? n. 337.
An idem dici possit circà opinionem alterius Doctoris magni? n 338.

334 UT viam præmuniamus veritati, & responsio fiat evidentior, placuit hunc casum proponere. Titius filius Sempronii vult matrimonio sibi copulare Bertam virginem nobilem, ac divitem; sed tamen invito Sempronio, qui volebat, filium suum ducere aliam inferioribus dotibus preditam. Et ut Titius est timoratę conscientiæ, consulit Theologum confessarium suum, an possit licite non obedire Patri in electione matrimonii, possitque ducere eam fœminam, quam sibi multis nominibus magis expedire cognoscit? Præfatus Theologus, sciebat S. Thomam *in 4. dist. 29. qu. unic. art. 4. corp.* docuisse, filium non teneri obedire Patri, quu ad matrimonium contrahendum, nisi quantum ipsa justa causa ad id coegerit. Sciebat etiam Theologus oppositam sententiam esse Navarri, Emmanuelis Rodriguez, Ludovici Lopez, Capuc, quos refert P. Thomas Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 23. nu. 2.* & quidem Theologus iste censet, hanc secundam sententiam esse probabiliorem.

335 Quæritur ergo in hoc casu, an Theologus iste possit se accommodare sententiæ D. Thomæ, quam judicat minus probabilem; & ita consulere Titio, ut invito Parente ducat Bertam? an potius teneatur consulere Titio, juxta opinionem Navarri, & aliorum, quam censet probabiliorem; & suadere ei, ut ineat matrimonium pro libito Patris?

336 Si dixeris, Theologum non posse consulere, juxta sententiam S. Thomæ, quia censet minus probabilem; quære alium, qui tuæ resolutioni assensum præstet: ego enim libenter cedam judicio, & persuasione mea, ut opinioni S. Thomæ me accommodem, quin propterea timeam accusari de inobedientia contra conscientiam. Deinde quia ille Theologus magnam habet rationem, ut judicet, fortè se decipi, in eo, quod censet, esse probabiliorem suam opinionem præ opinione S. Thomæ.

337 Si autem propter hæc dixeris, posse Theologum in hoc casu judicare, fortè se decipi in eo, quòd probabiliorem censet suam opinionem; & ita consulere Titio juxta opinionem S. Thomæ; infero primo: ergo qui deponit suum judicium, & fidit judicio alterius, non operatur contra propriam conscientiam reclamantem. Evidens est consequentia: quia numquam licet contra conscientiam reclamantem operari.

338 Secundò. Ergo sicut Theologus iste potest deponere judicium suum, & stare opinioni S. Thomæ, ita etiam alius Theologus poterit deponere judicium suum, & stare opinioni Suarii, Vazquii, Thomæ Sancii, & aliorum Doctorum, qui sunt omni exceptione majores, juxta ea, quæ dixi in mea Crisi Theol. *disp.* 11. *cap* 7. Probatur consequentia. Ideo potest Theologus deponere judicium suum pro opinione S. Thomæ, quamvis censeat illam minus probabilem, quia ex una parte materia est incerta, & ex alia authoritas S. Thomæ est magna, ejusque fundamentum grave, & magni ponderis: sed idem contingit, proportione servata, in opinionibus eorum authorum: ergo idem de illis dicendum est.

339 Et hinc ulterius infertur, incumbere adversario exhibere solutionem suæ objectioni. Respondeat ergo, quo modo is, qui deponit judicium suum pro opinione S. Thomæ, non contradicat proprię conscientiæ Numquid corripiendus erit, quia judicat; fortè se decipi in eo, quòd putat, suam propriam opinionem esse probabiliorem? Numquid Pilato propterea conceditur prætextus, ut ipse dixisset, fortè se decipi in eredendo innocentiam Christi? Numquid Propheta ille, qui à Deo accepit evidens preceptum non comedendi, neque bibendi, donec egrederetur ex terra Israel, habebit prætextum inobedientiæ ex hac depositione judicii proprii pro opinione S. Thomæ.

340 Jubeo ergo Jacobū non affici angustia, neque merore, eo quòd in hoc casu contra illum retorqueantur argumenta: nam pro me, & pro illo responsionem dabo meridiana luce clariorem. Et sciat, totam vim solutionis consistere in illis verbis, quæ omisit ex meo textu, scilicet *cùm motivum probabilius adhuc incertum sit, non cogit intellectum ad sui assensum*; ut ex dicendis constabit.

ARTICULUS III.

Ostenditur, electionem opinionis minus probabilis non relactari judicio conscientiæ.

SUMMARIUM.

Prima demonstratio ex eo, quòd assensus probabilior non est judicium practicum conscientiæ? nu. 342. & seq.
Secunda demonstratio ex eo, quòd cùm judicium est incertum, potest homo accommodare se alieno judicio. Ubi an laudabile sit judicium alienum præferre proprio? n. 347.
An laudabile sit non niti prudentiæ propriæ? n. 348.
Demonstratio tertia ex eo, quod assensus de probabilitate afferat formidinem? n. 350.
Quarta demonstratio ex eo, quòd ad obedientiam spectat judicium proprium, licèt probabilius, subiicere judicio Prælati? n. 351.
Probatio ex S. Augustino? n. 352.
Probatio ex S. Ignatio? n. 353. & seq.
Demonstratio quinta ex doctrina P. Suarez, quòd inclinatio voluntatis facit apparere probabilius? n. 360. & seq.
Sexta demonstratio ex S. Bernardo? n. 363.

341 DIcendum est, & tamquam omnino certum tenendum, falsum esse, quòd adversarius attribuit doctrinæ meæ, scilicet electionem opinionis minus probabilis resistere judicio conscientiæ; & illum, qui talem opinionem reducit ad praxim, obstruere os propriæ conscientiæ, aut propriis illius monitis obsurdescere.

342 Demonstratur primò. Ille, qui caret judicio conscientię, impotens est pro tunc resistere judicio conscientiæ: sed qui habet præcisè assensum probabiliorem de honestate operationis, caret judicio conscientię: ergo qui habet præcisè assensū probabiliorem de honestate operationis, impotens est pro tunc resistere judicio conscientię.

343 Considera syllogismum, & comperies, eum constitui ex propositionibus pollentibus evidentia dialectica, & metaphysica. Consequentia enim evidens est, utpote syllogismi efformati ad amussim primi modi primæ figuræ syllogisticæ. Majori nihil metaphysicè evidentius, quia ei judicio, quod non est, non resistitur.

344 Minor admittitur ab adversariis, & per se est evidens: Nam judicium conscientiæ est judicium certum: sed assensus probabilior non est judicium certum: ergo qui præcisè habet assensum probabiliorem, caret judicio cōscientiæ. Itaque ut quis operetur sine periculo peccandi, necesse est, quòd habeat judicium certum de honestate operationis hic, & nunc eliciendæ. Nam si habet judicium dumtaxat probabile de honestate operationis hic, & nunc exercende, probabile tantùm erit, quòd hic, & nunc non peccabit: atque adeò manet expositus probabili periculo peccandi. Et hoc est unum ex argumentis, quibus adversarii oppugnare nituntur nostram sententiam. Dicunt enim conscientiam esse debere actum prudentiæ; prudentiam autem, cùm sit virtus, esse debere certam, & non opinativam dumtaxat.

345 Itaque juxta veram sententiam, quam amplectimur, qui habet assensum probabiliorem de honestate operationis, cùm intellectus non cogatur tunc evidentia veri, adhuc ille assensus est cum formidine; & cognoscit, fortè rem aliter se habere à parte rei: atque adeò potest judicium subiicere judicio aliorum sapientum Theologorum. Tunc ergo habet judicium certum conscientiæ, quod sequens sententiam aliorum sapientum non peccat Unde quamvis resistat assensui probabiliori, non tamen resistit judicio conscientiæ.

346 Demonstratur secundò. Si propter aliquid electio opinionis minus probabilis diceretur resistere judicio conscientiæ, maximè quia intellectus eam electionem faciens diceret, *fortè se decipi* in eo, quòd censet, oppositam opinionem esse probabiliorem: ex hoc autem capite non resistit judicio conscientiæ: ergo ex nullo capite resistit. Consequentia ligat, & major est adversarii.

347 Minor ostenditur. Quoties aliquod judicium mentis est incertum, potest intellectus licitè, & prudenter illud deponere, & accommodare se alieno judicio: quod plerumque laudabile est. In incertis enim practicabilibus laudabile est consultare viros sapientes, & prudentes; in quo casu laudabile est deponere judicium proprium, & stare alieno: tum quia phylautia, sive amor proprius excęcat mentem, ut persuadeat homini, suum proprium judicium præferendum esse alieno: tum quia inter viros prudentes vituperatur ille, qui nimium tenax est judicii proprii, quòd solet esse indicium superbię; sicut cedere proprio judicio est signum humilitatis. In his ergo casibus similium consultationum de rebus agendis, cùm quis judicium proprium postponit alieno, tunc intellectus dicit, fortè se decipi phylautia in eo, quòd existimet suum proprium judicium esse præstantius alieno.

348 Confirmatur. Nam proverbiorum *cap. 3. 5.* dicitur: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Ergo laudabile est, non inniti proprio prudentiæ judicio, scilicet in rebus incertis agibilibus; sed potius fidere

alieno: ergo tunc poterit dicere intellectus, fortè se decipi in judicando, suum judicium melius esse alieno. Ubi notandum est, quod observavit noster Salazar in hunc locum, scilicet, *vocem originalem Schan, idem esse, quòd baculo innitere, aut inniti. Itaque perinde est, ac si dicat: ne in prudentia tua, quasi in virga, vel baculo obfirmes te manum. Est quippe baculus arundineus, debilis, & fragilis.* Hucusq; Salazar. Juxta quem quia judicium prudentiæ nostræ de rebus agendis est incertum, *& quasi baculus arundineus, debilis, & fragilis*; ideò consulit nobis Deus, ne in illo innitamur. Quare prudenter procedit intellectus, dum dicit, *fortè se decipi*.

349 Ex quibus clarè colligitur, eum, qui sic deponit proprium judicium, & præfert alienum, non modo non reluctari judicio conscientiæ; verùm etiam in hoc prospicere monitis conscientiæ. Recta enim conscientia dictat nobis hoc consilium prudentium, ne innitamur prudentiæ nostræ, sed potius nostro judicio præferamus alienum, quoties ratio rerum agendarum obscura est, & incerta.

350 Demonstratur tertiò. Omnis assensus probabilis affert secum necessariò formidinem: sed plerumque (immò semper in conflictu opinionum probabilium) judicium, quo quis judicat, suam opinionem esse probabiliorem, est assensus dumtaxat probabilis; non enim habetur evidentia de majori probabilitate unius opinionis præ alia; nisi quando hæc caret fundamento gravi: ergo judicium, quo quis judicat, suam opinionem esse probabiliorem præ alia, affert secum formidinem. Sed formido explicatur per eos terminos *fortè se decipi*: ergo judicium, quo quis judicat suam opinionem esse probabiliorem alia, associatur eo actu formidoloso, quo dicit, fortè se decipi.

351 Demonstratur quartò. Ad virtutem obedientiæ, præsertim Religiosæ, spectat subiicere judicium proprium judicio Prælati, in rebus, quæ non sunt evidenter illicitæ: ergo si prælatus præcipiat aliquid, de quo sunt adversæ opiniones, & ego censeam meam opinionem esse probabiliorem, quòd res mihi præcepta sit illicita; & Prælatus ducatur opinione opposita; laudabile erit, quòd ego subiiciam judicium meum judicio Prælati. Hæc autem subjectio fit dicendo, *fortè me decipi*: ergo laudabile est plerumque, quòd dicam, *fortè me decipi*. Sed quod laudabile est, non resistit conscientiæ, immò vero cum illa maximè convenit: ergo quòd in eo casu dicam, *fortè me decipi*, non resistit conscientiæ, sed potius convenit cum illa. Quod autem Prælatus licitè præcipit, ipse potest exercere licitè: sed potest præcipere secundum opinionem minus probabilem: ergo potest extra obedientiam licitè exercere opinionem minus probabilem.

352 Primum antecedens ostenditur (nam cætera patent) ex sententia S. Augustini, quæ refertur in *cap. Quid culpatur* 23. *qu.* 1. ubi S. Augustinus asserit, militem subditum posse obedire suo Principi præcipienti, ut bellum gerat, dum miles non fuerit certus de injustitia belli Ecce verba S. Doctoris: *Rectè potest, illo jubente bellare, si vicem pacis ordinem servans; quòd sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est*. Tunc sic: sed quando miles habet opinionem, quam putat probabiliorem de injustitia belli, non est certus, utrùm sit contra Dei præceptum: ergo ex mente Augustini, quando miles putat, esse probabiliorem opinionem de injustitia belli, adhuc potest bellare; & judicium suum judicio sui Principis submittere.

353 Hanc doctrinam ab Augustino didicit S. Ignatius fundator Societatis Jesu, qui in materia obedientiæ magnam à Deo habuit illustrationem. Qui *part. 3. constitut. capit.* 1. § 23. Sic ait. *Conentur internas resignationes, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & judicii habere; voluntatem ac judicium suum cum eo, quod superior vult, & sentit, in omnibus (ubi peccatum non cernetur) omnino conformantes, proposita sibi voluntate, ac judicio superioris pro regula suæ voluntatis, & judicii*. Ubi notanda sunt ea verba. *Ubi peccatum non cernetur*.

354 Et in 6 *parte constitut cap.* 1. §. 1. explicat in quibus rebus obediendum sit Prælato. & ait: *Omnibus in rebus, ad quas potest cum charitate se obedientia extendere*. Et ibidem in declaratione (quæ eamdem authoritatem habet, ac ipsa constitutio) littera B. dicitur: *Hujusmodi sunt illæ omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum*. Ex quibus sic efformatur argumentum. Subditus debet subiicere judicium suum judicio Prælati, ubi nullum manifestum est peccatum: sed quando subditus judicat, suam opinionem esse probabiliorem, quòd actio præcepta non sit licita; & Prælatus judicat probabiliter illam esse licitam; ibi nullum manifestum est peccatum: ergo quando subditus judicat, suam opinionem esse probabiliorem, quòd actio præcepta non sit licita; & Prælatus judicat probabiliter, quòd sit licita, debet postponere judicium suum judicio prælati. Atque adeò tunc laudabile erit dicere, *fortè se decipi*, censendo suam opinionem esse probabiliorem.

355 Idem nobis tradidit Sanctus Pater *part. 4. constitut. capit.* 10. §. 5. iis verbis: *Non contradicendo: nec alla ratione judicium proprium*, *ipsius* (superioris) *judicio contrariam demonstrando*. Et par. 6. constitut. cap. 1. §. 1. illis verbis: *Ut sancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu, sit in nobis semper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate spirituali gaudio, & perseverantia, quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo; omnia justa esse, nobis persuadendo; omnem sententiam, ac judicium nostrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando*. Et notanda sunt ea verba, *omnia justa esse, nobis persuadendo*. Atque adeò licèt putemus, probabiliorem esse nostram sententiam, quòd injusta sit actio; omnia justa esse, nobis persuadere debemus, juxta rectam obedientiæ regulam. Vide quæ dixi in mea *Cris. disp.* 16. *cap.* 7. *à nu.* 95.

356 Neque in hac parte ullum potest remanere dubitationis vestigium in eo, qui legerit epistolam de virtute obedientiæ, quam S. Pater noster Ignatius scripsit, quæ inter constitutiones Societatis nostræ reponitur; cujus magna est authoritas, eo quòd Sanctus Spiritus circà virtutem hanc S. Ignatii mentem singulariter illuminavit. Nec vacat hic totam epistolam transcribere; nec tamen omnia, quæ de hac materia dixit, prætermitti oportet. Ait itaque §. 9.

357 *Qui verò se totum penitus immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque (qui tertius & summus est gradus obedientiæ) offerat necesse est, ut non solùm idem velit, sed etiam ut idem sentiat, quod superior; ejusque judicio subiiciat suum, quo ad potest devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animæ, tametsi non eo, quo voluntas pollet, libertatis præditu est; atque ipsa natura fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius, quàm in illam partem inclinari. Quæ res cùm inciderint, debet, quisquis obedientiã profitetur, inclinare sese in sententiam superioris.*

358 Et §. 11. sic ait: *Jam verò sicuti, & causa obedientiæ spectatur, quemadmodum voluntas, ita & judicium in eo, quod nobis convenit, decipi potest: ergo sicuti, ne voluntas erret, cum superioris voluntate conjungitur; sic intelligentia ne fallatur, ad superioris intelligentiam conformanda est. Ne innitaris prudentiæ tuæ; sacræ literæ monent. Atque in rebus etiam humanis, censent sapientes, verè prudentis esse, sua ipsius prudentia minimè fidere.*

359 Et §. 18. sic asserit. *Est igitur hæc ratio subiiciendi proprii judicii, ac sine ulla quæstione sanciendi, & collaudandi apud se quodcumque superior jusserit, non solùm sanctis viris usitata, sed etiam perfectæ obedientiæ studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjunctæ non sunt*. In quibus textibus aliqua notanda veniunt. Primum, quo modo subditus judicium suum deponere, illudque judicio superioris submittere debet. Secundum, ex secundo textu epistolæ, quòd intellectus *decipi potest*, & ideo superioris judicio subiiciendus. Quare non debet mirari adversarius, quòd dixerim, eum, qui putat suam opinionem probabiliorem, posse existimare, *fortè se decipi*. Tertium, quòd hanc judicii subjectionem postulat Sanctus Ignatius, ut constat ex ultimo textu, *omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjunctæ non sunt*. Sed qui putat suam opinionem probabiliorem, quòd actio præstanda sit illicitè, non agnoscit peccatum manifestum in ea; alioqui sua opinio non esset probabilior, sed certa, & manifesta: ergo cùm putat, suam opinionem esse probabiliorem, potest deponere suum judicium, & illud subiicere judicio superioris.

360 Demonstratur quintò, ex quadam doctrina, quam observavit P. Suarez t. 2. *tract. de Act. hum. disput.* 10 *sect.* 1. his verbis. [Quando autem est tale medium, quod non infert necessitatem, tunc potest movere voluntas (intellectum) ad assensum: & mihi probabile est, quòd non potest movere, nisi in illud, quod verosimilius, & probabilius apparet: quamvis ipsa *affectio voluntatis plurimum conferre possit*, ut ipsum objectum *probabilius, & verius* appareat.]

361 Ex quibus postremis verbis duas consequentias elicio. Primã. Ergo intellectus, qui judicat aliquam opinionem esse probabiliorem, potest credere fortè sibi apparere probabiliorem ex inclinatione voluntatis; cùm voluntas plurimum conferat, ut hæc opinio videatur probabilior. In tali ergo casu non multùm fidens ei probabilioritati, poterit deponere tale judicium de probabilioritate, & in oppositam partem inclinare. Quod erit sanum consilium ad perfectionem obedientiæ, quando subditus opinatur tanquam probabilius, esse illicitum, quod Prelatus precipit. Tunc enim potest subditus credere, illud sibi apparere probabilius ex inclinatione suæ voluntatis.

362 Secundam. Ergo si voluntas potest conferre plurimùm, ut aliqua opinio videatur probabilior; poterit subditi voluntas, ex sancta inclinatione erga præceptum Prælati, conferre plurimùm, ut opinio Prælati sibi tamquam probabilior proponatur. Poterit etiam quivis alius ex affectu ad humilitatem, voluntate sua inclinare taliter, ut judicium probabile alterius, sibi probabilius videatur, ut sic suum judicium judicio alieno postponat.

363 Notabis tamen hic ab aliquibus disputari. [An in sensu composito cum judicio de majori probabilitate unius contradictoriæ possit intellectus assentiri oppositæ?] In qua quæstione aliqui censent, id esse possibile: quia cùm opinio probabilior sit incerta, non cogit intellectum ad assensum; cùm iste cogatur solùm evidentia, aut certitudine veri: aliunde autem solvendo objectiones partis probabilioris, expeditus manere videtur intellectus ad assensum partis oppositæ.

364 Ab hac autem quæstione modò abstineo: quia ad rem meam sufficit, quòd qui judicabat probabiliorem unam partem, deponat id judicium; & hoc deposito assentiatur alteri parti, vel tamquam probabiliori, vel tamquam æquè probabili. Et hoc modo intelligendum est, quod dixi *in* 1. *part. Cris. disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 9. quòd inclinatione voluntatis potest intellectus flecti ad partem minus probabilem.

365 Demonstratur denique ex S. Bernardo *lib. de Præcept. & dispens.*

pens. c.9. ubi hæc verba habet: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Sed quando sententia verè probabilis affirmat, hanc actionem non displicere Deo; & probabilior affirmat displicere; adhuc non est certum displicere Deo: ergo quando Prælatus præcipit actionem, quam probabilior sententia affirmat displicere Deo; adhuc accipiendum est præceptum Prælati, ac si præcipiat Deus. Ergo etiam extra materiam obedientiæ fieri potest, quod sententia minùs probabilis præscribit. Hæc consequentia patet. Nam quæ Prælatus licitè præcipit, potest per se ipsum exercere: sed quando ipse exercet, id præstat extra obedientiam: ergo minùs probabilis sententia potest executioni mandari extra obedientiam.

ARTICULUS IV.

Quotupliciter erret periodus relata?

SUMMARIUM.

Falsò imputatur, quòd dicam licere resistere conscientiæ? n.366.
An cùm motivum est probabilius, non cogatur intellectus ad sui assensum? num.367.
Quomodo ex imperio voluntatis inferatur, quòd possit eligi pars minus probabilis? num 368.
Disparitas inter certum, & incertum? nu.369. & seq.

366 ERrat primò periodus, dum ait: *Arte mirabili facultatem fecit unicuique os obstruendi propriæ conscientiæ, &c.* Ubi mihi attribuit eam doctrinam, quod liceat resistere conscientiæ propriæ. Quod planè falsum est: nam ut constat ex dictis, spectat ad conscientiam deponere judicium suum, & subiicere alieno.

367 Errat secundò in eo, quòd prætermittit ea verba immediata, in quibus consistit vis, & fundamentum meæ assertionis: videlicet. *Cùm motivum probabilius adhuc incertum sit, non cogit intellectum ad sui assensum.* Ex eo enim quòd ratio motiva, & si probabilior, non rapiat intellectum ad sui assensum, potest deponere physicè, & licitè suum judicium.

368 Errat tertiò in eo, quòd dicit, addidisse me rationem adhuc pejorem, *quòd scilicet voluntas possit imperare assensum ad partem minùs probabilem.* Ratio enim, quam ego addidi, componitur ex duplici parte: Prima, ex eo, quòd voluntas physicè potest imperare assensum ad partem minùs probabilem: Secunda, quia opinio minùs probabilis habet pro se rationes probabiles, & viro prudente dignas. Et ex utraque simul propositione colligo, quòd potest licitè accommodare se opinioni minùs probabili. Adversarius autem prætermisit hanc secundam partem rationis, in qua stat vis, & nervus ratiocinationis.

369 Errat quartò, in paritate desumpta à Pilato; cùm inter certa, & incerta nulla sit paritas. Nam, ut dixi, qui certus est de objecto, non potest judicium suum deponere: & aliter contingit in eo, qui incertus est, eo quòd objectum non cogit intellectum ad assensum.

370 Errat similiter quintò, in desumpta paritate ab illo Propheta, qui certus erat omninò de præcepto sibi revelato, ut suprà dixi.

CAPUT VIII.

Impostura septima, quòd allegaverim S. Thomam pro opinione minùs probabili. Ubi multæ calumniæ circa hunc articulum refutantur; & vera mens S. Thomæ aperitur; & adversarium in hac quæstione esse antithomistam ostenditur.

ARTICULUS I.

Proponitur impostura, ejusque falsitas demonstratur.

SUMMARIUM.

An tempore S. Thomæ ventilata fuerit quæstio, de opinione minùs probabili? num.371.
Periodus continens imposturam. nu.372.
An nostra sententia de probabilitate contineat tres partes; & pro qua earum adduxerim S. Thomam? nu.373. & seq.

371 NE in cogitationem quidem mihi venerat citare D. Thomam pro sententia asserente, licitum esse deducere ad praxim opinionem minùs probabilem, ut constabit ex dicendis. Quia tempore S. Thomæ quæstio hæc non dum in scholas invecta erat. Et nihilominus Jacobus à S. Dom. imponit mihi id, quod neque in mentem venerat.

372 Nam *lib. 1. cap. 11. nu. 4.* sic ait. [Ut autem Angelicum Doctorem ex omni parte eripiamus ex Cardenæ manibus, asserentis, *licitum esse sequi opinionem, etiam minùs probabilem legi contrariam*; idque authore Angelico Doctore: notandum est, &c.] Et ibidem *num.* 10. ait. [Totus Cardenæ scopus in hoc consistit, ut scilicet ostendere possit, D. Thomam aliquando docuisse opiniones minùs probabiles libertati faventes, etiam legi contrarias, ut sic remissæ probabilitatis fidejussorem habere possit Angelicum Doctorem.] Sed hac impostura non contentus, solita sua amarulentia verborum affirmat, me corrupisse mentem S. Thomæ, verbis infrà *art.* 10. referendis.

373 Ut verò constet, illam imposturam esse planè falsam, notandum est, nostram sententiam habere tres partes. Prima est, in probabilibus nullo modo teneri nos sequi partem strictiorem pro lege incerta contra libertatem, sed posse uti opinione probabili favorabili, etiam in concursu oppositæ opinionis probabilis. Secunda pars nostræ sententiæ est, in æquè probabilibus posse nos eligere quamlibet. Tertia pars nostræ sententiæ est, posse nos sequi partem minùs probabilem, dummodo verè sit practicè probabilis; etiam in concursu probabilioris. Igitur in ea *disp.* 15. *cap.* 6. *art.* 4. *num.* 470. allegavi S. Thomam pro prima parte assertionis, non pro secunda, aut tertia. Sic enim ibi scriptum reliqui. [Cognita, & perspecta mente S. Thomæ in præcitatis textibus, relinquitur aperta probatio ex ipsius authoritate, qua constet, inter opiniones probabiles pro lege, & pro libertate, non adstringi nos ad sequendam opinionem pro lege, sed licitum esse, conscientiam dirigere ex opinione practicè probabili stante pro libertate.] Et ibi immediatè processi ad asserendas plures opiniones S. Thomæ stantes pro libertate, illas quidem dumtaxat probabiles.

374 Ubi ergo invenit adversarius istam meam allegationem S. Thomæ pro opinione minùs probabili eligenda? In meis quidem scriptis non inveniet: ergo ex sua penu deprompsit; nec illi fuit satis amarulentia verborum ad profligandam meam sententiam, meamque S. Thomæ legitimam explicationem; ideòque adjecit falsam imposturam citationis D. Thomæ, ut mihi pararet invidiam apud S. Thomæ asseclas, quasi ego docuissem opiniones probabiles S. Thomæ esse minùs probabiles oppositis.

375 Deinde constat, authores omnes, nedum S. Thomam, in materiis probabilibus semper docere suam sententiam tamquam probabiliorem; & in hoc præcipuè dissident ab authoribus oppositæ partis, ut unusquisque velit suam opinionem esse probabiliorem adversa. Ergo manifestum est, S. Thomam docuisse sententias suas tamquam probabiliores. Cùm ergo ad probandum patrocinium S. Thomæ pro mea sententia, nihil aliud egerim, quam referre plures opiniones S. Thomæ, illas quidem probabiles, stantes pro libertate; quo modo ergo somniare potuit, S. Thomam eas docuisse advertenter, ut minùs probabiles? Si enim id facerem, esset flagitiosissimum.

376 Præterea postquam retuli eas opiniones S. Thomæ *num.* 481. sic scriptum reperies. [Patet ergo clarissimè ex dictis, S. Thomam sæpè in conflictu opinionum merè probabilium docuisse eam, quæ stat pro libertate. Fateor tamen S. Thomam non docuisse, ut dicitur, in actu signato hanc doctrinam; quia non tractavit de ea materia, quæ spectat ad electionem opinionis probabilis, magis, vel minùs tutæ.] Vide ergo quo modo per summam injuriam attribuit mihi Jacobus citationem S. Thomæ pro opinione minùs probabili eligenda.

377 Quod autem superaddit de corruptione textuum S. Thomæ à me facta, constabit ex articulis sequentibus, ubi videbimus, quid respondeat ad opiniones probabiles S. Thomæ stantes pro libertate.

ARTICULUS II.

Quid respondeat Jacobus ad primam probationem, ex Sancto Thoma desumptam?

SUMMARIUM.

An S. Thomas in multis doceat opiniones stantes pro libertate? Ubi an doceat, legem humanam non posse præcipere actus internos? nu.378.
Responsio adversarii? nu.379.
Aliqua notanda in ea responsione? nu. 380.
An sit calumnia, dixisse me, posse eligi opinionem legi Dei contrariam? num.381.
Vel dixisse me, eligi posse opinionem faventem lucro, & voluptati? n.382.
An sit calumnia, quòd dicit adversarius, me legibus insidiari? n.383.
An fingat consequentiam à mea doctrina alienam? nu.384.
An intacta relinquatur vis mei argumenti? n.385.
An ex doctrina adversarii inferatur, reiiciendam esse hanc opinionem S. Thomæ? nu.386.
Confirmatio à contradictoria consequentis? nu 387.
An ex doctrina adversarii inferatur, opinionem S. Thomæ afferre periculum peccandi? nu 388. & seq.
An in ea opinione S. Thomæ sit certitudo de honestate operationis? Et quid inde inferatur pro opinione probabili? n.393. & seq.
An omninò argumenta partis adversæ militent contra opiniones S. Thomæ? nu 395 & seq.
Alia calumnia circa eumdem textum S. Thomæ? nn.389. & seq.

378 NIhil evidentius dici potest, quàm quòd S. Thomas in materiis probabilibus, & in concursu diversarum opinionum doceat nos sæpissimè eam partem, quæ stat pro libertate contra legem. Hoc fusè demonstravi in mea Cris. *disp.* 15. *cap.* 6. *art.* 4. *ubi num.* 473. hanc primam probationem proposui his verbis, quæ nunc reproduco. [Primo *in* 1. 2. *qu.* 91. *artic.* 4. *corp.* docet, legem hu-

ma-

manam non posse præcipere actus internos, atque adeò (quòd per evidentem consequentiam infertur) si quando superiores præcipiant de facto actus mere internos, nos non obstringi ad obediendum. Et hanc consequentiam expressit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. corpore illis verbis: *Et ideò in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solùm Deo.* Quæ opinio non stat pro lege humana, sed pro libertate. Et illa quidem non excedit fines probabilitatis, &c.

379 Ad hæc respondet adversarius his verbis. [Ad prius igitur D. Thomæ testimonium ex 1. 2. *quæst.* 91 *art.* 4 à Cardena objectum, respondeo, ipsum non potuisse melius suam inopiam demonstrare, quàm hac objectione: loco enim citato probat S. Doctor pluribus argumentorum speciebus, humanas leges non præcipere actus merè internos soli Deo notos; sed tantùm externos, & internos externis conjunctos, & ideò præter leges humanas, necessariam esse legem Divinam superiorem, hujusmodi actus merè internos præcipientem, aut prohibentem. Quòd est diligenter annotandum. Hic obtestor non solùm lectoris, sed & ipsius Cardenæ conscientiam, an possit quidpiam excogitari magis è diametro oppositum præcipuo Cardenæ intento, quàm præfata D. Thomæ doctrina, qua sic necessitatem legum ostendit, quibus tanto studio Cardenas insidiatur, ut creatam libertatem adversùs eas tueatur. Suam ergo exinde inferat Cardenas conclusionem, ut omnibus risum moveat: *ergo*, inquit, *licitum est sequi opinionem minùs probabilem, etiam legi Dei contrariam, libertati, lucro, & voluptati faventem.* Ut jam non D. Thomam habebit præfatæ propositionis authorem, vel patronum, ut patet ex dictis, sed censorem, aut adversarium, cum universo omnium Sanctorum choro.]

380 In quibus verbis aliqua notanda veniunt. Primum, in illis repeti falsam imposturam, quòd ego citaverim S. Thomam pro opinione minùs probabili eligenda: constat enim ea tuto contextu, me solùm intendisse probare, quòd S. Thomas in concursu opinionum probabilium doceat sæpè opiniones, quæ sunt pro libertate contra legem.

381 Secundum. Eam conclusionem, qualem exprimit adversarius, non esse meam; sed ea ejus cerebro depromptam. Quòd si talis propositio in mea Crisi reperta fuerit, jubeo lectorem, omnia mea scripta toto effuso atramento delere. Primò, quia nunquam dixi absolutè sequendam esse opinionem legi Dei contrariam; nam hæc verba sonant, esse contrariam legi Dei certæ, & indubitatæ: & sic implicat contradictionem, quòd detur opinio probabilis contraria legi Dei. Quia quidquid est contrarium legi certæ, & indubitatæ, est certò, & evidenter falsum, & consequenter implicat esse probabile.

382 Secundò, quia nunquam dixi, eligendam esse opinionem *faventem lucro, & voluptati*. Tum quia hæc verba adinventa sunt ab adversariis ad conciliandam invidiam nostræ sententiæ. Tum quia ea opinio, quæ favet libertati, non respicit lucrum, aut voluptatem, sed dumtaxat veritatem hujus propositionis: *hæc opinio nititur fundamento gravi, & prudenti.*

383 Tertium, per summam injuriam, & calumniam dicere adversarium, me legibus insidiari, sive doctrinam de opinione probabili eligenda insidiari legibus. Nam vel constat, leges esse certas, vel esse incertas? si certæ sunt, implicat contradictionem, quòd opinio probabilis militet, aut insidietur contra illas. Si autem constet esse incertas, quod genus insidiarum fingi potest contra rem incertam? Præcipuè cùm totus iste apparatus insidiarum eo dirigatur, ut leges incertæ habeantur pro incertis, & reputentur tales, quales sunt.

384 Quartum. Notanda sunt ea verba, *ut omnibus risum moveat*; ad quem risum extorquendum, fingit conclusionem, qualem neque in ea disputatione, neque in toto opere ego scripsi, & multò minùs intuli ex ea opinione S. Thomæ. Ut jam non risum moveat Jacobo, sed ruborē, quòd cachinnos effuderit pro lacrymis, quibus deflere debuit inadvertentiam suam. Enim verò summo studio conatus sum in eo opere exhibere me summè formalem; & ideò desidero lectores formales, qui formalibus terminis alligati, nihil addant, aut detrahant: ex mutatione enim unius termini tota moles evertitur, sicut fornix ex ablatione unius lapidis.

385 Jam vero clarissimè ostendo, adversarium intactam reliquisse vim argumentationis meæ. Quod sic demonstro primo. Licèt S. Thomas probaverit, leges humanas non præcipere actus internos; idque fecerit in eum finem, ut doceret, necessariam esse legem Divinam superiorem, actus internos præcipientem, aut prohibentem; iterùm interrogo, quam partem sequatur S. Thomas? Numquid eam, quæ obligat hominem ad obediendum homini, aut potiùs eam, quæ liberat hominem ab ea obligatione obediendi homini quo ad actus internos? Quòd doceat hanc secundam partem, negari non potest: ergo negari non potest, quòd in concursu opinionum probabilium doceat hic S. Thomas partem favorabilem, quæ stat pro libertate; sive sit in ordine ad eum finem, sive ad alium.

386 Demonstro secundò. Nam Jacobus solùm admittit, posse reduci ad praxim eas opiniones, quas vocat quietas, videlicet quæ non versantur in concursu oppositarum, & contra quas nulla militat ratio probabilis. Infero: ergo hæc opinio S. Thomæ non est admittenda. Probo consequentiam. Nam hæc opinio S. Thomæ habet contra se multas rationes probabiles, quas proposui in mea Cris. *disput.* 15. *cap.* 7. ergo hæc opinio non est ex eis, quas vocat quietas, atque adeò juxta ejus placitum, non est admittenda. Hoc est magnum absurdum: ergo & antecedens, unde infertur. Patet ergo, S. Doctorem docuisse in concursu opinionum probabilium eam, quæ favet libertati, & illam esse regulam securam conscientiæ, & ab omnibus tutò admittendam.

387 Confirmatur. Benè valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis: sed in argumento proximè facto, Antecedens est, quòd *sola opinio quieta potest tutò reduci ad praxim*; & consequens est, *ergo hæc opinio S. Thomæ, quæ quieta non est* (habet enim contra se rationes probabiles) *non potest reduci ad praxim*: ergo hæc est evidens consequentia: *Hæc opinio S. Thomæ potest tutò reduci ad praxim, licèt non sit ex quietis; ergo non sola opinio quieta potest tutò reduci ad praxim.*

388 Demonstro tertiò. Illa opinio, juxta adversarios, non potest tutò reduci ad praxim, in qua est periculum peccati, saltem materialis: sed in hac opinione S. Thomæ est periculum peccati, saltem materialis: ergo ea non potest tutò reduci ad praxim. Quam consequentiam non elicio tamquam veram, sed tamquam ad hominem argumentaturus. Et illa est inevitabilis, quia syllogismus est in prima figura, in modo, quem dialectici vocant *Ferio*. Major verò est adversariorum.

389 Minor ostenditur. Illa opinio habet periculum peccati materialis, de qua potest dubitari, quòd à parte rei sit aliter, ac opinio affirmat; & si ita aliter esset, incideret in peccatum, qui eam ad praxim deduceret: ideò enim de opinione docente, quòd Pictor pingere potest in diebus festis, dicitur, quòd habeat periculum peccati saltem materialis; quia potest esse, quòd ea opinio à parte rei sit falsa; & si ita falsa sit, Pictor, saltem materialiter, violat legem, & incidit in peccatum.

390 Atqui eodem modo se habet hæc opinio S. Thomæ, quæ affirmat nos non teneri obedire homini quo ad actus internos. Nam cùm sit opinio, quæ habet contra se rationes probabiles; possibile est, quòd à parte rei sit falsa; id enim habet propter formidinem, quæ congenita est opinioni. Demus ergo, quòd esset falsa, in quo casu si Prælatus præciperet mihi orationem mentalem; & ego non obedirem, inciderem in peccatum inobedientiæ. Ergo hæc opinio S. Thomæ habet periculum peccati, saltem materialis: idque non obstante, quòd eam opinionem dirigat S. Thomas in eum finem, ut ostendat, esse necessariam legem Divinam superiorem ad actus internos conformandos.

391 Confirmatur. Quòd hanc opinionem dirigat S. Thomas ad ostendendam necessitatem ejus legis Divinæ; non tollit, quo minùs hæc opinio afferat id periculum peccati materialis nuper expositum: ergo non tollit, quo minùs sit ex iis, quæ non possunt tutò reduci ad praxim, juxta adversarios.

392 Arguendo autem ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis; sic evidenter concludo. Hæc opinio S. Thomæ, quamvis afferat periculum peccati materialis, posse tutissimè reduci ad praxim: ergo opinio, quæ affert periculum peccati materialis potest tutissimè reduci ad praxim. Modò enim abstraho à secunda parte quæstionis, an probabilior, vel minùs probabilis eligenda sit

393 Demonstro quartò. Nam, juxta adversarios, ad rectitudinem conscientiæ, requiritur certitudo de honestate operationis; quæ certitudo, juxta ipsos, non potest inveniri in opinione probabili, maximè si habeat contra se aliquas rationes probabiles, vel ergo hæc opinio S. Thomæ habet certitudinem requisitam ad securitatem conscientiæ; vel non habet? Si hoc secundum dicas; injuriam infers doctrinæ S. Thomæ: infertur enim, non esse tutum in conscientia eum, qui deducit ad praxim eam opinionem S. Thomæ. Si vero dicas, in usu hujus opinionis S. Thomæ esse sufficientem certitudinem ad rectitudinem conscientiæ, infero: ergo in usu opinionis probabilis, quæ habet contra se rationes probabiles, potest dari certitudo; atque adeò falsum est principium, quòd assumunt adversarii, quòd certitudo non potest reperiri in usu opinionis probabilis

394 Arguendo autem ab opposito contradictorio, sic concludo. Qui sequitur hanc opinionem S. Thomæ, non obediendo homini quo ad actus internos, certum est, quòd non peccat: & tamen hæc opinio S. Thomæ est dumtaxat probabilis, habens contra se rationes probabiles: ergo qui sequitur opinionem probabilem contra se habentem rationes probabiles, potest esse certus, quòd non peccat.

395 Et quidem si adversarii velint attendere, & penetrare vim quatuor harum demonstrationum, invenient instrumenta, quibus evidenter convincantur, ita ut perpetuam silentii legem in hac materia sibi imponant; abstrahendo modò, ut dixi, ab eo, quòd magis, vel minùs probabilis eligenda sit; & solùm insistendo in eo, quòd in concursu opinionum probabilium possimus eligere ad praxim, non strictiorem, quæ stat pro lege incerta; sed quòd possimus eligere benigniorem pro libertate, saltem si probabilior sit.

396 Enim verò nullum est argumentum ex iis, quæ adversarii afferunt contra nostram sententiam, quod non militet etiam contra hanc opinionem S. Thomæ. Quia quòd hæc opinio referatur tamquam ad finem, ad necessitatem legis Divinę, ad conformandos actus internos, non tollit, quòd S. Thomas doceat opinionem stantem pro libertate, nec facit, quòd opinio sit quieta, sive non habens contra se rationes probabiles; neque tollit, quòd habeat periculum

pecca-

peccati materialis; neque addit aliquam certitudinem, quam non habeant aliæ opiniones probabiles.

397 Possem quidem argumenta protrahere discurrendo per omnes locos, à quibus argumenta sumunt adversarii contra nostram doctrinam, demonstrando, eos locos eamdem vim habere, contra hanc & alias D. Thomæ opiniones stantes pro libertate. Sed pro re præsenti sufficiunt eæ quatuor demonstrationes.

398 Huic calumniæ aliam addit Jacob. à S. Dom. circà eumdem textum S. Thomæ ex 2.2. Pro quo sciendum est, in mea Crisi *1. part. disput. 15. capit. 6. artic. 4. num.* 473. allegasse me textum S. Thomæ ex 2.2. *quæst.* 104 *art.* 5. Typographus autem pro *art.* 5. posuit tertium. Et ex hoc tam levi errato magnam mihi damnationem Jacobus statuit. Sed Deo providente factum est, ut in eodem loco Typographus in textu Jacobi erraverit numerum, & pro tertio, quem meus Typographus posuit, Typographus ejus posuerit secundum.

399 Audienda sunt verba adversarii. In eo *lib. 1. cap. 11. num.* 10. [Suamque nititur confirmare opinionem ex 2.2. *quæst.* 104. *art.* 2. in quo inquirit S. Doctor, *Utrùm obedientia sit summa virtutum?* Quo ex articulo ille inducit D. Thomam sic loquentem: *Et ideò in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, non tenetur homo homini obedire, sed solùm Deo*. Qua in articulo nequidem syllaba legitur horum verborum. Potuisset Cardenas citare articulum 5. ejusdem quæstionis; Ubi *quidpiam* tale dixit D. Thomas: sed id cautè *dissimulavit* Cardenas, qui istud integrè nequivit referre, quin malam suam fidem omnibus faceret manifestam, ut legenti patebit.] Hucusque adversarius: in quibus plura veniunt notanda.

400 Primum, quòd ex mendosa propositione numeri tertii pro quinto, arguat in me *malam fidem omnibus manifestam*. Sed quo modo probat malam fidem? iis verbis, *ut legenti patebit*. Vide ad quam immane absurdum trahat adversarius animus; qui in tam levi errore Typographi vult invenire offendiculum. Et quando ego ipse erravissem in suppositione tertii pro quinto; quid ad rem?

401 Secundum, quod anteà notavi, ipsum etiam adversarium in typis suis etiam passum esse errorem numeri; posuit enim secundum pro tertio; ut sic, Deo providente, agnosceretur mala fides ejus, qui damnare voluit malæ fidei eum, qui talis damnationis non erat dignus.

402 Tertium, ut clariùs manifestaret, fuisse mendosam meam positionem unius numeri pro alio, posuit titulum articuli tertii, quem ego non posueram. In quo, Deo providente, dum me arguit de uno errore numeri; ipse duos errores commisit. Nam præter quam quòd posuit articulum secundum pro tertio, etiam in titulo erravit, in quo non dicitur *Summa virtutum*, sed *maxima virtutum*. Sed hæc quid intersunt? pœnitus nihil, nisi argumentari *ad hominem*.

403 Quartum, non est indignum notatione, quòd noluerit fateri, textum S. Thomæ à me citatum esse verba formalia S. Thomæ; & ideò dixit, in eo articulo quinto, *quidpiam tale* dictum esse à S. Thoma. Quid est *quidpiam tale?* æquivalet his terminis, *aliquid simile*. Cùm ergo textus S. Thomæ relatus à me non contineat nisi verba formalia S. Thomæ; quam ob causam dicitur esse aliquid simile?

404 Quintum, id, quod addit adversarius, admirationem excitat. Subjungit enim, *sed id cautè dissimulavit Cardenas*. Ergo ne in commutatione numeri tertii pro quinto potuit Author dolo gemino obarmari, *cautela, & dissimulatione?* Certè quam facilè est, plurima dicere, quæ probanda non sunt; tam execrabiliter fastidiunt viri docti, quæ sine probatione dicuntur.

405 Sextum. Sed quare *cautè dissimulavit Cardenas* numerum quintum? Respondet adversarius: *qui istud integrè nequivit referre, quin malam suam fidem, &c.* Sed numquid opera S. Thomæ latent in Vaticano, ita ut Author Hispanus non posset illò se conferre, ut textum integrè referret? Deinde in eo textu, quid deest integritatis, si continet omnia verba formalia S. Thomæ, quæ sunt ad rem Authoris?

ARTICULUS III.

Quid respondeat, & quàm inutiliter adversarius ad secundam probationem ex S. Thoma.

SUMMARIUM.

Secunda probatio desumitur ex ea quæstione, An comestio Electuarii violet jejunium? num. 406.
An erret adversarius in notione libri citati? nu. 408.
An non respondeat aliquid præter invectivam? nu. 409. & seq.
An argumenta adversariorum militent contra opiniones S. Thomæ? num. 411.

406 IN eodem *articulo 4. num.* 474. probavi, S. Thomam uti opinione probabili favente libertati contra legem, in hunc modum. [Secundò in ea quæstione, *An comestio electuarii violet jejunium?* S. Thomas secutus est partem laxiorem, quæ stat pro libertate. Nam 2.2. *quæst.* 147. *artic.* 6. *ad* 3. ita ait: *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*. Et similia verba habet in 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *artic.* 4. Et sequitur D. Thomas opinionem pro libertate contra opinionem pro lege. Dicere autem, quod hæc opinio est plusquam probabilis, & transit ad aliquem gradum certitudinis, absurdum esset. Existimo, eo quidem tempore fuisse probabilem, quia non ita clarè constabat de intentione legislatoris Ecclesiastici de iis, quæ præcipuè eduntur propter digestionem ciborum. Jam vero ea opinio non est probabilis, nisi electuaria sint veræ medicinæ, & ad sanitatem assumantur; quia jam clarius innotuit intentio præcipientis. Nec te moveat, quòd Baron in lib. contra Amadæum Guimenium *pag.* 121. negat, hanc esse sententiam D. Thomæ, dicens: *Notam uterque* (Amadæus, & Diana) *inurit fœdissimam lacrymis eluendam*, scilicet Divo Thomæ. Nam Baron vult, nos in meridie caligare, dum ea, quæ legimus in editione Romana operum D. Thomæ suadere conatur esse aliter, ac sunt. Vide Amadæum Guimenium in libello supplici *capit.* 2. §. 5.] Hæc est secunda probatio ex S. Thoma, quam ibidem scripsi *num.* 474. *&* 475. & modo superaddo Baronium in 1. *part.* Theologiæ moralis *disput.* 1. *sect.* 2. *art.* 3. §. 3. *pag.* 129. non negare, sed explicare sensum ejus propositionis, explicatione non contemnenda.

407 Videamus modò, quid respondeat adversarius ad hoc argumentum. Eo *capit* 11. *num* 11. sic respondet. [Quod autem ait Cardenas ibidem de electuariis tempore jejunii, ex D. Thoma (perperam rursum exposito) sumi aliquando solitis; ad quod probandum *pag.* 221. *num.* 476. (corrige 475) remittit lectorem ad Amadæum Guimenium, falsò hoc nomine larvatum: certè deberet Cardenas erubescere, famosum hunc libellum, Ecclesiæ fulminibus percussum, adhuc legendum proponere Christianis,] &c. & post hanc accusationem nihil aliud respondet, sed ad aliud transit.

408 Et ut ab hoc ultimo initium sumam, non novit adversarius id ipsum quòd accusat. Non enim citavi librum quem ipse putat, sed alium diversum. Sciat ergo adversarius, sub nomine Amadæi Guimenii (sive larvato, sive non larvato, quid prodest ad responsionem argumenti?) duos libros esse editos in lucem. Primus, quem ipse putat, sic inscribitur: *Adversùs quorumdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales opusculum*. Secundus, quem non videtur legisse adversarius, inscribitur *Libellus supplex*. Illum ego citavi, non primum. Accusavit ergo adversarius, quod non novit.

409 Sed quod propius accedit ad rem nostram; consideret lector, quid respondeat Jacobus huic argumento. Non negat, eam esse opinionem S. Thomæ, quia verba S. Doctoris luce meridiana clariora sunt. Subjungit, verba S. Thomæ perperam à me exposita; sed non probat. Et ea, quæ non probantur, à doctis negliguntur.

410 Quid ergo respondet? Penitus nihil, nisi invectivam, quòd citaverim librum, quem non citavi. Qui ergo ad argumentum non respondet, convincitur manifestè, quòd S. Thomas in concursu opinionum probabilium doceat quandoque opiniones probabiles pro libertate contra legem; quidquid sit an probabiliores, an minùs probabiles, de quo, ut dixi, modò non est quæstio, quæ posteà erit decidenda.

411 Videant ergo adversarii, in quod se barathrum conjiciant, dum impugnant opiniones probabiles, quæ in concursu aliarum oppositarum stant pro libertate contra legem incertam; cùm omnia argumenta ab eis allata adverso Marte pugnent contra hanc, & cæteras opiniones S. Thomæ stantes pro libertate contra legem: quæ tamen in praxi securissimæ sunt modo dicto; abstrahendo modò à majori, vel minori probabilitate.

ARTICULUS IV.

Quid respondeat adversarius, & quam contra se ipsum, ad quartam probationem S. Thomæ.

SUMMARIUM.

Argumentum desumptum ex S. Thoma ab ea quæstione; An Filius teneatur obedire Patri quo ad matrimonium contrahendum? nu. 412.
An responsio adversarii stet pro mea sententia? nu 414. & seq.
An recurrat adversarius ad opinionem minùs probabilem, de qua non est sermo in præsenti? 417. & seq.
An probet S. Thomas suam opinionem ex eo, quòd Patre matrimonium imperante possit filius religionem ingredi? nu. 319 & seq.
An S. Thomas non loquatur ibi de coactione per vim, sed de coactione præcepti? nu. 422.
An opinio probabilis legibus jugum excutere moliatur? Et an ea assertio sit injuriosa opinionibus S. Thomæ? nu. 424.
Quas alias injurias irroget assertio adversa? nu. 426. & seq.

412 TErtiam probationem, quam desumpsi ex S. Thoma transmittit Jacobus in alium locum; ideò post secundam adjungit quartam. Igitur eam quartam probationem ibid. *numer.* 479. sic proposui. [Quarto S. Thomas in 4. *dist.* 29. *quæst. unic. artic.* 4. *corp.* ait; filium non teneri obedire parenti, quoad matrimonium contrahendum, nisi quantum ipsa justa causa ad id coegerit. Quæ quidem est pars quæstionis benignior stans pro libertate, *& illa procedit in materia probabili*.

babili. Nam oppositam sententiam tenent Navarrus, Emmanuel Rodriguez, Ludovicus Lopez, & Capua relati à P. Thoma Sanchez *lib. 7. de Matrim. disput 23. num. 2.* quibus suffragatur *cap. 1. de sponsal. impub.* Hæ autem decretales promulgatæ fuerunt à Gregorio IX. antequam S. Thomas cæpisset scribere.] Hucusque propositio ejus argumenti.

413 Ad quòd sic respondet adversarius. [Quartò. Cardenas *pag. 232.* laudat D. Thomam *in 4. sent. disput. 29. quæst. unic art. 4.* docentem. *Filium non teneri obedire Parentibus, quo ad matrimonium, nisi quantum ipsa causa ad id coegerit.* Quæ opinio (inquit Cardenas) est pars quæstionis benignior *stans pro libertate.*] sic proponit meum argumentum, & omisit ea verba immediata: *& illa* (opinio) *procedit in materia probabili.*

414 Et subjungit immediatè. [Respondeo, justè S. Doctorem noluisse, juxta jura omnia, & ipsum *Trid sess. 24. de Reform. Matrim. cap.* 8. filios cogi à parentibus ad matrimonium contrahendum, cùm sit servitus perpetua: sed tantummodo induci ex causa rationabili. At quid melius, aut justius dicere potuit S. Doctor?]

415 Siste gradum lector, & considera hostem semet ipsum proprio gladio perimentem. Vel, quòd idem est, considera hunc syllogismum. Nihil melius, aut justius potuit dici à S. Doctore, quam, quòd Filius non teneatur obedire parenti quo ad matrimonium contrahendum; eo quòd filius cogi non possit à parente ad id genus perpetuæ servitutis: sed hæc est opinio stans pro libertate filii contra legem, & procedens in materia probabili contra opinionem probabilem oppositam: ergo datur opinio stans pro libertate contra legem, & procedens contra opinionem probabilem oppositam; qua nihil melius, aut justius dici possit.

416 Quæ ex his tribus propositionibus non est evidens? Consequentia est inevitabilis. Major est adversarii. Minorem non negat, neque negare potest. Et quia cum adversariis ago parum formali, iterùm repeto, modo abstrahi à majori, & à minori probabilitate. Quòd si in hac repetitione insipiens sum; vos me coegistis. Quando enim ago solùm de opinione probabili stante pro libertate; recurris ad minùs probabilem, quæ non his, sed aliis argumentis stabilitur; & attribuis consequentias ridiculas, quæ tales fiunt, quia omnia permiscens non servas meam terminorum formalitatem.

417 Sed ne putet lector, me frustra hæc advertisse, videat, quomodo in hoc argumento recurrat *ad minùs probabilem*, de qua in probationibus ex S. Thoma desumptis non est sermo. Post verba relata subjungit immediatè adversarius hæc verba, quæ referam, si notaveris in typis hujus codicis, quo utor, esse duas lituras, quas punctulis notabo; & quæ sensum reddunt aliquantò mutilum. Sic inquit: [sed si, juxta morem suum non dissimulasset Cardenas Sancti Doctoris argumentum, sed ∴ semper infensus D. Thomas opinioni *minùs probabili* ∴ contra; verius mentem D. Thomæ nobis exposuisset. Ex hoc enim satis liquet, quid S. Doctor intenderet, nempe tam à matrimonio, quàm à Religione coactionem (qua nemo fit bonus) removere: & præsertim suadere, ut numquam Spiritui Sancto viam occludamus, qui nos ore Apostoli adhortatur, ut meliora charismata æmulemur. Ideò ait, & meritò, *Patre matrimonium imperante, filium posse sine peccato Religionem intrare:* quia magis obediendum est Deo, quàm hominibus. At quid magis oppositum probabilitati, quæ prætextu libertatis, emolumenti, aut voluptatis, omnibus legibus jugum excutere molitur, quibus perpetuò illudit, aut prætensa abrogatione, aut insufficienti promulgatione, & notitia, quam semper vult esse majorem ipsa luce meridiana, ad inducendam justam obediendi obligationem.] Hucusque adversarius.

Quotupliciter erret hæc periodus?

418 Errat primo in eo, quòd à prima parte quæstionis, pro qua solùm allegamus Doctorem Angelicum, migrat ad secundam de opinione minùs probabili, pro qua illum non citamus; ut sæpiùs dixi, & iterasse coactus sum.

419 Errat secundò in eo, quòd dicat, me dissimulasse argumentum S. Doctoris, nempe ideò posse filium non obedire parenti, quoad matrimonium, *quia, patre matrimonium imperante, potest filius sine peccato Religionem intrare.* Pro quo notandum est, neque in corpore articuli, neque in responsione ad argumenta, id dixisse S. Thomam; sed in *sed contra.* Quæ autem S. Thomas ponit in *sed contra*, non ponit tamquam argumentum proprium; sed ut ponat utrimque rationes dubitandi.

420 Prætereà hoc argumento non usus est in corpore articuli, quia non adæquat interrogationem quæstionis in articulo propositæ. In *sed contra* sic ait: *Sed contra est: quia, patre matrimonium imperante, potest filius sine peccato Religionem intrare: ergo non tenetur filius in hoc ei obedire.* Sed hoc non adæquat interrogationem: quia ad huc restat satisfacere ei quæstioni; [Quid si filius velit ducere unam uxorem sibi magis conformem; & pater velit, quòd ducat alteram inferioribus dotibus præditam; numquid filius tenetur obedire Patri?] Cui quæstioni non satisfaceret S. Thomas per hoc, quòd, *Patre matrimonium imperante, potest filius Religionem intrare.* Satisfacit autem S. Thomas per id argumentum, quod ibi proponit, nempe quòd pater non potest obligare ad statum, in quo est quædam perpetua servitus. Vide ergo, an tendat insidias adversarius, dum dicit, *Si, juxta morem suum, non dissimulasset Cardenas S. Doctoris argumentum*,

421 Errat tertiò. Nam esto, sit id præcipuum S. Doctoris argumentum, quod desumitur ab eo, quòd pater non potest cogere filium ad matrimonium, ut liber maneat ad suscipiendam Religionem. Errat, inquam, in eo, quòd putat, sic solui meam argumentationem. Cujus difficultas ea responsione non minuitur. Quam sic instauro. Quamvis S. Thomas respondeat quæstioni principaliter propter eam rationem, adhuc S. Thomas docet opinionem stantem pro libertate filii, & est opinio, quæ habet contra se opinionem probabilem stantem pro lege obediendi parentibus; ut constat ex Doctoribus à me suprà citatis pro opposita: sed quælibet opinio S. Thomæ est securissima in praxi: ergo potest dari opinio securissima in praxi, quæ stet pro libertate, & concurrat cum opposita opinione probabili stante pro lege. Et inquiro; quæ ex tribus propositionibus hujus syllogismi non est luce meridiana evidentior? Nec recurras ad opinionem minùs probabilem; nam incides in primum erratum.

422 Errat quartò, dum dicit, S. Thomam voluisse removere coactionem, *qua nemo fit bonus.* Nam S. Doctor non loquitur de coactione per vim, aut metum, sed de coactione præcepti, quæ nihil aliud est, quàm obligatio conscientiæ. Hac autem coactione, seu obligatione perperam dicetur, quòd *nemo fit bonus.* Quòd autem S. Thomas de hac solùm loquatur, patet ex ipso titulo articuli, qui est hujus tenoris. *Utrùm aliquis præcepto Patris possit compelli ad matrimonium?* Et in corpore sic respondet quæstioni. *Respondeo, dicendum, quòd cum matrimonio sit quædam quasi servitus perpetua, Pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cùm sit liberæ conditionis.* Vides quàm clarè S. Thomas loquatur non de coactione per vim, aut metum, sed de coactione obligationis præcepti.

423 Errat quintò, dum dicit, *quid magis oppositum probabilitati*; quasi sententia D. Thomæ sit opposita doctrinæ de vera probabilitate. Cùm constet ex dictis in hoc capite, S. Thomam sequi probabilitatem opinionum stantium pro libertate, in concursu opinionum oppositarum.

424 Errat sextò, dum dicit, quòd probabilitas *prætextu libertatis, emolumenti, aut voluptatis omnibus legibus jugum excutere molitur.* Est enim probabilitas vera, & probabilitas fictitia, quæ non est nisi improbabilitas. Si hæc molitur jugum excutere legibus; vera doctrina de probabilitate distinguit inter probabilia, & improbabilia, & inter leges certas, & incertas, & leges certas promovet; & nullas dicit incertas, nisi ex magno fundamento rationis. Quòd si omnis probabilitas stans pro libertate in concursu opinionis stantis pro lege, molitur jugum excutere legibus; opiniones probabiles S. Thomæ eadem injuria afficiendæ erunt. Hoc est absurdum: ergo & antecedens, unde infertur. Nam vel opinio S. Thomæ excutit jugum legi obedientiæ filiorum; vel non excutit? Si primum dicas; injuria afficis doctrinam S. Thomæ. Si non excutit; ergo datur opinio probabilis, stans pro libertate, in concursu oppositæ opinionis probabilis, quæ non excutiat jugum legi.

425 Dices, doctrinam de opinione minùs probabili eligenda, excutere jugum legibus. Contra est: ergo jam admittis, quòd si non sit minùs probabilis, opinio stans pro libertate in concursu oppositæ probabilis potest admitti tamquam regula securæ conscientiæ; quod anteà negabas contra S. Thomam.

426 Errat septimò, in illis verbis, *omnibus legibus, &c.* dum attribuit hæresim nostræ sententiæ, & authoribus illius. Est enim doctrina hæretica, quæ *omnibus* legibus jugum excutit; id est, quæ docet nulli legi obediendum.

427 Errat octavò, dum dicit: *Quibus perpetuò illudit, aut prætensa abrogatione, &c.* Non illudit legibus, qui ex magno fundamento asserit, legem esse abrogatam. Sic P. Thomas Sanchez *libr. 7. de matrim. disput. 10. numer. 12.* ait contra alios aliter opinantes, legem de impedimento impediente catechismi abrogatam esse, quod probat solidissimis argumentis, licet non omninò evidentibus.

428 Errat nonò, dum dicit, *Aut insufficienti promulgatione, & notitia, quam semper vult esse majorem ipsa luce meridiana.* Id enim omninò est falsum. Solùm enim petimus certitudinem moralem in præcepto. Quando autem vera doctrina de probabilitate negat hanc certitudinem præcepti, eam negat ex magno fundamento, & solida ratione. Scriptores autem, qui ad hoc levi ratione ducuntur, non ad probabilitatem, sed ad improbabilitatem spectant.

ARTICULUS V.

Quid respondeat, & quàm parum satisfaciat quintæ probationi ex S. Thoma.

SUMMARIUM.

Argumentum à S. Thoma, ex ea quæstione, an teneatur Episcopus restituere ea, quæ sibi superstant, & non impendit in usus pios ex iis, quæ sunt suo usui destinata? num. 429.

An

An id argumentum trahat opinionem S. Thomæ in exemplum laxitatis? num. 431.
An defectus citationis numeri arguat cautelam? num. 432.
An affingatur D. Thomæ opinio relata in argumento? nu. 433. & seq.
An ea opinio S. Thomæ doceat partem strictiorem? num. 435.
An responsio adversa stet pro nostra sententia? nu. 436.
Et an sit injuria opinionibus S. Thomæ? nu. 437.

429 IN loco citato meæ Crisis *num.* 480. hanc proposui quintam probationem ex S. Thoma. [Quinto 2.2. *quæst.* 185. In ea quæstione, *An teneatur Episcopus restituere ea bona, quæ sibi supersunt, & non impendit in usus pios ex his bonis, quæ sunt suo usui destinata?* Tenet partem, quæ stat pro libertate. Et tamen quæstio procedit in materia probabili, cujus affirmativam, & strictiorem partem, quæ stat pro lege, tenent ea probabilissimis argumentis Navarrus in *lib. de reddit. Eccles.* Alensis, Ricardus, Henricus Major, Gabriel, Paludanus, Vualdensis, Petrus Soto, Sarmiento, & Franciscus Turrianus apud P. Lessium *lib. 2. de Just. cap. 4. dubit. 6. num. 41.*

430 Ad hoc argumentum respondet Jacob. à S. Domin. in hæc verba. [Quintum laxitatis exemplum, quòd Cardenas satagit *pag.* 232. *num.* 480. affingere D. Thomæ, id deduxi ex 2.2. *quæst.* 185. sed veritus indignationem lectorum, cautè dissimulavit locum, scilicet *art.* 7. ubi à S. Doctore expressis verbis Cardenas confutatur in eo, quòd ipsi imponere conatur circà administrationem bonorum, quæ cedunt in usum Episcopi. Legat, qui voluerit, totum hunc articulum, ut ipse testis sit, & judex, quid strictius, aut sanctius dici possit contra vagam probabilitatem, & effrænem, quam Cardenas tueri conatur, libertatem.] sic respondet.

431 Errat tamen primò, dum dicit, me adducere S. Thomam in exemplum *laxitatis*, hoc est relaxationis conscientiæ. Hoc enim termino frequenter utitur ad asserendum, nostram sententiam relaxare conscientias. Sed comburi me patiar, si inventus fuero, traxisse me in exemplum relaxationis conscientiæ doctrinam S. Thomæ. Miserum est agere cum scriptoribus parum formalibus, qui pro libito mutant terminos. Errat enormiter adversarius, existimans doctrinam de opinione stante pro libertate in concursu oppositæ opinionis probabilis, relaxare conscientias; ut ostendam *capit. seq.* Et hac enormitate ductus, quam ego voco opinionem pro libertate, ipse vocat laxitatem, & relaxationem conscientiæ. Sed per hoc non excusatur. Nam quando mea argumenta refert, non suis, sed meis terminis uti debet.

432 Errat secundò, dum dicit, me *cautè dissimulasse* locum nempe *art.* 7. veritum *indignationem lectorum*. Et sanè in hoc clarè cernitur animus amarulentus hujus scriptoris, defectum enim citationis articuli, qui per injuriam amanuensium omitti solet, attribuit cautelæ, & dissimulationi dolosæ.

433 Errat tertiò, dum dicit, me affingere eam sententiam stantem pro libertate, D. Thomæ: quasi illi falsò attribuatur. Legatur Mag. Sotus *lib.* 10. *de Just. quæst.* 4. *artic.* 3. ubi acriter sustinet, hanc, quam dixi, esse sententiam S. Thomæ, quòd Episcopus acquirat dominium eorum bonorum, quæ suo usui sunt destinata; atque adeò non teneri restituere, si fortè ea eis, quæ supersunt, non impendat in usus pios, & inter alia subdit: [Secunda opinio est, quam hic tenet S. Thomas, videlicet quòd illius portionis, quæ particulariter applicata est Episcopo, perinde videtur Dominus, atque aliorum bonorum, quæ sæculariter possidet.] Et infrà subjungit. [At vero secunda opinio adeò mihi semper pro meo exili judicio persuasa fuit, ut quandiù Ecclesia contrarium non definierit, nescio, an de illa decidere possem. Eo potissimùm cùm S. Thomas eam teneat: neque ullus ejusdem ordinis pater contrarium expressè teneat.]

434 Et loquens de iis verbis S. Thomæ ex eo *art.* 7. *De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis; ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum, peccet quidem si immoderatè sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.* Ait Sotus, ibid. quòd in hac periodo D. Thomæ videntur deesse hæc verba, *non tamen ad restitutionem teneatur*: quia id postulat contextus. Docet ergo S. Thomas, Episcopum in eo casu non teneri restituere; quia *de his, quæ sunt specialiter suo usui destinata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis.* Qua ergo fronte adversarius audet negare, quæ tam clarè docet D. Thomas? Quo modo audet dicere, me affingere, & imponere D. Thomæ hanc opinionem stantem pro libertate Episcopi?

435 Errat quartò, dum dicit, nihil *strictius*, aut *sanctius* potuisse dici à S. Thoma in præsenti quæstione. Nam quod attinet ad *strictius*, planè decipitur adversarius: nam opinio, quæ sequitur partem strictiorem, docet, teneri Episcopum restituere ea, quæ ex bonis in proprium usum destinatis supersunt, si non impendat in usus pios. Et S. Thomas docet, non teneri ea restituere: ergo S. Thomas in hoc non sequitur partem strictiorem, sed benigniorem.

436 Errat quintò, dum putat, se satisfacere argumento, dicendo nihil *sanctius* doceri potuisse à S. Thoma. Nam potiùs inde instauratur argumentum pro mea doctrina. Nihil sanctius dici potest, quàm, quod ibi docuit S. Thomas: sed ibi docuit, quòd in eo casu Episcopus non tenetur restituere: ergo nihil sanctius dici potest, quam quòd in eo casu non teneatur Episcopus restituere. Major est adversarii. Minor liquet ex contextu, & ex Mag. Soto; & consequentia ligat. Tum sic: opinio, quæ liberat Episcopum ab onere restituendi, est opinio stans pro libertate, contra oppositam opinionem: ergo datur opinio stans pro libertate, & concurrens cùm opposita probabili, qua nihil sanctius esse possit.

437 Hinc constat, quàm enormiter erret sextò, dum opiniones probabiles stantes pro libertate in concursu oppositarum probabilium, appellet vagam probabilitatem, & effrænem libertatem. Sic enim condemnare cogitur sententias D. Thomæ securissimas; nisi de summa, & exorbitanti inconsequentia notari velit.

ARTICULUS VI.

Quid respondeat ad primam partem tertiæ probationis ex S. Thoma.

SUMMARIUM.

Argumentum ex ea quæstione, An liceat graviter indigenti subripere à divite ea, quibus eget? nu. 438.
Responsio adversarii. nu. 439.
An idem argumentum fiat in extrema necessitate sub ea quæstione, utrùm tunc alimentum sit debitum ex justitia? nu. 440.
Et an S. Thomas teneat partem affirmativam? nu. 441.
Quo modo mea sententia conformanda cum decreto S. Congregationis? num. 442.
An ut graviter indigens possit subripere necessaria, requirantur decem conditiones; & quæ illæ sint? nu. 442.
Quo modo unusquisque pauper non possit reputare gravem suam necessitatem in terminis nostræ assertionis? nu. 444 & seq.

438 TErtiam probationem ex S. Thoma, quam in postremum locum rejecit adversarius, sic proposui *num.* 476. [Tertiò Angelicus Doctor, ut ostendam alibi, docet, licitum esse pauperi graviter indigenti subripere à divite ea, quibus eget, nempe concurrentibus debitis circunstantiis ibidem expositis. Quæ opinio stat pro libertate pauperis; & juxta plurium sententiam versatur in materia probabili.]

439 Respondet adversarius eo *capit.* 11. *num.* 12. in hæc verba. [Hic dicendi finem libenter facerem, nisi apud Cardenam adhuc unum legeretur Divo Thomæ adeò injuriosum, ut illud prætermittere nequeam. Nam falsò ex Angelico Doctore furtis, & latrociniis latissima via reseratur à Cardena *pag.* 231. *num.* 476. ubi ait; *Tertiò Angelicus Doctor*,] &c. & ponit verba proximè relata meæ probationis. Et subjungit: [At neque hic, neque ullibi unquam apud Angelicum Doctorem hanc doctrinam reperiet Cardenas, qua, ut dixi, lata latrociniis via aperitur, & pauperes, qui re ipsa subripere aliena bona non possunt, in continuo sinerent esse subripiendi desiderio, ac subinde in assiduo statu damnationis æternæ; loco patientiæ, qua ex bonorum temporalium penuria possunt sibi æterna promereri. Quis enim pauper, qui gravem non existimet, quam patitur, necessitatem? Cui si fides adhibeatur, quamlibet levem vociferabitur intolerabilem. Neque audienda sunt, quæ ibidem adjecit Cardenas, cùm hæc ipsum non faciant excusatum, sed magis gravem, quibus ipse satis convincitur, nullum à se repertum esse vestigium doctrinæ adeò scandalosæ apud Doctorem Angelicum, quem eò gravius offendit, quò palàm ostendit, se non casu hoc dixisse, sed data opera, & de industria hoc fabricasse, ratiocinatione tam falsa, quàm viro religioso indigna. Distinxerunt enim Casuistæ triplicem necessitatem, levem scilicet, gravem, & extremam: in qua ultima necessitatis specie, ajunt, pauperem (cui à malo divite negaretur alimonia) posse panem v. g. subripere, numquam tamen licuit has necessitatis species confundere, ut pro extrema necessitate gravem sufficerent, quæ apud pauperes, illorum judicio semper est talis.] Et in hanc sententiam multa alia congerit solita verborum amarulentia, & tandem devenit ad id, quòd judices in tribunalibus debeant quiescere contra latrones, subjungens, *Has enim pillulas tenetur deglutire Cardenas*; cùm his omnibus abundè satisfecerim *disp.* 20. relata *num.* 16.

440 Et quidem per hanc invectivam videtur sibi triumphare, negando, eam esse opinionem S. Thomæ. Sed non elevat difficultatem. Etenim apud omnes certum est, quòd pauper in extrema necessitate potest subripere, quæ necessaria sunt ad illam sublevandam. Est tamen quæstio, an in extrema necessitate sublevatio ejus sit debita ex justitia, an solùm ex charitate; sive quòd idem est, an pauper in extrema necessitate possit subripere alimentum tamquam debitum ex justitia? In qua quæstione sunt duæ opiniones probabiles oppositæ affirmativa, & negativa. In quo pars benignior stans pro libertate affirmat posse jure suo subripere, & tamquam debitum legale.

441 Et S. Thomas tuetur hanc partem benigniorem pro libertate pauperis 2.2. *quæst.* 118. *artic.* 4. *ad* 2. ubi ad textum S. Basilii, *Est panis famelici, quem tu tenes*, sic ait: *Ad secundum, dicendum, quòd Basilius loquitur in illo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem debitorum.* Ubi Cajetanus, inquit: [In littera dicitur non solùm de habente superfluum, sed etiam absolutè de vidente pauperem in periculo necessitatis extremæ; quòd *ex legali debito* teneatur erogare sua pauperibus. Et de secundo quidem casu, hoc est, ratione periculi necessitatis extremæ, non est difficilè perspicere quòd

quòd interveniat legale debitum. Nam tempore extremæ necessitatis omnia sunt communia. Ac per hoc bona, quæ alter possidet, sunt mea, si patior extremam necessitatem. Et si possidens non sponte vult mihi subvenire, posset judex cogere. Et si hæc via deficit, possum occulte quasi per modum furti; vel manifeste quasi per viam rapinæ accipere quantum mihi opus est: quia non accipio aliena, sed communia negata, & impossibilia aliter haberi in extrema necessitate.] Hæc Cajetanus explicans mentem S. Thomæ. Censet ergo S. Thomas, posse pauperem in extrema necessitate subripere alimentum necessarium, tamquam rem suam, & ex justitia sibi debitam. In materia ergo probabili, & concursu opinionum stat pro libertate pauperis.

442 Sed antequam respondeam adversario, præmitto, prodiisse novissimum decretum Sacræ Congregationis universalis inquisitionis, quo damnantur tamquam scandalosæ sexaginta quinque opiniones in re morali: ex quibus trigesima sexta sic habet. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Circà quam assero, me numquam dixisse, licitum, aut permissum esse furari, neque in extrema, neque in gravi necessitate. Deinde quæ in 1 *part.* Cris. Theol. dixi, quòd graviter egens possit sibi assumere ex bonis divitis levamen suæ necessitatis; tantis ac talibus conditionibus oneravi, ut mea assertio potiùs respiciat speculationem, quàm praxim. Sed adhuc declaro, meam intentionem esse, quæcumque ibi dixi, & hic dicam de hac materia, omninò conformare cum hoc decreto Sacræ Congregationis; & ad sensum illius omnia mea asserta accommodare. Et in quantum opus fuerit ad hanc exactissimam conformitatem, assertiones olim à me prolatas revoco. Quare in præsenti solùm ostendam id, quòd attinet ad vim consequentiæ, quam adversarius conatur adversùm me producere: quomodo juxta tenorem mei asserti non habeat locum latissima illa via, furtis & latrociniis reserata. Si attentius legisset in mea Crisi disputationem 20. & in illa conditiones requisitas, ut casus iste locum habeat; non reseratam, sed multis seris clausam videret. Nam ibi à *num.* 113. decem conditiones constituuntur, quæ spatio mille annorum vix poterunt semel conjungi, & quæ propterea faciunt, meam assertionem respicere potiùs speculationem, quàm praxim. Prima, quòd pauper ineptus sit ad laborem, quo sufficienter alatur. Secunda, nihil esse in bonis illius, quo vendito possit præsentem necessitatem superare. Tertia, eum esse ita nobilem, ut absque gravi ignominia non possit mendicare. Quarta, etiam si illud sibi sit ignominiosum, non posse arcano modo ab Episcopo, & ab aliis divitibus petere. Quinta, illum divitem, à quo subripere vult, habere superflua naturæ, & status, idque pauperi constare evidenter. Sexta, quòd constet evidenter pauperi, non esse diviti illi consanguineos pauperes, omninò præferendos. Septima, quòd debet constare pauperi, ea, quæ diviti superfluunt, non esse necessaria ad æs alienum solvendum, aut ad satisfaciendum aliis debitis legalibus. Octava, non esse diviti obligationem faciendi donationes remuneratorias. Nona, summam subripiendam non excedere quantitatem requisitam ad suæ præsentis necessitatis levamen. Decima, quòd pauperi constare debet, non comparere alios pauperes æqualis necessitatis, quorum electio est penes divitem, quando illi sunt plures, nec potest dives omnibus satisfacere.

443 Quando ergo Jacobus legit in meo textu ea verba, *nempe concurrentibus debitis circumstantiis ibidem expositis*; debuit legere, & attentè considerare prædictas circumstantias: quas si attendisset, non inveniret latam viam furtis, & latrociniis reseratam.

444 Hinc constat, perperam dixisse Jacobum, quòd unusquisque pauper gravem reputabit suam necessitatem, ut sic subripere possit, quæ sibi placuerint.

445 Primò. Nam si, juxta meam doctrinam, & decimam conditionem, ut pauper posset subripere à divite necessaria, deberet evidenter cognoscere, nullum alium esse pauperem paris, aut supparis necessitatis; quomodo hæc doctrina comprehendet omnes pauperes, cùm omnes excludat præter unum, qui evidenter cognoscat, se esse inter omnes reliquos miserrimum? Maximè cùm requiratur etiam juxta reliquas conditiones evidentia aliarum circumstantiarum, quam difficilè pauperes habere poterunt.

446 Deinde nam mea assertio debet proponi in meis terminis, & juxta meam explicationem, non verò juxta explicationem, quam unusquisque adhibere voluerit. Itaque in ea *disp.* 20. *cit. cap.* 1. *num.* 5. *&* 6. explicui, in quo sensu accipienda sit necessitas gravis, in hæc verba: Necessitas gravis est, [Cùm quis subit ea incommoda, quæ vitam reddunt miseram, nimis molestam. Juxta quæ esset in gravi necessitate, qui per multos dies solo pane, & oleribus victitaret; qui ita esset nudus, ut vel illi esset ad magnam ignominiam. vel ei impenderet præ frigore periculum gravis morbi contrahendi: item ille, cui esset nimis molestum, super pavimento, aut tabula dormire .·. si autem ille haberet supellectilia, sine quibus potest absque gravi molestia, & ignominia transigere, quibus venditis posset ab ea miseria egredi, non esset constitutus in gravi necessitate.] Ex qua explicatione constat, me non loqui de necessitate utcumque gravi, sed de ea, quam aliqui vocant quasi extremam. Ad normam ergo istius explicationis debet pensari necessitas gravis; pensatis etiam decem conditionibus suprà traditis; quarum præcipua est, quòd pauper sciat evidenter, nullum alium pauperem esse æqualis necessitatis; idque judicium non debet remitti ad arbitrium cujusque pauperis: quòd si pensetur gravitas necessitatis ad arbitrium cujusque pauperis, jam non habet locum mea assertio. Vide etiam *disp.* 59.

447 Ex qua constat, non esse cujuscumque ferre judicium de probabilitate, sed viri sapientissimi, & in re morali versatissimi; atque adeò non esse egeni ignari ferre id judicium: quòd si judicio suo fidat, peccabit læthaliter.

ARTICULUS VII.

Quid respondeat; vel potiùs quo modo non respondeat ad alteram partem probationis ex S. Thoma?

SUMMARIUM.

448 Quia aliqui Authores citant S. Thomam pro sententia proximè relata in favorem pauperis graviter indigentis; alii verò citant S. Thomam pro opposita sententia; ut ostenderem in utraque sententia habere locum meum argumentum, sive probationem ex S. Thoma; ibidem *num.* 477. sic arguebam.

449 [Dices, oppositam sententiam esse S. Thomæ, ut aliqui affirmant, & probare conantur, aliter verba ejus exponentes. Sed inde vim argumenti non effugies: & inquiro, an juxta sententiam S. Thomæ teneatur (scilicet ex justitia) dives succurrere graviter indigenti? Si pars affirmativa est S. Thomæ, docebit consequenter, pauperem in gravi necessitate posse sibi subripere ejusmodi necessaria, quæ opinio stat pro libertate pauperis. Si autem pars negativa est S. Thomæ, docet quidem, liberum esse divitem ab ea obligatione; atque adeò opinio S. Thomæ stat pro libertate divitis.] Quod dilemma ex utraque parte evidenter concludit.

450 Respondet Jacobus à S. Domin. eo *cap.* 11 *num.* 13. in hæc verba: [Et quia sagacissimus est, prævidit, non sine stupore id accipiendum fore (scilicet quòd citetur S. Thomas pro libertate pauperis) ideò postmodum finxit, se locutum problematicè: Sed quam in partem magis inclinet, conjicere ex his ipsius verbis: *Sed inde vim argumenti non effugies:* quo scilicet suadet, pauperem posse furari. Deinde quis unquam talem audivit cavillandi artem? *Si pars affirmativa est D. Thomæ*, inquit Cardenas, id est, si pauper possit furari, *opinio stat pro libertate pauperis*. Si negativa est D. Thomæ, id est, si non possit pauper furari, *opinio S. Thomæ*, inquit, *stat pro libertate divitis.*

451 At poterat Cardenas, evidentius docere artem hanc à Deo, & hominibus reprobatam, semper claudicandi in utramque partem, omnibus veritatis amatoribus mirum in modum exosam?] Hucusque adversarius. Neque aliquid aliud respondet huic argumento.

452 Optarem quidem audire viros doctos, quid sentiant de hac responsione hominis, qui nomen dilemmatis dissimulavit, & appellavit problema. Quid intersit inter utrumque, discet à dialecticis. Deinde artem syllogizandi per dilemma, vocavit artem cavillandi. Dediscant ergo dialectici hanc artem argumentandi per dilemma; ne fortè incidant in hunc hominem, qui eos cavillatores vocet. Immò verò si in publicis concertationibus (Philosophicis, vel Theologicis) arguerint dilemmate; objurgandi erunt, & corripiendi, audientque: *Quis unquam talem audivit cavillandi artem*? Et quia adversarius suum conceptum non potuit his duobus epithetis satis significare, addit tertium: nam artem dilemmatis vocat *artem semper claudicandi in utramque partem*: neque hoc epitheto contentus, ait, hanc artem esse *à Deo, & hominibus reprobatam, item omnibus veritatis amatoribus mirum in modum exosam.*

453 Hæreticos, qui à Fide Catholica exorbitantes, non solùm infidelitatis, sed etiam contradictionis rei sunt, exagitare solent Doctores Catholici per dilemmata ex utraque parte contradictionis ferientia. Numquid ergo hi Doctores Catholici profitentur *artem à Deo & hominibus reprobatam*? Numquid exercent *artem semper claudicandi in utramque partem*? Numquid quia dilemmatibus tuentur veritates Catholicas, *omnibus veritatis amatoribus mirum in modum exosi sunt*?

454 Ubi ergo hæc audita fuerint in Republica litteraria, viri sapientes jubeo consuli dialecticos, ubi discatur, quid sit, non problema, sed dilemma; & hoc non esse artem cavillandi, neque claudicandi, sed arguendi, & demonstrandi, & recto gressu progrediendi ad veritatem; ideòque à Deo, & hominibus non reprobatam, sed approbatam: non exosam veritatis amatoribus, sed quæsitam, & Dei ope comparatam.

455 Sed, quòd magis admirandum est, huic argumento (sive cavillationi, aut claudicationi) nihil aliud respondet adversarius, sed illud insolutum relinquit. Infero: ergo censet, hoc argumentum esse insolubile. Sed argumentum insolubile censetur evidens; & consequentia ejus inevitabilis. Ergo inevitabile est, quòd S. Thomas in concursu opinionum probabilium docuerit opinionem pro libertate contra legem. Et quidem quando pro argumento supponit aliquis

quis

quis sophisma, propugnator oppositæ conclusionis respondet aliquid, conando dissolvere vim sophismatis, ostendendo, in quo lateat ratio sophismatis, aut æquivocationis. Si ergo hæc mea argumentatio sophistica est, aut cavillatoria; ostendat adversarius, in quo termino, aut in qua combinatione terminorum stet defectus.

456 Ut ergo respondeat in forma, reproduco dilemma, in quo continentur ex utraque parte duo syllogismi inevitabilis consequentiæ; supposito dissidio, quòd est inter Authores circà mentem S. Thomæ in hoc puncto.

Vel S. Thomas docet, divitem in aliquo casu teneri ex justitia ad succurrendum huic pauperi determinato graviter indigenti; vel non teneri ex justitia?

Si dicas primum, sic arguo.

S. Thomas docet, divitem in aliquo casu teneri ex justitia ad succurrendum huic graviter indigenti; atque adeò in isto est verum jus justitiæ ad accipiendum sibi necessaria, potestque jure suo sumere:

Sed hæc opinio stat pro libertate indigentis:

Ergo S. Thomas defendit opinionem, quæ stat pro libertate indigentis.

Si verò dicas secundum, hunc alterum syllogismum produco.

S. Thomas docet, divitem numquam teneri ex justitia ad succurrendum isti determinato graviter indigenti:

Sed hæc opinio stat pro libertate divitis:

Ergo S. Thomas docet opinionem pro libertate divitis.

Respondeat ergo adversarius; quæ ex his propositionibus utriusque syllogismi non est evidens? Quod si cavillatorii dicantur, aut sophistici; ostendat, quo defectu laborant; ratione cujus in cavillatorios, aut sophisticos transeant.

ARTICULUS VIII.

Quàm multipliciter erret utraque periodus relata in duobus articulis proximè præcedentibus?

NON EGET SUMMARIO.

457 ERrat primò periodus relata *art. 6.* quòd putat in ea adversarius, solvi argumentum, per hoc quòd neget, S. Thomam docere id de necessitate gravi, cùm eadem difficultas instauretur in necessitate extrema. Vide *num.* 440.

458 Errat secundò in eo, quòd non attenderit ad eas decem conditiones, quas ibi dixi requisitas, ut pauper in gravi necessitate constitutus possit aliquid subripere à divite; atque adeò errat in eo, quod non noverit, quòd impugnat. Vide *num.* 442.

459 Errat tertiò in eo, quòd cùm casus sit rarissimus, qui spatio mille annorum vix semel continget; quia omnes eas conditiones copulari est difficillimum; arguit, quod pauperes erunt in continuo desiderio furandi. Vide *num.* 444.

460 Errat quartò in eo, quòd dicit, quòd quilibet pauper *gravem existimabit necessitatem suam:* cùm doctrina in libris tradita non sit, ut pauperes idiotæ addiscant; sed ut confessarii docti, & instructi, consideratis conditionibus omnibus, & requisitis dirigant pauperum conscientias.

461 Tum etiam, quia mea propositio debet commensurari cum mea explicatione necessitatis gravis. Vide *num.* 447.

462 Errat quintò in eo, quòd vocat *scandalosam* doctrinam illam, quam omninò non novit, dum non discernit sub quibus conditionibus illa tradatur.

463 Errat sextò in eo, quòd dicat, *nullum à me repertum esse vestigium hujus doctrinæ in S. Thoma.* Nam ejus doctrinæ, qualiter Jacobus eam exponit, nec ipse inveniet vestigium in mea Crisi; neque ego inveni vestigium in S. Thoma; nisi doctrinæ decem conditionibus limitatæ, & longè diverso modo explicatæ, quæ potiùs respiciat speculationem, quam praxim; & quæ propterea multis seris claudit ostium furtis pauperum.

464 Errat septimò, dum dicit, *me data opera, & de industria fabricasse hanc assertionem.* Nam, ut constat ex *disp.* 20. *à num.* 45. satis constat, non à me fabricatam, sed ab aliquibus illi attributam.

465 Errat octavò, dum dicit, hanc assertionem *inniti ratiocinatione tam falsa, quàm viro religioso indigna.* Et tamen nullam facit mentionem ejus ratiocinationis, quam per totam *disp.* 20. præcipuè à *num* 43 prosecutus sum. Nam vel eam ignoravit, vel non ignoravit? Si ignoravit, absurdum est, quòd dicat falsum, & viro religioso indignum, quod penitus nescit. Si non ignoravit, debuit conari ad solutionem ejus argumenti propositi, quòd divisio rerum temporalium jure humano introducta non potuit præjudicare ordinationi Divinæ, quæ res temporales tribuit ad indigentium necessitates sublevandas.

466 Errat nonò, dum dicit, per hanc assertionem *pauperem constitui judicem divitis*, ut ab eo subripiat alimentum, *& quòd id tribuatur S. Thomæ, quòd ipsi numquam venit in mentem.* Quasi in eo versetur difficultas, aut immanè absurdum, quòd pauper fiat judex divitis; cùm tamen idem obiici posset Sancto Thomæ, cùm dicit illud licere pauperi in extrema necessitate constituto. Vide suprà *num.* 447.

467 Errat decimò, dum dicit, *debere in tribunalibus judices quiescere contra latrones.* Id enim argumentum abundè solutum est ea *disp.* 20. *à num.* 109. quam solutionem debuisset attendere adversarius, & novo aliquo argumento impugnare; & non reproducere quasi insolutum.

468 Errat undecimò, dum dicit: *has pillulas tentas deglutire Cardenas;* cùm ipse glandes æneas devoraverit. Quid enim est dilemma dialecticum, nisi globus æneus tormento bellico displosus, qui turrim evertit: & tamen ipse hunc æneum dilemmatis globum devoravit. Ille enim devorat difficultatem, qui nec solvit, nec solvere conatur. Vide, quæ dixi *artic. præced.*

469 Errat duodecimò, dum dicit, me locutum problematicè; cùm id non sit problema, sed dilemma. Vide *artic. præced. num.* 456.

470 Errat decimotertiò, dum dicit, *finxit, se locutum problematicè.* Ubi magna cum admiratione inquisivi, in quo versatur ista fictio? proposui dilemma dialecticum, quod ex utraque parte convincit: & fictionem obiicit adversarius, ubi solidissimum ponitur instrumentum extorquendæ veritatis, & confessionis ejus.

471 Errat decimoquartò, dum artem dilemmatis appellat *cavillandi artem.*

472 Errat decimoquintò, dum eamdem vocat *artem claudicandi in utramque partem.* Errat decimosextò, dum dicit hanc artem dilemmatis conformandi, esse *à Deo, & hominibus reprobatam.*

473 Errat decimoseptimò, dum affirmat hanc eamdem artem esse *omnibus veritatis amatoribus mirum in modum exosam.* De quibus omnibus vide, quæ dixi articulo præcedenti.

ARTICULUS IX.

Referuntur aliæ opiniones S. Thomæ, quæ in concursu oppositarum probabilium stant pro libertate.

SUMMARIUM.

An homo teneatur stare promissioni internæ? Et an S. Thomas stet pro libertate? num. 475.

An ad valorem matrimonii sufficiant signa? Et an S. Thomas stet pro libertate? num. 476.

An S. Thomas stet pro libertate in ea quæstione, An sufficiat ad matrimonium consensus datus post multum tempus? num. 477.

An etiam in ea quæstione, utrùm feriarum tempore liceat consummare matrimonium ratum? num. 478.

An etiam in ea quæstione, utrùm lapsus in mortale teneatur statim ad confessionem? num. 479

An etiam in ea quæstione, utrùm Prælatus possit secum dispensare in illis, in quibus dispensat cum subditis? num. 480.

An etiam in ea quæstione, utrùm sit mortale communicare in loquela, cibo, &c. cum excommunicatis? num. 481.

An stet etiam S. Thomas pro libertate in ea quæstione, An detur sacramentum validum, & informe? num. 482.

An in multis aliis quæstionibus stet S. Thomas pro libertate? num 483.

474 NE existimaret adversarius, me reperisse in S. Thoma eas dumtaxat quinque opiniones, quæ in concursu oppositarum probabilium stant pro libertate contra legem; in animum meum induxeram catalogum texere longissimum plusquam ducentarum opinionum hujus generis, quæ in S. Thoma reperiuntur, tum in 4. *sent.* tum in 1. 2. & 2. 2. Sed ne fastidium pariam lectoribus, paucas aliquas enumerabo.

475 Sextò ergo est quæstio, An homo teneatur stare promissioni internæ? Pars affirmativa pro lege contra libertatem est probabilis, & eam tenent Ledesma, Palacios, & Mendoza, & inclinat P. Molina; & illam dicunt probabilem Sotus, Aragon, & Angles, apud P. Thomam Sanchez, qui eam etiam dicit probabilem *lib. 1. de Matrim. disput. 3. num. 3.* Partem oppositam, quæ stat pro libertate contra legem, tenet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *corp. & in 4. dist. 38. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 1.* quem sequitur idem Thomas Sanchez citatus.

476 Septimò. Quæstio est, an inter homines locutionis capaces, ad valorem matrimonii necessaria sint verba, vel sufficiant signa. Pars, quæ stat pro lege contra libertatem, est, quæ affirmat, necessaria esse verba, & non sufficere signa. Et hanc partem strictiorem tuentur Glossa *cap. Tua nos, de sponsalib.* Baldus, Bartolus, Gothifredus, Vincentius, Innocentius, Calderinus, Paulus, Alexander, Henricus, Tiraquellus, Barbatius, Gozadinus, Joannes Lupus, Zanetus, Zefalus, & alii, quos refert P. Thomas Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 31. num. 2.* Pars, quæ stat pro libertate contra legem, affirmat, satis esse signa sine verbis. Et hanc tuetur S. Thomas *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. & 3.* quem sequitur idem Thomas Sanchez *ibidem num. 5.*

477 Octavò. Quæstio est, An quando unus conjux consensit in matrimonium de præsenti, & intercedit multa mora inter consensum istius, & alterius, sufficiat ad matrimonium consensus datus post multum tempus? Pars strictior, quæ stat contra libertatem, dicit non valere id matrimonium. Hanc tuentur Speculator, collectarius ejus, Abbas, Antonius, Ancharranus, Alexander, & Carrerius, apud P. Thomam Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 32. num. 2.* Pars, quæ stat pro libertate, docet, posse iniri matrimonium licitè, & validè, licèt detur consensus

alterius

alterius conjugis post multum tempus. Et hanc tuetur S. Thomas *in 4. dist. 29. qu. unic. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2.* quem sequitur idem Thomas Sanchez *ibid.*

478 Nonò. Quæritur inter Doctores, An feriarum tempore liceat consummare matrimonium ratum? Pars stans pro lege contra libertatem negat licere. Hanc tuentur viginti sex authores, quos ea diligentia, qua solet, refert P. Thomas Sanchez *lib. 7. de Matrim. disput. 7. num.* 21. Partem stantem pro libertate contra legem, quæ docet id licere, tenet S. Thomas *in 4. dist. 32. quæst. unic. artic. 5. quæstiunc.* 4. quem sequitur idem Thomas Sanchez *ibid. num.* 23.

479 Decimò. Quæstio est, An lapsus in peccatum mortale teneatur statim sub præcepto ad confessionem, habita copia confessarii. Partem strictiorem pro lege tenent S. Bonaventura, & Hugo Victorinus apud Gonetum *dissert. de Probabilit. num.* 12. Partem benigniorem pro libertate tenet S. Thomas apud eumdem *ibid.*

480 Undecimò. Quæstio est, An Prælatus Ecclesiasticus possit secum ipse dispensare in iis, in quibus dispensat, cum subditis. Partem strictiorem, quod non potest, tenent Antonius, Imola, Alexander de Nevo, Berojus, Decius, supplementum Gabrielis, apud P. Thomam Sanchez *lib. 8. de Matrim. disput. 3. numer. 9.* qui dicit, eam opinionem esse probabilem. Partem benigniorem pro libertate tuetur S. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 1. ad 3.*

481 Duodecimò. Est quæstio, An sit peccatum mortale communicare cum ligatis excommunicatione majori, in loquela, cibo, &c. & partem affirmantem tenuit Raymundus in summa. Partem verò negantem, & pro libertate tenuit S. Thomas apud S. Antonin. *in summ. 1. part. tit. 3. cap.* 10. §. 10.

482 Tertiodecimò. Quæstio est utrimque probabilis, & utrimque acriter agitata à Doctoribus, An detur sacramentum pœnitentiæ validum, & informe defectu doloris requisiti ad effectum gratiæ consequendum; ita ut homo, qui ita fecit confessionem, non teneatur illam reiterare: Partem, quæ obligat ad reiterandam confessionem, tenent multi DD. qui videri possunt apud P. Granado *tom. 2. in 3. part. controv. 1. tract. 3. disput. 3. sect. 2.* Oppositam sententiam, quæ stat pro libertate pœnitentis, ne cogatur iterare confessionem in eo casu, tenet S. Thomas *in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. quæstiunc.* 1.

483 Postquam has opiniones S. Thomæ stantes pro libertate scripseram, incidi in P. Mathæum de Moya, qui *tom. 1. selectarum, tract. 1. quæst. 5. §. 3.* in hunc eumdem scopum collimat, referens viginti assertiones S. Thomæ, in quibus stat pro libertate contra legem in conflictu opinionum. Ex quibus quatuor sunt ex iis, quas suprà retuli; vide reliquas sexdecim. Et præter has viginti novem stantes pro libertate nolui plures quærere, aut numerare, ne lectori fastidium pariam. Ob quam causam P. Moya noluit plures quàm viginti adnumerare.

ARTICULUS X.

Solvuntur alia, quæ adversarius obiicit contra expositionem S. Thomæ à me exhibitam.

SUMMARIUM.

484 IN ea *disp. 15. capit. 6. artic. 3.* explicui quædam testimonia Sancti Thomæ, quæ Vincentius Baron objecerat adversùs nostram sententiam de quavis opinione practicè probabili eligenda. Contra hanc explicationem insurgit Jacobus eo *cap. 11. num. 8.* solita sua verborum amarulentia, & sic objurgat, exclamat, admiratur, & damnat.

485 [Non minùs gravia sunt, quæ ex eodem Cardena dicenda supersunt, quàm quæ hactenus ex illo audivimus: quæ talia sunt, ut non dubitemus, quin hac de causa grates referat Deo immortales totus candidatorum moralis Theologiæ chorus, quòd in Angelicum Doctorem, ut alii plures, commentaria non ediderit Cardenas. Nam ut ex præteritis liceat ominari de futuris; ita corruptus, aut diffamatus per ipsum fuisset Doctor Angelicus, ut facillimè jam posset quisque Esau pro Jacob obtrudere, id est, adversarium D. Thomæ pro eodem sufficere. Et ne existimet lector, à me hæc scripta esse sine causa, nonnulla subiiciam D. Thomæ testimonia, quæ de industria explicuit Cardenas, & ita corrupit, ut vix quidem, in illis mens S. Doctoris innotescere possit. Primò igitur ait D. Thomas *1. 2. quæst. 76. artic. 3.* esse aliquam ignorantiam invincibilem, quæ aliquando excuset à peccato, nimirùm *si talis sit ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive, quia verè est invincibilis, sive quia est ejus, quòd quis scire non tenetur.* At Cardenas (qui magnus S. Doctoris vult haberi interpres, ac discipulus) *pag. 190. num. 87* quamdam excogitavit ignorantiam invincibilem, quæ tamen vinci possit, quamvis nihilominùs nemo eam vincere teneatur. Quæ assertio, ut patet ex dictis *capit. 10.* est omninò falsa. Sed ne ipsi imponere videamur, eumdem audiamus. *Ignorantia,* inquit, *quæ includitur in opinione probabili, est invincibilis: non quia non potest vinci; potest enim resolvi in dubium, & hoc vinci per electionem partis tutioris; sed quia non tenetur homo ad id, eo ipso quòd habet fundamentum probabile pro libertate.* At hoc semel concesso ritè intellecto, maxima erit incuria hominis pro sua salute æterna, ut patet tot propositionibus respersis in casuistarum libris, & tamquam probabilibus propugnatis, quibus libertas creaturæ contra Dei jura defenditur, etiam cum de æternitate (ut ajunt) alea jacitur. At vincendam esse, partis probabilioris, ac tutioris electione, ignorantiam, in opinione minùs probabili inclusam, satis probant argumenta omnia toto *cap.* 10. Superiùs facta.] Hucusque adversarius circà expositionem ejus textus.

486 Deinde *num. 9* accedens ad expositionem à me datam alterius textus S. Thomæ, sic invehitur. [Secundo D. Thomas *quodlib. 1. artic. 13.* agens de pluralitate præbendarum, ait: *Peccatum committi aliquando agendo contra legem, aliquando verò agendo tantùm contra conscientiam, & quandoque agendo contra utramque.* Et *quodlib. 9. art. 15.* ostendit præfatam beneficiorum polygamiam esse admodum cognitu difficilem, ac periculosam: tum propter diversas Doctorum hac in parte opiniones; tum quia hactenus nullus definire ausus est, utrùm *plura habere beneficia* sit jure Divino, vel solo positivo prohibitum. At Cardenas præfatam D. Thomæ distinctionem adeò necessariam apertè confundit, illis quodlibetis manifestè illudit, cujus textus depravatio convincitur solo oculorum testimonio. Nam *pag. 229 num. 455. D. Thomas* (inquit Cardenas) *explicuit modum, quo conscientia excusat. Cùm ergo dicit quod agitur contra legem, semper esse malum, & conscientiam non excusare, intelligendum est de eo, quod agitur contra legem adeò claram, & manifestam, ut de illa non possit haberi conscientia erronea, nisi culpabilis, &c.* Cujus Cardenæ verbis apertè D. Thomæ contradicitur, & non tantùm præfata ejus distinctio confunditur, sed & legis violatio materialis cum formali permiscetur: quod est contra sensum communem omnium Doctorum, potest enim quispiam peccare contra legem, etiam zelo legis, & ignoranter, non verò ex malitia; ut in Saulo, & persecutoribus Apostolorum contigit, qui arbitrabantur se obsequium præstare Deo, à quibus lex, quàm æmulabantur, imperfectissimè cognoscebatur. Qui tamen minimè à peccato excusantur; nam ut ait Doctor Angelicus *quodlibet. 9 art. 15 Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto.* Et ut suprà diximus, ipse Adamus arbitrabatur, se tantùm venialiter peccaturum. Item qui putaret fornicationem esse tantùm veniale, non propterea desineret peccare mortaliter, ut ait D. Thomas.] Hucusque Jacobus.

487 In quibus verbis multa notanda veniunt. Primum. In ea *disput. 15. cit. cap. 9.* duplici argumento demonstravi, in omni opinione verè, & practicè probabili contineri ignorantiam invincibilem: cujus fundamentum est textus ille citatus S. Thomæ; quod etiam abundè explicui *capit. 3. artic. 3. & 4.* & tamen adversarius nec respondet ad hæc argumenta, nec mentionem illorum facit. Deinde explicationem secundi textus allegati ex S. Thoma, *ibid. cap. 6. art. 3.* probavi primùm authoritate Doctorum ferè sexaginta, inter quos sunt plusquam viginti, ex Thomistis domesticis; deinde confirmavi multis argumentis desumptis ex ipsis verbis S. Thomæ. Et tamen (quòd valdè mirandum est) ad hæc nihil respondet Jacobus. Nonne scholasticus stylus postulat, ut assertionem, quam defendis, tum argumentis promoveas, tum respondeas ad objecta? Nihil horum agit, sed contentus est dixisse, quòd Cardenas corruperit S. Thomam. Nonne consultius illi fuisset, & viro docto dignius satisfacere argumentis oppositis, quàm pugnare amarulentia verborum? Quid prodest excludere me à numero Commentatorum S. Thomæ, & inter Esau, & Jacob proludere, & similibus vociferationibus profligare explicationem meam; si argumenta, quæ pro illa confero, intacta manent, & inconcussa? Probationem, quam adversarius insolutam relinquit, insolubilem judicavit. Argumentatio autem nulla est insolubilis, nisi quæ evidens est. Ergo Jacobus vociferatur contra evidentiam.

488 Sed quia Jacobus tanta amplificatione verborum dicit, me apertè confundere doctrinam S. Thomæ, & illius quodlibetis manifestè illudere mea explicatione, qua dixi, illa verba, *quòd*

agitur

agitur contra legem, &c. intelligi, *contra legem claram, & manifestam*; audiendus est S. Antoninus 1 *part. tit 3. cap. 10. §. 10. & 7 reg.* [Quod autem dicit B. Thomas in *quodl. 4. quæst 4. art. 2.* quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet, alteram esse veram, & alteram falsam. Si ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, ut puta in habendo plures præbendas, faciens contra veram opinionem, non excusatur à peccato, *cùm faciat contra legem Dei*, quamvis non faciat contra conscientiam. Hæc enim verba B. Thomæ, non possunt intelligi, nisi de his, *ubi manifesta patet ex scriptura, vel Ecclesiæ determinatione; quòd sit contra legem Dei*: & non de illis intelligit, ubi non apparet: aliàs *sibi contradiceret in eodem libro*; quòd non est credendum, &c.] Numquid ergo S. Antoninus corrupit S. Thomam, qui eisdem omninò terminis usus anteà erat, quibus ego? Numquid potest fieri, quòd ambo eisdem terminis utamur in explicatione S. Thomæ, & quòd alter corrumpat, alter non corrumpat ejus mentem? Eodem modo explicat hunc locum Sylvester verb. opinio quem referens hunc locum S. Antonini. Et Ioan. Nider in consolat. *p. 3. c. 21.* sic explicat. [Hæc verba S. Thomæ non possunt intelligi, nisi de illis, ubi *manifestè patet* ex scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quòd sit contra legem Dei; & non de illis intelligit, ubi illud non apparet, sicut se ipsum declarare videtur *quodl. 3. art. 10.*]

489 Secundum. Negat Iacobus in opinione practicè probabili contineri ignorantiam invincibilem. Et ego inquiro, An in opinione S. Thomæ, quæ in concursu opinionum probabilium adversarum stat pro libertate contra legem, includatur ignorantia invincibilis? V. g. in ea opinione, qua docet S. Thomas, filium non teneri obedire Patri, quo ad matrimonium incundum, nisi quantum justa causa obligaverit. In quo, ut supra demonstravi, opinio S. Thomæ stat pro libertate filii. Et quidem cùm authores magni, & rationes graves stent pro opposita sententia, nescimus, utra ex duabus opinionibus sit à parte rei vera.

490 Vel ergo ista ignorantia est vincibilis, vel invincibilis? Si vincibilis est, scilicet per electionem partis tutioris; debuit S. Thomas consulere filio, ut in dubio eligat partem tutiorem pro lege contra libertatem; atque adeò ut obediat Patri quo ad matrimonium incundum. Si verò dicas, eam ignorantiam esse invincibilem; infero: ergo in opinione S. Thomæ, quæ in concursu opinionum adversarum stat pro libertate, continetur ignorantia invincibilis. Ergo in opinionibus reliquorum Authorum, si verè sunt probabiles, est etiam ignorantia invincibilis: vel assignanda est disparitas inter opiniones S. Thomæ, & opiniones verè probabiles reliquorum Authorum. Et eadem argumentatio fieri potest in reliquis opinionibus S. Thomæ stantibus pro libertate relatis in articulo præced. Cæteras argumentationes pro inclusione ignorantiæ invincibilis in opinione probabili vide in ea *disp. 15. citato cap. & infra cap. 15.*

491 Tertiam Assertionem, qua tuemur in opinione probabili contineri ignorantiam invincibilem; hac sola ratione impugnat Iacobus. Quòd sic, *maxima erit incuria hominis pro sua salute æterna, ut patet tot propositionibus respersis in Casuistarum libris, & tanquam probabilibus propugnatis*. Et inquiro, An in opinione S. Thomæ, quæ stat pro libertate filii quo ad matrimonium incundum, sit incuria filii, pro sua salute æterna, vel non? Si primum dicas, Antithomista es, qui adeò magnam injuriam irrogas doctrinæ S. Thomæ. Si dicas, ex illa opinione non inferri incuriam filii pro sua salute æterna; idem dicendum est de cæteris opinionibus, quæ fuerint verè probabiles, reliquorum Authorum stantibus pro libertate.

492 Quando autem dicit, id *patere tot propositionibus respersis in Casuistarum libris, & tanquam probabilibus propugnatis*; supponit duo principia falsa. Alterum, omnes propositiones respersas in Casuistarum libris esse verè probabiles; reperiuntur enim non paucæ improbabiles, ut satis ostendi in 1. & 2. part. Crist. Theol. Alterum, idem esse probabile, quòd verisimile. Qua in re semper laborant adversarii in æquivoco: non enim dicimus probabiles, quæ verisimiles, sed quæ magno fundamento nituntur. De quo vide *sup. cap. 5.*

493 Hinc respondeo, eos, qui sequuntur opiniones, non quæ *tanquam probabiles propugnantur*, sed quæ verè probabiles sunt; non quæ quacumque verisimilitudine, sed quæ magno fundamento ducuntur; nullam habere incuriam de sua æterna salute; quia viam securam gradiuntur; sicut securè incedunt, qui sequuntur opiniones probabiles S. Thomæ. Qui autem Authores seligendi sint pro securitate opinionum, in 1. par. Crist. Theol. disp. 11. latè dixi, eligendos esse Authores omni exceptione majores. Qui autem hi sint, ibi latè explicui; & dicam *disp. seq.*

494 Quartum. Deveniens adversarius ad secundi textus explicationem à me datam, eam putat impugnari; ex eo quod S. Thomas dicat; *Peccatum committi aliquando agendo contra legem; aliquando verò agendo tantùm contra conscientiam; & quandoque agendo contra utrumque*. Quæ asserta verissima sunt; nec meam sententiam, nec illius apicem unum lędunt. Peccat enim contra legem, & non contra conscientiam; qui putans errore vincibili, & culpabili, perjurium esse licitum ad tuendam vitam alterius; pejerat in eum finem; tunc enim peccat contra legem, & non contra conscientiam. Peccat contra conscientiam tantùm, qui putans, juramentum verum esse lethaliter illicitum, adhuc jurat. Iste enim non peccat lethaliter contra legem. Peccat contra legem, & conscientiam, qui sciens perjurium esse illicitum, adhuc pejerat. Quæ omnia clarissima sunt, & ab omnibus admittenda, neque ullum præjudicium afferre possunt meæ doctrinæ.

495 Ad id, quod addit, S. Thomam censuisse, pluralitatem beneficiorum simul habendam *esse admodum cognitu difficilem, ac periculosam*; nec obest, nec prodest meæ doctrinæ. Nam si S. Thomas judicavit, eam esse periculosam, utique dubitavit de probabilitate opinionis affirmativæ, Quo pacto intelligit D. Thomam Bartholomæus de Medina mox referendus disp. 58. initio. Et qui dubitat de probabilitate opinionis stantis pro libertate, practicè dubitat. In dubio autem practico teneri nos ad tutiorem partem, nemo est, qui dubitet ut notavi sæpe in *disp. 15. cit.*

496 Sed lepidum est, quod subjungit adversarius, nempe solo oculorum testimonio convinci de falsitate explicationem meam; cùm eandem explicationem tradiderint plusquam viginti Thomistę domestici, & alii complures Doctores, qui ferè ad numerum sexagenarium pertingunt, quos citavi ea disp. 15. à n. 453 inter quos est S. Antoninus relatus supra in hoc art. Numquid carebant oculis Thomistæ insigniores? Numquid caligabat S. Antoninus? Numquid Bañez, Medina, Alvarez? Numquid Aragon? Numquid Tapia? Numquid Candidus? Numquid Suarius, Vasquius, Thomas Sanchez? Numquid reliqui? Numquid Gallicis tantùm hominibus, paucissimis illis quidem, aperuit oculos Dominus, ut viderent defectum hujus explicationis? Hanc enim esse sententiam communem Thomisticæ scholæ tam certum est, ut non solùm Barnabas Gallego in tract. de conscientia probabili dub. 3. dixerit, hunc esse communiorem sensum Thomistarum, nempe quòd liceat amplecti quamlibet opinionem probabilem; sed & Gonetus in dissert. de Probabilit. nu. 210. in hæc verba prosiluerit. [Quare non possum satis mirari, quo modo tot Thomistæ, aliàs graves pro secundis intentionibus, & entibus rationis, pro indivisibilibus continuis pro natura, & existentia temporis, & aliis similibus quæstionibus, quæ nec proficere, nec obesse possunt animarum saluti; pro S. Doctore tanta animi contentione decertent: & vix advertant, quid in rebus moralibus, & præsertim in hac gravissima de probabilitate quæstione senserit.] Itaque supponis certum, hanc esse sententiam tot gravium Thomistarum, & putas, eos contradicere D. Thomæ ex defectu advertentiæ. Sed quàm illud injuriosum sit viris sapientissimis; alii judicent. Ego enim censeo, communem sententiam interpretum circà intelligentiam alicujus textus, facere certitudinem moralem, quoad talem intelligentiam. Vide, quæ de hoc dixi disp. 12. capit. 6. in Additionibus, quæ sunt ad calcem *part. 2. n. 26.*

497 Ergo cùm dicit S. Thomas; *Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusat conscientia*; explicui cum prædictis Thomistis, & reliquis Doctoribus, ut intelligatur sic: *Quod agitur contra legem claram, & manifestam*. Et cùm hæ duæ postremæ dictiones noceant opinioni Iacobi; in illas contorquet amarissimorum verborum jacula.

498 Sed quo modo probat, hac explicatione contradici D. Thomæ? Audi. *Potest enim quis peccare contra legem etiam zelo legis, & ignoranter*, Siste, lector, in hac postrema dictione. Nam inquiro, qua ignorantia? Vincibili ne, an invincibili? Si dicas invincibili, apertè pugnas contra Angelicum Præceptorem, qui 1. 2. *quæst. 19. toto artic. 6.* docet, ignorantiam invincibilem excusare à peccato. Si verò dicas esse vincibilem eam ignorantiam, qua quis peccat contra legem; infero: ergo ea lex erat adeò clara, & manifesta, ut si attenderet ad eam homo ille eam ignorans, eam cognosceret; ideò enim illi vertitur ad culpam, quia non attendit, neque adhibuit diligentiam ad cognoscendum, quòd re ipsa cognovisset, si diligentiam præstitisset.

499 Cùm ergo S. Thomas dicit. *Quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusare conscientiam*; de conscientia vincibiliter errante intelligendus est; & de ea lege tam nota hominibus, ut si ad eam attenderetur, & adhiberetur sufficiens diligentia ad ejus cognitionem clarè cognosceretur. Vide, quæ dixi ea *disp. 15. cap. 6. art. 3.*

500 Hinc patet, quid respondendum sit ad ea exempla, quæ affert: *Ut in Saulo, & persecutoribus Apostolorum contigit, qui arbitrabantur, se obsequium præstare Deo; à quibus lex, quam æmulabantur, imperfectissimè cognoscebatur*. Ideò enim imperfectissimè cognoscebant legem, contra quam æmulabantur; quia non adhibebant debitam diligentiam ad attendendum ad eam; Illa enim lex ex miraculis Christi, & Apostolorum, & ex sanctitate vitæ & ex multis aliis argumentis adeò clara erat, & manifesta, ut si debitam diligentiam adhiberent, clarè cognosceretur, Ex defectu hujus diligentiæ debitæ peccabant.

501 Sed non est prætereunda ea calumnia, qua adversarius ait: *Sed & legis violatio materialis cum formali permiscetur*. Cùm enim S. Thomas in eo textu non loquatur de violatione materiali, neque ad ejus explicationem ea distinctio profit; ad quem finem petit eam distinctionem? Omisi illam quidem; quia non erat ad rem meam, Sed numquid omittere distinctionem, idem est, quòd confundere distinctionis membra?

502 Textus alter S. Thomæ, quem deinde affert, nempe: *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale*,

conscientiam non excusat à toto, licèt forte à tanto. Loquitur de errore vincibili, & culpabili. Sed quid inde contra nostram sententiam?

503 In eo autem, quòd dicit, Adamum arbitratum esse, se tantum venialiter peccaturum; deceptus est Jacobus prava intelligentia textus S. Thomæ; cùm S. Thomas ipse se abunde explicuerit. Nam 2.2.qu.163.*art.1.ad* 3. citans S. Augustinum, ait: *Inexpertus Divinæ severitatis, credidit, illud peccatum esse veniale, id est, de facili remissibile.* Ergo ea ipsa explicatione S. Thomæ constat, quòd, non vocat *veniale* prout opponitur mortali; sed prout opponitur difficilè remissibili.

504 Sed quid inde contra nos, si Adamus putaret errore culpabili, illud peccatum foré veniale, ut opponitur mortali? ille enim error esset valdè culpabilis, cùm à Deo facta fuerit evidens revelatio de gravitate suæ culpæ, per quam ipse, & posteri utramque mortem animæ, & corporis incursuri erant.

505 Idem dicendum est de eo, qui errore vincibili putaret, fornicationem esse dumtaxat venialem. Nam si invincibili errore id putaret (si is error possibilis est) ex doctrina S. Thomæ non potest esse mortale. Quòd clarissimè explicuit S. Thomas quod *lib.* 8 *art.* 5. verbis à me relatis ea *disp.* 13. *num.* 456. sic. *Quandoque verò error conscientia non habet vim absolvendi, vel excusandi; quando scilicet ipse error peccatum est, ut cùm procedit ex ignorantia ejus, quòd quis scire tenetur, & potest. Sicut si crederet, fornicationem simplicem esse peccatum veniale: & tunc quamvis crederet, peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.*

ARTICULUS XI.

Quotupliciter erret ea periodus proximè relata?

NON EGET SUMMARIO.

506 ERrat primò, dum ait, totum *Candidatorum Theologiæ moralis chorum, grates agere Deo, quòd commentaria non ediderim in S Thomam.* Et sanè si de se ipso loqueretur, facilè crederem: quia tam amara verba, non nisi ex amaro animo prodeunt. Sed cùm loquatur de omnibus, Hispanis, Gallis, Italis, Germanis; admirabile est, quòd tam comprehensivè loquatur. Numquid omnes Hispani, Galli, Itali, Germani compromiserunt in unum Jacobum à S. Dom Ostendat ergo nobis instrumentum compromissionis; vel fateatur, ea verba esse dumtaxat verba, ex amaro animo profluentia.

507 Errat secundò in eo, quòd quando debebat dare lectoribus argumentationes ad probandum, sinistram esse eam explicationem S. Thomæ: pro argumentationibus dat verba, & profert contumelias. Sed quo fructu; dum non probat, se assecutum mentem S. Doctoris?

508 Errat tertiò in eo, quòd asserit, à me *corruptum, & diffamatum* S Doctorem. Quem errorem sic demonstro. Ille dicitur corrumpere, & diffamare S. Thomam, qui illum trahit ad sensum absurdum: atqui ego non traxi S. Thomam ad sensum absurdum; immò vero ad sensum certissimum, & evidentem, & communiter à Thomistis admissum: ergo errat, qui dicit, sic corruptum, & diffamatum S. Thomam.

509 Quin immò multo verius debet dici S. Doctor *corruptus, & diffamatus* à Jacobo à S. Domin Quod sic ostendo, ex eodem principio. Ille dicitur corrumpere & diffamare S. Thomam, qui illum trahit ad sensum absurdum: atqui Jacobus trahit illum ad sensum absurdum: ergo corrumpere, & infamare illum dicendus est. Minor demonstratur articulo sequenti.

510 Errat quartò, dum dicit, me *Esau pro Jacob obtrudere, idest, adversarium D. Thomæ pro eodem sufficere.* In illum enim hæc potius conveniunt, qui, ut constabit *ex artic. seq.* est manifestus Antithomista in materia hujus quæstionis. Et licèt sit Jacobus, vox tamen non est Jacobi; hic enim mansuetudine, modestia, & ratione, non conviciis, nec contumeliis fratrem superabat.

511 Errat quintò in eo, quòd damnat assertum de ignorantia invincibili opinionis probabilis; cujus dubium licèt vinci possit per electionem partis tutioris, non tamen tenemur sic vincere, quando adest fundamentum probabile pro libertate: quia per fundamentum probabile deponitur dubium speculativum. Errat, inquam, quia cùm ipse adversarius posuerit textum S. Thomæ, ex quo infero hanc doctrinam; nihil ad hoc respondet, neque explicat, quomodo ea doctrina non inferatur ex eo textu S. Thomæ.

512 Errat sextò in eo, quòd non respondet argumentis à me factis in confirmationem ejus ignorantiæ invincibilis. De quo vide *art præced. nu* 489.

513 Errat septimò, dum loquens de hac ignorantia invincibili, ait: *Quæ assertio, ut patet ex capite* 10. *est omnino falsa.* Nam in eo *cap* 10. nihil asserit, quod huic generi ignorantiæ invincibilis adversetur. Nam *ibid num.* 26. cùm attulisset ex S. Bernardo illud, *Si privatum ignorantia nullum est; non ergo peccavit Saulus, &c.* Addit Jacobus: [Quid, quæso, dixissent Sancti Patres de fictitia illa; & hactenus inaudita *vitali* Cardenæ ignorantia ab ipso excogitata, qua omnem opinionem, etiam minus probabilem imbuit; quamque dicit invincibilem; cùm tamen omni jure vinci debeat, ac possit delectu opinionis probabilioris, ac tutioris,] &c. Qua super assertione verba multiplicat, sed argumentationem nullam profert: sed remittit se ad dicta in toto libro pro electione opinionis strictioris contra libertatem.

514 Ubi notandum est primò, nescire me, ex qua penu deprompsit adversarius illud epithetum *vitalis*, quòd meo nomine attribuit ignorantiæ invincibili; cùm in tota mea Crisi nihil tale reperiatur. Moneo ergo adversarium, ut attentius legat, & referat Authorum dicta. Notandum est secundò, illud dictum S. Bernardi nihil nocere meæ doctrinæ, quæ admittit, frequentissimè peccari graviter propter ignorantiam vincibilem. Notandum est tertiò, perperam inde inferri aliquid contra doctrinam de ignorantia invincibili reperta in opinione probabili.

515 Errat octavò, dum ex hac ignorantia invincibili infert, *maximam foré incuriam hominis pro sua salute æterna.* Ut constat ex dictis *art. præced. nu.* 491.

516 Errat nonò, dum hanc incuriam probat, ex eo quòd reperiuntur *in Casuistarum libris* multæ propositiones *tamquam probabiles propugnatæ:* quasi ego admitterem, posse ad praxim reduci omnes opiniones, quæ à quibuslibet scriptoribus propugnantur tamquam probabiles; & non docuerim oppositam assertionem *in* 1 *part. Crisis disp.* 11. & passim alibi. Vide *art. præced. nu.* 492.

517 Errat decimò, dum circà id dictum D. Thomæ, quòd *peccatum committitur aliquando agendo contra legem, aliquando contra conscientiam, & aliquando contra utramque;* ait adversarius: *At Cardenas præfatam distinctionem D. Thomæ apertè confundit:* Nam admitti à me eam trimembrem distinctionem, clarissimè constat *ex art. præced. nu.* 494.

518 Errat undecimò, dum subjungit: *Illisque quodlibetis manifestè illudit:* quia id affirmat, & non probat. Et quia ejus probatio nulla sibi occurrit, ait: *Cujus textus depravatio convincitur solo oculorum testimonio.* Quod dictum solùm convenit in veritatem per se notam, & quæ nulla probatione indiget.

519 Errat ergo duodecimò, dum vult, id, quòd dicit S. Thomas, *Quod agitur contra legem, semper est malum*, esse veritatem per se notam, quod non intelligatur, ut ego exposui: *Quòd agitur contra legem adeò claram, & manifestam, ut de ea non possit haberi conscientia erronea, nisi culpabilis.* Quo modo enim potest esse veritas per se nota, & solo oculorum testimonio comprobanda ea, cujus oppositam docent foré sexaginta Doctores, quos citavi in illa *disp. nu* 458. Vide *art. præced. nu* 495.

520 Errat tredecimò, dum ait, per illam explicationem meam, *legis violationem materialem cum formali permiscere:* cùm in eo loco nulla sit mentio violationis materialis. Vide *articul. præced. numer.* 501.

521 Errat quartodecimò, dum non distinguit inter ignorantiam vincibilem, & invincibilem in illis verbis, quæ subjungit: *Potest enim quis peccare contra legem etiam zelo legis, & ignoranter, non verò ex malitia, ut in Saulo. &c.* Quis enim negat, peccasse Saulum ignoranter, errore vincibili & culpabili? aut quid inde contra meam sententiam? Vide *art. præced. num.* 500.

522 Errat decimoquintò, dum contra me affert illum textum D. Thomæ, *quod error, quo non creditur esse peccatum mortale, quòd est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt forte à tanto.* Nam cum S. Doctor loquatur de errore vincibili, & culpabili, nihil dicit, quòd ego non libentissimè admittam, quin meæ doctrinæ præjudicet. Vide *art. præced. nu* 502.

523 Errat decimosextò, dum ait, *Adamum arbitratum fuisse, se tantum venialiter peccaturum*, dum id ait, inquam, in alio sensu diverso ab eo, in quo locutus est S. Thomas. Vide *articul. præced. num.* 503.

524 Errat decimoseptimò, dum saltat extra chorum in eo, quòd subjungit: non enim est ad rem id, quod affert ex S. Thoma, eum *qui putaret fornicationem esse tantùm venialem, non propterea desineret peccare mortaliter:* Cùm S Thomas loquatur de errore culpabili, & vincibili. Vide *art. præced. fine.*

ARTICULUS XII.

Ex dictis convincitur, Jacobum à S. Dom. esse manifestum Antithomistam in hac quæstione.

SUMMARIUM.

An sit Antithomista, qui in aliqua opinione non sequitur S. Thomam? n. 525. & seq.
An sit Antithomista, qui docet aliqua, unde affertur præjudicium doctrinæ S. Thomæ? n. 527.
Quare Jacobus à S. Dom. dicendus sit Antithomista? ibid.
An ex doctrina ejus inferatur, opiniones S. Thomæ non esse securas? nu. 528. & seq.

525 SCriptor iste passim vocat Antithomistas eos, qui, ut ipse putat, non sequuntur doctrinam S. Thomæ in electione opinionum stantium pro lege contra libertatem. Ex quo capite Jacobus dicendus est Antithomista, cùm S. Thomas expressè doceat

multas

multas opiniones stantes pro libertate contra legem, etiam in concursu aliarum oppositarum; Jacobus autem doceat, in hoc concursu semper sequendam esse opinionem stante pro lege contra libertatem.

526 Ego quidem censeo, ut quis dicatur Antithomista, non sufficere, quòd in una vel altera materia opinabili deserat opinionem S. Thomæ. Neque enim in ullius mentem venit, quòd Navarrus dicendus sit Antithomista, eo quòd in ea quæstione, *Utrùm filius teneatur obedire Patri quo ad matrimonium ineundum?* deserat opinionem S. Thomæ, & oppositam sequatur.

527 Antithomista ergo dicendus est, meo judicio, qui non solùm deserit opiniones S. Thomæ; sed & ponit principia, & doctrinam, unde magnum præjudicium afferatur doctrinæ, & opinionibus S. Thomæ. Et hoc modo assero, Jacobum in hac quæstione esse Antithomistam: ejus enim doctrina maximum præjudicium affert opinionibus S. Thomæ. Ex ea enim infertur, opiniones S. Thomæ non esse securas in praxi, nec reddere conscientiam tutam. Dicere autem, opiniones S. Thomæ non esse securas, delirare est.

528 Quod autem id ita inferatur ex doctrina Jacobi, sic demonstro primò. Illæ opiniones non sunt securæ in praxi, quæ in conflictu aliarum opinionum adversarum stant pro libertate contra legem: sed S. Thomas docet multas opiniones hujus generis: ergo multæ opiniones S. Thomæ non sunt securæ in praxi. Consequentia ligat, Major est adversarii; Minor constat evidenter ex omnibus articulis hujus capitis à secundo usque ad nonum.

529 Demonstro secundò. Illa opinio, quæ non affert secum certitudinem de honestate operationis, non est secura: sed opiniones relatæ S. Thomæ non afferunt certitudinem de honestate operationis: ergo illæ opiniones S. Thomæ non sunt securæ. Consequentia est legitima; & major est adversarii.

530 Minor verò, juxta meam doctrinam, falsa est: censeo enim, filium, qui sequitur opinionem S. Thomæ, iniens matrimonium contra præceptum Patris ea justa causa, certum esse, quòd non peccat. At verò, juxta doctrinam adversarii, filius non potest esse certus, quòd non peccat, quia in opinione merè probabili non agnoscit caput, unde oriatur ea certitudo, præcipuè si sit in conflictu alterius opinionis probabilis adversæ. Atqui hæc opinio S. Thomæ, quæ stat pro libertate filii, est merè probabilis, & stat in conflictu alterius opinionis probabilis oppositæ, quam multi Authores tuentur; ut constat ex supradictis.

531 Demonstro tertiò. Illa opinio non est secura ad praxim, quæ in conflictu opinionum adversarum parit dubium practicum, in quo tutior pars pro lege contra libertatem amplectenda est: sic se habent multæ opiniones S. Thomæ: ergo multæ opiniones S. Thomæ non sunt securæ ad praxim. Consequentia obligat.

532 Major est adversariorum, qui docent in conflictu opinionum adversarum, rationes probabiles utrimque militantes parere dubitationem, in qua tutior pars eligenda sit. Ita Jacobus à S. Dominico *cap. 5. conclus.* 10. *&* 12. *& cap.* 10. ubi non admittit opinionem probabiliorem utcumque, sed probabiliorem, & tutiorem. Tutiorem autem appellat eam, quę stat pro lege contra libertatem. Et differt à Baronio, qui admittit probabiliorem pro libertate, quando probabilior superat maximo excessu eam, quæ minus probabilis est. Quod autem S. Thomas habeat multas opiniones, quæ in conflictu oppositarum sint pro libertate contra legem, patet ex articulis ferè omnibus antecedentibus.

533 Demonstro quartò. Illa opinio non est secura, in qua datur ignorantia vincibilis, ratione cujus is, qui ita vincibiliter ignorat, & dubitat, tenetur eligere partem tutiorem pro lege contra libertatem: sed multæ opiniones S. Thomæ sunt hujusmodi: ergo multæ opiniones S. Thomæ non sunt securæ. Consequentia est legitima, & major est adversariorum.

534 Minor ostenditur. Tunc datur is modus ignorantiæ vincibilis, juxta sententiam adversariorum, quando est conflictus opinionum oppositarum, exsistentibus hinc inde rationibus probabilibus: sed in opinionibus, quas S. Thomas determinat pro libertate contra legem, datur conflictus opinionum oppositarum, existentibus hinc inde rationibus probabilibus: ergo dantur opiniones S. Thomæ, in quibus reperiatur is modus ignorantiæ vincibilis.

535 Minor hujus syllogismi patet inductione facta per singulas. Nam in ea quæstione, [An filius teneatur obedire Patri quoad matrimonium ineundum?] est conflictus opinionum oppositarum; & hinc inde sunt rationes probabiles; hinc rationes, quas affert S. Thomas; illinc quas affert Navarrus, & reliqui Authores, quos retuli in ea *disp.* 15. *num.* 479.

536 Similiter in ea quæstione, [An promissio interna facta homini obliget promittentem?] est conflictus opinionum oppositarum, & pro utraque parte sunt Authoritates, & rationes probabiles; ut constat ex dictis *artic.* 9. & sic quoad reliquas ibid. & articulis antec. ralatas.

537 Demonstro quintò *Quotiescumque ex aliqua opinione probabili, probabiliori, aut probabilissima aliquod imminet peccati periculum*, illa opinio non est secura: sic se habent multæ opiniones S. Thomæ: ergo multæ opiniones S. Thomæ non sunt securæ. Consequentia patet, & major est expressa illis ipsis terminis à S. Jacobo *cap.* 5 *concl.* 12.

538 Minor apud me falsa est; sed in sententia adversariorum necessariò deglutienda. Quod sic ostendo. Nam juxta modum discurrendi adversariorum, tunc est peccati periculum, quando ex probabilitate utriusque partis opinionum oppositarum, ex quibus quęnam sit à parte rei vera, nescimus, hi authores probabilibus rationibus asserunt, esse peccatum; illi verò rationibus etiam probabilibus docent, non esse peccatum: atqui sic se habent multæ opiniones S. Thomæ, quas decidit pro libertate contra legem. V. g. in ea quæstione, [An filius teneatur obedire Patri, quoad matrimonium ineundum?] sunt opiniones utrimque probabiles; & unaquæque habet suos authores, & rationes probabiles: & nescimus, quænam à parte rei sit vera; si enim sciremus, quænam pars à parte rei sit vera, hæc non esset dumtaxat probabilis, sed omnino certa. Cùm ergo authores stantes pro lege obedientiæ filii, dicant, peccare filium non obediendo Patri quo ad matrimonium ineundum, idque suadeant rationibus non contemnendis; quando S. Thomas docet, filium in hoc non teneri obedire Patri, nisi quantum justitia causæ obligaverit, ibi est periculum incidendi in illud peccatum inobedientiæ, quod oppositi Doctores suadent. Periculosa ergo est ea sententia S. Thomæ, nisi nobiscum dicant, nullum penitus esse periculum, eo quòd probabilissima est sententia S. Thomæ. Quòd idem argumentum fit in cæteris opinionibus S. Thomæ supra relatis stantibus pro libertate contra legem.

539 Patet ergo ex dictis, non solùm non esse nos Antithomistas, qui defendimus, standum esse pro vera probabilitate practica in ordine ad praxim; ut vult Jacobus à S. Dom. sed etiam ipsum Jacobum in hac quæstione esse manifestum Antithomistam, tum quia in ea non sequitur doctrinam S. Thomæ; tum quia ponit multas positiones, ex quibus convincitur, periculosas, & parum tutas esse opiniones S. Thomæ, quas resolvit pro libertate contra legem incertam.

ARTICULUS XIII.

Quomodo, & quàm infideliter referat argumentationem Baronii ex S. Thoma pro sua sententia, & responsionem meam.

NON EGET SUMMARIO.

540 VIncentius Baron (ut proposui ea *disp.* 15. *cap.* 6 *art.* 3. *nu.* 457.) ut probaret, S. Thomam stare pro sua sententia de delectu opinionis strictioris contra libertatem, usus est hac argumentatione. [Cùm ab actu ad potentiam consecutio sit legitima, concludere licet, Theologorum neminem, nequidem ipsummet Theologorum Principem, posse opinionem pro utilitate probabilem, facere tutam contra legem, quandiù intra probabilitatis fines continetur, nec evadit in necessariam. Id enim numquam factum à D. Thoma, nec tentatum, nisi in his, quæ possit argumentis necessariò confirmare] Hucusque argumentatio Baronii.

541 Ad quam, respondi *num.* 468. in hæc verba. [Itaque quia ab actu ad potentiam consecutio est legitima. sic argumentatur Baron. S. Thomas numquam fecit tutam opinionem merè probabilem contra legem: ergo S. Thomas illam non potest facere tutam, & consequenter nec Theologorum ullus. Si illa est bona argumentatio, etiam hæc erit approbanda: [Christus fide non transtulit montes in mare: ergo Christus fide non potuit montes in mare transmittere.] ·.·. Quæ consequentiæ penitus ignorantur à dialecticis, quia quod non est, non scitur. Consulat ergo Baron Dialecticos, & audiet ab illis, inter prima dialecticorum rudimenta [ab actu ad potentiam esse legitimam consequentiam:] at vero [à negatione actus nullam esse consequentiam ad negationem potentiæ] Ipse enim quasi utraque regula unica sit, & indivisibilis, cùm polliceatur argumentum ab actu ad potentiam, dat nobis argumentum à negatione actus ad negationem potentiæ; & vult, hoc posterius tantidem valere, ac illud prius. Quem reatum contra dialecticam sola recantatione palinodiæ potest eluere.] Hucusque respondi in loco citato.

542 Accedit Jacobus ad hæc referenda *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. & his verbis refert. [Insuper asserimus, numquam ab Angelico Doctore hanc laxitatem fuisse scriptam. Ut hoc probaret P. Baronius in sua Ethica Christ. eodem ferè argumento. · . usus est, quo & ipse Doctor Angelicus *quodl.* 2. *articul* 7 usus fuerat, contra eos, qui dicebant, pueros Judæorum esse baptizandos invitis eorum parentibus ante rationis usum. Contra quos ait D. Thomas: *Multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, & alii plures, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Theodosius Ambrosio, qui hoc nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi*. Quare inquiebat P. Baronius. Si aliquando liceret sequi opinionem minus probabilem legi contrariam; vix possibile esset, quin apud D. Thomam (qu. tot, ne dicam omnes præscripsit conscientiæ regulas, vel saltem earum fundamenta stabilivit, ex quibus facili negotio ipse leges edu-

cantur, hujusce rei aliquod reperiretur exemplum. Atqui hactenus nullum laxitatis indicium reperiri potuit ab adversariis, & si ab ipsis diligentissimè conquisitum, sive scripserit S. Doctor, de melioribus ex consilio, sive de bonis, ac tutis ex præcepto sectandis, in quibus universim semper stetit pro legibus.

543 Sed quid ad hoc argumentum respondet Cardenas? Solitis, ac solis suis utitur cavillis. Et *pag. 231. numer. 68. S. bona est*, inquit *argumentatio*, &c. & refert verba supra relata; & subjungit: [Verum nullam à nobis hæc Cardenæ evasio confutationem exigit; evidentior enim est disparitas, quàm ulla indigeat responsione.] Hæc est responsio Jacobi.

544 Laudo quidem illum, quòd conetur defendere suum scriptorem; sed quòd fideliter non referat, in hoc non laudo. Errat ergo primò hæc periodos in eo, quòd non referat initium argumentationis Baronianæ, *Cùm ab actu ad potentiam consecutio sit legitima*; cum in hoc stet reatus contra dialecticam, de quo arguitur Baronius

545 Errat secundò in eo, quòd æquiparet argumentationem Baronii illi argumentationi D. Thomæ. Quæ si quis eam inchoare vellet ab eo principio dialectico, [ab actu ad potentiam consecutio est legitima,] argumentatio bona D. Thomæ depravaretur. Tum quia argumentatio D. Thomæ non est ab actu ad potentiam; sed neque à negatione actus præscissa ad negationem potentiæ, sed ab alio etiam principio adjuncto. Itaque discursus S. Thomæ hic est. [Si liceret baptizare pueros invitis parentibus, non est credibile, quòd spatio mille, & ducentorum annorum, in quibus multæ occasiones concurrissent, id non mandaretur executioni, præcipuè ex intercessione Imperatorum, quæ multùm valeret coram Episcopis sibi familiaribus: sed numquam mandatum est executioni: ergo signum est, quòd numquam licuit id facere.] Qui discursus bonus est propter majorem superadditam: quòd si loco ejus majoris apposita esset ea propositio: *Bene valet ab actu ad potentiam*, pessimus redderetur discursus. Propter quem defectum non est admittenda argumentatio Baronii, sed corrigenda ad normam dialecticæ.

546 Errat tertiò, cùm referens argumentum Baronii, dicit: *Si aliquando liceret sequi opinionem minus probabilem legi contrariam, &c.* Cùm Baronius non loquatur de opinione *minus probabili*, ut patet ex textu ejus supra relato, sed de opinione, quæ stat pro libertate contra legem: nec nos adduxerimus S. Thomam pro opinione minus probabili eligenda; ut constat ex dictis in hoc *cap. art* 1.

547 Errat quartò, dum dicit: *Sed quid ad hoc argumentum respondet Cardenas? solitis, ac solis suis utitur cavillis*. Nam sicut argumentationes factas per dilemmata vocat cavillos, ut supra retuli *artic.* 7. ita modò regulam dialecticam vocat cavillos; quo nomine rectè appellarentur sophismata. Consulat ergo dialecticos, à quibus audiet, pravum esse modum arguendi, dum pollicetur quis argumentum ab actu ad potentiam, & posteà dat argumentationem à negatione actus ad negationem potentiæ. Ei autem, qui affirmat, aliquam argumentationem esse cavillatoriam, aut sophisticam, incumbit probare, talem esse; quod præstabit ostendendo defectum, in quo ratio sophismatis consistit; & dum hoc non præstat, insolutum relinquit argumentum; quando autem argumentum relinquitur insolutum, præsumitur esse insolubile, atque adeò evidens.

548 Errat quintò, dum dicit: *evidentior enim est disparitas, quàm ulla indigeat responsione* Quando enim eadem est forma arguendi, non potest assignari disparitas in forma eliciendi consequentiam. Quòd si in hac est disparitas, debet esse disparitas in forma arguendi: quam ipse non assignat. Neque satis est dicere, disparitatem esse evidentem, dum nullam assignat.

ARTICULUS XIV.

Altera falsa calumnia retunditur.

SUMMARIUM.

549 Dixerat Jacobus, me corrupisse S. Thomam, dum illius mentem explicui. Et ut amarulentæ querelæ fidem faceret lectori, asserit me illusisse constitutionibus Sanctissimi Parentis nostri Ignatii. Ea tamen cautela usus, ut fundamentum, quod proposui ad probandum, eum esse sensum constitutionis, prætermiserit: ut qui suum dumtaxat tractatum legeret, putaret, eam explicationem constitutionis fuisse illusoriam. Audiendus est Jacobus, cujus verba in eo *cap* 12. *num.* 16 hæc sunt. [Non miror, quòd tam apertè supra relatam D. Thomæ doctrinam ita corruperit Cardenas; cùm non magis sincerè Sanctissimi sui Patriarchæ Ignatii exponat regulas, ne à sua fucata probabilitate videatur recedere. Ipsemet S. Patriarcha Ignatius de Loyola, non minus faven Thomistis in securiore opinione eligenda, quam pro gratiæ efficacia, ut fusius alio libro ostendimus; non magis verè ab ipso Cardena exponitur. Nam 4. *part. Constit.* editionis præfatæ *cap.* 5. *num.* 4. ubi ait S. Ignatius: *Sequantur* (scilicet Professores Societatis) *in quavis facultate securiorem, & magis approbatam doctrinam; & eos Doctores, qui eam docent*. Sic illum interpretatur Cardenas *pag.* 216. *num* 327. *Præcipit ergo legislator noster, ut doctrinam securiorem amplectamur: id est*; inquit Cardenas, *non suspectam*. Itane, Pater mi, licebit tibi securiorem doctrinam interpretari? An apud te dicetur optimus, aut melior omnis cibus veneni non suspectus? Quare, mi Cardena, jam non miramur, si nobis hac in parte contradicas, cùm tam apertè Sanctissimo tuo Patriarchæ illudas, ut vagam, quam tueris, probabilitatem, in Angelicum Doctorem refundere valeas, cujus non est Author, aut defensor, sed verus morbi hujus spiritualis medicus.] Hucusque periodus Jacobi.

550 Et quidem si retulisset integram responsionem meam, cognosceretur verus sensus, & non illusorius, Constitutionis. Quam cùm opposuisset Baronius pro tutiori opinione deligenda, opposuit etiam aliam constitutionem (quam omisit Jacobus) ex eadem 4. *part. cap.* 14 §. 1. *Illi prælegentur libri, qui in quavis facultate solidioris doctrinæ habebuntur*.

551 Ad quam ex constitutionibus objectionem sic respondi in prædicto numero relato. [Equidem si *non omisisset* Baron in secundo textu verba immediatè sequentia, mentem constitutionis manifestaret. Ea autem hæc sunt. *Nec illi* (libri) *sunt attingendi, quorum doctrina, vel Authores suspecti sint*. Præcipit ergo legis lator noster, *ut doctrinam securiorem* amplectamur, id est, non *suspectam*. Est autem doctrina suspecta illa, de qua viri sapientes dubitant, an sit probabilis. Et in materia morum suspecta est, de cujus practica probabilitate dubitatur apud sapientes, & prudentes. Et hæc nobis meritò interdicitur, quia dubium de probabilitate practica est dubium practicum, cum quo nemini licet operari. Neque his constitutionibus excluditur in materia morum ea doctrina, quæ stat pro libertate contra legem, si solidis fundamentis innititur: quia illa nulla securior est, in qua nullum penitus est practicè periculum; licèt fortè materialiter sit minus tuta.] Hucusque respondi in eo *num.* 327.

552 Ubi vides, fundamentum ad eam expositionem desumptam esse ex verbis ipsius constitutionis; quod fundamentum prætermisit uterque, Baronius, & Jacobus; ut vis constitutionis celaretur. Addo insuper, cùm S. P. Ignatius non loquatur in iis constitutionibus de opinionibus probabilioribus, aut minus probabilibus; sed in generali de doctrina, & Authoribus securioribus; videndum est, quæ doctrinæ, & qui Authores securiores sint.

553 Et sanè in generali non video, quo modo, quo ad hoc, dividenda est *doctrina*, nisi dicendo, aliam esse suspectam, aliam securam. Similiter Authores dividendi sunt in duas classes; alii enim sunt, qui tradunt doctrinam suspectam, alii qui doctrinam sanam, & securam. Cùm igitur S. Pater jubet, ut Professores *sequantur securiorem, & magis approbatam doctrinam*, expressè loquitur de ea, quæ in hac divisione doctrinæ magis approbata est, nempe de ea, quæ nihil habet suspicionis.

554 Confirmatur. Habet Titius coram se in mensa duo genera ciborum; alterum cùm suspicione veneni, alterum sine illa. Præcipit Medicus Titio, ut eligat meliorem cibum, & caveat à pejori. Numquid non implebit præceptum Medici Titius, per hoc præcisè quòd eligat cibum non suspectum de veneno? Cùm ergo S. Pater, expresserit hæc duo doctrinarum genera, & præceperit, quòd securiorem amplectamur, utique præcipit, quòd non amplectamur suspectam; & impletur integrè præceptum, dum non amplectimur suspectam, quia sic necesse est, quòd amplectamur alteram partem divisionis, scilicet securiorem.

555 Et hinc respondetur ad id, quod mihi opponit adversarius; nempe non esse optimum, aut meliorem, omnem cibum veneno non suspectum. Respondeo enim, quòd si Medicus præciperet Titio, ut ex omnibus speciebus ciborum, eligeret meliorem, non impleret præceptum, per hoc præcisè quòd eligeret cibum non suspectum de infectione veneni. Si autem Medicus, propter vitandam infectionem veneni, de qua multi cibi suspecti sunt, præciperet Titio, ut meliorem cibum eligeret; id non deberet intelligi de cibis in specie, sed de cibis in genere. Et cùm ad eum finem duo tantùm essent genera ciborum, nempe suspecti, & securi; dum Titius vitaret suspectum, & eligeret securum; præcepto Medici obtemperaret, & meliorem cibum ex illis duobus generibus eligeret. Quòd pro securiori doctrina eligenda intelligendum est. Præcipuè cùm certum sit id, quòd in fine ejus numeri 327 dixi, inter opiniones probabiles nullam esse alia formaliter securiorem

556 Et hæc non parum confirmatur ex iis, quæ in declarationibus habentur in eum secundum textum ex *cap.* 14. § 1. ubi cum à S. Patre non solùm excluduntur libri suspecti, sed etiam Authores, qui libros suspectos ediderunt; In declaratione sic ratio redditur. *Solet enim opus in causa esse, ut qui legit, ad Authorem afficiatur: & authoritas, quam apud ipsum habet in iis, quæ bene dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex iis, quæ malè dicit. Rarum est etiam, aliquid veneni nō admisceri in iis, quæ à pectore veneni pleno egrediuntur*. Hæ autem declarationes eandem authoritatem habent, ac constitutiones; ut con-

ut constat ex 6. part. Constit. cap. 1. §. 1. litt. A. ubi vides totam intentionem legislatoris nostri esse, arcere nostros à libris, & Authoribus, in quibus est suspicio veneni: & eam vocari securiorem doctrinam, & eos securiores authores, à quibus omnis suspicio veneni longè abest.

557 Sed notandum est, me secundam expositionem addidisse in verbis supra relatis nu. 551. dum dixi, nullam doctrinam esse securiorem illa, in qua nullum penitus est periculum labendi; qualiseft doctrina de quavis opinione practicè probabili seligendæ. Et hanc expositionem omisit Jacobus, ut meliorem calumniandi ansam inveniret.

558 Errat ergo primò, illa periodus relata adversarii, dum dicit, me non sincerè exposuisse regulas Sanctissimi Patriarchæ Ignatii: Cùm expositio à me traditæ, desumptæ sit ex ipso textu constitutionum: quo exponendi genere nullus melior inveniri potest, quàm qui desumitur ex ipsis verbis expressis legislatoris.

559 Errat secundò, dum omittit eum textum, quem io ipsa responsione retuli pro fundamento meæ expositionis. Idque maximè reprehensibile est in Jacobo, cùm in mea responsione expostulaverim, quòd Baronius eum omisisset: quod arguit majorem cautelam Jacobi io omissione ejus textus.

560 Errat tertiò, dum dicit, *non minus favere Thomistis* S. Ignatium *in securiore opinione eligenda*: quasi S. Pater egerit in constitutionibus de electione opinionum; & non in genere, de doctrina magis, vel minus secura: cùm nulla sit minus secura, nisi quæ est suspecta.

561 Errat quartò, dum suam vult esse sententiam Thomistarum: cùm nullus Thomista, præter tres, aut quatuor supra memoratos, docuerit, semper in conflictu opinionum standum esse pro lege incerta contra libertatem: præcipuè cùm nullus Thomista Hispanus Id docuerit. Nullos autem Thomistas Hispanis esse insigniores, nemo est, qui ambigat.

562 Errat quintò, dum asserit, S. Ignatium *favere Thomistis pro gratia efficacia*, quasi S. Ignatio resistamus, qui præmotionem physicè prædeterminantem non admittimus. Et quia citat se ad alium locum, mentem suam exposuit in *lib.* 3. in conclusione totius operis *nu.* 9. ubi citat textum S. P. Ignatii ex libro exercitiorum *pag.* 72. ubi ait: *Primum tempus erit, quando voluntatem Divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, immò etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quo minus sequatur impulsionem talem; sicut legimus B. Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Christo, accidisse.* Sed quomodo probat Jacobus, hæc omnia non salvari in nostra sententia de auxilio non determinante physicè voluntatem? Numquid dubitatio, de qua loquitur S Pater, est in voluntate, an in intellectu? Impulsio quidem est in voluntate, dubitatio in intellectu: & dum aufertur facultas dubitandi, ab intellectu aufertur per cognitionem evidentem, qua Deus ostendit Paulo immensam bonorum copiam, quam ipsi præparabat, & immensam malorum molem, quæ imminebat, si non obtemperaret, quæ evidentissima cognitio (non præmotio physica) vehementer inclinabat voluntatem Sauli ad obtemperandum. Seclusa ergo præmotione physica, cognitio evidens summæ felicitatis, quæ ei proponebatur in obedientia legis Christi, omnem auferebat dubitationem de eo, quòd ei expediebat operari; & inde sequebatur vehemens inclinatio voluntatis ad id, quòd tali evidentia cognoscebat esse sibi summè bonum: quæ vehemens inclinatio voluntatis orta ex evidentia boni, optimè componitur cum indifferentia physica ad operandum, & non operandum, & sine physica determinatione ad unum. Sed quia hæc materia excedit fines instituti mei, eam scholasticis Theologis relinquo.

563 Errat sextò, dum ponit paritatem à meliori cibo in specie; cùm S. Pater non loquatur de probabiliori opinione in specie, sed de genere doctrinæ in communi. Cujus genera sunt duo, nempe secura, & suspecta: & ut supra dixi, ille dicitur eligere meliorem doctrinam, qui securam amplectitur, non suspectam.

564 Errat septimò, in illis verbis, *cùm tam apertè Sanctissimo tuo Patriarchæ illudas.* Nam Sanctis canonizatis illudere, de solo Calvino, aut Luthero, aut similimonstro dici posset. Esto, malè interpretatus essem Sanctissimum Patriarcham; numquid ergo malè interpretari verba Sanctorum Patrum est illudere Sanctis Patribus? Ego quidem dixi, & semper dicam, Jacobum perperam interpretatum esse S. Thomam; & ob reverentiam S. Thomæ numquam audebo dicere, adversarium illusisse S. Thomæ.

565 Errat octavò, dum probabilitatem vocat *vagam*. Errat nonò, dum doctrinam de probabilitate vocat *morbum*. De quibus io sequenti capite.

CAPUT IX.

Amputatur altera calumnia falsa, attribuens nostræ doctrinæ relaxationem conscientiæ. Ubi quis modus tenendus sit pro reformatione licentiæ opinandi.

ARTICULUS I.

Proponitur calumnia falsa Jacobi.

SUMMARIUM.

Quantam invidiam sententiæ nostræ parare conentur adversarii? num. 566. & seq.

An ex nostra sententia oriantur opiniones scandalosæ? num. 570.

An admittat nostra sententia omnes opiniones, quæ leguntur in Casuistarum libris? num 572.

566 Scriptores, qui hoc sæculo cœperunt tueri doctrinam de strictiori opinione seligenda, pro lege, illa quidem incerta, contra libertatem; ducti suot zelo reformationis, quòd laudo; sed non secundùm scientiam, quòd non laudo. Vident in aliquibus libris legi opiniones relaxativas conscientiæ, atque adeò scandalosas, & improbabiles: quas quidem conantur inter probabiles adnumerare. Et ut hæc opinandi licentia reformetur, & huic malo occurratur; in quovis conflictu opinionum adversarum volunt, omnes opiniones stantes pro libertate contra legem, quantumvis incertam, probabiles, & improbabiles amputari. Et contra eos Authores, qui sibi non annunt, mirum est, quantam verborum amarulentiam adinvenerint, ad conciliandam illis invidiam.

567 His armis onustus procedit Jacobus à S. Domin. per totam suam *Compendiariam*, ut vocat, *Theologiæ moralis explicationem*: sic enim inscribitur Liber, in quo sola hæc quæstio versatur; existimat enim in conflictu opinionum adversarum. hoc esse compendium omnium resolutionum, ut sola pars, quæ stat pro lege, licèt incerta, contra libertatem sequenda sit. Ut constarent omnia, quæ hac amarulentia munitus scribit, opus erat totam suam compendiariam explicationem hic transcribere, quæ referta est exclamationibus, execrationibus, conviciis, & amarissimis verbis contra nostram doctrinam, & ejus sectatores, & præcipuè contra me. Ex quibus unam, vel alteram periodum reproducam.

568 *Cap.* 11. *nu.* 6. sic de me scribit: [Et certè miseratione dignissimum existimo, virum Religiosum, & doctum adeò *sui propositi oblitum, ut lævâ destruxerit*, quidquid dexterâ manu adstruere, ac stabilire conabatur: atque *tantum olei, & operæ* in ingenti exarando volumine in folio plusquam septingentis, & octoginta paginis constante, paucis lineis perdidisse, ac in ipsammet incidisse *Probabilitatis abyssum*, ex qua alium retrahere nitebatur. Explicatur. Volumen criticum edidit Cardenas, potissimùm contra nimium remissas Caramuelis probabilitates. Sed ne in Thomistarum partes transire videretur, rem involvit tot evanidis distinctionibus, ut persæpè vix possis ominari, vel judicare quid ipse velit. Et quia *in multiloquio non deerit peccatum*, efficere non potuit Cardenas, quin palam ostenderet id, quod in ejus mente latebat: nimirum non nisi apparenter, & verborum officiis recessisse ab illa vaga, & nullis ferè coercita terminis probabilitate, quæ propemodum *sinit unumquemque ad arbitrium vivere*, & sive imaginationis idolum colere, nulla habita ratione legis, aut consideratione ultimi finis.] Hucusque periodus multis verbis ad speciem composita, sed nullo syllogismo, nulla probatione fulcita.

569 Et in fine capitis 11. concludit sic: [Tota doctrina de Probabilitate remissa, nihil est, nisi ars cavillandi, vel potius fucata peccandi licentia, simplicitati Christianæ prorsus inimica, & toti humano generi perniciosa. Unde S Augustinus *lib* 22. *de Civit. cap.* 23. inter mala, quæ specialiter ipsis justis sunt hic metuenda, *Probabilitatem* annumerat, quos hortatur, ut continuis excubent vigiliis, ne opinio verisimilis fallat; aut quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur. Nam ut supra cùm D. Bernardo jam diximus, *Væ utrique dicitur.*] Sic concludit tractatum suum.

570 Hinc colligit, ex hac doctrina de Probabilitate oriri innumeras opiniones scandalosas, quæ in aliquibus libris leguntur; & omnem morum corruptelam inde nascituram: & nominatim contra me in *quasi proam. sect.* 5. sic ait: [Itidem per rationes magni ponderis non intelliguut rationes veras, legi, officio, aut honestati faventes, sed tantùm verisimiles, quæ rum suis Authoribus, tum hominibus in libertatem, lucrum, aut voluptatem propensis semper erunt probabiles: nam quisque suæ imaginationis idolum facillimè colit: & cùm ferè unusquisque judicet, prout ipse fuerit affectus; mirum in modum acuet ingenium amor libertatis, lucri, & voluptatum ad excogitandas rationes apparentes, quibus incauti decipiantur; quòd fusius infra apparebit in Joanne Cardena *cap. ult.*] Hæc ibi.

571 Sic per totum tractatum loquitur, exclamat, & vociferatur Jacobus in hoc puncto, qui his, & similibus clamoribus totus refertus est, & præcipuè totus contextus quæstionis proœmialis. Et in eum scopum collimat, ut suadeat, non posse coerceri opiniones scandalosas, nisi auferatur de medio hæc doctrina de quavis opinione probabili seligenda. Ideò quàmplurima invida epitheta adinvenit ipse (sicut & illi, qui prius scripserunt) quibus contemptibilis videatur nostra sententia. *Morbum* probabilitatis appellat, incidisse nos in *abyssum* Probabilitatis vociferatur, *Ma-lam*

tem Probabilitatis deplorat, *vagam* vocat probabilitatem, *remissam, laxativam conscientiæ*, stantem *pro lucro, commodo & voluptate, Artem peccandi fucatam*, Artem *claudicandi in utramq; partem*; & quam plurima alia his similia congerit, & per totum tractatum spargit.

572 Sæpe inculcat, hanc sententiam esse scandalosam, & probat illis verbis, *ut constat ex Casuistarum libris*. Nec patitur, quòd dicamus, illas opiniones, quæ damnabiles sunt, non esse probabiles. Nam contra veritates fidei Catholicæ contendit esse posse probabilitatem, & rationes probabiles. Si enim contra veritates fidei esse potest probabilitas; multo magis contra sententias morales certas.

ARTICULUS II.

Ostenditur falsitas calumniæ.

SUMMARIUM.

An non sint admittendæ ad praxim omnes opiniones verisimiles? n. 574.
An nimia licentia opinandi oriatur ex prava intelligentia probabilitatis? n. 575. remissivè.
An opiniones scandalosæ contradicant nostræ sententiæ? n. 576.
An opiniones probabiles non sint rejiciendæ propter improbabiles, & scandalosas? n. 577.
An perperam vocentur probabilistæ Authores, qui docent opiniones scandalosas? n. 578.
An licentia opinandi coerceatur sola recta intelligentia probabilitatis? n. 579.
An opiniones absurdæ oriantur ex ea universali propositione, quòd unusquisque author, quicumque ille sit, sufficit ad probabilitatem? n. 580. & seq.
An nostra sententia non admittat eam propositionem universalem circà probabilitatem extrinsecam? n. 582. & seq.

573 Illud in primis notatione, & summa admiratione dignum est, quòd, cùm ego in ea *disp. 15. cap. 4. art. 1.* latè ostenderim, hanc opinionum relaxationem non oriri à doctrina verè probabilitatis bene intellecta, & ad hoc argumentum evidenti solutione responderim; ipse Jacobus, qui meam disputationem legit, neque ad meas argumentationes responderit; nec meam responsionem confutaverit. Scripserunt ante me hoc genus argumentationis Fagnanus, Mercorus, Baronius, & Gonetus. Quid ergo opus fuit, ut Jacobus eadem transcriberet, nisi ut ea, quæ contra sententiam eorum Authorum denuo scripta erant, confutaret? Et tamen nihil ad meas ratiocinationes respondet, nullam confutationem meæ responsionis aggreditur.

574 Sed quia his omnibus, quæ in illis periodis opponit, abundè satisfeci loco cit. prolixum videbitur ea omnia repetere, & actum agere. Ideò attingam breviter capita responsionis, ibi maturius videnda. Et ante omnia cogor sæpius repetere, quæ jam diai; me non admittere ad praxim opiniones præcisa verisimilitudine consistentes; sic enim multæ sunt opiniones improbabiles, quæ adhuc sunt verisimiles, præcipuè quæ nituntur sophismate, aut æquivocatione; dum enim hic defectus non cognoscitur clarè, fallunt, & verisimiles apparent. Solùm ergo admitto ad praxim eas opiniones, quæ solido, & urgenti fundamento nituntur. De quo uberius dicam *cap. 15. & seq.*

575 Enim verò *in eo cap. 4. art. 1.* respondi primò, eam exorbitantiam opinandi, & tuendi opiniones laxativas conscientiæ oriri primò ex prava intelligentia Probabilitatis. Ita ostendi *n. 148. & seq.*

576 Respondi secundò, eas propositiones scandalosas, tantùm abesse, ut oriantur à nostra doctrina de Probabilitate practica; ut potius nostræ doctrinæ planè contradicant; ita quòd earum relaxatio oriatur ex eo, quòd nostræ sententiæ de Probabilitate contradicant. Nam nostra sententia postulat tamquam essentiale constitutivum opinionis practicè probabilis, quòd incerta sit, & quòd firmo, & urgenti fundamento nitatur; atqui omnes illæ opiniones scandalosæ alterutro defectu laborant, aut quia levi fundamento ducuntur, sophistico, aut æquivoco; aut quia contra certum principium militant, quo pacto evadunt non incertæ, sed certò falsæ.

577 Respondi tertiò, non esse rectum modum coercendi licentiam opinandi, & tuendi propositiones improbabiles, quem adversarii intendunt nempe amputandi omnes opiniones probabiles benigniores. Neque enim opiniones practicè probabiles sunt de medio tollendæ, quia opiniones improbabiles Probabilitatis larva, & pelle se protegunt: *quia & illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant*. Si inter oves repant angues; ut hos amputemus, non debemus etiam oves perimere. Vide *n. 154. & seq.*

578 Respondi quartò, perperam vocari Probabilistas, & sub hoc nomine comprehendi eos Authores, qui docent improbabilia laxativa conscientiæ; sicut non veniunt nomine ovium lupi ovinis pellibus se simulantes. Vide *nu. 158.*

579 Denique respondi, sola recta intelligentia Probabilitatis optimè coerceri licentiam opinandi. Ad quam intelligentiam rectè comparandam, proposui octo limitationes, quæ optimè deserviunt ad compescendas opiniones improbabiles laxativas conscientiæ; & loca citavi, in quibus illæ limitationes ex professo probantur. Vide locum cit. *à numer.* 162.

580 Subjungo denuò argumentum, dum demonstro clarissimè, ex mea sententia (quæ communis est omnibus Doctoribus classicis) non oriri eas opiniones absurdas. Opiniones absurdæ oriuntur ex his duabus præmissis, prima: quævis opinio probabilis potest admitti tutò ad praxim. Secunda: sed opinio, quam docet unusquisque Author doctus, & probus, quicumque ille sit, est probabilis. Unde rectè colligitur hæc consequentia: ergo quælibet opinio cujuslibet Authoris probi, & docti potest tutò deduci ad praxim.

581 Ambas præmissas esse necessarias ad inferendum opiniones absurdas, inde patet, quòd adversarii ad eam secundam præmissam recurrunt, ut asserant inferri eas opiniones absurdas. Ex eo enim, quòd in libris Casuistarum, aut Summistarum reperiantur eæ opiniones absurdæ, colligunt eas inferri ex doctrina Probabilitatis. Et ideò Jacobus à S. Dom. sæpiùs repetit ea verba: *Ut constat ex Casuistarum libris*.

582 Et quidem eam secundam propositionem non solùm ego non admitto, sed & *1. part. Crist. Theol. disp. 11. cap. 8.* ostendi cum Doctoribus classicis Thoma Sanchez, Suario, Vazquio, Valentia, Granado, Arriaga, & aliis, non sufficere ad probabilitatem extrinsecam unumquemlibet Authorem, immò nec plures Authores, nisi sint omni exceptione majores. Ubi exposui quatuor exceptiones, quæ Doctoris authoritatem infirmant.

583 Hinc resultat manifesta demonstratio. Illa doctrina parturit opiniones absurdas, quæ admittit unumquemlibet Authorem ad probabilitatem: sed nostra doctrina id non admittit: ergo nostra doctrina non parturit eas opiniones absurdas.

584 Vel sic. Ideò huic sententiæ de quavis opinione probabili admittenda ad praxim, attribuuntur opiniones absurdæ, & scandalosæ; quia in libris aliquorum scriptorum reperiuntur propugnatæ tamquam probabiles: sed nostra doctrina non admittit tamquam probabiles eas omnes, quæ reperiuntur in ejusmodi libris; solùm enim admittit, quæ asseruntur à Doctore, qui sit omni exceptione major: ergo nostræ doctrinæ non possunt attribui ejusmodi opiniones.

ARTICULUS III.

Triplex modus discernendi à probabilibus opiniones improbabiles laxativas conscientiæ.

SUMMARIUM.

An opinio de strictiori opinione seligenda sit impedimentum, quo minus coerceatur licentia opinandi? n. 585. & seq.
An opiniones, quæ relaxant conscientiam, sint improbabiles; & an positivè, vel negativè? n. 587.
An quæ sunt improbabiles negativè, in dictamine reflexo fiunt improbabiles positivè? n. 589.
An licentia opinandi non coerceatur ex sententia de probabiliori eligenda? nu. 590
An primum medium illam coercendi sit, cognoscere, quæ opinio repugnet principio certo? n. 591. & seq.
An secundum medium sit cognoscere, quæ opinio nitatur fundamento levi? n. 596.
Quotupliciter discernatur, An fundamentum sit leve? n. 597.
An quando omnes prudentes judicant esse leve, sit evidenter leve? ibid.
An tertium medium coercendi opiniones scandalosas sit cognoscere, an opinio sit dubiæ probabilitatis? n. 598.
An dubium de probabilitate sit dubium practicum, in quo tutior pars eligenda sit? ibid.
Quænam sint motiva dubitandi de probabilitate opinionis? n. 599.

585 Ut non est æquum incidere in scyllam, ut vitemus Carybdim; ita numquam existimavi, oportere, quòd transeamus ad illud extremum eligendi semper opinionem strictiorem in quovis conflictu opinionum; ut opiniones improbabiles laxativas conscientiæ vitemus. Immò verò jamdiù mihi persuasi, nullum opponi posse majorem obicem coercendis illis opinionibus improbabilibus laxativis conscientiæ, quàm illud, quod tamquam remedium assumptum est ab adversariis ad eas corrigendas.

586 Ratiò, quæ ad hanc persuasionem me impellit, hæc est. Expedit Ecclesiæ, & conscientiis fidelium coercere opiniones laxativas conscientiæ, quæ quidem omnes eo ipso improbabiles sunt. Opinio adversariorum, quæ ponit, semper eligendam esse opinionem strictiorem, in quovis conflictu opinionum, aut in conflictu opinionum æque probabilium, manifestam involvit contradictionis implicationem multiplicem; ut demonstravi *in ea disp. 15. cap. 11. 12. & 13.* ex quibus argumentis aliqua instaurabo *capit. 15.* quæ, si à viris doctis perpendantur, ea sententia numquam est communi consensu amplectenda: & consequenter per illam non potest inveniri modus coercendi eas opiniones improbabiles laxativas conscientiæ. Unde tam longè abest ea sententia, ut sit remedium coercitivum earum opinionum improba-

bilium,

bilium, quæ relaxant conscientias, ut potius impediat remedium illarum. Nam cùm adversarii asserant, eam sententiam esse medium unicum coercendi opiniones laxativas conscientiæ; & reperiatur à viris doctis eam sententiam esse implicatoriam; adeoque frustraneum medium ad eum finem; fit, per illam sententiam impediri coercitionem earum opinionum. Huc accedit, nunquam passuros esse Theologos, opiniones S. Thomæ benigniores, quæ stant pro libertate, censeri parum tutas in conscientia. Est enim tutus in conscientia filius, qui ex sententia S. Thomæ non obedit Patri, quo ad matrimonium contrahendum; quamvis hæc opinio sit solùm probabilis, & stet pro libertate filii.

587 Et quidem eas opiniones, quæ relaxant conscientias, esse improbabiles; sive positivè, id est, certò falsas; sive negativè, id est, non innixas fundamento firmo & urgenti; debet esse apud omnes certissimum. Quòd hac demonstratione concluditur. Illa opinio relaxat conscientiam, quæ affert periculum saltem probabile re ipsa peccandi: sed quę affert periculum probabile re ipsa peccandi, est improbabilis: ergo opinio, quæ relaxat conscientiam, est improbabilis. Major & consequentia constant.

588 Minor probatur. Improbabile est, quòd liceat deducere ad praxim opinionem, quæ affert periculum probabile re ipsa peccandi; sicut improbabile est, quòd liceat exponere se periculo probabili peccandi; ut clarè ostendi in mea Crisi *disp. 18. cap. 6*. Ergo opinio, quæ affert periculum probabile re ipsa peccandi, in praxi improbabilis est. Quæ consequentia est evidens, cùm sit ferè identica cum antecedente, de quo dubitari non potest.

589 Ubi advertendum est, eas opiniones, quæ sunt improbabiles negativè, sive non probabiles, defectu fundamenti gravis; fieri quoque improbabiles positivè ex dictamine reflexo. Nempe, quia certò falsum est, posse dirigi conscientiam per opinionem, quæ caret fundamento gravi. Vide *disp. 10. nu. 31*.

590 Sed neque coerceri possunt illæ opiniones laxæ per sententiam de opinione probabiliori seligenda. Patet. Ideò, juxta adversarios, laxæ opiniones introducuntur, quia à suis Authoribus promoventur tamquam probabiles, etsi minus probabiles: sed sic est, quòd qui tuentur opiniones laxas, eas tuentur tamquam probabiliores; nam unusquisque Author suam opinionem defendit, ut probabiliorem: ergo etiam si defendatur sententia de probabiliori eligenda, eodem modo promovebuntur opiniones laxæ.

591 Et quidem demus, damnari authenticè sententiam de opinione minus probabili eligenda; & solùm admittatur ea, quæ docet, probabiliorem eligendam. Numquid propterea cessabunt opiniones laxæ & scandalosæ? Minimè. Nam harum Authores dicent, has esse probabiliores, & ideò non debere damnari. Ergo non affertur remedium contra opiniones scandalosas, per sententiam de probabiliori eligenda.

592 Cùm ergo constet, oportere, has opiniones periculosas improbabiles coerceri; nec ex opinione adversariorum aliqua spes affulgeat illas corrigendi, propter dicta; explicemus oportet, quodnam medium exhiberi debeat ad eas amputandas. Et præter eas octo positiones, quas statui ea *disp. 15. cap. 4. artic. 1. à num. 162.* ad tria capita revoco media, quibus eæ opiniones amputandæ sunt.

593 Primum medium est, quòd inquirat Theologus principia certa, saltem moraliter; cum quibus eæ opiniones sint incompossibiles. Nam quæ ita incompossibiles sunt cùm principio certò, sunt improbabiles, & certò falsæ. Cujus ratio evidens est. Nam sicut ex antecedente vero infertur negatio sui contradictorii; quia ambo non sunt compossibilia; ita ex antecedente verò infertur negatio cujuscumque alterius objecti incompossibilis: ergo si antecedens est certum, quidquid incompossibile est cum antecedente, est certò falsum.

594 Et confirmatur primò. Quia propositio, quæ affirmat, *Petrum currere*, affirmat implicitè, aut saltem illativè, *falsum esse, quòd Petrus non curras*: ergo si certum est, *Petrum currere*, tamquam certum affirmandum est, *falsum esse, quòd Petrus non curras*: ergo si certum est, *Petrum currere*, tamquam certum affirmandum est, falsum esse quidquid incompossibile est cum cursu Petri, v. g. quòd *Petrus non habet pedes*. Igitur servata eadem forma arguendi, si principium est certum, & cum eo est incompossibilis talis opinio, quæ dicitur laxativa conscientiæ, infertur, talem opinionem esse certò falsam.

595 Confirmatur secundò. Principium certum affirmatum est antecedens, unde infertur negatio propositionis secum incompossibilis: sed antecedens certum infert consequens, non probabile, sed certum: ergo negatio illius propositionis incompossibilis est certa. Major, & minor evidentes sunt, & consequentia legitima. Tum sic. Sed negare aliquam propositionem, idem est, quòd affirmare, illam esse falsam: ergo si negatio illius propositionis incompossibilis est certa, certum est, quòd sit falsa talis propositio. Vide alias demonstrationes hujus veritatis *in 1. part. disp. 4. num. 6*. Hujus medii exempla proponam *in tract. 2*.

596 Secundum medium coercendi opiniones laxativas conscientiæ est; recognoscere, an fundamenta earum opinionum sint levia; nam quæ levi fundamento ducuntur, non sunt probabiles; cùm essentiale constitutivum opinionis probabilis sit duci fundamento gravi, & urgenti, in acceptione, in qua eam modo accipimus. Non enim *Probabile* est idem, ac *verisimile*. Opinio enim stat in verisimilitudine: sed cùm sint opiniones probabiles, & improbabiles; ad eas discriminandas aliquid aliud adiicere debemus.

597 Modus autem cognoscendi, an fundamentum opinionis leve sit, nec ne, duplex est: sicut duplici modo potest se habere levitas fundamenti. Primò enim leve dicitur quia sophismate, vel æquivocatione subnixum. Et ubi hic defectus reperitur, inermis remanet opinio, & fundamento destituta, atque adeò non probabilis. Secundò dicitur leve, quòd prudentum judicio fuerit leve: & si quidem omnes, aut ferè omnes prudentes leve censuerint, censendum est evidenter leve. Quando enim ferendum est judicium de magnitudine, aut parvitate morali; tunc judicium omnium, aut ferè omnium prudentum facit evidentiam moralem. Cui si unus, vel alter Theologus opponitur, imprudenter judicat, atque adeò non probabiliter. Ut satis clarè ostendi *in 1. part. disput. 12*. Hinc fit, quando dubitatur, an fundamentum in existimatione prudentum sit leve, vel grave; inspiciendum esse, an sit leve judicio ferè omnium Theologorum, quia in hac materia, communis ferè omnium sententia, ut dixi, facit evidentiam moralem. Horum omnium exempla dabo *in tract. 3*. Sed quia modus iste postremus plerumque coincidit cum primo medio discernendi improbabiles laxas à probabilibus, ideò ad istud reducam plerumque exempla primi.

598 Tertium medium ad coercendas opiniones relaxativas conscientiæ est, attentè considerare, an probabilitas, quæ attribuitur opinioni, sit dubia: nam dubia probabilitas non est sufficiens ad dirigendam conscientiam; tunc enim dubium non est speculativum, sed practicum: ut notavi *disp. 15. cap. 5. art. 3. num. 461*. constat autem inter omnes, in dubio practico semper tutiorem, & strictiorem partem esse eligendam. Et præterea, quando rationabiliter dubitatur de probabilitate unius partis, opposita tamquam certa tenenda est, dum illud dubium permanet. Ratio autem, quare dubium de probabilitate sit dubium practicum, est, quia in opinione verè probabili ideò dubium, quod ad assensum probabilem antecedit, non est dubium practicum, quia ad illud dubium deponendum in praxi, datur ratio gravis, & urgens: atqui quando dubitatur de ipsa probabilitate, dubitatur de sufficientia rationis ad deponendum dubium; atque adeò non habet intellectus motivum firmum, per quod expellat id dubium: ergo dubium de probabilitate est dubium practicum.

599 Interrogas, quæ, & qualia sint motiva ad dubitandum rationabiliter de probabilitate opinionis. Respondeo esse plura. Primò, dubito de probabilitate opinionis, quando Author, qui illam docet, non est omni exceptione major; juxta dicta *disp. 11*. & ratio, qua nititur opinio, mihi non satisfacit, nec videtur omnino firma. Secundò, cùm Author, unus, vel alter, singularem docet opinionem, nec dat rationem, qua nititur. Tertiò, cùm unus, vel alter singularis docet opinionem; & plures alii dicunt, vel esse improbabilem, vel parum tutam, vel malè audire apud Theologos, vel illam non esse audiendam, aut esse reiiciendam. Quartò, quando datur principium certum, & dubitatur, an ei repugnet opinio, nec proponatur ratiò sufficienter firma ad deponendum dubium. Quintò, cum dubitatur, an ratio conclusionis sit levis, an gravis, & firma. Tunc enim non est sufficiens ad deponendum dubium. Cujus medii exempla non pauca proponam *in hac 3. part. Cris. tract. 4*.

ARTICULUS IV.

Quotupliciter devient à veritate Periodi Jacobi, supra relata?

SUMMARIUM.

600 IGitur Jacobus à S. Dom. in periodis relatis *art. 1.* à recto veritatis tramite deviat primò, dum frivolam commiserationem prætexens, ait me fuisse *mei propositi oblitum*. Nam propositum, & institutum meæ Crisis fuit debellare opiniones improbabiles, quæ periculosè laxant conscientiam: & quia admitto propositiones verè probabiles, affirmat hic scriptor, me oblitum propositi mei; quasi sub eodem lare cubent opiniones probabiles, & improbabiles. Utinam magni Theologi laborent in discernendo opiniones improbabiles à probabilibus; sic enim consulent securitati conscientiæ Fidelium.

601 Deviat secundò, dum dicit, me *læva destruxisse, quidquid dextera manus adstruere, ac stabilire conabatur*. Itaque juxta hujus scriptoris placitum, dum dextera conabatur adstruere, non esse admittendas ad praxim opiniones certò falsas; læva manus id opus destruxit, admittendo ad praxim opiniones practicè probabiles. Et ego in hoc placitu ingentem invenio terminorum implicationem: nam id placitum æquivalet isti propositioni: [Qui admittit ad praxim opiniones probabiles, admittit etiam improbabiles.] Vel sic: [Qui excludit à praxi improbabiles, debet etiam excludere probabiles faventes libertati.] Quòd autem ibi reperiatur implicatio terminorum, sic ostendo. Nam opinio probabilis est incerta, id est, nec certa, nec certò falsa; & opinio positivè improbabilis est certò falsa. Quæ ergo major terminorum implicatio, quàm à negatione certitudinis fieri argumentationem ad existentiam illius; & quòd fiat argumentum ab admissione opinionis non certò falsæ ad admissionem certò falsæ.

602 Deviat tertiò, dum ait, me *tantum olei, & operæ in ingenti volumine, paucis lineis perdidisse*. Sed quare perdidi tantum olei, & operæ? Quia admitto omnes opiniones verè probabiles in praxi. Sed hoc esse planè falsum, demonstro. Esto falsa sit, & certò falsa doctrina, quam trado de Probabilitate. Ostendi demonstrativè, eum, qui tribus quadrantibus post mediam noctem carnes comedat, obligatus jejunare die subsequenti, violare præceptum jejunii. Ergo in hac suppositione de falsitate nostræ doctrinæ vel prodest hæc demonstratio violationis jejunii, vel non prodest? Si dicatur primum, infero: ergo etiam si sit falsa nostra doctrina de Probabilitate, non perditur oleum, & opera in eo, quòd convincatur de falsitate ea opinio laxativa jejunii. Si verò dicas secundum, quòd non prodest ea demonstratio; infero: ergo doctrina falsa de Probabilitate præstare potest, quòd argumentatio evidens non sit evidens. Nam dum fuerit evidens, non perditur oleum & opera, in ostendendo evidentiam ejus, & peccatum, quod certissimè committitur; quidquid sit de securitate, aut non securitate opinionum probabilium.

603 Deviat quartò, dum affirmat, me *incidisse in ipsammet probabilitatis abyssum*. Quæ verba aptissima erant, ut conjicerentur in Lutherum, aut Calvinum, quòd inciderint in infidelitatis abyssum. Sed numquid, quia S. Thomas docuit, promissionem internam non obligare, contra alios tenentes partem strictiorem; dicemus, eum incidisse in Probabilitatis abyssum? Absit. Potius, qui de opinionibus benignioribus S. Thomæ sic censeret, diceremus, eum incidisse in absurditatis abyssum; In quam sine dubio incidit Jacobus, dum tali censura prosequitur doctrinam certam, & evidentem. Immò verò in aliam abyssum absurditatis incidit Jacobus, dum tenaciter adhæret suæ doctrinæ de strictiori opinione semper eligenda ad praxim: incidit enim in abyssum contradictionis, quam in ea sententia reperiri, manifestè ostendi in ea *disp. 15. cap. 11. & seq.* & ostendam infrà *cap. 15*.

604 Deviat quintò, dum ait, *me edidisse volumen criticam contra nimium remissas Caramuelis probabilitates*. Ego enim (majori ex parte) non scripsi contra probabilitates Authorum, sed contra improbabilitates, ut constat *ex 1. & 2. part. Crisi Theol.* Quod præterea sic demonstro. Nam in existimatione mea, eæ argumentationes, quas majori ex parte proposui, sunt demonstrativæ, atque adeò certæ, & evidentes saltem moraliter. Est autem metaphysica evidentia certum, contra evidentiam, nullam esse probabilitatem; ut supra notavi, & clarè ostendi *disp. 4. num. 6. & seq.* Ergo si ego censui, argumentationes meas contra opinionem A. esse evidentes, necessariò censebam, eas opiniones non esse probabiles, sed certò falsas. Non ergo edidi volumen (majori ex parte) contra probabilitates Authorum, sed contra improbabilitates.

605 Deviat sextò in illis verbis, *Ne in Thomistarum partes transire videretur*. Nam, ut clarè ostendi *capit. 8. & præcipuè art. 12.* Jacobus à S. Domin. in hac quæstione est manifestus Antithomista, non solùm quia discedit à mente S. Thomæ; sed quia tradit doctrinam, per quam periculosa redditur doctrina S. Thomæ: quo nihil absurdius dici potest.

606 Deviat septimò in illis verbis: *Rem involvit tot evanidis distinctionibus, ut persæpe vix possis ominari, vel judicare, quid ipse velit*. In quo illud est admirabile, quòd affirmet, eas distinctiones esse evanidas, cùm non solùm fateatur, se non intelligere eas, sed neque ominari posse, quid ipse velim. Ergo, quas fatetur se non intelligere, condemnat. Ergo fert judicium incognita causa. Ergo cùm eas distinctiones non intelligat, intelligit esse evanidas. Illi homines, apud S. Thadæum, quæcumque ignorant, blasphemant. Et hoc videtur non absimile, cùm id, quòd fatetur se ignorare, vituperat.

607 Deviat octavò in applicatione eorum verborum. *In multiloquio non deerit peccatum*. Nam in disputationibus non datur *multiloquium*, cùm multi syllogismi, & discursus, multa enthimemata, & dilemmata, & authoritates Sanctorum Patrum, & Doctorum magni numinis proferuntur. Is autem reus est multiloquii in disputationibus, qui prosyllogismis, & argumentationibus profert verba contumeliosa, & immodicas censuras, qui execrationes, & maledicta conjicit in scriptores; videat ergo lector, utri potius conveniat, esse reum multiloquii, mihi, aut ei, qui mihi multiloquium exprobrat.

608 Deviat nonò illis verbis, *quin palàm ostenderet, quod in ejus mente latebat*. Nam in uno eodemque momento edita est in lucem tota Crisis mea, & utraque *pars 1. & 2.* Quomodo ergo simul latebat in mente, & simul palàm ostendebatur doctrina de Probabilitate cujuslibet opinionis verè probabilis, præcipuè *in disp. 15.* Non enim capio, quomodo hæc duo componantur, & quòd ea doctrina latebat in mente, & quòd palā ostendebatur in præfata disputatione.

609 Deviat decimò, cùm affirmat, *non nisi apparenter, & verborum officiis recessisse ab illa vaga, & nullis ferè coercitu terminis probabilitate*. Nam insigniter decipitur, dum putat, probabilitatem nullis coerceri terminis. Id autem clarè cognovisset, si perpendisset attentè octo terminos, quibus coercendam esse probabilitatem, ostendi *in ea disp. 15. cap. 4. artic. 1.* Et si his octo terminis contentus non est, legat in articulo proximè præcedenti tres alios universalissimos, quibus opiniones probabiles discernendæ sunt ab improbabilibus positivè, & negativè.

610 Deviat undecimò, dum de Probabilitate affirmat, quod *propemodum sinat unumquemque ad arbitrium vivere*. Nam sæpe notavi, adversarios non rectè penetrare doctrinam nostram de Probabilitate, ut constat ex supradictis, præcipuè *cap. 3. 4. & 5.* ideòque non miror, eos tali deceptione absorberi. Non vivit ad arbitrium, qui diligenter examinat, an opinio, qua gubernaturus est conscientiam, levi ducatur fundamento, an urgenti; an probabilis verè sit, an certò falsa. Et cùm dubius est, de probabilitate opinionis, scit teneri dubio practico, & tunc tutiorem sibi partem eligendam.

611 Deviat duodecimò illis verbis, *Et suæ imaginationis idolum colere*. Multi ens rationis impossibile, quod quidem ex duplici contradictorio constituitur, vocant *idolum mentis*: & meritò. Cùm ergo sententia de strictiori opinione seligenda involvat implicationem duplicis extremi contradictorii; ut demonstravi *ea disp. 15. cap. 11. & seq.* & ostendam *infra cap. 15. art. 3.* de Authoribus ejus sententiæ potiùs dicendum, eos *suæ imaginationis idolum colere*. Nam ratio urgens, quæ stat pro opinione verè probabili, neque includit contradictionem, neque relucet aliud caput, unde vocari possit *idolum mentis*.

612 Deviat tredecimò, dum ait, *Nulla habita ratione legis*. Cujus legis, certæ, an incertæ? Nam legis certæ semper habenda est ratio. Cùm autem lex est incerta, considerandum est, an detur ratio firma, & efficax ad deponendum dubium, quod oritur ex incertitudine. In ea quæstione, An qui commisit peccatum læthale, teneatur obligatione gravi quærendi statim remedium confessionis Sacramentalis, S. Bonaventura censuit partem affirmativam strictiorem pro lege contra libertatem; & S. Thomas partem benigniorem pro libertate contra legem, ut notavi supra *cap. 8. art. 9.* Numquid ergo dicemus, S. Thomam resolvisse quæstionem, nulla habita ratione legis? Absit. Quare, nisi, quia ex ratione firma S. Thomæ lex remanebat incerta? Neque enim dici potest, certò falsum esse, quòd de eo daretur lex, cùm opinio S. Bonaventuræ sit probabilis, & ideò non certò falsa.

613 Deviat quatuordecimò illis verbis, *Nulla habita consideratione ultimi finis*. Nam qui dictamine certo gubernat conscientiam, non deviat à consideratione ultimi finis. Qui ergo sequitur opinionem S. Thomæ, quod non tenetur statim confiteri peccatum, quamvis sequatur opinionem merè probabilem, cùm securus, & certus

tus sit, quòd non peccat illam sequendo, non potest dici, quod deviat à consideratione ultimi finis. Aliàs S. Thomas docuisset opinionem, quæ hominem separaret ab ultimo fine. Qun quid absurdius dici potest?

614 Deviat quindecimò, quòd hæc omnia, quæ ex relata periodo proposita sunt, dicuntur absque probatione. Quæ autem sine probatione dicuntur, extra chorum disputationis Theologicæ saltant. Et præterea onerant lectorem; quia semper legit, ut doctior evadat, nec possunt facere doctiorem, nisi ubi probationibus asserta fulciuntur.

615 Deviat decimosextò, & decimoseptimò illis verbis: *Tota doctrina de Probabilitate remissa nihil est, nisi ars cavillandi*. Primò enim, quòd Probabilitas appelletur *remissa*, est ingens absurdum. Quid est *remissa*? Idem quòd *relaxans periculosè conscientiam*. Implicat autem contradictionem, quòd relaxet conscientiam opinio cùm periculo peccandi; & quòd non sit improbabilis: est enim improbabile, quòd liceat deducere ad praxim opinionem cum periculo peccandi. In probabilitate autem benè intellecta, & intra suos terminos conclusa, nullum affertur periculum peccandi.

616 Deinde quòd probabilitas benè intellecta sit *ars cavillandi*, implicat contradictionem. Etenim ars cavillandi est ars sophistica arguendi. Ostendat ergo mihi Jacobus unum sophisma, quo ego utar; *& erit mihi magnus Apollo*. Quòd si non ostendit, quid prodest, verba multùm parturientia dare; ex quibus ad examen deductis ne unus quidem misellus mus nascitur.

617 Deviat decimooctavò, illis verbis, *Vel potiùs fucata peccandi licentia*. Nam licèt augeat sonantia verba, dum argumentationem non auget, nihil prodest. Esset quidem peccandi licentia, si admitteremus omnes opiniones, quæ sub prætextu probabilium, in aliquibus libris circumferuntur: sed dum admittimus solùm, quæ verè, & practicè sunt probabiles; & rejicimus improbabiles per hoc secundum, licentiam peccandi coercemus.

618 Deviat decimononò, dum Probabilitatem dicit *Simplicitati Christianæ prorsùs inimicam*. Magnum posset Jacobus celebrare triumphum, si id aliqua argumentatione probasset: sed dum non probat, verba tonantia replicat, quibus fragorem in aere excitet, non in conscientia, quæ secura est, dum opiniones verè probabiles ab improbabilibus discernit. Simplicitati Christianæ inimica est simulatio, fraus, & dolus. Ostendat ergo mihi Jacobus in hac sententia aliquid sophisticum, aut simulatorium; & tunc fatebor, simplicitati Christianæ adversari.

619 Deviat vigesimò, illis verbis: *Et toti humano generi perniciosa*. Hoc postremò tonitru putavit nos deterrendos à vera sententia. Sciat ergo, viros doctos non tonitru verborum aerem verberantium, sed fulminibus syllogismorum deterreri à sententia, quam tuentur. Esset quidem perniciosa toti humano generi, si afferret periculum peccandi: sed nullum in opinione probabili esse periculum peccandi, constat ex dictis *disp. 15. cap. 4. art. 11.* & constabit ampliùs ex dicendis.

620 Deviat vigesimoprimò, dum ait, quòd *S. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 23. inter mala, quæ specialiter ipsis justis sunt hic metuenda, Probabilitatem adnumerat*. Sed quibus verbis adnumerat? Ecce. *Vigiliis continuis excubantes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus*. Confundit ergo Jacobus probabilitatem cum opinione ut sic, & verisimilitudine. Nos autem non admittimus in hoc sensu, quòd possit conscientia gubernari opinionibus: multæ enim sunt opiniones improbabiles, quæ quia verisimilitudinem habent, putantur ab aliquibus probabiles, confundendo verisimilitudinem cum probabilitate. Moneo ergo eum Augustinum viros justos, ut excubias agant, ne opinio verisimilis fallat; ne opinio improbabilis prætextu verisimilitudinis se insinuet. Quòd magis declarat Augustinus sequenti clausula: *Ne decipiat sermo versutus*. Quid est sermo versutus, nisi opinio sophistico fundamento suffulta; quæ propterea non est probabilis, nec potest illius ductu gubernari conscientia.

621 Cùm autem addit S. Augustinus, *Ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur*: manifestum est, non loqui S. Doctorem, ubi impossibile est id cognosci; ut contingit in omni opinione verè probabili; de cujus essentiali constitutivo est, quòd sit incerta, hoc est, quòd nequeat sciri, an à parte rei sit vera, vel falsa. Sicut enim Deus non præcipit, ut cognoscamus id, quod cognitu est impossibile; ita nec ad id hortatur Augustinus. Aliundè imminet periculum, à quo juxta Augustinum cavere debemus: nempe ab opinione improbabili, aut à sermone versuto, id est, sophistico: cavebimus autem, si accuratè probabilia ab improbabilibus discernamus.

622 Deviat vigesimosecundò, cùm similem textum D. Bernardi eidem materiæ applicat. Nam eadem responsio satisfacit periodo S. Bernardi.

623 Deviat vigesimotertiò, illis verbis: *Per rationes magni ponderis non intelligunt rationes veras, legi, officio, aut honestati faventes*. Nota illud *rationes veras*; & perpende, quantum oporteat, quòd scriptor sit formalis. Enim verò in consequentia sunt duo, Consequens, & illatio: Consequens dicitur verum, vel falsum: Illatio dicitur bona, vel mala. Rationes ergo, quæ afferuntur pro opinione probabili, plerumque afferunt antecedens evidenter verum; bonitas autem consequentiæ est topica, & ideò rationes non inferunt necessitate evidenti, sed topica. In hoc ergo casu non dicitur, quod ratio non est vera, sed quòd non est evidenter bona.

624 Sed esto, loquamur de opinione, in qua antecedens est dumtaxat probabile, licèt bonitas illationis sit evidens. Quo jure postulatur à nobis, quòd antecedens sit verum, sive quod ratio assumpta sit vera; quando eo ipso quòd sit probabilis, est incerta; nec possumus physicè cognoscere, quæ pars à parte rei sit vera?

625 Deviat vigesimoquartò, illis verbis proximè relatis, *legi, officio, aut honestati faventes*. Conatur itaque Jacobus, solùm esse rationes *magni ponderis* eas, quæ legi favent. Ergo ne rationes, quas affert S. Thomas pro eo, qui internè promisit Petro beneficium, ne obligatus maneat interna promissione, non sunt magni ponderis, quia sunt pro libertate illius, & non pro lege obligante, illa quidem incerta? Ergo ne rationes, quas affert S. Thomas pro libertate peccaturis, ne teneatur confiteri statim ac peccavit, sed contra legem, quæ obliget ad statim confitendum, non sunt magni ponderis? Sunt quidem, quamvis sint contra legem confitendi statim, quam adesse existimat S. Bonaventura; & quamvis sint contra officium, & honestatem confitendi statim.

626 Deviat vigesimoquintò illis verbis; *Sed tantùm verisimiles*. Dixi sæpiùs, impugnare adversarios sententiam, quam nos non defendimus. Asserui sæpiùs, sola verisimilitudine non tutò gubernari conscientiam: opiniones improbabiles solere esse verisimiles: ideòque aliquid aliud requiri præter verisimilitudinem: & dum conantur impugnare probabilitatem nostram, non impugnare nisi verisimilitudinem suam, & hostem, quem ipsi fingunt. Vide *disp. 15. capit. 7.* & in hac 3. *part. disp. 55.* & infrà *cap. 17.* & sæpè alibi.

627 Deviat vigesimosextò illis verbis: *Sed tantùm verisimiles, quæ tam suis Authoribus, tam hominibus in libertatem, lucrum, aut voluptatem propensis, semper erunt probabiles*. Si scriptor iste reprehenderet, non veram probabilitatem, sed abusum probabilitatis, quo aliqui conantur intrudere opiniones improbabiles in sacellum Probabilitatis, facilè annuerem. Sed summa injuria est, asserere, Theologos, dum in veritatem doctrinæ incumbunt, & argumentis promovent, quæ adversarii non solvunt, *in lucrum, aut voluptatem* propendere: quæ verba assumpta sunt, ut quòd argumentationibus consequi non possunt, verbis, quæ odium, & invidiam parant Authoribus, consequantur.

628 *Semper erunt probabiles*, quoties Doctor omni exceptione major docuerit. Vide *disp.* 11. quoties non repugnaverint principio certo, nec sophistico, æquivoco, aut levi fundamento innitantur; sed ratione, quæ urgeat intellectum ad assensum; neque adsit fundamentum ad dubitandum de probabilitate opinionis. Si quid autem horum desit, numquam erunt probabiles.

629 Deviat vigesimoseptimò illis verbis: *Nam quisque suæ imaginationis idolum facillimè colit*. Vide supradicta in deviatione 12.

630 Deviat vigesimooctavò, illis verbis: *Et cùm ferè unusquisque judicet, prout ipse fuerit affectus, mirum in modum acuet ingenium amor libertatis, lucri, & voluptatum ad excogitandas rationes apparentes*. Nam S. Thomas cùm usus est rationibus probabilibus pro libertate, non indulsit lucro, aut voluptati; neque usus est rationibus apparentibus, sed solidissimis, & urgentibus intellectum ad assensum, quamvis non evidentibus. Studeat ergo Jacobus methodo discernendi probabiles ab improbabilibus, qualem proposui suprà, & sic satisfaciet secundùm scientiam zelo suo non vituperabili.

631 Deviat vigesimononò illis verbis: *Quibus incauti decipiantur*. Nam decipientur utique, si pro opinionibus verè probabilibus improbabiles admittantur. Probabilitate autem benè intellecta, etiamsi stet pro libertate, numquam decipientur rationibus probabilibus S. Thomæ, quæ stant pro libertate. Potiùs decipientur indocti verbis Jacobi parantibus odium, & invidiam Authoribus nostræ doctrinæ.

632 Deviat trigesimò illis verbis: *Quod fusiùs apparebit in Joanne Cardena cap. ult.* Nam in eo capite ultimo destruit, quidquid ea verborum tempestate proximè relata, promovere conabatur. Quo modo ergo probat eo *cap. ult.* vocari à nobis rationes magni ponderis, quæ solùm verisimiles, & quæ ob propensionem in lucrum, & voluptatem semper videbuntur probabiles, cùm solùm sint apparentes, quibus incauti decipiantur? Sanè per ea verba, quæ retuli *cap. 4.* quorum aliqua hic non sunt omittenda. Ait enim *cit. cap. ult. num. 1.* [Hoc ceu axioma ab omnibus recipiendum constituunt: *Qui probabiliter agit, benè, ac prudenter agit*. Quod tamen est falsum ∴ Nam potest Judex probabiliter credere, Tullium esse reum, & crimen, de quo accusatur, commisisse: & tamen non potest, nisi *imprudentissimè ipsum condemnare* ∴ Ergo *probabiliter* (quocumque modo sumatur) & *prudenter* agere non sunt synonima, ut loquitur Cardenas.] Vide ergo, qualiter id probet *cap. ult.* Decipitur egregiè Jacobus, dum putat, probabilitatem speculativam judicis idem esse cum probabilitate practica sententiæ condemnatoriæ (vide, quæ de hoc fusiùs dixi *cap. 4.*) & cùm ille tam graviter decipiatur, sollicitus est, ne nostra probabilitate incauti decipiantur: & ipsa deceptione sua probat, incautos decipiendos.

633 Deviat trigesimoprimò, dum invida, & turpia epitheta in nostram sententiam conjicit; & quidem sine probatione: quæ autem sine probatione dicuntur, quivis lector prudens contemnit.

nit. Consultius foret Jacobo pro his epithetis syllogismos, & authoritates Sanctorum Patrum nobis dare, quibus suam sententiam fulciret. Ejusmodi enim epitheta sunt verba, quæ nihil probant.

634 Deviat trigesimosecundò, dum dicit *morbum Probabilitatis*. In quo manifestam injuriam irrogat Præceptori Angelico, qui probabilitate practica ad sanitatem conscientiæ usus est. Numquid morbo probabilitatis inficitur conscientia filii, qui ex sententia probabili S. Thomæ non vult obedire parenti quo ad matrimonium contrahendum, nisi quantum justa causa coegerit? Numquid infirmatur conscientia peccatoris, quia, secutus sententiam probabilem S. Thomæ, non confessus est, statim ac peccavit? Numquid laborat morbo probabilitatis, qui, ex opinione probabili S. Thomæ, consummat matrimonium ratum tempore Feriarum? Si opinio verè probabilis contineret periculum peccandi, saltem probabile; illa quidem esset morbus animæ. Sed in opinione practicè probabili nullum penitus esse periculum peccandi; constat ex *disput. 15. capit. 4. art. 11. num* 418. *& seq.* & ex infrà dicendis.

635 Deviat trigesimotertiò, dum ait incidisse me in *abyssum* Probabilitatis. Vide, quæ dixi circà deviationem quartam.

636 Deviat trigesimoquartò, dum *Malum Probabilitatis* deplorat. Et siquidem talis esset doctrina nostra de Probabilitate, qualem hic scriptor mihi affingit, non difficilè annuerem. Cùm tamen non calleat adhuc nostram sententiam; ut patet ex tot conclusionibus falsis mihi attributis, & per me depulsis in capitibus antecedentibus; restat, ut non possit dici malum, donec perfectè cognoscatur.

637 Deviat trigesimoquintò, & trigesimosextò, dum Probabilitatem vocat *vagam*, & artem *claudicandi in utramque partem*. Sed quare? quia pro utraque parte admittimus practicam probabilitatem. Sed quidquid ita loquuntur, est in injuriam Angelici Præceptoris: cujus doctrinam practicam qui dixerit vagam, aut claudicantem, insanit. Est probabilis opinio S. Bonaventuræ, quòd peccator statim ac peccat, tenetur confiteri: est probabilis opinio S. Thomæ, quòd non tenetur. Hæc probabilitas non dicitur ab adversariis *vaga*, aut *claudicans* ratione partis strictioris, sed præcipuè ratione partis benignioris stantis pro libertate. Numquid ergo Probabilitas à S. Thoma usurpata, dicenda est *vaga*, aut *claudicans in utramque partem?* Absit. Neque recurrant modò ad hoc, quòd S. Thomas non docuit, minùs probabilem eligi posse; quia modum abstrahimus ab ea quæstione, & solùm inquirimus, an utravis ex duabus adversis probabilibus possit eligi ad praxim, quidquid sit de magis, aut minùs probabilibus.

638 Deviat trigesimoseptimò, dum Probabilitatem vocat *remissam, & laxativam conscientiæ*. Quæ epitheta, ut constat ex dictis, implicat contradictionem, quòd attribuantur veræ probabilitati practicæ. Nam ea, quæ relaxat conscientiam, & conscientiæ affert scandalum, & periculum peccandi, improbabilis est; quia improbabile est, esse licitam opinionem, quæ sic relaxet, & scandalizet conscientiam: atqui opinionem probabilem esse simul improbabilem, est manifesta terminorum implicatio.

639 Deviat trigesimooctavò, dum opinionem benigniorem appellat *stantem pro lucro, commodo, & voluptate*. Vide, quæ dixi suprà. Quibus addendum est, insanire hominem, qui diceret, opinionem probabilem S. Thomæ, quòd non peccat homo consummando matrimonium ratum tempore Feriarum, stare pro voluptate. Quia licet id non possit exerceri sine voluptate, Theologus autem cùm decidit, quæ decidenda sunt, non attendit ad voluptatem, sed ad id, ad quòd vehementer impellit argumentum probabile.

640 Deviat trigesimononò per epithetum, quo appellat Probabilitatem *Artem peccandi fucatam*. Vide supradicta circà deviationem 18.

641 Deviat quadragesimò dum ad probandum, nostram doctrinam relaxare conscientias, ait: *ut constat ex Casuistarum libris*. Sed quomodo id constat ex his libris? nempe quia in illis reperiuntur multæ opiniones scandalosæ, ut constat ex decretis Alexandri VII. Sed cùm latiùs responderim *disp. 15. cap. 4. art. 1.* ostendendo, eas opiniones, quæ scandalosæ sunt, improbabiles esse, quamtumvis reperiantur in libris Casuistarum; debuit Jacobus vel non reproducere hoc argumentum jam solutum; vel meam solutionem argumentis confutare.

642 Deviat quadragesimoprimò, dum opiniones scandalosas, & laxativas conscientiæ numerat inter probabiles. Quomodo enim probabiles, quæ certò falsæ? Quod hoc dilemmate concludo. Nam vel opiniones damnatæ ab Alexandro VII. sunt probabiles, vel non? Si primum dicas, implicas terminos: Nam cùm Pontifex loquens è Cathedra eas declaraverit falsas, & ejus declaratio sit certa; constat, eas esse certò falsas. De quo vide *disput.* 9. primæ partis meæ Crisis *cap.* 20. Si ergo certò falsæ sunt, quomodo possunt esse probabiles, de cujus essentiali constitutivo est, esse incertas, hoc est, nec certas, nec certò falsas.

643 Si verò dicas, eas opiniones damnatas non esse probabiles; infero: ergo Alexander VII. non damnavit probabiles, sed improbabiles, quæ ab aliquibus falsò dicebantur probabiles. Ergo ea damnatio Alexandri VII. nullum attulit præjudicium nostræ sententiæ de Probabilitate, quæ detestatur improbabilia. Ergo similes opiniones damnatione dignæ, quamvis in libris Casuistarum reperiantur, nullum afferunt præjudicium nostræ sententiæ de Probabilitate. Ergo opiniones improbabiles non sunt computandæ inter probabiles.

CAPUT X.

Confunditur alia geminata calumnia de approbatione omnium opinionum, quæ continentur in Casuistarum libris, & de multiplicatione conscientiarum.

SUMMARIUM.

An opiniones damnatæ ab Alexandro VII. maneant improbabiles? num. 646. & seq.

An aliæ opiniones contentæ in libris Casuistarum sint improbabiles? num. 648. & seq.

Quo jure dicatur multiplicari numerus conscientiarum? num 650. & seq.

An actus opinativus sit actus conscientiæ? num. 653.

644 PRæfatus Jacobus eo *capit. 11. pag.* 30. sic ait [Sed ut ad prædictam conscientiarum commutationem, seu commercium redeamus; nonne miraris lucrum, quo propriæ conscientiæ loco, ab Authore naturæ, singulari beneficio concessæ; tria ad minùs reperies conscientiarum millia in uno Diana? Immò tot tibi à Cardena concedentur conscientiæ, unius vice, quotquot jam sunt in Casuistarum libris opiniones probabiles, id est, innumerabiles.]

645 Hæc periodus duas continet calumnias falsas. Prima & præcipua est, me admittere, tamquam probabiles omnes opiniones, *quotquot jam sunt in Casuistarum libris*. Secunda est, admitti à me multa conscientiarum millia, cùm unam dumtaxat conscientiam nobis Deus singulari suo beneficio concesserit.

646 Et quòd attinet ad primam calumniam, mihi est ad instar summæ injuriæ. Nam cùm sciat adversarius, ab Alexandro VII. damnatas esse quadraginta quinque opiniones, quæ in libris Casuistarum circumferuntur; forsan vult mecum agere de reatu violati decreti Alexandri VII. quasi eas ego opiniones admittam tamquam probabiles.

647 Et ex eodem loco agnoscitur, eam calumniam esse falsam imposturam: cùm ego ipse in mea Crisi *disp. 9. cap. 20.* per multos articulos ostenderim, eas opiniones damnatas ab Alexandro VII. mansisse improbabiles, & certò falsas.

648 Sed præter eas quadraginta quinque opiniones, multas aliàs ex iis, quæ circumferuntur in Casuistarum libris, esse improbabiles positivè, quia militant contra principium certum; vel negativè defectu fundamenti gravis; constat primò ex dictis in 1. & 2. *part.* Cris. Theol. ubi numerantur septuaginta opiniones, quas, ut ego existimo, exauthoravi.

649 Constat secundò ex tota *disput.* 11. Ubi ex mente PP. Suarii, Vasquii, Thomæ Sancii, Valentiæ, Granadi, Arriagæ, Tamburini, Reginaldi, & aliorum, docui, multas opiniones, sex, septem, decem, quindecim, immò & viginti octo Authorum non esse probabiles: quas si velis numerare, reperies esse septuaginta novem, quæ à sacro probabilium agmine ibi excluduntur. Sic etiam eadem *disp. cap.* 2 reperies alias ferè viginti opiniones, quæ referuntur tamquam improbabiles. Cùm ergo in mea Crisi reperiantur exclusæ à probabilitate, modò quadraginta quinque, modò septuaginta novem ex authoritate gravium Doctorum, modò aliæ ferè viginti relatæ ut improbabiles; quæ omnes sunt plusquam ducentæ; qua fronte audet Jacobus hanc imposturam mihi affingere; quæ sola lectione meæ Crisis elui potest.

650 Quod attinet ad alteram calumniam, nempe admitti à me multa conscientiarum millia; videbor mihi benignus in Jacobum, si dixero, illum quoad hoc nugas agere; & nugatorio lepore id dixisse, non serio, & scholastico more. Primò: nam ad multiplicandum numerum conscientiarum, quid magis prodest, quòd opiniones sint benignæ, quàm quòd sint strictiores; quòd sint contra legem (incertam illam quidem) vel quòd sint pro lege? Ergo si sunt multa conscientiarum millia in opinionibus benignioribus; totidem reperientur in strictioribus.

651 Secundò. Nam similiter posset obiicere, esse multas Theologias morales, quæ multiplicentur pro numero opinionum probabilium: quod adversùs ejus sententiam habet clariorem instantiam. Cùm enim adversarius putet, suam sententiam esse sacram, & sanctam de strictiori opinione semper in conflictu opinionum seligenda; quare pro numero opinionum strictiorum non est multiplicanda scientia Sacra Theologiæ, si pro numero probabilium opinionum multiplicanda est conscientia?

652 Dices, Theologiam esse, non unum, vel alterum actum, sed aggregatum omnium actuum (non loquor modò de Theologia habituali) qui versantur intra latitudinem objecti Theologici. Optima propositio. Dic ergo, conscientiam, quæ definitur, esse judicium, quo aliquid bonum esse, aut malum judicamus, esse aggregatum ex omnibus judiciis, quæ circà bonum, aut malum habemus. Et ideò, licèt componatur ex quamplurimis judiciis circà diversa objecta, adhuc nonnquodque judicium non esse unam diversam conscientiam, sed unicam ex illis omnibus judiciis componi.

653 His

653 His adde, actum opinionis probabilis non esse actum conscientiæ: actus enim conscientiæ rectæ est actus certus de honestate operationis; opinio autem probabilis non est actus certus, sed opinativus, & incertus. Itaque dictamen reflexum, quo assero, quamlibet opinionem verè probabilem posse tutò reduci ad praxim, cùm sit actus certus, est actus conscientiæ rectæ. Unde licèt apud Dianam sint tria millia opinionum, non sunt tria millia conscientiarum, cùm ipsæ opiniones, ut dixi, non sint actus conscientiæ rectæ. Vide circà hoc punctum Illustriss. Tapia verbis infrà referendis *cap.* 18.

C A P U T XI.

Repellitur calumnia duodecima de opinione probabili contra immortalitatem animæ.

Quòm falsa sit calumnia? num. 654. & seq.
An si evidens, contra certitudinem nullam esse posse probabilitatem? num. 657.
An in Ethnico possint esse rationes probabiles contra immortalitatem animæ? num. 658. & seq.

654 JAcobus à S. Domin. *cap.* 11. *sect.* 3. *pag.* 129. duodecimam calumniam mihi affingit his verbis: [Vide, mi lector, quò ducat hæc effrænis licentia opinandi. Nam secundùm præfatam Cardenæ doctrinam, quoties apertam, & convincentem de re aliqua, v. gr. de Animæ immortalitate, de Regimine Divinæ Providentiæ, aut quocumque alio, non habueris demonstrationem; prudenter, & justè assensum ad alterutram partem, etiam legi contrariam, tibi poterit voluntas imperare; dummodo hæc opinio sit Probabilitatis pallio cooperta: quod numquam deerit.] Hucusque Jacobus.

655 Quæ periodus in multis peccat. Primò enim, cùm ego dumtaxat agam de Probabilitate practica, scilicet quæ spectat ad rationem rerum agendarum; mihi attribuit, quòd admittam opinionem probabilem contra immortalitatem animæ, & regimen Divinæ Providentiæ; quæ est cognitio purè speculativa.

656 Peccat secundò, nam, ut suprà dixi, mea doctrina, etiam in practicis, non admittit eam generalem assertionem; quòd liceat præstare assensum assertioni, quoties non adest in contrarium ratio convincens: ut sæpè notavi in 1 *part.* Cris. Theol. & infrà uberius constabit.

657 Tertiò, & præcipuè, peccat in eo, quòd mihi attribuat assertionem, cujus oppositam sæpiùs docui in tractatu de Probabilitate. Ubi tradidi, esse metaphysica evidentia demonstrabile, contra certitudinem, nullam esse posse probabilitatem. Cùm ergo id dicit de immortalitate animæ, vel loquitur de intellectu hominis Catholici, vel de intellectu Ethinici? Si primum, contra judicium certissimum Fidei Theologicæ implicat adesse opinionem probabilem: nam quidquid opponitur veritati certæ, est certò falsum, atque adeò non probabile; cùm de essentia opinionis probabilis sit esse incertam, id est, nec certam, nec certò falsam.

658 Si verò loquatur respectu intellectus Ethnici, & infidelis hominis; neque in isto esse possunt rationes probabiles contra immortalitatem animæ (idem esto de Regimine Divinæ Providentiæ) Nam vel iste vult attendere ad motiva evidentia, quæ militant pro certitudine immortalitatis animæ, mediantè lumine naturali, quòd Deus infundit, & promovet in mentibus hominum; vel non vult attendere ad illa? Si primum; impossibile est, quòd habeat rationes probabiles: nam contra evidentiam nulla est probabilitas. Si non vult attendere, quamvis aliquæ sibi rationes occurrant, quæ probabiles videantur, ea probabilitas erit summè culpabilis: peccat enim graviter, dum non vult attendere in materia tanti momenti.

659 Cognoverunt Ethnici clarissimè immortalitatem animæ. Ideò Tullius dixit: *Si erro, quòd animos immortales credam, libenter erro*. Qui dicendi modus denotat, non quidem formidinem circà eam veritatem, sed potiùs firmitatem magnam. Explicuit autem eo termino errandi, quia erant alii Philosophi, qui claudentes oculos lumini naturali, dicebant, immortalitatem animæ esse errorem: qui inexcusabiles erant, quia ea ignorantia, aut existimatio probabilitatis erat voluntaria, quia nolebant attendere lumini naturali. Vide, quæ dixi in 1. *part.* Cris. Theol. *disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 3. & 4. circà similem objectionem de rationibus probabilibus pro Atheismo, & Politheismo, quæ manifestam implicant contradictionem; ut ibidem demonstravi.

C A P U T XII.

Tredecima calumnia de damnatione nostræ sententiæ Romæ facta, de falsitate arguitur.

S U M M A R I U M.

Tenor decreti damnantis librum Caramuelis de probabilitate. num. 661.
An a damnato libro, damnentur omnes ejus propositiones? num. 662.
An damnato libro Caramuelis, alii libri de usu licito opinionis probabilis Romæ editi sint cum approbatione Superiorum? num. 663.
An Romæ sine offensione admittantur innumeri alii libri, qui eamdem propositionem docent? num. 664.
Quæ alia argumenta convincant, non esse Romæ damnatam hanc sententiam? num. 665. & seq.
Et quid de decreto novissimo Sacræ Congreg. num. 670.

660 IDem Jacobus à S. Domin. *in qq. proœm. sect.* 1. *nu.* 1. sic ait de quondam Theologo; [Qui ferè sopitas nostri ævi controversias videtur excitare sequenti propositione: *Licet etiam in moralibus sequi opinionem minùs probabilem*; Romæ damnata 15. Januarii 1664. in libro, cui titulus est, *Joannis Caramuelis Apologema pro antiquissima, & universalissima doctrina de Probabilitate.*] Hucusque Jacobus.

661 Statim ut legi hanc periodum, misi Romam epistolam, postulans copiam decreti Sacræ Congregationis; & illam mihi transmisit P. Bartholomæus Carreño Hispalensis, Primarius Collegii Romani Theologiæ Professor. Et posteà eodem tenore reperi transcriptum apud Gonetum in dissertatione de Probabilitate *num.* 166. Tenor decreti est iste: [Sacræ Indicis Congregationis decreto *damnatus, ac prohibitus fuit infrascriptus liber*, ubicumque, & quocumque idiomate impressus, imprimendusve. Nemo cujuscomque gradus, & conditionis eum in posterùm vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquisitoribus, aut locorum Ordinariis, à præsentis decreti notitia, tradat, sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. *Liber est Joannis Caramuelis Apologema pro antiquissima, & universalissima doctrina de Probabilitate.* In quorum fidem manu, & sigillo,] &c.

662 Ex tenore decreti constat, librum esse damnatum, & prohibitum: quæ autem propositiones libri damnabiles sint, Sacra Congregatio non proposuit. Prohibito autem libro, non omnes ejus propositiones damnantur. Patet. Nam in libris prohibitis solent esse propositiones fidei Catholicæ. Numquid ergo damnato libro, damnantur propositiones Fidei Catholicæ? Absit. Damnatus ergo fuit liber ob justas causas, quas non oportuit pro tunc declarare. Quæ disseruit de dispensationibus Pontificum ex opinione probabili fortasse non fuerunt conformata ad amussim sanæ doctrinæ. In illa quæstione, [An Summus Pontifex possit denominare successorem?] fortasse non legitimè discurrit. In expositione locorum Sacræ Scripturæ, fortasse non se continuit intra terminos recti expositoris. Quis scit, si ob aliquas ex his causis, aut alias similes, prohibitum est id Apologema? Quo ergo jure dicitur damnata ea propositio, cùm Sacra Congregatio eam non expresserit.

663 Secundò. Nam post prohibitionem Apologematis factam anno 1664. P. Martinus Esparza anno 1669. edidit Romæ librum, cui titulus est, *Appendix ad quæstionem de usu liciti opinionis probabilis*; cum approbatione Magistri Sacri Palatii, ubi defendit, posse reduci ad praxim opinionem minùs probabilem; ubi benè explicat, quomodo id non intelligatur de opinionibus laxativis conscientiæ, & parum tutis; quas ego appello vel improbabiles, vel dubiæ probabilitatis. Si ergo damnata esset doctrina de opinione minùs probabili eligenda, ut vult Jacobus; quomodo Magister Sacri Palatii id permisisset; quomodo Sacra Congregatio, librum Patris Esparza non prohibuisset? Distat ergo longissimè à veritate ea assertio Jacobi.

664 Tertiò. Quia cùm innumeri sint Theologi, qui eam opinionem tueantur: illi quidem in Romana Curia inoffenso pede currunt, & circumferuntur. Inter alios Mag. Barnabas Callego in *tract. de opinione probab. dub.* 1. affirmans, sententiam de opinione minùs probabili seligenda ad praxim, esse communiorem in schola Thomistica. Cur ergo non denunciatur in Sacra Congregatione, & prohibetur; nisi quia falsum est, eam doctrinam à Sacra Congregatione esse damnatam?

665 Quartò. Quia anno 1665. Alexander VII. inter aliàs opiniones damnavit hanc, quæ est 27. *Si liber sit alicujus Junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Si ergo anno proximo antecedente damnatum erat Apologema Caramuelis, propter assertionem de opinione minùs probabili; ut vult Jacobus; quam assertionem in suo decreto non expresserat Sacra Congregatio; nulla opportunior erat occasio exprimendi damnationem ejus propositionis; & tamen Romanus Pontifex nihil dixit de opinione minùs, aut magis probabili.

666 Quintò. Immò aliquid majus inde infertur ex damnatione ejus propositionis 27. proximè relatæ. Et sic urgeo. Si enim damnata est sententia de opinione minùs probabili eligenda; ut vult Jacobus; interrogo, quid nocet doctrinæ Ecclesiæ, quòd dicatur probabilis opinio reperta in quolibet libro Authoris moderni? Posset objici Pontifici damnanti: [Jam damnata est, Sanctissime Pater, sententia de minùs probabili opinione seligenda: qui dicit, quamlibet opinionem moderni esse probabilem, non dicit esse probabiliorem: quid ergo interest, quòd dicatur esse probabilis; si hoc benè componitur cum eo, quòd sit minùs probabilis.] Quæ objectio utpotè contraria decreto Pontificis reiicienda est. Sed quare est reiicienda, nisi quia supponit falsum, nempe damnatam esse Romæ propositionem de opinione minùs probabili seligenda.

667 Et

667 Et idem argumentum potest iostaurari circà damnationem propositionis quadragesimæ; quæ est hujus tenoris. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Unde sic arguo: non patitur Pontifex, quòd ea upinio dicatur probabilis ullo modo: sed si damnatum esset aliquod genus probabilitatis, non esset cur Pontifex excluderet omninò probabilitatem ab ea opinione: ergo nullum genus Probabilitatis damnatum est. Major & consequentia patent.

668 Minor probatur. Nam si esset damnata propositio de minùs probabili opinione seligenda; quamvis ea opinio de osculo veniali esset probabilis, adhuc non esset licitè practicabilis; quia posset dici probabilis, quatenus minùs probabilis. Cùm ergo Pootifex propter vitandam praxim dicat, eam opinionem de osculo veniali non esse probabilem; si aliquod genus Probabilitatis damnatum esset, non esset, cur excluderet à probabilitate utrumque.

669 Sextò. Liber, in quo Vincentius Baron promovet oppositam doctrinam, prohibitus est à Sacra Congregatione. Vel ergo prohibita est ea doctrina de strictiori opinione seligenda ad praxim; vel non est prohibita? Si dicas prohibitam; quare illam iterùm recudis? Si verò dicas, prohibitum esse librum Vincentii ob alias justas caussas, & non propterea prohibitam esse doctrinam de strictiori opinione seligenda; iofero: ergo idem debes dicere de Apologemate Caramuelis, quod prohibitum fuit ob alias caussas, non verò prohibita doctrina de quavis opinione probabili eligenda.

Septimò. Nam quando superiores librum prohibent, & non assignant caussas prohibitionis; non licet privatis hominibus discurrere, aut determinare caussas prohibitionis; aliàs id privatum judicium non nisi temerè elicietur.

670 Post hunc librum absolutum, & jam prælo paratum, prodiit decretum Sacræ Congregationis Inquisitionis Universalis, quo damnantur, & prohibentur sexaginta quinque opiniones io materia morum. Et fortasse videbitur alicui, damnata esse nostra doctrina, de quavis opioione practicè probabili eligeoda. Nam tertia ex propositionibus damnatis hæc est. *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Hæc tamen damnatio nihil nocet meæ doctrinæ, qui numquam admisi probabilitatem tenuem; immò verò ea esse prædicata sibi invicem repugnantia, semper censui. Est enim de essentia probabilitatis niti fundamento magno: probabilitas autem, quam dicis tenuem, utique tenui nitetur fundamento: habet ergo probabilitas tenuis prædicatum repugnans suo essentiali constitutivo. Quando autem opinio, quæ minùs probabilis videtur, non tenui, sed magno oititur fundamento, ea quidem nullatenus læditur per ejusmodi damnationem, ut ex ipsis terminis est evidens. Aliqui Doctores graves admittuut tenuem probabilitatem pro necessitate urgentissima: id tamen censent, quia putant, quòd talis necessitas facit, ut id motivum probabilitatis pro tunc reputetur grave, cùm extra talem necessitatem id motivum sit tenue, & insufficiens ad probabilitatem. Ego tamen numquam admittam probabilitatem tenuem propter dicta.

CAPUT XIII.

Confunditur quarta decima calumnia, quòd Sacrum *appellaverim Probabilitatis nomen.*

SUMMARIUM.

An doctrina de Probabilitate sit Theologica, atque adeò Sacra? num. 672. & seq.

Quibus aliis argumentis probetur nomen probabilitatis esse Sacrum? num. 674 & seq.

671 IDem Jacobus *cap. 1. num. 8. pag. 17.* sic ait: [Quare non miror, si Cardenas *pagin. 117. num. 412.* quasi illius apotheosim efficiens, *Sacrum dicat Probabilitatis nomen*. A oullo, quem legerim sacratum, nisi ab ipso; qui videtur Numam Pompilium imitari. Hic siquidem, ut Authoritatem suis conferret legibus, finxit, se eas à quadam Dea accepisse. Sic Cardenas loco illius Fannæ, ut suis resolutionibus valorem compararet, aut fidem, perpetuò recurrit ad Probabilitatem, ceu Regulam infallibilem, dum, eam, data quavis occasione, prædicat *certam, ac securam morum semitam*; modò, inquit, à Probabilitatis finibus minimè quis egrediatur.] In quam sententiam ulteriùs prosequitur. Et *cap. 11. num. 6.* iterùm insimulat, quòd sacrum dixerim Probabilitatis nnmen; & quòd cum aliquibus expostulaverim, quòd sacrum nomen corruperint, nempe inducendo opiniones improbabiles sub nomine probabilium.

672 Sed sacrum dicendum esse Probabilitatis nomen, jam ostendo primò. Theologia est scientia sacra: sed doctrina de Probabilitate est Theologica: ergo doctrina de Probabilitate est sacra.

673 Dices. Doctrinam de Probabilitate, si esset vera, esse Theologicam, & sacram. Sed quia falsa est, nec est Theologica, nec sacra. Et hæc esset optima responsio, si probaretur. Probavi ego multis argumentis in *disp. 15* meæ Cris. doctrinam de Probabilitate esse veram: & tamen ea insoluta reliquit Jacobus, & intacta. Solvi usque ad satietatem argumenta oppositæ partis; & etiam intactam reliquit responsionem meam, nec impugnavit. Ergo firma stat mea sententia de Probabilitate. Cùm ergo vera sit mea doctrina, constat esse Theologicam, & sacram.

674 Ostendo secundò. Alexander VII. inter eas quadraginta quinque opiniones damnavit vigesimam septimam, & quadragesimam relatas capite proximo præcedenti: alteram, quæ dicit probabilem opinionem cujuslibet moderni; alteram quæ dicit probabilem opinionem de osculo veniali. Itaque Pontifex non patitur sub nomine Probabilitatis contineri eas dnas opiniones profanas, & improbabiles: ergo aliquid magnum, & sacrum latet in nomine Probabilitatis, à quo Pontifex vult removeri opiniones scandalosas.

675 Ostendo tertiò. Recta Regula conscientiæ rectè appellatur sacra, cùm ordinetur ad sanctitatem morum: atqui S. Thomas dedit nobis pro regula conscientiæ opioiones stantes pro libertate contra legem in conflictu opinionum, ut constat ex *capit. 8.* cujus probabilitas pro moribus securissima est, & similiter SS. PP. Augustinus, & Hieronymus, ut ostendi *disp. 15. capit. 6.* ergo Probabilitas rectè appellatur sacra saltem quo ad hanc partem, quòd in conflictu opinionum probabilium possumus sequi opinionem benigniorem.

676 Relata ergo periodus à recto veritatis, & rationis tramite deviat primò, dum reprehendens nomen *Sacra* Probabilitati attributum, non respondet ad argumenta, quibus probavi usum probabilitatis, esse regulam morum securam, ratione cujus sacra est, oeque mearum responsioonm impugnationem aggreditur.

677 Deviat secundò, dum affert exemplum Numæ Pompilii; qui leges suas attribuebat Deæ fictitiæ. Ego enim doctrinam de Probabilitate non Deæ fictitiæ, sed Deo vero acceptam refero. A Deo enim Patre luminum descendit datum optimum doctrinæ veræ, qualem esse ostendi meam doctrinam de Probabilitate. Quæ si rectè intelligatur, neque rimulam minimam aperit relaxationi opioionum, ut centies dixi.

CAPUT XIV.

Removetur decimaquinta, & decimasexta calumnia, quòd probabilem dixerim opinionem de Præmotione Physica, & quòd multas supposuerim falsitates in S. Thomam.

ARTICULUS I.

Refertur calumnia, & ejus occasio; & proponuntur duo præcipuè notanda.

NON EGET SUMMARIO.

678 ASseverat Caramuel, ad hoc ut aliqua opinio jure meritò diceretur improbabilis, necessaria esse duo, & quòd daretur argumentum saltem moraliter evidens contra eam opinionem; & quòd argumenta huic opioioni suffragantia evidenti responsione solverentur. In *1. part.* meæ Cris. Theolog. *disp. 3. cap. 2.* multis demonstrationibus ostendi, eam secundam partem esse falsam; propositio enim redditur improbabilis, & certò falsa, per hoc quòd militet contra eam argumentum evidens, aut quoquo modo certum, quamvis solùm probabiliter solvantur objectiones ei opinioni suffragantes.

679 Ut hanc certissimam regulam promoverem, & explicarem, hanc primam demonstrationem proposui *num. 5.* [Libertatem humani arbitrii demonstrat quilibet Theologus, tum demonstratione naturali, tum demonstratione Theologica, contra Lutheranos libertatem humani arbitrii evertentes. Objectiones autem Lutheranismi, desumptas ex compositione libertatis cum Divina gratia auxiliante, alius Theologus solvit per sententiam de futuritione conditionata; alius autem per sententiam de præmotione physica. Vel ergo solutio tradita à Theologo Jesuita per sententiam de scientia futuritionis conditionatæ, est evidens, vel dumtaxat probabilis? Nam esse evidenter falsam, scio, non audebit asserere. Si dicat, esse evidentem, retractet Caramuel, quæ scripsit contra scientiam mediam *fund. 1. Thesi 6 num. 106.* Si dicat, dumtaxat esse probabilem, rursùs inquiro, an sententia Thomistica opposita sit evidens, vel dumtaxat probabilis? Evidentem dicere non potest, quia id esset asserere, sententiam Jesuiticam esse evidenter falsam. Erit ergo ad summum probabilis. Vel ergo objectionibus Lutheranismi satisfaciunt Theologi Catholici, vel non satisfaciuot? Hoc secundùm affirmare, & impium esset, & ridiculum. Satisfaciunt ergo. Quinam? Jesuitæ, an Thomistæ, an utrique? Utrilibet illi sint, per solutiones probabiles satisfaciunt: alii per sententiam de scientia conditionata; alii per oppositam: utrique per utramque. Stat ergo, demonstrari optimè libertatem humani arbitrii contra Lutheranismum; & quòd hujus objectionibus per solutiones probabiles satisfiat.] Hucusque ea prima demonstratio.

680 Incidit in illam Jacobus à S. Dom. & *lib. 3.* Compendiariæ Theologiæ Moralis *cap. 4. num. 9.* sic contra me insurgit, simul & contra

contra Eupistinum. [Si verò quæras ab ipso Cardena, cur Thomistarum doctrina de Prædeterminatione physica, sit tantùm probabilis, non verò convincens & demonstrativa; seu quare per eam non demonstrativè, sed tantum probabiliter solvantur argumenta hæreticorum? Quia, inquit, inde sequeretur, doctrinam Jesuiticam esse evidenter falsam.∴ Si igitur ad has ageremur angustias, ut ex duobus malis minus esset eligendum; longè minùs esset inconveniens, ut doctrina Eupistini, & horum Neothericorum contra sanam suorum Majorum voluntariè, & sine ullo fundamento excogitata, & adversùs Scripturam, Concilia, Sanctos Patres, ac celeberrimas totius Orbis Christiani universitates variis artibus, ac innumeris suppositionibus falsis inducta; ab omnibus falsa habeatur, quam ut in ullo vel apice faveamus, aut conveniamus cum Ecclesiæ hostibus. Atqui, ut rectè notavit censura Lovaniensis, horum Neothericorum doctrina hac in parte favet hæreticis: si enim, ut ait Cardenas suprà citatus contra Caramuelem, per doctrinam de Prædeterminatione, non evidenter, & demonstrativè, sed tantum probabiliter solvuntur argumenta hæreticorum ex scriptura perperam, & falsò accepta; sequitur, in suo robore illorum argumenta remanere: & quia istud ipsis summopere adulatur, mirum etiam in modum foveret schisma ipsorum, qui ex principiis defensorum probabilitatis, ipsiusque Caramuelis, arbitrari possent, suam doctrinam esse saltem probabilem, ac subinde juxta eorum principia sufficere ad securitatem conscientiæ.] Hæc Jacobus ibi.

681 In quibus verbis aliqua veniunt notanda majoris momenti. Primum, & præcipuum est, quòd adhuc censeat Jacobus, posita demonstratione contra Lutheranos, & solutis eorum objectionibus probabiliter, eorum objectiones remanere probabiles. Secundum, quòd expostulet mecum, quòd dixerim sententiam de præmotione physica, solùm esse probabilem. Tertium, quòd dixerit Jacobus sententiam, quæ negat præmotionem physicam, *variis artibus, & innumeris suppositionibus falsis inductam esse*. Sed quæ sunt falsitates istæ? Paulò inferiùs, scilicet *num.11.* referens ejusmodi falsitates, sic ait: *legat, qui voluerit caput 11. libri præcedentes* (corrige *lib. 1.*) *in quo quinque sunt ad minùs apertæ falsitates à Cardena commissa in referenda D. Thomæ doctrina in gratiam probabilitatis, quàm falsò conatur ipsi affingere*. Quartum, quòd dixerit, doctrinam de scientia media traditam esse à Jesuitis *contra suam sacram Majorum doctrinam*: quod ut probet, affert textus varios Sancti Patriarchæ nostri Ignatii, S. Francisci Borgiæ, P. Alphonsi Salmeronis, & aliorum plurium.

ARTICULUS II.

An ex demonstratione veritatis Catholicæ, & probabili solutione objectionum maneat probabilis sententia hæreticorum, aut objectiones eorum?

SUMMARIUM.

An in disputationibus qui demonstrat suam conclusionem, & respondet probabiliter objectis, triumphet de adversario? num 684.

An objectiones contra veritates Fidei desumi soleant à Topicis, & probabilibus? num.686. & seq.

An apud Thomistas sit probabile præmotionem esse qualitatem, & etiam præmotionem non distingui à concursu simultaneo Dei, & quid inde pro mea assertione? num.689.

An demonstrata mea conclusione, & solutis probabiliter objectionibus, nulla ex objectionibus maneat probabilitas? num.690.

Quid de censura Doctoris Lovaniensis? num.692.

682 Totus defixus hæreo in admiratione, neque ab illa cessare possum, dum video, Jacobum legisse disputationem illam tertiam, & argumenta in illa contenta, demonstrativa illa quidem; & adhuc perstare in ea sententia, quòd posita demonstratione Catholicæ veritatis, & solutione probabili objectionum hæreticalium, maneant argumenta hæreticorum in sua probabilitate: & quòd inde resultet favor in hæreticos, immò & adulatio.

683 Est & aliud, quòd majorem me rapiat in admirationem: quòd cùm legerit ea argumenta demonstrativa, illa relinquat insoluta, neque aggrediatur responsionem eorum. Enim verò contentus esse videtur verbis amarulentis, & gloriosis, quæ contra me, & pro sua opinione loquitur. Sanè consultius illi esset ad mea argumenta respondere, quam insolita verborum turbulentia disputationem dirimere. Quid enim prodest viris doctis, qui legendo cupiunt doctiores fieri, quòd aculeata verba proferantur, quæ nullam vim, nullam efficaciam superaddunt discursui? Sciat ergo Jacobus, quòd, dum meis argumentis non responderit, quæ dixi esse demonstrativa; in possessione maneo demonstratæ meæ assertionis, nempe quòd [Posita demonstratione pro Catholica veritate, & solutione probabili objectionum hæreticalium; objectiones hæreticorum deturbantur à probabilitate, & hæretici manent convicti & confusi.] Meas autem demonstrationes instauro contra assertum Jacobi.

684 Demonstro primò. In disputationibus, qui convincit, & non convincitur, triumphat de adversario; sicut in concertationibus materialibus, qui percutit, & non percutitur: sed qui demonstrat suam sententiam, & solvit probabiliter objectiones adversæ partis, convincit, & non convincitur: ergo qui demonstrat suam sententiam, & solvit probabiliter objectiones adversæ partis, triumphat de adversario.

685 Quæ ex his tribus propositionibus non est evidens? Consequentia enim omninò ligat, quia syllogismus est in primo modo primæ figuræ Dialecticæ. De majori quis dubitare potest, qui expertus fuerit disputationis ludum? Minor vero, si penetrentur termini, inconcussa censebitur. Nam qui demonstrat, aut evidenter probat, convincit; qui autem probabiliter respondet ad argumenta, nullatenus convincitur.

686 Demonstro secundò. Argumentationes, quæ opponuntur veritatibus Fidei Catholicæ, desumi solent ab adjunctis, & circunstantiis, quæ nec sunt de Fide, nec evidentia (pro, aut contra) fulciuntur: sed his argumentationibus responderi non potest solutione certa, aut evidenti: ergo satis est respondere per solutionem probabilem. Consequentia est inevitabilis. Et minor est metaphysicè evidens: nam in materia merè topica non potest responderi solutione certa, aut evidenti.

687 Major verò multis ostendi potest. Ut probarent Anglicani, non esse colendas imagines, & reliquias Sanctorum, eo utuntur argumento, quòd [Ideò Deus abscondit cadaver Moysis, ne Judæi illud colerent: ergo non sunt adorandæ reliquiæ Sanctorum.] Ad quòd P. Suarez in defensione Fidei contra Regem Angliæ *lib.2.cap.12. num.11.* sic respondet. *Deinde responderi potest, argumentum illud non in scriptura, sed magis in propria conjectura esse fundatum, & ideò parvi momenti esse. Nam est quidem illa ratio probabilis, ut illam expendit Abulensis, ad illam accommodans altercationem inter Archangelum, & Diabolum super Moysi corpore: cujus meminit Judas Apostolus in sua canonica.∴ Sed nihilominus non est ratio necessaria. Nam idem Author de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, addit alium, videlicet, [Ut illam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mærore repressam nullus videret.] Dici etiam potest, id factum esse quasi ad complementum, & exaggerationem pœnæ injunctæ Moysi propter culpam diffidentiæ circa fluxam aquæ de petra; illa enim de causa terra promissionis privatus est. Numer. 20. ut rectè ponderat Chrysostomus lib.4. de Sacerd. propè init. & August. in lib. quinquaginta homil. hom.27. & enarrat. in ps. 96. versùs finem.* Prosequiturque enumerans alias causas probabiles ex Sanctis Hieronymo, & Chrysostomo.

688 Ubi vides, argumentum objectum contra veritatem Catholicam desumptum esse à conjectura causæ, ob quam Deus abscondit cadaver Moysi, quæ neque est de Fide Catholica, neque aliqua ratione evidentiæ fulcitur. Et simul notabis, quomodo solutione probabili satisfiat argumentis hæreticorum. Nam si quis responderet hæreticis, causam, ob quam Deus occuluit cadaver Moysi, fuisse in pœnam ejus diffidentiæ, non aliam probabiliter responderet. Sed quid moror in re tam clara? Legat, qui voluerit, controversias Bellarmini, & innumera hujus rei exempla conspiciet; scilicet argumenta hæreticorum desumpta à circunstantiis, & adjunctis, quæ nec sunt de Fide, neque evidentia (pro, aut contra) suffulta.

689 Demonstro tertiò. Et demus gratis adversario, sententiam de præmotione physica esse evidentem: & per illam evidenter satisfieri argumento ab hæreticis proposito. Demus, quòd instet hæreticus, ut probet impossibilem esse præmotionem physicam cum libertate compositam, sic: [si esset compossibilis cum libertate præmotio physica, vel ea esset qualitas impressa voluntati, vel esset concursus ipse simultaneus Dei prædeterminans voluntatem ad actum: sed neutrum est compossibile cum libertate; ergo præmotio physica incompossibilis est cum libertate.] Negabit minorem Jacobus, & quia ipse tuetur, prædeterminari voluntatem per ipsum concursum simultaneum Dei; per hanc suam sententiam respondebit. Sed numquid apud Thomistas est evidens, quòd præmotio physica sit per concursum simultaneum, & non per qualitatem impressam? Numquid apud Thomistas non est etiam probabilis sententia, quòd præmotio sit per qualitatem impressam, & non per concursum simultaneum? Ergo Jacobus respondebit hæretico solùm per solutionem probabilem. Numquid ergo adulabitur hæreticis, vel cum hæreticis conveniet, dicens, se respondere ad eorum argumentum solutione probabili? Quid evidentius?

690 Illud maximè advertendum est, quòd si ego probo conclusionem meam demonstrativè, & solvo probabiliter objectionem partis oppositæ, partem oppositam non manere probabilem, sed evidenter falsam; & consequenter objectioni adversanti non manere probabilitatem contra meam conclusionem. Ratio est: quia contra evidentiam, aut certitudinem nulla est probabilitas; ut demonstravi in 1. *part. Crit. disp.4. num.6. & seq. &* in hac *disp. cap.9. art.3. à num.593.* & passim alibi, atque adeò demonstratio meæ conclusionis aufert probabilitatem ab opposita, & ab argumentis ejus in ordine ad illam conclusionem.

691 Hinc constat, quàm falsò dictum sit à Jacobo, quòd hæretici *arbitrari possent, suam doctrinam esse saltem probabilem, ac subinde juxta eorumdem principia sufficere ad securitatem conscientiæ*. Non enim possunt arbitrari probabilem, nisi claudendo oculos lumini natura-

naturali, eam sententiam, quæ militat contra evidentiam nostrarum demonstrationum.

692 Quod autem dicit de censura Lovaniensi, subsistere non potest. Primò, quia verba ejus censuræ non ponit: quibus positis, videremus quid, aut quomodo contineat hæc censura. Secundò, quia nescimus, quænam fuerit informatio, quæ data est Doctoribus Lovaniensibus, qui fortasse ex allegatis (licèt perperam allegatis) potuerunt rectum judicium ferre. Tertiò, si qui autem Doctores Lovanienses, visis meis demonstrationibus in ea *disp.* 3. relatis, adhuc censent, per hanc doctrinam convenire nos cum Ecclesiæ hostibus; respondeant priùs ad præfata argumenta demonstrativa; & tunc annuam iis Doctoribus; non aliter.

ARTICULUS III.

An jure expostulet Jacobus, quòd probabilem dixerim sententiam de Præmotione.

SUMMARIUM.

An sententia de scientia media dicenda sit evidens, an probabilis? num. 693.

An sententiæ de præmotione possim attribuere plus quàm probabilitatem? num. 694. & 700.

An sit evidens consequentia à probabilitate meæ doctrinæ ad non evidentiam oppositæ? num. 695 & 701.

An adversarius possit attribuere suæ sententiæ de præmotione plus quàm probabilitatem? num. 696.

An adversarius præbeat occasionem attribuendi sententiæ de præmotione gradum falsitatis, quem mea adscribit? num. 697 & 703.

Quodnam sit majus malum, an dicere, quòd sententia de scientia media sit certò falsa, an potiùs dicere, quòd respondetur hæreticis solutione probabili? num. 698. & 704.

An possim ego similiter expostulare cum adversario, quòd mihi dixerit probabilem sententiam de scientia media? num. 699. & 706.

693 SPerabam ego, quòd Jacobus à S. Domin. mihi gratias ageret, quòd dixissem, sententiam de Præmotione physica esse probabilem. Nam cùm unusquisque suam sententiam existimet evidentem, & maximè hanc de scientia media, quæ adeò illustribus testimoniis Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Conciliorum nititur, non esset mirum, si illam dicerem evidentem. Sed quia non potest mea sententia esse evidens, nisi opposita sit evidenter falsa; id non debui asserere; quia non licet mihi eos Theologos offendere, quos summo studio veneror. Ideò probabilem asserui, & assero eorum sententiam, & tamen mecum expostulat Jacobus.

694 Pro injustitia ergo hujus expostulationis, Judices appello doctissimos quosque Thomistas; quorum doctrinam summopere colo. Et pro allegatione juris in defensionem meam interrogo primò, an ego qui oppositam sententiam tueor, possim attribuere eorum sententiæ plus, quàm probabilitatem? Est enim mihi animus attribuendi eorum sententiæ quidquid laudis compossibile est cum mea doctrina.

695 Interrogo secundò, an non sit evidens consequentia à probabilitate meæ doctrinæ ad non evidentiam oppositæ?

696 Interrogo tertiò, an Jacobus ipse possit attribuere suæ sententiæ de præmotione ampliùs, quàm probabilitatem?

697 Interrogo quartò, an dum Jacobus ait, *ex duobus malis minus esse eligendum*; & ideò *longè minùs esse inconveniens*, quòd *doctrina* Jesuitarum *ab omnibus ut falsa habeatur*; det sufficientem occasionem, impellatque, ut dicam ego, si ex duobus malis minus est eligendum, longè minùs inconveniens esse, quòd ea doctrina Thomistarum *ab omnibus ut falsa habeatur*?

698 Interrogo quintò, an supposito quòd *ex duobus malis minus est eligendum*; quodnam est majus malum; dicere, quòd sententia Jesuitica sit certò falsa, an dicere quòd respondetur hæreticis solutione probabili?

699 Interrogo sextò, an possim ego similiter expostulare cum Jacobo, quòd meam sententiam de scientia media vocaverit solùm probabilem. Sic enim *lib. 2. cap. 6 num. 2* ait: [Absit à me, ut eos existimem de aliqua hæresi, aut errore suspectos, ex eo quòd aliquid simile hæretici malè, ac perperam dixerint; quòd Catholici in aliquo bono sensu, saltem *probabiliter* tueatur.] Hæc ille, in hoc modo loquendi laude dignus. Et ad has sex quæstiones coram doctissimis Thomistis Judicibus suo ordine respondeo.

700 Ad primam. Dum nego præmotionem physicam, non possum attribuere plus, quàm probabilitatem. Patet. Nihil aliud est plus, quàm probabilitas nisi certitudo; dum nego præmotionem physicam, non possum adversæ sententiæ attribuere certitudinem: ergo neque possum attribuere plus, quam probabilitatem. Major, & consequentia patent. Nec minùs certa est minor: esset enim fatuitas magna, negare sententiam, quam dicerem esse certam. Deinde si oppositam dicerem esse certam, dicendum esset, quòd mea sententia non est probabilis: ergo injusta est expostulatio ejus, qui postulat à me, ut dicam meam sententiam non esse probabilem.

701 Ad secundam dico, esse consequentiam evidentem à probabilitate meæ sententiæ ad non evidentiam oppositæ: atque adeò cùm Jacobus nostram sententiam dicat probabilem, necessaria consequentia annuere debet meæ assertioni de mera probabilitate sententiæ suæ. Patet. Nam ex duabus propositionibus contradictoriis, si una est probabilis, implicat contradictionem, quòd altera sit certa, aut certò falsa. Nam illæ duæ sunt contradictoriæ. *Non datur Præmotio*; *Falsum est, quòd non datur Præmotio.* Si ergo prima esset probabilis, & secunda certa, fieret, quòd utraque esset incerta, & non incerta. Nam si hæc est incerta, [falsum est, quòd non datur præmotio;] hæc est certò falsa, [Non datur præmotio;] si certò falsa est, infertur, non esse incertam. Et aliundè cum supponatur probabilis, supponitur incerta, id est, nec certa, nec certò falsa. Et simile argumentum fit de altera propositione. Vide reliquas demonstrationes in 1. *part. Crif. disput.* 4. *numer.* 6. & *seqq.*

702 Ad tertiam. Ex dictis infertur, non posse Jacobum attribuere suæ sententiæ de præmotione majorem gradum, quàm probabilitatis. Patet. Nam ex duabus contradictoriis si una est probabilis, altera non potest esse certa; ut constat ex dictis: Sed secundùm Jacobum, sententia de præmotione negata est probabilis: ergo sententia de præmotione affirmata non potest esse certa. Sed quæ non est certa, ad summum est merè probabilis: ergo non potest illi attribuere celsiorem gradum, quàm probabilitatis.

703 Ad quartam. Affirmo, quòd sicut ipse dixit, ad minus malum eligendum, dicendum esse, minus inconveniens esse, quòd doctrina nostra *ab omnibus ut falsa habeatur*; ita quodam modo impellit, ut idem dicamus de sua sententia. Nam unusquisque suam sententiam reputat probabiliorem: & dum video, sententiam, quam puto probabiliorem, ita despici; & quidem sine probatione: occasionem accipio, despiciendi similiter oppositam. Addo insuper, quamvis ad id occasionem dederit Jacobus, me ea cedere; quia Anthores doctrinæ summè veneror, utpotè egregios socios defendendæ Fidei Catholicæ.

704 Ad quintam. Assero, majus malum, & ideò neutiquam eligendum, esse dicere, quòd doctrina nostra de scientia media est certò falsa, & quòd *ab omnibus ut falsa habenda sit*; quàm dicere, quòd demonstrata veritate Catholica respondetur hæreticis solutione probabili. Demonstro primò. Quia majus malum est, dicere falsum, quàm dicere verum: sed, ut constat ex dictis, falsum est, quòd doctrina nostra sit certò falsa, & ab omnibus ut falsa habenda; & est verum, quòd demonstrata veritate Catholica, respondetur hæreticis solutione probabili: ergo majus malum est dicere, quòd nostra doctrina est certò falsa, quàm dicere, quòd demonstrata veritate Catholica, respondetur hæreticis solutione probabili.

705 Demonstro secundò. Quia ideò esset majus malum dicere, quòd responderetur hæreticis solutione probabili; quia sic dicendo conveniremus cùm Ecclesiæ hostibus: quæ est ratio assignata à Jacobo: sed id est falsum, & implicatorium, ut constat ex *art. prae.* ergo illud non est majus malum.

706 Ad sextam. Quia dixi, opinionem de præmotione physica esse mere probabilem, Jacobus expostulat mecum, quasi de injuria. cùm ergo ipse dicat, de nostra sententia, solùm quòd sit probabilis; quare non etiam expostulabo cum ipso, quasi de injuria. Et è converso melius sic discurram. Ego non expostulo cum Jacobo, quòd nostram sententiam solùm dixerit probabilem; quare ergo ille expostulabit, quòd suam solùm dixerim probabilem?

ARTICULUS IV.

An multas affinxerim falsitates Angelico Doctori?

NON EGET SUMMARIO.

707 COnqueritur Jacobus (ut constat ex periodo relata *art.* 1.) quòd Authores scientiæ mediæ *eam induxerint variis artibus, ac innumeris suppositionibus falsis*. Et ut tam immane piaculum probaret, verbis ibidem relatis remittit lectorem, ut videat quinque falsitates, quas ego imposui Divo Thomæ.

708 Et quidem si tales sunt falsitates Authorum scientiæ mediæ, tam facilè poterunt hi Authores depellere à se hanc calumniam, quam facilè ego eam à me eaulare feci *cap.* 8. hujus disputationis. Et quamvis ibi à me hæc calumnia omninò depulsa est; ne gravetur lector, quòd hic breviter enumerem quinque falsitates istas, quas in me conjicit Jacobus.

709 Prima falsitas est (ut vult Jacobus) quam retuli ex S. Thoma, quòd leges humanæ non possunt præcipere actus internos, atque adeò hominem, cui superior præcipit actum internum, non obligari ad obediendum: consequenterque in conflictu opinionum S. Thomam docuisse opinionem probabilem pro libertate. Vide eo *cap.* 8 *art.* 2. quàm sit certum, eam esse doctrinam S. Thomæ, & eam esse opinionem pro libertate. & nihil esse posse evidentius, quàm id, quod à prædicto Jacobo falsitas appellatur. Et memento, ex placito Jacobi, hanc esse unam ex innumeris suppositionibus falsis, quas Authores scientiæ mediæ induximus.

710 Secundam (quam falsitatem vocat Jacobus) proposui *ibid. art.* 3. ex S. Thoma docente, quòd *electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant,*

nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum? unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio: nisi forte, &c. Quam esse doctrinam S. Thomę faventē libertati jejunantis, non negat Iacobus: & tamen modò refert inter falsitates meas, & Authorum scientię medię. Vide eum art. 3.

711 Tertia veritas ex quinque (quas vocat Iacobus falsitates Authorum scientiæ medię) est, quòd retulerim opinionem S. Thomæ stantem pro libertate filii, docentemque in conflictu opinionis oppositę, filium non teneri obedire Patri quo ad matrimonium subeundum, nisi quantum ad id justa causa coegerit. Quam opinionem esse S. Thomæ, fatetur Iacobus: excusationem autem, quam contra assertionem prætendit esse inanem, constat ibid. ex artic. 4. ubi clarius videbis, quàm immanis sit calumnia, quæ imponitur Authoribus scientiæ mediæ.

712 Quarta est, quam proposui ar. 5. quòd citaverim S. Thomam pro ea opinione, quòd *Episcopus non tenetur restituere ea bona, quæ sibi supersunt, & non impendit in usus pios, ex iis bonis, quæ sunt suo usui destinata.* Quę opinio in conflictu oppositæ etiam probabilis, stat pro libertate. Et non negat Iacobus eam esse opinionem S. Thomæ: & tamen modò refert inter falsas suppositiones Authorum scientiæ mediæ. Responsionem autem Jacobi omninò esse inanem, constat ex præfato art. 5.

713 Quinta est, quam proposui art. 6. & 7. quòd docuerit S. Thomas, licitum esse pauperi graviter indigenti (servatis decem conditionibus, quæ ferè numquam conjunguntur) subripere à divite, quę ad suam necessitatem gravem sublevandam necessaria sunt: eo quòd juxta S. Thomam dives teneatur ex justitia erogare pauperi necessaria; atque adeò pauperem habere jus justitiæ ad illa. Quàm gravi fundamento ductus, & quàm necessaria consequentia ex principiis D. Thomæ, eam opinionem illi attribuerim, constat ex iis ar. 6. & 7. Quam conformandam esse decreto Innocentii XI. iam dixi.

714 Verum quidem est, Iacobum insigni deceptione præventum putasse, me citare eas opiniones S. Thomæ pro assertione de opinione minus probabili eligenda: quæ tamen deceptio fuit enormis, cùm de contrario constet clarissimè ex meo tractu, ut constat ex præcitatis articulis. Patet ergo, ex insigni deceptione ortum esse id dictum de falsis suppositionibus Authorum scientiæ mediæ.

ARTICULUS V.

Quotupliciter declinat à veritate periodus relata art. 1.

SUMMARIUM.

An doctrinam de scientia media tueamur contra sanam nostrorum majorum doctrinam? n. 717.
An S. Franciscus Borgias suffragetur præmotioni? n. 719.
An P. Alphonsus Salmeron suffragetur eidem? n. 720.
An Cardinalis Bellarminus? n. 721.
An Cardinalis Toletus, aut reliqui ex nostris antiquis patribus? n. 722.
An scientia media sit contra scripturam, Concilia, & Patres? n. 723.
An scientia media sit cōtra celeberrimas totius orbis universitates: n. 724.
An sit inducta innumeris suppositionibus falsis? n. 725.
Quid de censura Lovaniensium? n. 726.
Quando possit Catholicus respondere hæretico solutione probabili? n. 727.
An argumenta hæreticorum maneant in suo robore, si demonstrata veritate solvantur responsione probabili? n. 729. & seq.
Quid de de cæteris consequentiis? n. 731.

715 IN multis declinat à veritate relata periodus. Et primo quidem constat, quàm injusta sit expostulatio, quòd solùm probabilem dixerim opinionem de præmotione physica; cùm ex ipsa ejus assertione de probabilitate nostræ sententiæ inferatur per evidentem consequentiam, sententiam de præmotione esse dumtaxat probabilem. Vide supra art. 9.

716 Constat secundo ex eodem art. 3. & quæstione ejus 5. perperam dici, quòd sit minus inconveniens, quòd nostra sententia *ab omnibus ut falsa habeatur;* quam quòd demonstrata veritate Catholica respondeatur hæreticis solutione probabili.

717 Declinat tertiò à veritate, dum dicit, scientiam mediam doceri à nostris Authoribus *contra sanam suorum majorum doctrinam*. Et quidem conatur trahere ad suam sententiam de Præmotione physica complures ex Primoribus nostræ Societatis, Sanctissimum Parentem Ignatium, S. Franciscum Borgiam, P. Alphonsum Salmeronem S. Ignatii Socium (quem dicit missum à S. Ignatio ad Concilium Tridentinum; cùm deberet dicere *missum à Summo Pontifice;* ut constat ex ipso libro Concilii Tridentini, sub titulo, *Theologi à Summo Pontifice missi,*) Cardin. Bellarminum. Card. Toletum, P. Ludovicum à Ponte, P. Benedictum Pererium, & alios usque ad viginti unum.

718 Et quidem Jacobum laudo, quòd aggressus sit eos Doctores trahere in suam sententiam. Laudabile enim est, quòd unusquisque pro sua opinione congerere conetur testimonia magnorum virorū, Religione, & doctrina præstantium. Cæterum non laudo, quòd propterea dicat, Authores scientiæ mediæ *contra sanam suorum majorum doctrinam* procedere. Nam licèt ea testimonia videantur habere aliquam verisimilitudinis speciem pro præmotione physica; id non sufficit, ut dicamur procedere *contra sanam nostrorum majorum doctrinam:* quia ad hoc secundum, opus esset, quòd testimonia essent evidentia, & non solùm verosimilia; quæ testimonia, & eorum verba optimè componuntur cum iis, quæ dicimus de scientia media, & de efficacitate auxilii in actu primo, orta ex gratia præveniente simul, & futuritione conditionata actus liberi: nullum enim ex iis testimoniis affirmat, gratiam determinare physicè ad consensum.

719 Et quia id non est instituti mei, supersedere debeo à singulorum examine. Sed nec possum non attingere aliqua breviter. De testimonio Sanctissimi Parentis nostri Ignatii dixi jam cap. 8 art. 14. Testimonia S. Francisci Borgiæ (quem citat in conclusione operis pag. 361.) parum suffragantur præmotioni: Nam quod dicat, cor peccatoris esse quasi *lapideum*, & verbum Dei quasi *malleum*, parum probat. Quod dicat, *Martyres obfirmari submisso Dei auxilio*, non denotat, Deum physicè prædeterminare: Quòd dicat, voluntatem Dei esse causam rerum, & semper impleri, etiam nos admittimus in efficacitate auxilij, quam defendimus, antecedenti ad consensum absolutum voluntatis.

720 Nec P. Alphonso Salmeroni (quem citat in appendice sect. 15. pag. 291.) contradicimus. Nam dum dicit: *In finem dilexit eos, id est, firma sua, & immobili prædeterminatione per certa media, quasi serie quadam instituit, &c.* nomine prædeterminationis intelligit præfinitionem. Cùm enim eo tempore nondum exorta esset hæc controversia. Authores non utebantur ea formalitate, qua nunc. Idque constat ex illa voce *per certa media*: quia præmotio physica apud Thomistas est medium immediatissimum; & ipsa non operatur per alia media. Præfinitionem autem nos admittimus consecutam ad scientiam mediam; quæ præfinitio nihil aliud est apud me, quàm voluntas dandi media efficacia. Media autem certa sunt ipsa auxilia efficacia, ex quibus necessitate consequenti infallibiliter infertur operatio, antecedenter tamen ad operationem absolutè futuram; consequenter verò ad operationem conditionatè futuram.

721 Quòd attinet ad Cardin. Bellarminum (quem allegat lib. 3. cap. 4. pag. 333.) frustrà desudant Gonetus, & Jacobus à S. Domin. in trahendo eum ad suas partes. Nam dum non dederint tractum, in quo dicatur Deum determinare physicè ad operationem liberam creaturæ; oleum, & operam perdunt. Nam cæteræ locutiones Scripturæ, & Sanctorum Patrum, sicut etiam Bellarmini optimè conveniunt in nostram sententiam de efficacia gratiæ. Quid, quòd dixerit Bellarminus, quòd concursus Dei sit ex prærequisitis ad operationem? Utique prærequisitus est, in actu primo indifferens, non determinans ad operationem liberam. Quid, quòd dicat, Deum movere voluntatem nostram, & applicare ad operationem? Movet sanè, & applicat mediis auxiliis gratiæ, sed non determinat physicè. Compellit etiam nostras rebelles voluntates ad sanctam operationem. Sed quomodo? Suaviter, & fortiter. Suaviter, dum non determinat physicè. Fortiter, dum dat gratiam, quæ infallibiliter infert operationem, ante absolutam futuritionem operationis. Similiter discernit gratia Justum à peccatore, ita ut justus non possit in se ipso gloriari; quia Deus dat justo gratiam infallibiliter inferentem operationem justitiæ, quæ gratia si deficeret, non ita operaretur; non tamen determinat physicè ad illam.

722 Idem dico de Cardin. Toleto (quem citat in appendice unica sect. 12. pag. 288.) Non enim negamus, quod Toletus affirmat, nempe quòd causæ secundæ operentur *à Deo motæ, & directa, sicut instrumenta ab Artifice:* stat enim, quòd Deus moveat, & dirigat ad actum supernaturalem, quin determinet physicè ad liberam operationem. Stat etiam, quòd voluntas sit instrumentum Dei ad operationem supernaturalem, & quòd causa principalis non determinet physicè ad operationem, quia vult relinquere illam in manu consilii sui. Quod idem dictum esto de cæteris testimoniis Patrum nostrorum, apud quos nunquam reperies dixisse, quòd Deus determinet physicè voluntatem ad unam partem.

723 Declinat quartò à veritate, dum ait, inductam esse scientiam mediam, contra *Scripturam, Concilia, Sanctos Patres, &c.* Quæ verba non dicuntur ita intrepidè, nisi de placitis sectariorum. Aliud est, quòd oppositæ partis Authores afferant pro sua opinione quædam loca Scripturæ, Conciliorum, & Patrum: ad quæ quidem respondemus, omnes eas locutiones optimè convenire in nostram sententiam de efficacitate gratiæ antecedenti ad futuritionem absolutam: & aliud est, quòd nostra sententia contradicat Scripturæ, Conciliis, & Patribus. Hoc enim secundum absurdum est; cùm adeò solidas responsiones demus ad ea omnia testimonia. Habemus pro sententia nostra luculentissima testimonia Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Qui de hoc dubitaverit, legat P. Didacum Ruiz de Montoja tom. de Scientia Dei à disp. 38. per totas viginti tres disputationes, & tom. de Volunt. à disp. 20. per triginta duas disputationes, & inveniet immensum pelagus authoritatis pro nostra sententia. Neque propterea diximus, sententiam Thomistarum absolutè esse contra *Scripturam, Concilia, & Patres*: hoc enim judicium, si privatum, sapientibus Theologis, qui legerint, remittimus: si authenticum, Sedi Romanæ submittimus.

724 Declinat quinto, dum ait, sententiam de scientia media esse

contra

contra celeberrimas totius Orbis Universitates. Quæ sunt istæ celeberrimæ? Nam in Salmanticensi, Complutensi, Vallisoletana, Hispalensi, Ovetensi, Ursaonensi, Biacensi, & cœteris Hispaniæ universitatibus magno cum plausu docentur, propugnantur, & celebrantur assertiones de scientia media, & efficacia auxilii non prædeterminante. Universitates autem Hispaniæ, & doctorum virorum numero, & præstantia doctrinæ nulli alteri cedunt. De aliis universitatibus non est meum loqui; de quorum placitis sufficientem non habeo cognitionem.

725 Declinat sexto, dum ait, *variis artibus, ac innumeris suppositionibus falsis inductam esse* scientiam mediam. De quo vide art. præced.

726 Declinat septimo, dum ait: *Ut rectè notavit Censura Lovaniensis, horum Neothericorum doctrina hac in parte fovet hæreticis*. Nam, ut supra dixi, si Doctores Lovanienses solvissent argumenta demonstrativa, quæ convincunt oppositum; judicium meum ei censuræ submitterem. Quòd autem Doctores privati eam censuram producant, intactis argumentis, ne dum insolutis, quid nocet nobis? Vide, quæ dixi de hac censura art. 2.

727 Declinat octavo, dum dicit; *Si enim, ut ait Cardenas, per doctrinam de prædeterminatione, non evidenter, & demonstrativè; sed tantùm probabiliter solvuntur argumenta hæreticorum ex Scriptura perperam, & falsò accepta*. Nam Sacræ Scripturæ sunt expositiones aliæ evidentes, aliæ probabiles, aliæ falsæ, & adulterinæ. Evidentes sunt illæ, quas communi consensu accipit Ecclesia Catholica. Probabiles sunt illæ, quibus privati Doctores ex ratione probabili utuntur: quales sunt illa, quas supra posui art. 2. de cadavere Moysi. Falsæ autem, & adulterinæ sunt eæ, quibus hæretici Scripturas corrumpunt: quales videre est apud controversias Bellarmini. Quando Catholicus cum hæretico disputans dat expositionem probabilem, probabili solutione respondet.

728 Declinat nono, & enormissimè, dum ait: *Sequitur in suo robore illorum argumenta remanere*. Sed quo modo probat, quod id sequitur? sanè sola sua dicentis authoritate. Sed, ut ait Ioannes Lupus capit. *Per vestras*, de donat. inter virum, & uxorem notab. 3. §. 20. n. 12. quem refert, & sequitur P. Thomas Sanchez *lib. 3.* de Matrim. *disp. 44. n. 3. Non est credendum Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento*. Sed quid, si non solùm sine probatione, sed etiam contra evidentiam quatuor demonstrationum, quas proposui ex *disp. 3. cap. 2.* affirmat, argumenta hæreticorum in suo robore permanere. Nam eo ipso quòd Catholicus disputans cum hæretico demonstraverit suam conclusionem, argumenta hæretici, quantumvis solutione dumtaxat probabili soluta, amittunt omninò probabilitatem in ordine ad illam conclusionem; idque virtute demonstrationis allatæ pro Catholica conclusione: quia contra evidentiam, aut certitudinem nulla est probabilitas, ut jam dixi sæpius.

729 Declinat decimo à veritate, dum ait: *Et quia istud ipsis summoperè adulatur*. Quid enim est istud? nempe illud postremum dictum: *in suo robore illorum argumenta remanere*. Quæ ergo assertio adulatur hæreticis, mea ne, an adversarii? Ego assero; *illorum argumenta non remanere in suo robore*. Iacobi assertio est, remanere, si demonstrata conclusione Catholici, argumenta hæreticalia solvuntur solutione probabili. Et tamen licèt sub ea conditione id dicat; conditio tamen necessariò purificanda est propter evidentiam eorum argumentorum, quæ proposui 3. Ergo assertio Iacobi à S. Dom. est, quæ adulatur hæreticis quo ad hoc, non mea propositio.

730 Patet consequentia. Nam qui dicit rem falsam sub aliqua conditione, quæ necessariò purificanda est, idem est, ac si rem illam falsam dicat absolutè. V. g. si quis diceret [Non datur materia prima; si cras existet sol in cœlo,] cùm hæc sit conditio necessariò purificanda, idem est, ac si absolutè dicat, [Non datur materia prima.] Cùm ergò Iacobus dicat argumenta hæreticorum manere in suo robore; si demonstrata conclusione Catholica eorum argumenta solvuntur responsione probabili; & hæc conditio, propter evidentiam mearum argumentationum, necessariò purificanda est; fit, quòd ei attribuenda est ea propositio absoluta, quòd illa argumenta hæreticalia manent in suo robore; atque adeò ejus assertioni attribuenda est adulatio hæreticorum, quam in meam doctrinam conjicere tentat.

731 Declinat undecimo in ceteris consequentiis, quas inde infert; quòd sic foveatur schisma hæreticorum, & quòd possit illis prodesse, ut putent id sibi sufficere ad securitatem conscientiæ. Quod enim dictum est de antecedenti, dicendum est de consequenti. Nam qui ponit antecedens, ponit & consequens. Et qui detestatur consequentias, detestari debet & antecedens, unde illæ inferuntur legitimè.

Declinat duodecimo in referendis falsitatibus, quas mihi affingit. De quo vide *art. 4.*

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS

In qua denuò confirmatur, & vindicatur ab objectionibus sententia de quavis opinione probabili amplectenda.

CAPUT XV.

Demonstratur prima pars nostræ sententiæ, quod in conflictu opinionum non tenemur sequi partem strictiorem.

ARTICULUS I.

Præmittuntur aliqua, & referuntur Authores partis oppositæ.

SUMMARIUM.

An nostra sententia contineat tres partes, & quæ illæ sint? num. 733.

Qui Authores militant pro opposita sententia? nu. 734.

An Authores oppositæ partis non conveniant inter se. nu. 735.

732 Post quàm abunde depuli calumnias, quas Iacobus à S. Domin. in me conjecit: operæ pretium est, denuò confirmare nostram sententiam argumentationibus demonstrativis, & eam ab objectionibus adversariorum vindicare.

733 Nostra ergo sententia continet tres partes: prima est, in conflictu opinionum non tenemur sequi partem strictiorem, quæ stat pro lege (illa quidem incerta) contra libertatem. Secunda est, in conflictu opinionum æquè probabilium possumus quamlibet eligere ad praxim. Tertia est, in conflictu opinionis magis, & minus probabilis, possumus quamlibet eligere, dummodo verè sit practicè probabilis. Quas tres conclusiones suo ordine confirmabimus.

734 Deinde præmittendum est, præter Iacobum à S. Dom. esse paucos alios Authores, qui doceant, in conflictu opinionum seligendam esse opinionem, quæ stat pro lege contra libertatem. Primus dicitur fuisse Andreas Blanco Soc. Ies. sub nomine Candidi Philalethi, qui anno 1642. edidit tractatum de praxi opinionum: qui iterùm excusus est anno 1645. & tertio anno 1646 Secutus est eandem sententiam Prosper Fagnanus, qui latissimè tractavit *tom. 1. in lib. 1.* Decretal. *capit. Ne innitaris* de Constit. Paulò post eandem viam secutus est Mag. Iulius Mercorus ex Dominicana Familia, vir valdè doctus, pius, & modestus, qui sine amarulentia verborum, & stylo dilucido sapienter tractat hanc materiam, de qua scripsit an. 1658. Postea Mag. Vincentius Baronius Dominicanus, amarissimis verbis, & assiduis exclamationibus invehens in Authores nostræ sententiæ. Deinde eos secutus est ann 1669. Mag. Ioannes Baptista Gonetus, vir valdè doctus, & modestus, nisi quòd aliquando bonus dormitat Homerus, amarissimè invehens in P. Thomam Sanchez. Et tandem ann. 1676. Mag. Iacobus à S. Domin. ea verborum amarulentia, & calumniarum impositione munitus adversùm me, & alios Authores, eandem opinationem tuetur. Ferunt etiam, Antonium Merendam Doctorem Bononiensem, & Ioannem Sinichium Doctorem Lovaniensem pro eadem opinatione scripsisse. Quorum duorum scripta non vidi, sicut neque Candidi Philalethi. Reliquorum scripta modo apud me retineo. Sed cùm scripsi *disputationem 15. in 1. part.* Crit. Theol. solum Baronium videram. Ad hunc numerum adjungunt aliqui P. Comitolum, & Antonium à Cella Dei.

735 Illud tamen est admirabile, quòd ex his decem Authoribus ne unus quidem cum alio convenit ex his, quos vidi. Et in primis P. Comitolus omninò resistit ei sententiæ, quæ asserit, strictiorem, & tutiorem opinionem esse amplectandam. Nam *lib. 5. qu. 15.* præcipuè *nu. 3.* docet, probabiliorem esse eligendam, non tutiorem.

736 Antonius à Cella Dei licèt multis impugnet sententiam de quavis opinione probabili ad praxim seligenda; ipse tamen non tuetur, eligendam esse strictiorem, immò nec probabiliorem, sed eam opinionem, quæ ferè semper est vera.

737 Prosper Fagnanus in *citato cap. Ne innitaris. num. 402.* (qui per erratum Typographi est 410.) asserit primò, si hinc inde discussis rationibus quiescat intellectus in ea, quæ favet libertati, itaut vi motivorum opinionis expellat omnem formidinem, posse tutò reduci ad praxim; si autem non expellat formidinem, tutiorem sequendam esse, sicut in dubio practico. Quòd si una videatur minus probabilis, non potest deduci ad praxim: & si ambæ sint æquè probabiles, eodem modo strictior pars pro lege contra libertatem sequenda est; quia tantùm sequenda est ea, quæ intellectui proponitur ut vera, & moraliter certa.

738 Iulius Mercorus affirmat, semper persequendam esse opinionem probabiliorem, & tutiorem, quæ stat pro lege: addit tamen, aliquando posse eligi minus probabilem in favorem libertatis in duobus casibus. *Primus est* (inquit *part. 3. art. 6.*) *si nomine partis probabilis intelligatur pars tuta, & nomine probabilioris pars tutior. V. g. celebrare Missam ante recitationem Matutini licitum est: hæc pars est tuta, quia Doctores id modò communiter sentiunt; & quia est tuta, ideò probabilis, & prudenter eligitur*. Ponit deinde secundum casum sic: *Potest dari casus, quòd minus probabilis (favens libertati) possit tutò sequi, relicta probabiliori; & tunc est, quando minus probabilis ex motivo intrinseco per motivum extrinsecum creditur certa moraliter. Sit exemplum: pensatis rationibus intrinsecis, an sit licitum in die festo opus servile per horam; pars negativa mihi videtur probabilior, & affirmativa mi-*

nus

aut probabilis: si spectò adverto, quòd persona Religiosa, Docta, & Dei timorem habentes faciunt laborare suos famulos per horam in die festo extra casum necessitatis; ex hoc exemplo tamquam ex medio extrinseco, possum sequi sententiam, quæ mihi minus probabilis apparet ex principio intrinseco. Hæc Mercorus.

739 Baronius (ut notavi *in 1. part. Crist. disp. 15. cap. 2.*) admittit ad praxim opiniones, quæ nulla adversantium ratione colliduntur; item quando opiniones ambæ adversæ stant pro lege, pro honesto, & pro officio: In conflictu autem reliquarum opinionum semper sequendam esse partem strictiorem contra libertatem, etiam si pars, quæ stat pro libertate, probabilior sit; nisi forte infinitis partibus excedat in probabilitate.

Gonetus in clypeo Theolog. Thomist. dissertatione de probabilit. *artic. 2. & seq.* affirmat, quando una opinio est probabilior altera, etiam si probabilior stat pro libertate contra legem, posse hanc eligi ad praxim; dummodo absit omnis formido, & scrupulus. Quando autem probabilior stat pro lege contra libertatem, illam debere eligi ad praxim. Quando autem opiniones sunt æquè probabiles, semper standum esse pro strictiori, & tutiori contra libertatem. Addit tamen *art. 7* posse hominem sequi opinionem probabilem, si facta sufficienti diligentia, tunc alia probabilior non apparet. Item quando quis operatur ex opinione probabili falsa, & legi Dei contraria, quam invincibiliter putat esse veram, & legi Dei conformem, à peccato excusari.

740 Denique Jacobus à S. Dom. solùm admittit opinionem, quam vocat quietam, quæ scilicet non colliditur rationibus adversæ partis: in reliquis autem ait semper tenendam esse partem strictiorem pro lege contra libertatem, etiam si opinio, quæ stat pro libertate, longè sit probabilior opposita? Addit tamen aliquas limitationes, in quibus potest admitti probabilitas, quando hæc pervenit ad certitudinem moralem.

741 Ex quibus constat, quo modo ne unus quidem conveniat cum alio, sed quod unus admittit, alius negat: & (quod mirabile est) omnes volunt pro sua sententia stare S. Thomam. Ex illis autem eos, qui docent semper aut fere semper sequendam esse opinionem strictiorem, quæ stat pro lege contra libertatem; censeo evidentius falli; ut jam ostendo.

ARTICULUS II.

Eadem prima pars nostræ sententiæ roboratur authoritate Sanctorum Patrum, & veterum scholasticorum.

SUMMARIUM.

An SS. PP. Augustinus, & Hieronymus propugnaverint in conflictu opinionum eam partem, quæ stat pro libertate? n. 743.
An S. Thomas in conflictu opinionum docuerit multas assertiones in materia morum stantes pro libertate? n. 745.
An in conflictu opinionum æquè probabilium docuerit S. Th. assertiones stantes pro libertate? n. 747.
An S. Thom. doceat, in conflictu opinionum posse nos sequi partem benigniorem pro libertate? n. 748.
An omnes Theologi stent pro nostra sententia? n. 751.

742 IN *1. part. Crist. Theolog. disput. 15. cap. 6. art. 1* proposui argumentum ineluctabile, ex Sanctis Patribus Augustino, & Hieronymo, ut ostenderem, non teneri nos in conflictu opinionum sequi partem strictiorem contra libertatem: & admiror vehementer, quòd cùm Jacobus à S. Dom. tam acriter adversetur meæ sententiæ, non aggrediatur responsionem ad argumentum adeò robustum.

743 Enim verò inter ea duo Ecclesiæ lumina exortæ sunt quæstiones aliquæ de moribus; defendente altero partem strictiorem pro lege contra libertatem, stante altero pro parte benigniori, pro libertate contra legem. Vide loco citato eas tres quæstiones de moribus, super quibus fuit inter illos controversia, & in quibus aliquando Augustinus tuetur eam partem, quæ est pro libertate, aliquando Hieronymus. Et ex Episcopis, & viris sapientissimis illius ævi, alii sequebantur Hieronymum, alii vero stabant pro opinione Augustini. Ergo ex disputationibus intercedentibus inter Augustinum, & Hieronymum infertur manifestè, non teneri nos semper sequi opinionem strictiorem, quæ stat contra libertatem. Et in loco citato reperies responsiones duas, quæ huic argumento possent exhiberi: ubi ostendi, eas omnino esse frivolas, & inanes.

744 Nec valet, si dicas ex doctrina Fagnani, quando S. Hieronymus defendebat opinionem contra S. Augustinum (aut è converso) S. Doctorem omnino expulisse formidinem circà illam opinionem. Non, inquam, valet: quia id est dicere, S. Hieronymum propugnasse suam opinionem tamquam certam, & judicasse oppositam sententiam S. Augustini nullo modo probabilem. Hoc autem non potest dici de Hieronymo, qui sciebat oppositam sententiam propugnari ab Augustino, cujus sapientiam, ingenium, & doctrinam magnopere suspiciebat Hieronymus. Vide hanc impugnationem fusius propositam *loco cit. nu.* 437.

745 Deinde S. Thomam stare pro hac prima parte meæ assertionis, nihil mihi evidentius est. Video enim S. Thomam plurimis locis in conflictu opinionum probabilium multas docuisse assertiones in materia morum stantes pro libertate. Vide eas, quas proposui *in disp. 15. cit. cap. 6. artic. 4. & in hac disput. supra cap. 8. art. 9.* ex quo resultat hoc argumentum ineluctabile. Qui in conflictu opinionum in materia morum sequitur opinionem S. Thomæ, nullum incurrit periculum peccandi. S. Thomas in materia morum, docet opiniones stantes pro libertate: ergo qui in conflictu opinionum in materia morum sequitur opinionem stantem pro libertate, ex hoc præcisè nullum incurrit periculum peccandi. Consequentia est evidens: & ambæ præmissæ meridiano lumine clariores.

746 Respondebis ex doctrina Goneti (qui quoad hoc à cæteris Authoribus relatis longè discedit) quando opinio, quæ stat pro libertate, est probabilior opposita, licitum esse, eam deducere ad praxim: atqui opiniones S. Thomæ esse probabiliores opinionibus adversis; & ideò S. Thomam eas docuisse.

747 Et quidem propter reverentiam, & authoritatem S. Thomę, & propensionem meam ad ejus doctrinam præcipuè moralem, semper ego libenter fatebor, opiniones S. Thomæ in materia morum esse probabiliores oppositis. Si tamen ad principia intrinseca recurramus, difficillimum nobis est discernere de hoc excessu probabilioritatis. Et hæc difficultas oritur partim ex eo, quòd opinio, quæ dicitur probabilior, cùm non excedat metas probabilitatis, neque pertingat ad certitudinem; aliunde autem nihil cogat intellectum ad assensum, nisi sola certitudo; inde fit, quòd in multis quæstionibus non satis discernat intellectus, quodnam probabilitatis motivum sit urgentius, & probabilius. Et ideò quando intellectus nequit discernere, quodnam motivum sit efficacius, & urgentius in duabus opinionibus adversis; illæ duæ opiniones reputantur quoad nos æquè probabiles. V. g. docet S. Thomas, filium non debere obedire Patri, quoad matrimonium contrahendum, nisi quantum justa causa coegerit: docent oppositam sententiam Navarrus, & alii. Si motiva utriusque partis considerentur, difficillimum est invenire probabilioritatem; & ideò tamquam æquè probabiles censentur quoad nos, & quoad tenuitatem nostræ mentis. Cùm ergo S. Thomas doceat opiniones aliquas pro libertate, in conflictu opinionum adversarum, quæ reputantur æquè probabiles, non solvitur argumentum per hoc, quod dicatur eas opiniones S. Thomæ esse probabiliores oppositis; cùm de hoc non sit argumentum ad convincendum intellectum ejus, qui dicit, se non reperire hunc excessum.

748 Quòd autem S. Thomas expressè doceat, quòd in probabilibus non teneamur sequi partem strictiorem pro libertate constat *ex cit. disput. 15. cap. 6. art. 3.* ubi clarissimè explicui mentem S. Thomæ ex communi sensu Thomistarum. Et præcipuè ad hanc rem spectant illa verba *in quodl. 8. art. 3. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur: & sic non committit se discrimini, nec peccat*. Ubi loquitur S. Thomas de diversis opinionibus Doctorum circà eam quæstionem, [An liceat habere plures præbendas simul?] atque, quòd si ex istis diversis opinionibus non oritur dubitatio, non peccat, etiam si habeat simul plures præbendas, nec ulli se committit discrimini.

749 Ut eo. S. Th. ibidem affirmat, posse contingere, quòd intellectus constitutus inter adversas opiniones Magistrorum, ex contrarietate opinionum habeat dubitationem de honestate habendi plures præbendas; & posse contingere, quòd ex tali contrarietate in nullam dubitationem incidat: & in primò casu committere se discrimini; in secundo vero nullum esse periculum peccati, etiam si executioni mandet opinionem, quæ stat pro libertate, nempe habendi plures præbendas. Tum sic. Adversarii docent in conflictu opinionum semper esse dubitationem; ratione cujus tenetur homo operari partem tutiorem, contra libertatem; & S. Thomas docet, posse contingere, quòd hæc contrarietas opinionum non pariat dubitationem, & quod tunc possit homo sequi partem, quæ stat pro libertate: ergo adversarii contradicunt S. Thomæ.

750 Confirmatur. Nam si S. Th. censeret, in contrarietate opinionum semper sequendam esse partem strictiorem contra libertatem; quam opportuniorem occasionem poterat habere ad id asserendum, quàm dum versabat eam quæstionem, [Quid faciendum in contrarietate opinionum?] Et tamen ibi id non docet, immò verò oppositum, quòd potest fieri, intellectum non incidere in dubitationem, & sic sequi partem, quæ stat pro libertate. Sanè donec sedes Romana non me docuerit oppositum, numquam credam, S. Thomæ aliam esse mentem. Videantur Thomistæ à me citati *in ea disp. 15 cap. 6. art. 4.* & precipuè Barnabas Gallego, qui citatis pluribus Thomistis, hanc dicit esse communem omnium Thomistarum, qui S. Thomam sic intelligunt.

751 *Ibidem cap. 6. art. 5. num.* 496. pro hac prima parte meæ sententiæ advocavi omnes Theologos antiquos [nam recentiores omnes, exceptis paucis illis supra relatis in hoc cap. stant pro nostra sententia.] Nullus enim est ex Theologis antiquis, qui in conflictu opinionum non doceat aliquando opinionem stantem pro libertate: quarum prolixa series texi posset.

ARTICULUS III.

Quomodo opposita opinio manifestam implicet contradictionem? Ubi an inferatur, quòd Deus præcipiat impossibilia?

SUMMARIUM.

An in opposita sententia debitor teneretur, & non teneretur restituere? num.753.
Quæ sit pars tutior respectu debitoris, & quæ respectu creditoris? n.754.
An in opposita sententia debitor teneatur solvere, sed nemini? n.755.
An in opposita sententia debitori, & creditori præbendum esset consilium chymæricum? n.756.
An sint correlativa debitum legale, & jus ad illud? Et quid inde inferatur contra oppositam opinionem? n.757.
Quo modo hoc argumentum non habeat locum in omni dubio practico? num.758. & seq.
Quo modo non satisfiat huic argumento in sententia, quæ obligat ad probabiliorem opinionem? n.760 & seq.
Quo modo adversarii inclinent potius ad verba amarulenta, quàm ad solutionem difficultatum? n.762.
Quo modo huic argumento non satisfiat in sententia, quæ docet, debitum probabile esse dividendum? n.763. & seq.
Quo modo ex opposita opinione arguatur Iansenismus? n.766. & seq.

752 HOc argumentum, quod demonstrativum censeo, proposui in ea *disp.15. cap.11.* & vehementer admiror, quòd cùm argumentum manifestæ contradictionis tantum afferat præjudicium opinioni, ex qua id infertur, ut illam opinionem faciat repugnantem naturæ rationali adhuc Iacobus à S. Dom. qui illud legit, non aggressus fuerit ad illud respondere, & opinationem suam à tanto præjudicio defendere. Quod argumentum sic instauro.

753 Si in conflictu opinionum probabilium teneremur semper eligere partem strictiorem contra libertatem, sequeretur, quòd in omni materia justitiæ, in qua pro utraque parte inveniuntur opiniones probabiles, teneretur, & non teneretur debitor reddere satisfactionem: hæc est aperta contradictionis implicatio: ergo ea ea sententia infertur aperta contradictionis implicatio.

754 Probatur Major (nam cætera patent) & ponamus exemplum in Titio, qui ea quadam inadvertentia venialiter culpabili magnum intulit damnum segeti Sempronii. In quo sunt duæ opiniones æquè probabiles adversæ, quarum una defendit, teneri Titium ad resarciendum damnum Sempronii; altera docet non teneri. Quid ergo dicendum de obligatione Titii? In sententia, quam impugnamus, tenetur Titius ad partem strictiorem, & tutiorem contra libertatem; sed respectu Titii pars strictior, & tutior est, quòd resarciat damnum; ergo tenetur Titius resarcire damnum.

755 Sed quòd etiam non tenetur, sic ostendo. Etiam Sempronius tenetur sequi partem strictiorem, & tutiorem contra suam libertatem: sed respectu Sempronii pars strictior, & tutior contra suam libertatem est, quòd non recipiat à Titio eam satisfactionem: ergo Sempronius non potest recipere à Titio eam satisfactionem. Tum sic: ergo Titius tenetur solvere, sed nemini: ergo tenetur solvere ei, qui non potest recipere satisfactionem. Tenetur ergo, & non tenetur Titius solvere.

756 Itaque si Titius, & Sempronius litigarent inter se; (& quia Titius non habet aliquid pecuniæ numeratę, per quam satisfaciat Sempronio, postulat Semponius chirographum Titii, ut ex quibusdam debitis, quę Titio debentur, recuperet Sempronius satisfactionem damni dati,) & ad habendam compositionem, compromitterent in consultationem P. Iacobi à S. Domin. ille quidem respondere deberet Titio: Tu sequere tutiorem partem, scilicet, satisfaciendo damno illato segeti Sempronii. Sempronio verò consuleret; Tu sequere tutiorem partem, quæ tibi est, non accipere eam satisfactionem, quia multi Doctores docent, tibi non licere illam accipere. Quid tunc facerent duo illi homines hæc audientes? Responderent sanè, illud consilium esse chymæricum, & implicatorium.

757 Et confirmarent. Nam debitum legale, & jus ad illud sunt correlativa ita ut unum nequeat intelligi sine alio. Quo modo ergo in Titio est debitum legale respectu Sempronii; si Sempronius non habet jus ad illud debitum? Neque enim potest habere jus ad illud, quod recipere non potest. Sequitur ergo, quòd Sempronius habet jus ad satisfactionem damni; quia Titius habet debitum legale respectu Sempronii damnificati; & non habet Sempronius jus ad illud, quando quidem pro securitate suæ conscientiæ non potest illam satisfactionem recipere. Item Titius habet debitum legale respectu Sempronii, quia pro securitate suæ conscientiæ, debet solvere; sed & non habet debitum legale respectu Sempronii, quia non potest habere debitum legale respectu illius, qui recipere non potest satisfactionem.

758 Respondebis primo, in quacumque sententia posse eundem casum contingere, quòd scilicet ambo homines afficiantur dubio practico, ita ut damnificator dubitet practicè, an teneatur solvere; & damnificatus similiter, an possit accipere satisfactionem: & cum in dubio practico unusquisque teneatur eligere partem tutiorem, damnificator tenebitur solvere; & damnificatus non poterit accipere solutionem: ergo eadem difficultas versatur in quacumque sententia.

759 Sed ex hac responsione magis declaratur vis argumenti. Quia in nulla alia sententia respondebit Theologus Titio: [Tu sequere tutiorem partem, & restitue:] & Sempronio: [Tu sequere tutiorem partem, & ne accipias restitutionem.] Itaque implicatio contradictionis non est in eo, quòd ambo dubitent practicè, sed in eo, quòd hæc sententia doceat, utrique dubitanti consulendum esse, ut sequatur tutiorem partem, ex quo planè infertur consulendum esse uni quidem ut solvat, alteri ne accipiat: hoc enim est consulere, ut Titius solvat, sed nemini; quòd est implicatorium.

760 In isto ergo dubio practico, juxta nostram sententiam, quid debent facere isti duo? Respondeo. consulant doctum Theologum, qui si præfert opinionem de obligatione restituendi, dicet, Titium teneri restituere damnum Sempronio; & Sempronium accipere posse restitutionem. Si autem præferat Theologus oppositam opinionem, respondebit, Sempronium non bene postulare satisfactionem, & Titium ad illam non teneri: vel Sempronio consulet, ut adeat Judicem, qui fortè censebit, jus probabilius suffragari Sempronio.

761 Respondebis secundò ex doctrina Goneti. qui admittit, probabiliores sententias sequendas esse, etiam si stent pro libertate; probabiliorem esse sententiam, quæ in eo casu de damnificatione illata cum sola culpa veniali, docet obligationem restituendi. Atque ita nullam sequi contradictionem: atque adeò consulendum esse Titio, debere solvere; & Sempronio, posse accipere solutionem. Esset tamen contradictio, si essent æquè probabiles.

762 Sed esto, sit probabilior ea opinio. Per hoc nihil minuitur vis argumenti. Quot enim (Bone Deus!) in latissima Justitiæ materia, erunt opiniones adversæ, quæ censebuntur æquè probabiles, propter summam difficultatem discernendi, quænam sit probabilior! In illis ergo omnibus militat idem argumentum: in quibus debitor probabilis tenebitur solvere pro securitate suæ conscientiæ: & creditor pro securitate ejusdem non poterit accipere solutionem.

763 Hinc colligo, quantò consultius fuisset Iacobo perpendere hoc argumentum, quod legit in mea *disp.15. cit.* & aggredi responsionem illius, quàm ea maledicta effundere in nostram sententiam, & Authores illius. Quid enim prodest, dicere nostram sententiam *esse artem cavillandi, fucatam peccandi licentiam, simplicitati Christianæ prorsus inimicam, & toti humano generi perniciosam;* si convincimus oppositam sententiam esse implicatoriam contradictionis? Propositio autem, quæ contradictionem implicat, est contraria naturæ rationali, chymærica, fictionibus, & prædicatis repugnantibus referta. Nam epitheta epithetis contraponenda sunt. Numquid ergo hæc epitheta conveniunt in oppositam sententiam? Quòd si talis est opposita sententia; numquid doctrina, quæ naturæ rationali adversatur, est ars benè discurrendi contra artem cavillandi? Numquid doctrina implicatoria est ars constringendi conscientias rectitudine; aut rectitudo potest oriri ex implicatione terminorum? Numquid doctrina contradictionibus referta potest esse conformis simplicitati Christianæ; aut toti humano generi afferre medelam? De hoc judicent viri Sapientes. Id enim solùm proposui, ut doctiores alii judicent de vi consequentię.

764 Respondebit tertiò, in eo casu, in quo una opinio est tutior Titio, & opposita est tutior Sempronio, non sequi contradictionem, quia tunc res dividenda est, & Titius tenebitur restituere medietatem damni dati. Sed impugnatur apertè. Nam quòd tunc resarcienda sit medietas damni, vel est opinio probabilis, vel sententia certa? Si dicas, esse opinionem probabilem; jam versamur inter duas opiniones probabiles, nempe alteram, quæ præscribit, totum damnum esse resarciendum; alteram, quæ præscribit, solam medietatem damni esse resarciendam: & inter illas opiniones probabiles eligemus unam probabilem ea eis, & non tutiorem: ergo inter opiniones probabiles non debemus eligere tutiorem.

765 Si verò dicas, illam de sola medietate resarcienda in hoc casu esse certam. Contra est: ergo sententia de toto damno resarciendo, quæ habet pro se Doctores magnos, & rationes graves, est certò falsa, & improbabilis. Hæc consequentia est evidens. Nam opinio contradictoria propositionis certæ est certò falsa, & improbabilis; ut manifestè constat ex dictis supra *cap.2.* & ex *disp.4. num.6.* consequens autem est apertè falsum, cùm sit opinio probabilis à ratione, & ab authoritate, quòd qui intulit damnum ex quacumque culpa, tenetur resarcire totum illud.

766 In 1. *part. Cris. Theol. disp.15. cap.2. art.1. & 2.* proposui argumentum, quo Caramuel probare nitebatur, sententiam de tutiori, & probabiliori parte seligenda in quovis conflictu opinionum probabilium involvere Iansenismum, qui admittit, Deum præcipere impossibilia. Et ibi ostendi, id argumentum eo modo, quo à Caramuele proponitur, non arguere Iansenismum, neque ex illo inferri, quòd Deus præcipiat impossibilia.

767 Et nunc inquiro, an alio modo inferatur ea opposita sententia, quòd Deus præcipiat impossibilia, atque adeò Iansenismus?

768 Et quidem ex *art. præsent.* satis clarè colligitur. Etenim in con-

conflictu opinionum in materii. justitiæ, si dicatur, sequendam esse tutiorem ex præcepto, sequitur, Deum præcipere aliquid chymæricum, & impossibile. Nam ei, qui damnificavit ex sola culpa veniali, tutius est solvere; ei autem, qui accepit damnificationem, tutius est non accipere solutionem: ergo si in conflictu opinionum, omnes tenentur ad tutiorem partem, damnificator tenebitur ad solvendum; & damnificatus tenebitur ad non accipiendam solutionem. Atque adeò damnificator tenebitur solvere, sed nemini: quòd est impossibile, & implicatorium.

ARTICULUS IV.

Quam confusionem pariat opposita sententia in Tribunalibus totius Reipublicæ Christianæ, & in conscientiis litigantium?

SUMMARIUM.

An ex opposita sententia inferatur, iniquum esse judicem, qui judicat secundùm jus probabilius? n. 770. & seq.
An etiam inferatur, semper judices iniquè judicare? n. 772. & seq.
An hoc argumentum habeat locum in sententia de probabiliori eligenda? n. 774. & seq.
An etiam inferatur, non posse litigantem acceptare sententiam favorabilem? nu. 777.

769 MEa sententia, quam docui tamquam mihi certam *in 1. part. Crisis Theolog. disp. 15. cap. 15.* docet, Judices teneri ad judicandum secundùm jus, quod sibi probabilius videatur, si illud possit discernere. Hinc triplici modo fit argumentum contra sententiam, quæ docet in conflictu opinionum, semper eligendam esse sententiam strictiorem, & tutiorem contra libertatem.

770 Primò circà Judicem. Ille Judex iniquè judicat, qui jus dicit contra id, quod debet in conscientia: sed qui judicat secundùm jus probabilius (à fortiori si judicat secundùm jus minus, aut æquè probabile) jus dicit contra id, quòd debet in conscientia: ergo Judex, qui judicat secundùm jus probabilius, iniquè judicat.

771 Probatur minor, quæ sola indiget probatione. Juxta sententiam, quam impugnamus, in quocumque conflictu opinionum, etiam probabilioris, & minus probabilis, tenemur in conscientia sequi strictiorem contra libertatem: sed sæpe quę stat contra libertatem, est minus probabilis: ergo dum judicat secundùm probabiliorem pro libertate, jus dicit contra id, ad quod tenetur in conscientia. Major est adversariorum: & minor sola inductione evidens est; & consequentia ligat.

772 Secundum argumentum instruitur etiam circà Judices. In quovis conflictu opinionum, sive æque probabilium, sive magis, & minus probabilis, peccat, qui non sequitur eam partem, quæ stat contra libertatem, ut pote tutiorem: sed Judices semper jus dicunt, sequentes eam partem, quæ stat pro libertate alterius partis: ergo in quovis conflictu opinionum, Judices semper peccant, & iniquè agunt. Major est adversariorum.

773 Minor ostenditur. Nam ea sententia Judicis, quæ stat contra libertatem unius partis, stat pro libertate alterius, v. g. Titius sistitur coram Judice, & postulat à Sempronio centum aureos sibi debitos. Si Judex imperat solutionem, stat pro libertate Titii, ut possit illos sibi acquirere; si verò Judex decernit, non esse solvendos, stat pro libertate Sempronii, ut possit illos sibi retinere. Ergo Judices semper dicunt jus pro libertate alterius partis.

774 Dices, hæc duo argumenta proximè instructa non habere vim in sententia Goneti, qui docet, in conflictu opinionis probabilioris, & minus probabilis, eligendam esse probabiliorem; cùm tamen aliunde verum sit, Judicem debere judicare secundùm jus probabilius.

775 Adhuc tamen assero, hæc duo proximè facta argumenta habere vim contra sententiam Goneti. Sæpissime enim contingit, ut Judex non possit discernere, quænam ex duabus opinionibus adversis sit probabilior; in quo casu utramque censet æquè probabilem, dum probabilioritatem alterius non advertit. Et si tunc judicat pro altero litigantium secundùm unam opinionem probabilem, legitimè procedit, maximè si res, de qua litigatur, sit indivisibilis; & litigans in conscientia tenetur obedire sententię; ut ostendi *in 1. pars. Crisis Theol. disp. 6. cap. 6.* Habet enim Respublica quælibet jus dirimendi lites, propter publicum bonum pacis conservandæ inter incolas: lites autem non semper possunt dirimi ex dictamine evidenti, ut per se patet; immò neque ex probabiliori, quando iste excessus unius opinionis præ alia non affulget Judici.

776 Quam ergo potestatem habet Respublica dirimendi lites, dedit suis Judicibus, quia sic expedit bono publico: habent ergo Judices potestatem dirimendi lites, etiam in conflictu opinionum æquè probabilium. Et hoc modo argumenta proximè facta retinent suam vim contra sententiam Goneti, qui in conflictu opinionum æquè probabilium docet, standum esse semper pro opinione tutiori contra libertatem.

777 Tertium argumentum ex Tribunalibus desumptum versatur circa litigantes. Ex opposita enim sententia inducitur maxima confusio in conscientiis litigantium. Controvertunt Petrus, & Joannes in tribunali Episcopi pro jure ad beneficium: pro quo jure est conflictus opinionum probabilium. Fert sententiam Episcopus pro jure Petri. Et nemo damnat Petrum, quòd assumat possessionem beneficii, neque damnat Judicem, quòd eam sententiam tulerit in favorem Petri. Atqui si vera esset opposita sententia, non liceret Petro assumere possessionem beneficii; neque licuit Judici beneficium Petro adjudicare. Non Judici propter supra dicta; non Petro; quia Petrus in conflictu opinionum tenetur sequi partem strictiorem contra libertatem; atque adeò non licet ei acceptare beneficium. Quando enim sententia Judicis est manifestè iniqua, non licet Petro eam executioni mandare: atqui ex opposita sententia infertur, quòd iniqua est sententia Judicis, quia secutus est eam opinionem, quæ stat pro libertate Petri: ergo non licet Petro eam executioni mandare.

ARTICULUS V.

Aliud argumentum ex eo, quòd in materia morum nulla esset opinio probabilis, sed omnes essent improbabiles, vel certæ.

SUMMARIUM.

An ex opposito sequatur, quòd nulla esset opinio probabilis? n. 778.
An ex duabus contradictoriis, si una est improbabilis, opposita sit certa? n. 779 remissivè.
An sit improbabilis, quæ affert periculum peccandi? n. 780. & seq.
An opinio stans pro libertate sit speculativè probabilis, & practicè improbabilis? n. 783.
An opinio speculativè probabilis, sit etiam practicè probabilis, si non superaddatur nova circumstantia? n. 784.
An quæ professor Theologiæ licitè docet in scholis, possint licitè deduci ad praxim? n. 786.

778 QUintum argumentum, quod hic propono contra eam sententiam de strictiori opinione pro lege contra libertatem semper eligenda, sic procedit. Si opposita sententia esset vera, in conflictu opinionum nulla reperiretur opinio, quæ esset probabilis, neque pro libertate, neque contra libertatem: hoc est ingens monstrum, quod non potest magnas absurditates non parere: ergo opposita sententia falsa est. Minor, & consequentia patent.

779 Major duas habet partes. Prima loquitur de opinionibus pro libertate contra legem (incertam illam quidem) secunda de opinionibus stantibus pro lege contra libertatem. Et quidem si prima legitimè probata manserit; ex illa evidenter infertur secunda pars. Etenim ex duabus opinionibus contradictoriis, si una est improbabilis, & certò falsa, alteram certam esse necesse est, ut constat ex dictis *in 1. part Crisis disp. 4. à nu. 6. & supra cap. 11.*

780 Jam verò inferri ex opposita sententia, omnem opinionem in materia morum stantem pro libertate contra legem esse improbabilem, & certò falsam, sic ostendo. Illa doctrina est improbabilis, & certò falsa, quæ docet aliquam praxim, in qua est periculum peccandi, saltem probabile: sed omnis opinio in materia morum, quæ stat pro libertate contra legem, affert periculum peccandi saltem probabile: ergo omnis opinio in materia morum, quæ stat pro libertate contra legem, est improbabilis, & certò falsa. Consequentia est evidens, ut pote constructa ad amussim primi modi primæ figuræ Dialecticæ, & minor est adversariorum.

781 Major autem demonstrative probatur primò. Quia improbabile, & certò falsum est, quòd liceat exponere se periculo peccandi, etiam probabili; ut manifestè ostendi *in 1. par. Crisis Theolog. tota disput. 18.* ergo illa doctrina, quæ docet, licitam esse praxim, in qua quis se exponit periculo probabili peccandi, improbabilis est, & certò falsa.

782 Probatur secundò. Nam improbabilis est illa doctrina, quæ docet in dubio practico posse nos sequi eam partem, quæ est pro libertate: sed quævis opinio probabilis, quæ in conflictu opinionum stat pro libertate, juxta adversarios, continet dubium practicum, & docet praxim pro libertate: ergo omnis opinio, quę stat pro libertate improbabilis est. Et hinc infertur, in opposita sententia contineri duplex prædicatum contradictorium, dum asserit, non licere reducere ad praxim opinionem verè probabilem stantem pro libertate. Infertur enim, illam esse probabilem, & non esse probabilem. Esse probabilem, ut supponitur. Non esse probabilem: nam illa opinio non est probabilis, quæ affert periculum peccandi; ut constat ex proxime dictis: sed juxta adversarios, illa pars, quæ est pro libertate, affert periculum peccandi: ergo illa, quæ est pro libertate, est improbabilis; atque adeò non est probabilis.

783 Dices cum Mercoro, Goneto, & aliis, eam partem, quæ in conflictu opinionum stat pro libertate, esse quidem speculative probabilem; practicè verò improbabilem. Superadditque Gonetus, illam posse in scholis defendi à Magistris ut probabilem, non tamen eligi ad praxim.

784 Sed hæc responsio apertè convincitur primò. Nam, ut docui *in 1. part. Crisis Theol. disp. 14. cap. 2.* & observavit ipse Mercorus *artic. 12.* ut judicium speculativum, & practicum circa idem

objectum differant, opus est, quòd practico superaddatur nova circumstantia, aut aliquod adjunctum, ratione cujus practicum ab speculativo differat. Unde fit, quòd si judicium speculativum consideret omnes circumstantias practici, implicat, quòd judicium speculativum sit probabile, & practicum sit improbabile.

785 Tum sic. Judicium speculativum opinionis probabilis stantis pro libertate in conflictu opinionum, affert eas tres circumstantias, ex quibus, juxta adversarios, oritur periculum peccandi, & consequenter improbabilitas: ergo id judicium speculativum etiam est improbabile: ergo opinio probabilis stans pro libertate in conflictu opinionum, sive practicè, sive speculative improbabilis est: nulla ergo datur opinio probabilis, in tali conflictu opinionum.

786 Convincitur secundo. Nam id, quòd Professor Theologiæ prudenter judicat esse licitum, potest quilibet licitè operari: sed quæ Professor Theologiæ licitè docet in scholis, prudenter judicat esse licitum: ergo quòd Professor Theologiæ licitè docet in scholis, quilibet potest operari. Major patet: quia si illud quilibet non posset operari, imprudenter judicaretur esse licitum, cùm re vera sit illicitum, quòd homo non potest licitè operari. Minor vero probatur. Nam Professor Theologiæ peccat, si docet in scholis tamquam licitum, quod verè judicat illicitum, aut quod imprudenter judicat licitum; nisi ea imprudentia sit ex errore invincibili.

ARTICULUS VI.

Aliud argumentum ex eo, quòd nulla est opinio probabilis, qua non esset scandalosa.

NON EGET SUMMARIO.

787 SExtum argumentum. Si vera esset opinio, quòd semper eligi debeat pars tutior in conflictu opinionum, omnis opinio, quæ stat pro libertate, damnanda esset tamquam scandalosa: id est absurdum: ergo & antecedens, unde infertur. Probatur major: illa doctrina est scandalosa, quæ docet, licitè fieri operationem, quæ fieri non potest sine periculo peccati: sed omnis opinio stans pro libertate in conflictu opinionum docet, licitè fieri operationem, quæ juxta adversarios, fieri non potest absque periculo peccati: ergo omnis opinio, quæ stat pro libertate in conflictu opinionum, est scandalosa. Major, & consequentia patent; & minor est adversariorum.

788 Confirmatur primò. Actio scandalosa illa est, quæ dat causam ruinæ Proximi: ergo doctrina scandalosa est, quæ docet aliquid, ex quo resultat ruina Proximi: sed omnis opinio stans pro libertate docet faciendam licitè operationem, ex qua resultat ruina Proximi, juxta adversarios, qui dicunt, eam afferre periculum peccandi: ergo omnis ea opinio, juxta adversarios, damnanda est ut scandalosa.

789 Confirmatur secundò. Ideò Alexander VII. illas quadraginta quinque opiniones condemnavit tamquam scandalosas, quia docebant, licitè fieri posse, quòd sine peccato ad praxim reduci non poterat: sed, juxta adversarios; nulla opinio stans pro libertate in conflictu opinionum potest reduci ad praxim sine peccato: ergo omnis opinio stans pro libertate in conflictu opinionum est scandalosa.

ARTICULUS VII.

Aliud argumentum ex eo, quòd opiniones Sanctorum Patrum Augustini, & Hieronymi, item & S. Thomæ, & omnium Theologorum damnanda essent tamquam scandalosæ.

SUMMARIUM.

An ex opposito damnari debuerit tamquam scandalosa opinio S. Hieronymi, quòd simulatio est licita? n. 790. & seq.

An silentium Sanctorum Patrum de probabilitate afferat præjudicium opposita opinioni? n. 793.

An ex opposito inferatur, quòd opiniones S. Thomæ, quæ stant pro libertate, damnari debeant ut scandalosæ? n. 795.

An ex opposito inferatur, nullum esse Theologum, qui non docuerit opiniones scandalosas? n. 797.

An sit inconsequentia admittere aliquas opiniones probabiles sine dictamine certo prudentia? n. 803.

An qui eligit opinionem absque formidine, habeat dictamen certum de honestate operationis? n. 806.

790 IN 1. *part. Crist. Theol. disp.* 15. *cap.* 6. *art.* 1. retuli aliquas quæstiones controversas inter S. Augustinum, & S. Hieronymum; in quibus aliquando Augustinus benigniorem pro libertate, & Hieronymus strictiorem pro lege; aliquando vero è converso secuti sunt. Et ex reliquis Doctoribus ejus temporis alii pro opinione Hieronymi, & alii pro opinione Augustini militabant. Sic Hieronymus licitam esse simulationem docebat, illicitam verò Augustinus; iste, licitum esse juramentum; illicitum verò ille, & sic in aliis. Et eo tempore utrumque erat probabile.

791 Tum sic: juxta adversariorum opinionem, quam modo impugnamus, eo ipso, quòd opinio in eo conflictu contrarietatis stet pro libertate, affert periculum peccandi, atque adeò scandalosa est: sed opinio S. Hieronymi, docens, simulationem esse licitam, eo ipso, quod stabat pro libertate, afferebat periculum peccandi: ergo debuit condemnari tamquam scandalosa. Et similiter opinio S. Augustini stans pro libertate debuit damnari tamquam scandalosa.

792 Si ergo tam certum est, debere nos sequi partem tutiorem contra libertatem in conflictu opinionum; quomodo Chrysostomus, Origenes, Didymus, Apollinaris, Eusebius Emissenus, & Theodorus Heracleotes (quos pro sua opinione de simulatione licita citat S. Hieronymus) non elegerunt partem tutiorem, sed potius eam, quæ stat pro libertate, quamque propugnabat Hieronymus? Quomodo non elegerunt id asylum, adeò necessarium securitatis conscientiæ? Quam opportuniorem occasionem habere potuerunt Patres ad hoc genus securitatis conscientiæ docendum, quàm illam, in qua agitabatur quæstio utrimque probabilis, an licita esset, an illicita simulatio. Et tamen ad hoc asylum non confugerunt, sed unusquisque ad suam opinionem propugnandam.

793 Ponderant adversarii repetitis exclamationibus altum silentium Sanctorum Patrum, circà nostram doctrinam de probabilitate. Audiendus est Gonetus in *dissert. de Probabil. artic.* 2. *§.* 6. *num.* 57. cujus hæc sunt verba: [Aliud argumentum morale subiiciam, ex eo desumptum, quòd in antiquis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus nullum extet ipsius (doctrinæ de probabilitate) vestigium, ut vel ex eo cerni potest, quòd nullus omnino à Casuistis, ad illud stabiliendum, vel Scripturæ, vel Patrum locus adducatur.] *Et num.* 58. addit: [Cùm enim antiquis Ecclesiæ Patribus tale dogma (de Probabilitate) ignotum sit, & ne levissimum extet in eorum libris ipsius vestigium, credibile est, illud non esse verum, nec ad morum institutionem, & conscientiarum quietem, & tranquillitatem necessarium, ut novi Casuistæ passim afferunt. Incredibile enim est, annis integris millesexcentis rem tam necessariam fuisse ignoratam.]

794 Et ego idem argumentum perpendo pro parte opposita. Si id dogma, quod semper sequenda sit pars strictior, tam necessarium est ad securitatem conscientiæ, quo modo Sancti Patres id nos non docuerunt? Cur veteres Patres Ecclesiæ, in quæstionibus controversis inter Hieronymum, & Augustinum, non docuerunt, sequendam esse partem, quæ stet contra libertatem; sed multi istam, multi oppositam sequebantur? Numquid mille sexcentis annis ignorata est hæc doctrina in Ecclesia, cùm quæstiones probabiles inceperint à tempore Augustini, & Hieronymi?

795 Idem argumentum instrui potest circà opiniones S. Thomæ. Si enim in quovis conflictu opinionum diversarum, pars, quæ stat pro libertate, affert periculum peccandi, adeòque scandalosa est; cùm S. Thomas in conflictu opinionum adversarum docuerit multas opiniones pro libertate (vide supra capit. 8.) illæ quidem afferent periculum peccandi; atque adeò damnandæ erunt tamquam scandalosæ. Hoc est plusquam absurdum: ergo eadem scatet absurditate sententia, quæ docet in conflictu opinionum adversarum semper standum esse contra libertatem.

796 Video, ab adversariis aliquas limitationes adiici huic sententiæ, de sequenda parte tutiori contra libertatem, quas retuli *supra art.* 1. Sed nulla limitatio ex illis potest satisfacere, ut opiniones S. Thomæ eripiantur ab eo barathro, in quod eas coniiciunt adversarii vel potiùs in quod ipsi adverse coniiciunt; ut perpendenti patebit.

797 Simile argumentum efformatur circà reliquos Thologos. Infertur etiam ex opposita sententia, nullum esse Theologum, cujus aliquæ opiniones non sint damnandæ, tamquam scandalosæ. Nullum enim reperies Theologum ex antiquis, aut recentioribus, qui non docuerit aliquas, immò multas opiniones pro libertate. Cùm ergo, juxta adversarios, in conflictu opinionum, eæ, quæ stant pro libertate, afferant periculum peccandi, consequenterque sint scandalosæ; infertur clarissimè, multas opiniones omnium Theologorum damnandas esse tamquam scandalosas.

798 Quòd verò omnes Theologi Authores aliquas docuerint opiniones probabiles pro libertate; cuilibet viro docto inductione constabit. Nam si eam inductionem hìc texere conaremur; multas impleremus paginas.

ARTICULUS VIII.

Ex multiplici incompossibilitate doctrinæ redarguitur opposita sententia.

SUMMARIUM.

An sit inconsequentia, admittere aliquas opiniones probabiles sine dictamine certo prudentiæ? n. 800.

An ex electione probabilioris resultet dictamen certum? n. 803.

An qui eligit opinionem absque formidine, habeat dictamen certum de honestate operationis? n. 806.

799 In

799 IN 1. *part. Crif. disp.* 15. *cap.* 12. *&* 13. proposui sex capita incompossibilitatum doctrinæ, quibus implicantur Authores oppositæ sententiæ. Et iterùm admiror vehementer, quòd cùm ea observata fuerint ante oculos Jacobi, non aggressus fuerit respondere ad illa.

800 Et quidem argumentum, quòd ipsis oculis occurrit, est ipsum, quòd sui Authores desumunt à certitudine, quam esse requisitam ad prudentiam, ipsi affirmant, & nos in eo non dissentimus; ipsi tamen Authores non inveniunt modum, quo possit dari dictamen certum prudentiæ circà usum opinionis probabilis. Et hoc non obstante admittunt usum licitum aliquarum opinionum probabilium; vel quando utraque opinio adversa stat pro officio, & honesto, ut volunt Merbesius, & Baronius; vel quando opinio est probabilior, ut vult Gonetus; vel quando homo facta sufficienti diligentia, non invenit aliam probabiliorem, ut vult idem Gonetus; vel quando quis assentitur absque formidine, ut vult Fagnanus; vel quando opinio est quieta, id est, non occurrunt rationes graves in contrarium, ut contendit Jacobus à S. Dom.

801 Hanc autem esse manifestam incompossibilitatem doctrinæ, clarè constat. Nam in eo usu opinionum probabilium, quas admittunt, vel invenitur certitudo, quæ requiritur ad prudentiam; vel non invenitur? Si primum; contra est: nam in ipsa opinione probabili, repugnat inesse formaliter certitudinem; & ipsi negant, posse inveniri certitudinem in dictamine reflexo circà usum opinionis probabilis: ergo opiniones probabiles, quas admittunt, manent sine certitudine requisita ad prudentiam.

802 Si verò dicant secundum, nempe ad eas opiniones non requiri certitudinem; planè destruunt doctrinam suam de certitudine requisita ad prudentiam, & ad operandum prudenter. Vide hoc argumentum latius propositum *in ea disp.* 15. *cap.* 12. *num.* 569. Vide etiam, quæ dicam *cap.* 18. in solutione argumenti oppositi; & quæ dixi supra *cap.* 5. *art.* 1. *fine.*

803 Dices pro doctrina Goneti, cùm quis eligit opinionem probabiliorem, licèt opinio probabilior non habeat formaliter certitudinem, ex electione tamen probabilioris resultare dictamen certum, quòd facit, quantum potest ad securitatem conscientiæ.

804 Sed hæc responsio non admittitur à cæteris defensoribus oppositæ sententiæ; neque est, nisi certò falsa. Quia in eorum discurrendi modo, magis prospicit securitati conscientiæ, qui sequitur partem tutiorem, quæ est pro lege contra libertatem, quam qui sequitur probabiliorem partem: ergo qui sequitur probabiliorem partem, non facit quantum potest ad securitatem conscientiæ; cùm possit plus facere sequendo partem tutiorem.

805 Dices pro doctrina Fagnani, cùm quis eligit opinionem (post diuturnam rationum discussionem) absque ulla dubitatione, & formidine; tunc certum moraliter remanere de honestate operationis.

805 Sed contra est. Nam vel tunc eligit opinionem, sciens esse merè probabilem, vel existimans illam esse certam? Si hoc secundum dicatur; jam nullam admittit opinionem probabilem cognitam ut talem. Si verò dicat primum, nova contradictione se implicat. Nam dum quis cognoscit, opinionem esse probabilem, debet cognoscere id, quod est de essentia probabilitatis; atqui de essentia opinionis probabilis est esse incertam, id est, nec certam, nec certò falsam: ergo debet cognoscere esse incertam: cognoscens autem esse incertam, quo modo potest habere de illa certitudinem? Reliqua capita incompossibilitatis doctrinæ vide loco citato.

CAPUT XVI.

Ostenditur, in conflictu opinionum æque probabilium, posse nos eligere, quam maluerimus.

ARTICULUS I.

Positiones aliquæ præmittuntur.

SUMMARIUM.

An certum sit, te rectè operari, dum niteris probabilitati, quando rationes partis adversæ non elidunt vim ejus probabilitatis? n. 808. & seq.

An liceat fidelibus in dubiis consulere viros doctos? Et quid inde inferatur pro electione opinionis æquè probabilis? n. 811.

An liceat ægroto consulere medicum probabiliter respondentem? n. 812.

An inter motiva æquè probabilia soleat resultare dubitatio? Et quomodo in quæstione juris, & facti? n. 813.

Quo modo intelligendum sit, quod diximus, inter duo testimonia æqualis fidei in quæstione facti necessariò resultare dubium? n. 814.

Quæ diversitas detur inter quæstionem juris, & quæstionem facti in ordine ad dubitationem? n. 815.

An in quæstione juris intellectus solvat objectiones partis oppositæ, & sic maneat expeditus ad assensum alterius partis? n. 816.

Quæ sit potior ratio solvendi objectiones unius partis, quàm alterius? n. 817.

An in probabilibus voluntas possit licitè inclinare intellectum ad unam partem? n. 818.

An esset onus intolerabile, quòd voluntas non posset eligere ex æquè probabilibus? n. 820.

An intellectus in quæstione facti inter duo testimonia æqualis fidei constitutus, non habeat modum, quo dissolvat motivum unius partis? n. 821.

An ratio agentium habeat majorem amplitudinem, ut se extendat ad utrumque contradictoriorum? n. 822.

An supradicta habeant locum in probabilitate extrinseca? n. 823.

An nemo possit assentiri duplici opinioni contradictoriæ simul; bene tamen successivè? n. 824.

807 SEcunda pars nostræ sententiæ docet, quoties datur conflictus opinionum æquè probabilium, in quibus non est facile discernere excessum probabilioritatis, posse hominem eligere, quam maluerit opinionem. Hæc est communissima sententia inter Theologos, & ferè omnium praxi recepta, quòd posset sufficere ad inducendam certitudinem moralem. Vide, quæ de hoc dubio dixi *disp.* 15. pro eaque stare S. Thomam ostendo infrà *artic.* 4. Et ut clariùs constet de veritate hujus assertionis, sequentes positiones statuo.

808 Prima positio. Certum est, te rectè operari, dum niteris motivo probabili, saltem quando rationes partis adversæ non elidunt vim illius motivi probabilis. Probatur primò à priori. Quia cùm ratio rerum agendarum adeò sit obscura, impossibile est invenire semper rationes evidentes ad operationem rectam exercendam; deinde esset summè onerosum in omnibus dubiis stare semper pro parte strictiori contra libertatem; immò & implicatorium, ut constat *ex cap. præced. art.* 3.

809 Probatur secundò ex capit. *Ego Solis. dist.* 9. ex S. Hieronymo ad August. ubi sic legimus. *Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideò verum putem; quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi per alios Authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorret, persuadere potuerunt.* Ubi vides, S. Hieronymum magni facere *probabiles rationes*, ut sibi persuaderet, quod à vero non abhorret.

810 Probatur tertiò. S. Thomas usus est rationibus probabilibus in multis opinionibus, quas docuit, stantibus pro libertate, quas retuli supra *cap.* 8. ergo licet etiam nobis uti rationibus probabilibus ad eliciendas operationes nostras. Patet consequentia. Esset enim impium dicere, opiniones S. Thomæ non esse securissimas. Primum verò antecedens etiam patet. Nam opiniones oppositæ illis, etiam sunt probabiles, ut constat ex dictis *eo cap.* 8. ergo opiniones illæ S. Thomæ non sunt omninò certæ, sed probabiles. Patet consequentia; quia ubi una opinio est probabilis, implicat, quod ejus contradictoria sit certa, ut patet ex sæpe dictis.

811 Probatur quartò. Nam Fideles, qui volunt rectè operari, in dubiis suis satisfaciunt conscientiæ consulendo eos homines, qui existimantur docti, & periti in Theologia: atqui fama non facit plenam probationem, sed semiplenam, & dumtaxat producit probabilitatem; unde fit, quòd Fideles communiter ea probabilitate nitantur: ergo probabilitas est sufficiens, ut Fideles rectè operentur. In quo casu Fideles certi manent de rectitudine suæ operationis; quia si non manerent certi, manerent expositi periculo peccandi, atque adeò peccarent: ergo certum est, quòd non peccant operantes ex motivo probabili, saltem quando hoc non eliditur rationibus partis adversæ.

812 Probatur quintò ex illo casu, quem proposui *cap.* 5. *artic.* 1. in quo ægrotus febricitans dubitat, an die festo sequenti teneatur surgere è lecto, ut Missam audiat; & consulit Medicum; & ille respondet, non debere surgere. In quo id consilium Medici non excedit probabilitatem: ergo licitum est operari, etiam circà præcepta Ecclesiæ ex consilio probabili. Et quidem ægrotus certus manet, se rectè operari sequendo consilium probabile Medici: ergo certum est, non peccare eum, qui nititur motivo probabili.

813 Positio secunda. In conflictu opinionum æquè probabilium, in quæstione juris, potest, & solet resultare dubitatio in intellectu, qui quidem dubitat, quænam ex illis duabus adversis opinionibus à parte rei sit vera. Hinc probavi manifestè *in* 1. *part. Crif. Theolog. disput.* 6. *cap.* 5. Et notandum est, quod *ibidem cap.* 6. efficaciter ostendi, intellectum in quæstione facti, inter duo testimonia affirmativa æqualis fidei, necessariò hærere dubium; nec posse uni earum parti assentiri.

814 Quod ita intelligendum est, quòd tunc intellectus non potest assentiri, nisi temerè. Potest quidem intellectus inter duo testimonia æqualis fidei constitutus uni assentiri ex imperio voluntatis: sed is assensus erit temerè elicitus: Si autem ex speciali aliqua ratione uni fidem habeat, potius quàm alteri, jam non erunt æqualis authoritatis: cùm ex parte unius appareat ea specialis ratio. Quòd si pro utraque parte authoritatis invenerit intellectus rationes probabiles; ita ut virtute hujus motivi probabilis testis iste videatur melioris fidei; & virtute illius motivi probabilis ille testis videatur melioris fidei; intellectus solvens rationes probabiles unius partis, poterit alteri parti assentiri, etiam in quæstione facti.

815 Positio tertia. Licet videantur pares esse quæstiones [illegible]

stio facti, quoad hoc, quòd inter æqualia motiva resultet in intellectu dubitatio; est tamen magnum discrimen inter eas. Nam intellectus constitutus inter duo testimonia affirmativa æquali fide digna, in quæstione facti; non habet modum, quo deponat dubium; in quæstione autem juris, constitutus inter rationes, & argumenta æqualis ponderis, licèt ab initio dubitet, quæ pars sit vera; habet tamen modum, quo deponat dubium in ordine ad praxim.

816 Modus autem deponendi dubium est iste. Conferente suam vim inclinatione voluntatis (qualem conferre potest, ubi non cogit evidentia veri) intellectus solvit objectiones unius partis, & solvendo, eas quasi ad nihilum redigit; & ita intellectus manet sine impedimento, ut assentiatur oppositæ parti: assentiturque illi, innitens rationibus hujus partis, quæ sufficientes sunt ad præstandum assensum huic parti. Atque ita cùm ab initio intellectus esset dubitans, quænam pars esset vera; posteà tamen solvendo rationes alterius partis, & innitens rationibus alterius deponit dubium, assentiendo alteri parti.

817 Nec satisfacis, si dicas, non esse potiorem rationem, quare solvat objectiones hujus partis, & innitatur rationibus illius, cùm loquamur de æquè probabilibus. Quia licèt non sit potior ratio ex parte solius intellectus; est tamen ex parte intellectus associati inclinatione voluntatis; quæ quia magis inclinat ad hoc motivum probabile, quàm ad aliud, facit intellectum magis attendere ad hoc, quàm ad aliud.

818 Nec satisfacis, si dicas iterùm, voluntatem agere irrationabiliter inclinando intellectum ad hanc partem, potius, quàm ad illam; cùm adsit æqualitas in motivis probabilibus. Et posse quidem physicè voluntatem inclinare intellectum ad unam partem; sed non posse moraliter, id est licitè.

819 Sed hoc gratis dicitur, & sine probatione. Ad hoc enim ut asseratur, voluntatem (ubi non cogitur intellectus evidentia veri) non posse licitè inclinare intellectum ad unam partem; probari debet, dari præceptum (Divinum, aut humanum) quo voluntas obstringatur suspendere suam inclinationem in æqualiter probabilibus.

820 Accedit, quòd cùm ratio rerum agendarum adeò sit obscura, ut plerumque ex varietate penè infinitâ circumstantiarum passim dubitent homines, quid agendum sit hic, & nunc, ut rectè operentur; esset onus intolerabile, & infinitis scrupulis, & dubitationibus expositum, si non ita possent inniti motivis probabilibus; quibus communiter homines prudentes utuntur, solvendo has objectiones; & innitendo illis rationibus.

821 Hunc autem modum, quem invenit intellectus in quæstione juris, non invenit in quæstione facti constitutus inter duo testimonia affirmativa æqualis fidei. Non enim habet modum, quo possit solvere hoc testimonium fide dignum, *Ego vidi*. Quòd diversimodè accidit in quæstione juris; quæ quia discursui innititur; & discursus discursu solvitur, habet utique modum intellectus, quo solvat discursum, & rationes unius. Vide, quæ de hoc argumento latius dixi *in 1. part. Cris. disp. 13. cap. 4. art. 8. & cap. 8.*

822 Positio quarta. Ratio rerum agendarum habet majorem amplitudinem ad hoc, ut se extendat ad utrumque contradictorium sub aliquo modo, sive sub aliqua propositione modali: quam non habet res facti. Explicatur hæc positio. Mihi modò licitum est sedere, & licitum est non sedere: mihi licitum est nunc ambulare, & licitum est non ambulare, & sic in sexcentis aliis. Quæstio autem facti cùm sit speculativa, nec sit capax hujusmodi *licitum*, non habet hoc genus amplitudinis. Vide *ea disp. 15. cap. 4. art. 7.*

823 Positio quinta. Idem, quod dixi de assensu unius partis in conflictu opinionum æque probabilium per principia intrinseca; dicendum est de assensu per principia extrinseca desumpta ab authoritate Doctorum omni exceptione majorum (quisnam sit author omni exceptione major; & quæ sint exceptiones, quæ militant contra authoritatem Scriptoris; vide *in 1. par. Cris. disp. 11. cap. 4. & 8.*) Explicatur hæc positio. Scio, assertionem A. esse opinionem Suarii, aut Vazquii, aut Thomæ Sanchez, aut Granadi, aut Molinæ, aut cujusvis alius omni exceptione majoris. Scio etiam, quemlibet ex his Authoribus solvere objectiones partis oppositæ, & inniti fundamentis urgentibus. Scio etiam, mihi licere opinari, sicut hi viri sapientissimi opinantur: est enim valdè laudabile, ubi non cogit evidentia veri, non fidere propriæ prudentiæ, sed magis fidere prudentiæ virorum sapientum omni exceptione majorum. Ideòque securè assentior opinioni, quam scio esse Suarii, aut Thomæ Sanctii.

824 Positio sexta. Nemo potest assentiri duplici opinioni contradictoriæ simul; bene tamen successivè. Potest tamen intellectus assentiri duplici propositioni modali de dicto contradictorio, sic: *Probabile est, quòd possit pictura licitè exerceri in die festo. Probabile est, quòd non possit pictura licitè exerceri in die festo.* Hæc latè prosequutus sum in *1. par. Cris. disp. 15. cap. 4. art. 6.*

ARTICULUS II.

Ostenditur certum, quòd inter opiniones æquè probabiles possumus ad praxim eligere quamlibet.

SUMMARIUM.

An qui sequitur opinionem benigniorem, nitatur motivo probabili, quòd non enervatur per rationes partis oppositæ? num. 825. & seqq.

An in Politicis quandoque eligamus unam partem probabilem, quandoque oppositam? n. 831.

An inde inferatur, rationes unius partis non enervari per rationes alterius? n. 832.

An quæstio politica, & quæstio moralis sint pares quoad hoc? n. 833. & seq.

An in quæstionibus scholasticis liceat eligere quamlibet? Et rationes unius partis non enerventur per rationes alterius? num. 837. & seqq.

An ab experientia constet, rationes unius partis non enervari per rationes alterius? n. 840. & seqq.

825 EX præjactis positionibus infertur certitudo hujus assertionis. Quæ sic ostenditur primò. Qui nititur motivo probabili, quòd non enervatur per rationes partis oppositæ, sufficienter deponit dubium, & prudenter præstat assensum: sed in conflictu opinionum æquè probabilium, qui eligit partem benigniorem, nititur motivo probabili, quod non enervatur per rationes partis oppositæ: ergo in conflictu opinionum æquè probabilium, qui eligit partem benigniorem, sufficienter deponit dubium, & prudenter præstat assensum. Et quidem si præmissæ hujus syllogismi certæ sunt, certa etiam esse debet consequentia, eo quòd legitimè infertur ex præmissis. Sed & major ex prima positione, *art. 1.* præjacta, manifestè constat.

8.6 Minor autem probatur primò ex tertia positione præcedentis articuli. Nam ubi intellectus solvit objectiones partis strictioris, istæ quasi ad nihilum rediguntur; & eo ipso, quòd sint solutæ, & quasi ad nihilum redactæ, non retinent vim ad enervandas rationes partis oppositæ: implicat enim contradictionem, quòd actualiter dissolvat illas intellectus, & quòd pro tunc retineant in intellectu vim ad enervandas rationes oppositas; nam quòd intellectus illas solvat, nihil aliud est, nisi, quòd auferat difficultatem, quam reperiebat intellectus ad assensum partis oppositæ. Ergo in conflictu opinionum æquè probabilium, qui eligit partem benigniorem, nititur motivo probabili, quod non enervatur per rationes oppositæ partis.

827 Dices, posse intellectum solvere rationes probabiles utriusque partis; atque adeò rationes utriusque partis enerves erunt; neque habebit intellectus motivum firmum, quo nitatur ad assensum unius partis.

8.8 Sed refellitur hæc responsio. Nam licèt possit, & aliquando soleat intellectus ita se gerere inter duas opiniones probabiles constitutus, & ita dubius hæreat, & suspendat assensum; id non tollit, quo minus intellectus aliter se gerat (dum non adest evidentia veri) solvendo rationes hujus partis, & innitendo rationibus alterius; maximè cùm associatur inclinatione voluntatis, quæ facit, intellectum vivacius attendere ad has, quàm ad illas rationes. Quo pacto rationes unius partis manent enervatæ, & solutæ; & rationes alterius manent cum integra virtute impulsiva, quam habent respectu intellectus.

829 Quod autem ita possit physicè contingere intellectui, patet ab experientia. Quòd autem possit contingere moraliter, idest, licitè, ex eo etiam patet, quòd nullum datur præceptum, quo voluntas obstringatur ad suspendendum assensum unius partis, sive ad non deponendum dubium vi illius motivi probabilis, quod retinet vim suasivam solutis argumentis partis oppositæ.

830 Probatur secundò eadem minor ex discrimine, quòd intercedit quoad hoc inter quæstionem juris, & quæstionem facti. Quod patet *ex artic. præced. Positione 3. & 4.*

831 Probatur tertiò à manifesta paritate desumpta à Politicis, & Scholasticis quæstionibus, in quibus utraque pars affirmativa, & negativa censetur æquè probabilis; & quandoque una, quandoque altera eligitur. V. g. quæstio est Politica, an expediat, Episcopum esse perpetuum in una Ecclesia; an potius expediat promoveri de una ad aliam? Similiter an expediat bono publico Religionum, Generales esse perpetuos an non esse perpetuos? In quibus quæstionibus rationes valdè probabiles utrimque afferuntur: neque exploratum est, quæ pars sit probabilior; ideò rationes utriusque partis reputantur æquè probabiles. Et tamen aliquando Episcopi manent perpetuò in una Ecclesia, & aliquando, & in hoc sæculo frequentius, promoventur de una ad aliam. In aliquibus Religionibus Generales sunt perpetui; in aliquibus sunt solum ad tempus.

832 Hinc deducitur efficax argumentum. Si rationes probabiles unius partis enervarentur probabilitate rationum partis oppositæ, neutra pars remaneret probabilis: atqui utraque pars censetur remanere probabilis, quandoquidem utraque reducitur ad praxim, modò hæc, modò illa: ergo rationes probabiles unius partis non enervantur probabilitate rationum partis oppositæ.

833 Et quidem quæstio Politica, & quæstio Theologiæ moralis, quoad hoc pares sunt. Si enim in quæstione politica rationes unius partis non enervantur rationibus oppositæ; cur enervabuntur

buntur

buntur in quæstione Theologica morali? præsertim cum hoc, quòd est, enervari rationes unius partis rationibus oppositæ, non sit propter hanc materiam, aut propter illam; sed omninò dependet à vi intellectiva mentis, quæ cùm solvit rationes unius partis, non manet impedita rationibus oppositæ, quamvis cum aliqua formidine.

834 Dices, in iis quæstionibus politicis eam praxim non oriri ex eo, quòd ambæ partes remaneant æque probabiles; sed ex eo, quòd alii unam partem reputent probabiliorem, alii aliam.

835 Sed refellitur manifestò ea responsio. Quia Summus Pontifex approbat perpetuitatem Generalis in una Religione, & temporalem præfecturam Generalis in altera: item Summus Pontifex approbat perpetuitatem hujus Episcopi in una Ecclesia, & promotionem Episcopi de una ad aliam: ergo id non provenit, ex eo, quòd alii sic, & alii aliter judicent de probabilitate earum rationum politicarum; quandoquidem ipse Summus Pontifex se accomodat diversis, & oppositis partibus quæstionum politicarum.

836 Hæc ratio potest confirmari ex multis aliis exemplis. Est enim quæstio politica [An expediat bono publico, Reges constitui jure sanguinis, an jure electionis?] & utraque pars censetur æquè probabilis; quin rationes unius partis enerventur rationibus oppositæ. Similiter est quæstio politica, [An expediat bono publico merces taxari à Principe, vel Republica, an potius relinqui æstimationi communi?] & utraque pars æqualis probabilitatis censetur; & quandoque una pars eligitur, quandoque altera.

837 Quartò sumitur etiam urgentissima paritas à quæstionibus Theologiæ scholasticæ æque probabilibus, in quibus fatentur adversarii, posse Theologum modò unam partem, modò alteram defendere. Nam si in quæstionibus scholasticis, & speculativis rationes probabiles unius partis non habent vim enervandi rationes partis oppositæ, dum intellectus alias solvit, & aliis innititur, quare id non eveniet in quæstionibus moralis Theologiæ? Nam intellectus in scholasticis non habet majorem vim intellectivam, quàm in moralibus.

838 Nec satisfacis, si dicas, ideò non licere in moralibus eligere alterutram partem opinionis ex æquè probabilibus, bene tamen in scholasticis; quia in his rationes æquè probabiles solùm producunt dubium speculativum; in moralibus autem pariunt dubium practicum; ideòque homo in conflictu opinionum æquè probabilium dubitat, quid sibi agendum.

839 Sed hæc responsio supponit falsum; nempe rationes probabiles in quæstione speculativa necessariò relinquere intellectum speculativè dubium. Theologus enim, dum satisfacit rationibus unius partis, & innititur rationibus alterius, deponit dubium. Nam si remaneret omninò dubius, non liceret ei id affirmare tamquam verum. Eodem ergo modo se habet Theologus in conflictu opinionum æquè probabilium quæstionis moralis; & eodem modo deponit dubium practicum.

840 Probatur quintò eadem minor. Nullus enim est Theologus, qui aliquando in conflictu opinionum moralium æquè probabilium non defendat opinionem stantem pro libertate: ergo tunc Theologus solvendo rationes partis oppositæ, & innitendo rationibus alterius, præstat assensum suæ opinioni: ergo rationes unius partis non amittunt vim motivam, quam habent. Patet hæc consequentia. Quia si vim suam motivam amitterent, maneret Theologus dubius, & non haberet motivum sufficiens ad assensum, quem præstat. Constat ergo ab experientia, quòd rationes unius partis non amittunt vim motivam in comparatione aliarum rationum, quando Theologus solvit has.

841 Confirmatur. Nam assensus, & dubitatio de eodem objecto non componuntur, ut ostendi in *1. par. Crit. disp. 6.* ergo cùm Theologus assentitur suæ opinioni, non dubitat: ergo tunc vel temerè assentitur, vel rationabiliter. Si temerè; opinio ejus non erit probabilis, sed temeraria: quòd dicere de tot viris sapientissimis, temerarium est. Si verò rationabiliter assentitur: ergo rationes suæ opinionis retinent vim rationabilem motivam, etiam in comparatione rationum oppositæ partis.

842 Hæc ratio manifestè concludit contra adversarios, qui ne probabiliores quidem opiniones admittunt. Sed militat etiam pro opinionibus æquè probabilibus: nam licèt quivis Theologus suam opinionem defendit tamquam probabiliorem; tamen frequenter contingit, in conflictu opinionum, has esse talis conditionis, ne difficile sit discernere excessum. Vide latiorem hujus argumenti ponderationem *in 1. part. Crit. disp. 15. cap. 8.*

843 Probatur sextò eadem minor. Nam adversarii dicunt, quòd quando duæ opiniones probabiles stant pro officio, vel honesto, licitum est alteram earum eligere: ergo tunc rationes unius partis non enervantur per rationes partis oppositæ. Sed quando ambæ opiniones stant pro officio non habent majorem vim ad convincendum intellectum, quàm cùm una earum militat pro libertate: ergo etiam in hoc secundo casu retinent suam vim.

ARTICULUS III.

Triplex argumentum desumptum ab ignorantia invincibili pro eadem conclusione.

SUMMARIUM.

An in omni opinione probabili detur ignorantia invincibilis; & in quo illa consistat? n. 845.

An homo non teneatur vincere dubitationem per electionem partis tutioris, cùm possit illam deponere vi rationis probabilis? n. 846.

An in opinionibus S. Thomæ detur ignorantia invincibilis? nu. 847.

An sit absurdum dicere, omnes Doctores hujus sententiæ fuisse in statu damnationis? n. 848. & seq.

An qui sequitur ex ignorantia invincibili opinionem falsam, à peccato excusetur? n. 851. & seq.

An, & quomodo ex opposito inferatur Jansenismus? n. 853.

An detur in opinionibus tertius alius modus ignorantiæ invincibilis circà opiniones communiter receptas? n. 854. & seq.

844 SEptimum argumentum est. Ignorantia invincibilis excusat à peccato: sed in quacumque opinione, saltem ex æquè probabilibus, datur ignorantia invincibilis: ergo quamcumque elegerit quis ex opinionibus æquè probabilibus, excusatur à peccato. Major, & consequentia evidenter constant.

845 Minor probatur. Ignorantia invincibilis est, quam homo non potest, aut non tenetur vincere: sed si homo errat in opinione, quam elegit, hæc ignorantia talis est, ut homo non possit, aut non teneatur vincere: ergo hæc ignorantia est invincibilis. Majorem probavi ex S. Thoma, in ea *disp. 15. cap. 9.* & constat evidenter, etiam quoad secundam partem. Nam ignorantia invincibilis inculpabilis est: quando ergo non tenetur vincere ignorantiam, non potest esse culpabilis; alioqui esset culpa, illam non vincere, sine obligatione vincendi.

846 Minor vero probatur. Nam homo non potest vincere per scientiam: nam in conflictu duarum opinionum æque probabilium, non potest sciri evidenter, quæ pars à parte rei sit vera. Et quamvis homo tunc possit reducere se ad dubitationem, & vincere hanc per electionem partis tutioris; tamen non tenetur, quia potest deponere dubitationem solvendo objectiones partis oppositæ, & innitendo rationibus suæ opinionis. Ita enim deponunt dubitationem omnes Theologi, dum in conflictu opinionum assentiuntur uni parti; cum quo assensu non est compossibilis dubitatio, ut ostendi in *1. pars. Crit. disp. 6.* Sic deponebat dubitationem S. Hieronymus, & alii Patres illum sequentes, quando affirmebant contra Augustinum, simulationem esse licitam. Sic deponebat dubitationem S. Augustinus, quando contra S. Hieronymum asserebat, juramentum esse licitum. Sic deponebat dubitationem S. Thomas, quando contra alios Doctores asserebat, filium non teneri obedire parenti, quoad matrimonium contrahendum, nisi quando justa causa coegerit, sicut & in reliquis opinionibus stantibus pro libertate.

847 Confirmatur. Nemo potest vincere dubitationem, quando nulla datur dubitatio: sed quando Theologus assentitur uni parti ex æquè probabilibus, nulla datur dubitatio: ergo non potest vincere illam. Major est evidens. Quia quòd non est, non vincitur, nec vinci potest. Minor etiam patet. Nam assensus, & dubitatio componi non possunt: ut evidenter ostendi ea *disp. 6.* Vide hoc argumentum fusius propositum *in ea disp. 15. cit. cap. 9.* Confirmatur secundò. In opinionibus moralibus S. Thomæ datur ignorantia invincibilis: ergo in cœteris opinionibus moralibus verè probabilibus datur ignorantia invincibilis. Probatur antecedens. Et v. g. pono exemplum in filio, qui ex opinione probabili S. Thomæ non tenetur obedire Patri quoad matrimonium contrahendum, quando habet justam causam ad illud pro suo arbitrio contrahendum, contra opinionem probabilem Navarri, & aliorum. Vel ergo in hoc conflictu opinionum ignoramus, utra ex eis sit à parte rei, & coram Deo vera; vel id non ignoramus, sed certò scimus, opinionem S. Thomæ esse veram? Si hoc secundum dicas, fit, opinionem S. Thomæ esse certam, & non merè probabilem; & opinionem Navarri esse certò falsam, & improbabilem; quòd nemo audebit dicere, & (quòd plus est) nemo probare poterit. Ergo dicendum est primum, nempe quòd ignoramus, quænam à parte rei sit vera: ergo in ea opinione S. Thomæ datur hæc ignorantia. Rursus inquiro, an hæc ignorantia sit vincibilis, an invincibilis? Si hoc secundum dicas, habeo intentum. Si verò primum dicas, nempe illam ignorantiam repertam in opinione S. Thomæ esse vincibilem, infero: ergo talis ignorantia necessariò vincenda est per electionem partis tutioris: ergo peccat filius, qui non eligit partem tutiorem, obediendo Patri in eo casu: ergo peccat filius sequendo opinionem S. Thomæ. Videant ergo adversarii, quantum præjudicium afferat eorum doctrina opinionibus S. Thomæ, & quo jure apellent Antithomistas eos, qui sequuntur nostram doctrinam de vera probabilitate opinionum.

848 Octavum. Demus errare omnes Theologos Sapientissimos hujus, & præcedentis sæculi, dum affirmant, in conflictu opinionum æquè probabilium posse quamlibet eligi. Et inquiro, an dicendum sit, omnes Theologos fuisse in statu damnationis æternæ; an verò esse potuerint in statu salutis? Primum dicere erit plusquam temerarium; ex illis enim plurimi fuerunt viri sanctitate conspicui. Tales fuerunt Suarius, Thomas Sanchez, Granadus, & alii complurimi, quorum exempla heroicæ virtutis Eccle-

ſiam Dei nobilitarunt: qui cùm majus Dei obſequium ſemper ambirent, ſecuros ſe eſſe putabant, licèt conſtituti in ea ſententia, quòd in conflictu opinionum æquè probabilium poſſet eligi quævis earum. Ergo in illis invincibilis erat error iſte, & inculpabilis, ſi error dicendus eſt: ergo & in omnibus, qui eos ſequuntur, qui eadem ſecuritate eorum ſententiam tuentur. Nam ſi culpabilis eſſet ille error, manifeſtum eſt, quod peccarent graviter, ideòque eſſent in ſtatu damnationis æternæ, dum eam ſententiam non retractarunt, & eadem ſecuritate: audebunt reliqui homines, qui ex noſtro conſilio ſic operantur. Vide hoc argumentum in ea *diſp.15. cap 9.*

849 Cognovi Granatæ P. Jacobum Granado, dum Rector eſſet ejus Collegii, & ego tunc juvenis darem operam Philoſophiæ. In eo ſuſpiciebamus omnes admirabilem ſanctitatem in homine, qui prius ſe acerbiſſimæ neci traderet, quàm culpa veniali advertenter ſe maculari permitteret. Prius credam nivem eſſe nigram, & pennas Corvi candidas, quàm credam, hunc virum ſanctiſſimum peccaſſe non retractando ſententiam, quam docuit de opinione probabili; & errorem illius, (ſi fuit error) non fuiſſe inculpabilem. Idem affirmare poſſum de P. Thoma Sanchez, qui diem clauſerat ibidem, paulò antequam ego Granatam peterem: cujus mirabilium virtutum exempla recenti memoria retinebantur, cùm ad eam Civitatem perveni.

850 Cognovimus item hic Hiſpali Illuſtriſſimum Dominum Petrum de Tapia Archiepiſcopum Hiſpalenſem ex Ordine Prædicatorum aſſumptum, virum ſapientiſſimum, qui ſpatio annorum viginti in Complutenſi Academia, veſpertinam, & Primariam Cathedras rexit; illum quidem ſanctitate conſpicuum, cujus virtutum exempla admiranda qui ſcire voluerit, legat ejus Vitam, quam in lucem edidit Mag. Fr. Antonius de Lorca ejuſdem Ordinis. Hic ſapientiſſimus Præſul in catena doctrinæ moralis *lib.1. quæſt.8. art.12. num.4.* ſic ait: [Ex opinionibus *æquè probabilibus* licitum eſt cuique ſequi, quam maluerit. Ita Navarrus *dicto cap. Si quis autem.* Sanchez *dicta diſp.41. nu.30. & dicto cap.9. num.45.* & communiter Doctores. Ratio eſt: quia ex parte fundamentorum, & objecti, nullum eſt diſcrimen: ergo recurrendum eſt ad ſolum arbitrium operantis.] Hæc Illuſtriſs. Præſul. Et *num. ſeq.* ut infra dicam, addit poſſe tutò deduci ad praxim opinionem minus probabilem. Si ergo errat Illuſtriſſimus, & Sanctiſſimus Præſul, quis audeat dicere, errorem ejus eſſe culpabilem; qui in omnibus obſervavit inculpatam vitam? Quòd ſi erravero cum Sapientiſſimo, & Sanctiſſimo Præſule, cum Granado, & Thoma Sanchez, quos certò ſcivi eſſe ſanctitate conſpicuos, non mihi Deus vertet culpæ; cùm Deus ipſe in candelabro Eccleſiæ Hiſpalenſis hanc facem, quæ nobis preluceret, conſtituerit: & illos viros magnos ad docendum excitaverit.

851 Et confirmatur hoc argumentum ex iis, quæ docet Gonetus *in diſſert. de Probabilit. art.7. num.221.* in hæc verba. [Eum, qui operatur ex opinione probabili falſa, & Legi Divinæ contraria, quam invincibiliter putat eſſe veram, & legi Divinæ conformem, à peccato excuſari.] Cenſet ergo Gonetus, poſſe aliquos operari ex opinione probabili cum ignorantia invincibili: Si ergo aliqui ſic poſſunt habere ignorantiam invincibilem, & inculpabilem in electione opinionis probabilis; & in primis ita judicandum eſt de viris ſanctitate conſpicuis; quod ſi in hoc errarunt, eorum error fuit inculpabilis.

852 Ex quo etiam aliam conſequentiam elicio: ergo omnes, qui ſequuntur hanc eamdem doctrinam de probabilitate opinionum, inculpabiles ſunt. Hæc conſequentia patet ex dictis: Ideò enim illi viri magni fuerunt inculpabiles, quia judicarunt veram eam doctrinam de probabilitate, talibus fundamentis ducti: ſed omnes, qui hanc doctrinam ſequuntur, eiſdem fundamentis ducuntur: ergo eodem modo erunt inculpabiles: ergo errant Scriptores, qui aſſerunt defenſores hujus doctrinæ verſari in periculo ſalutis æternæ.

853 Ubi advertendum etiam eſt, quòd quamvis *1. part. Criſ. Theolog. diſput.15. cap.3. art.1. & 2.* dixerim ex doctrina Probabilioriſtarum non inferri Janſeniſmum eo modo, quo id probare conabatur Caramuel; adhuc tamen aſſero, inferri Janſeniſmum, & quod Deus præcipiat impoſſibilia; ſi quis dixerit, peccare eum, qui ex ignorantia invincibili ſequitur opinionem probabilem. Eſt enim univerſaliter verum, eſſe Janſeniſmum aſſerere, quòd peccat ille, qui ea ignorantia invincibili operatur contra legem.

854 Tertius modus ignorantiæ invincibilis reperitur in opinionibus communiter receptis, quæ cùm à multo tempore traditæ ſint, non ſunt reprobatæ tamquam parum ſecuræ à cœteris Theologis, qui tipis dederunt lucubrationes ſuas. Etenim (& eſt nonum argumentum) tunc datur ignorantia invincibilis, quando homo per errorem judicat, aliquid eſſe verum, neque occurrit illi ratio dubitandi: ſed quando opiniones ſunt communiter receptæ tamquam ſecuræ, homo aſſentitur illis tamquam veris, & non habet rationem dubitandi; quia quod viri docti communiter exiſtimant, non eſt, cur de illius ſecuritate dubitetur: ergo.

855 Nec ſatisfacis, ſi dicas, opiniones receptas eſſe communiores: opiniones autem communiores eſſe probabiliores.

856 Etenim plerumque ſunt opiniones communes contra communes; adeò, ut non deſit Author, qui de illis ſcripſerit ſub terminis, *Communes contra communes*: ergo ex hoc capite æquales ſunt in probabilitate.

ARTICULUS IV.

Decimum argumentum practicum deſumptum ex doctrina Fagnani.

SUMMARIUM.

An ad amplectendam quamlibet opinionem debeamus diſcutere diligenter fundamenta illius? n.857.

An qui ſequitur opinionem Suarii, eam diligentiam impendat? n.858.

An qui ſequitur opinionem oppoſitam Vazquii, eamdem diligentiam præſtet? n.859.

An inde inferatur, poſſe me eligere, quam maluero, ex duabus opinionibus oppoſitis Suarii, & Vazquii? n.860.

An fluctuet, qui unam ſequitur ex duabus oppoſitis? n.861. & ſeq.

857 PRoſper Fagnanus, qui acerrimè adverſatur noſtræ ſententiæ [de quavis opinione practicè probabili amplectenda ſaltem inter æquè probabiles] *in cap. Ne innitaris. de conſtit. num.402.* præſcribit modum, qui tenendus eſt, ut tutò poſſimus ſequi aliquam opinionem probabilem in praxi, his verbis: [Super quæſtione illa, in qua conſulere, aut judicare debes, aggredere opinionem, quæ negat, actum eſſe licitum, & periculo vacat, & examina diligenter illius motiva: & ſi agnoveris, eam non habere rationes ſuaſibiles, vel authoritates moventes, tunc convertas te ad opinionem oppoſitam, quæ affirmat, actum eſſe licitum, & ideò eſt periculo expoſita; *accuratoque ſtudio expende, & diſcute ſeorſim, & ſingillatim unamquamque rationem illi faventem*: & ubi cognoveris, illas eſſe ſuaſibiles, ſeu probabiles; *tunc illas omnes ſimul conjunge*, ac trutina intellectus illas ſedulò in univerſum perpende: & ſi, illis ſimul conjunctis, & in unum conflatis uſque adeò acquieſcat intellectus tuus, ut concipiat, & apprehendat, rem ita eſſe, & judicet ſine ulla trepidatione, ac formidine, opinionem illam eſſe veram; intrepidè eam ſequaris; quia quamvis non ſis certus de illius veritate per rei evidentiam, ſeu demonſtrationem, quam in moralibus quærere vitioſum eſt; tamen certus es moraliter; cum ex illis probabilibus conſurgat, & generetur in te certitudo talis, quæ ſufficiens eſt ad rectè operandum; ac proinde bona cum conſcientia potes opinionem illam amplecti, & ſecundùm eam præbere conſilium petenti.] Hucuſque Fagnanus.

858 Juxta hanc doctrinam hunc ego diſcurſum apud me tacitus facio. [Egoquidem, qui me ipſum cognoſco, ob nimis timoratam conſcientiam meam non omninò fido ingenio, & judicio meo. Scio, Suarium præditum fuiſſe à Deo meliori ingenio, & judicio, majori ſapientia, & uberiori doctrina. Quod ego præſtare deberem, ut obſequerer præſcripto Fagnani, nempe *accurato ſtudio expendere, & diſcutere ſeorſim, & ſingillatim unamquamque rationem illi opinioni faventem;* multò melius præſtitit Suarius pro ſua ingenii, & doctrinæ præſtantia circà hanc opinionem A. de cujus reſolutione modò ſum ſolicitus; cur ergo diſcruciabitur animus meus, qui præ nimio timore non audeo reſolvere, confidens judicio meo: cùm ſciam, Suarium omnem illam diligentiam adhibuiſſe ad cognoſcendam veritatem? Ergo depoſito omni timore in hac quæſtione A. poſſum ſequi tutò opinionem Suarii. Ergo ſequens opinionem Suarii, virtualiter præſtiti (nempe non per me, ſed per alium) quidquid præſcribit Fagnanus ad aliquam opinionem ſequendam, quæ ſtat pro libertate.

859 Progredior ulterius. Scio, Vazquium ingenio, judicio, & doctrina mihi præcellere. Scio item, magna diligentia, *& accurato ſtudio expendiſſe, & excuſſiſſe ſeorſim, & ſingillatim* unamquamque rationem opinioni A. faventem: ergo Vazquius pro me præſtitit, quidquid ego præſtare poſſem, *expendendo & diſcutiendo ſeorſim, & ſingillatim, &c.* ergo ſequendo illum, virtualiter illa omnia præſto, quæ neceſſaria ſunt ex præſcripto Fagnani.

860 Tum ad alteram conſequentiam progredior. Ergo licitè poſſum eligere, quam maluero, ex duabus opinionibus adverſis Suarii, & Vazquii. Hanc conſequentiam probo. Ideò poſſum ſequi ſententiam Suarii in iſta quæſtione A. quia ad deliberationem ſuæ ſententiæ præſtitit ea omnia, quæ Fagnanus requirit, *expendendo, & diſcutiendo accuratè ſeorſim, & ſingillatim unamquamque rationem, & omnes ſimul, &c.* Sed etiam Vazquius in eadem quæſtione A. præſtitit ea omnia multo melius, quam ego præſtare poſſum: ergo etiam poſſum eligere ſententiam Vazquii ad praxim. Quis enim coarctat me ad vnam partem tantùm, ſi militat eadem ratio pro utraque.

861 Nec dicas, dum ſto medius inter electionem opinionis Suarii, & Vazquii, me fluctuare, & ideò debere me per ipſum inquirere, quæ ex duabus opinionibus ſit probabilior, ita ut jam non fluctuem, ſed in una earum determinatè quieſcat intellectus.

862 Sed id eſt velle reducere me ad impoſſibile: non ſolùm propter dicta ſupra *cap. præced. art.3.* ſed etiam ad impoſſibilitatem conſultationis virorum ſapientum, ad quam habet jus, præcipuè in rebus obſcuris, & incertis, quiſquis non audet ſe determinare per ſeipſum.

863 Secundò. Suarius non fluctuat in aſſertione ejus ſententiæ: ergo dum

go dum sequor ego Suarium, volens assentiri eo modo, quo ipse assensus est ei opinioni; neque ego fluctuabo, sed tranquillè acquiescam ejus sententiæ: similiter neque Vazquius in sua assertione, licèt opposita alteri; ergo neque ego fluctuabo, sequens Vazquium, & intendens assentiri eo modo, quo ipse assensus est.

864 Et hinc oritur ratio, ob quam possimus ex duabus oppositis opinionibus Doctorum omni exceptione majorum, eligere alterutram. Quia quilibet eorum in electione suæ opinionis servavit eas omnes conditiones, quas requirit Fagnanus, & ideò dum alterutrum sequor, virtualiter servo eas omnes conditiones, atque adeo rectè procedo.

ARTICULUS V.

Undecimum argumentum ab absurdo, quòd resultaret contra doctrinam S. Thomæ.

SUMMARIUM.

An multi ferant judicium de probabilitate ex motivo extrinseco? num. 866.

An opiniones sint æquè probabiles ab extrinseco, quæ nituntur authoritate pari? num. 867.

An aliqui censeant Scotum paris authoritatis cum S. Thoma? num. 868.

An ex oppositio inferatur, non posse nos sequi opinionem S. Thomæ? n. 869.

Quid de hac re censuerit Celladeus? num. 871.

An sit disparitas quoad authoritatem inter testes oculares, & Authores? num. 872.

An idem argumentum possit fieri circà authoritatem S. Thomæ, & S. Bonaventuræ? num 874.

865 Dixi jam, & sæpiùs dicam, ineptire eum, qui asseruerit, opiniones S. Thomæ non posse tuta conscientia reduci ad praxim. Jam verò, si ubi sunt opiniones adversæ æquè probabiles, neutra potest reduci ad praxim tuta conscientia, sed necessariò resultare ex illis dubium practicum, in quo tutior pars eligenda sit; infertur; aliquando non posse deduci ad praxim aliquas opiniones S. Thomæ.

866 Pro cujus rei claritate præmitto primò, non omnes etiam doctos, ferre judicium de probabilitate ex motivis intrinsecis, sed multos ferre judicium de illa ex motivo extrinseco authoritatis: vel propter conscienciam timidam, quæ non audet fidere judicio proprio; vel quia non sunt valdè versati in hoc genere judicii, vel alias ob causas. Quod plerumque accidit jurisperitis, qui magis nituntur textibus, & authoritatibus, quàm rationibus, & argumentationibus.

867 Præmitto secundò, eas opiniones oppositas, apud proximè dictos, esse æquè probabiles, in quibus Authores hujus, & illius partis sunt æqualis authoritatis; sicut etiam dicuntur probabiliores illæ, quibus suffragatur majus authoritatis pondus.

868 Præmitto certiò, non esse paucos, qui putant, Scotum esse æqualis authoritatis, ac S. Thomam. Quis enim suadebit Scotistis, ut fateantur, Scotum esse minoris authoritatis, quàm D. Thomam? Contenti erimus, quòd non existiment, nec dicant, Scotum esse authoritate superiorem. Et quòd Scotistæ asserunt de Scoto comparatione S. Thomæ; fortè alii dicent de S Bonaventura comparatione ejusdem.

869 Hinc efformatur argumentum. Si in conflictu opinionum æquè probabilium, non esset licitum utramlibet eligere ad praxim, sequeretur, quòd quoties est conflictus opinionum S. Thomæ, & Scoti, non possent Scotistæ gubernare conscientiam suam ex opinione S. Thomæ; sed neque ex opinione Scoti; quia remanerent in puro dubio practico: sed hoc est ingens absurdum; & sit evidens injuria doctrinæ S. Thomæ; & expostulabunt Scotistæ de injuria illata Scoto: ergo in conflictu opinionum æquè probabilium, licitum est alteram amplecti ad praxim; & falsum est, quòd ex æquè probabilibus resultet dubium practicum. Minor, & consequentia patent.

870 Probatur major ex notationibus suprà præmissis. Nam cum apud Scotistas sit Scotus authoritate par S. Thomæ, & ambo Doctores habeant opiniones oppositas; & sæpè non attendatur ad motiva intrinseca; necesse est, quòd apud Scotistas illæ opiniones sint ad summum æquè probabiles: ergo si juxta adversarios, in conflictu opinionum æquè probabilium non est licitum alterutram eligere ad praxim, non erit licitum Scotistæ eligere opinionem S. Thomæ ad praxim, neque ex illa poterit gubernare conscientiam suam.

871 Antonius à Cella Dei, vir ingeniosus, dum acriter contendit, neminem in conflictu opinionum æquè probabilium posse licitè gubernare conscientiam ex alterutra; incidit in hoc barathrum, & concessit, illicitum esse in eo casu sequi doctrinam S. Thomæ, aut Scoti. Audiendus est, qui *part. 1. lib. 2. quæst. 20. fine*, dum arguit æquiparando testes, & authores, sic ait: [His perlectis, gravis quidam Theologus triumphantis adinstar me convenerat. Supposuit, S. Thomam, & Scotum sibi in re morali contradicere: voluit eos supponi æqualis authoritatis. Inclamavit mox: Ecce quanta apparentia pro hac parte in authoritate S. Thomæ: ecce quanta pro contradictoria in authoritate Scoti. An ergo & utramlibet opinari, & credere, & juxta utramlibet prudenter operari non poterat? Quid cum hoc similitudinis, inquit, habet, si duo viles testes sibi contradicant? Tum ego rogavi, ut non duos viles testes poneret, sed duos præclarissimos Sanctæ Ecclesiæ Cardinales, qui contradictoria formalia, vel virtualia de visu deponerent, attestarenturque. Quid verò tunc? Scirem planè evidenter, falli alterutrum; & quis esset, prorsùs nescirem: scirem ergo evidenter, alterutrius dictum, & conclusionem esse falsam: quænam vera esset, vel falsa, prorsùs nescirem. Videret ergo, an talia opinari, aut credere possimus?]

872 Et sanè Celladeus optimam fecit replicationem argumenti, auferens viles testes, & supponens duos Ecclesiæ Cardinales sibi contradicentes; optimam, inquam, quia prava fuit responsio, quæ confugicad vilitatem testium. Aliundè enim desumenda est responsio ex supradictis, & ex iis, quæ docui in *1. part. Crist. Theolog. disput. 15.* inter testes, & Authores esse disparitatem meridiana luce clariorem, ratione cujus testes affirmativi contrarii in quæstione facti pariunt dubium; authores verò oppositi in quæstione juris, non dubium, sed probabilitatem promovent. Nam duobus testibus paris authoritatis attestantibus opposita, & dicentibus *Ego vidi*, non habet intellectus modum, quo solvat pondus alterutrius partis: quando autem sibi contradicunt duo Authores in quæstione juris, qui rationibus moventur, habet intellectus modum, quo solvat objectiones alterutrius partis; nam discursus discursu solvitur.

873 In eo autem, quòd contendit, eum, qui paris authoritatis æstimaverit S. Thomam, & Scotum; non posse eligere ad praxim opinionem S. Thomæ; exorbitat Celladeus: & id mihi sufficit, ut absurdam reputem sententiam, quæ dicit, opiniones æquè probabiles parere dubium practicum, in quo tutior pars eligenda sit.

874 Idem argumentum efformari potest circà conscientiam ejus, qui putaverit, S. Thomam, & S Bonaventuram esse paris authoritatis. Docet S. Bonaventura, eum, qui peccaverit læthaliter, teneri ad confitendum statim; docet S. Thomas, non teneri ad confitendum statim. Hinc sit apud eos, qui existimant, utrumque esse paris authoritatis, has opiniones esse æquè probabiles: ergo si ex æquè probabilibus resultat dubium practicum, in quo tutior pars sequenda est; non licebit gubernare conscientiam ex opinione S. Thomæ.

875 Nec satisfacies, si dicas, opinionem S. Thomæ esse probabiliorem à ratione. Quid enim faciet ille, qui ob meticulosam conscientiam, vel alias ob causas non fidit rationibus, sed authoritatibus?

ARTICULUS VI.

Aliud absurdum ex praxi Tribunalium.

NON EGET SUMMARIO.

876 Duodecimum argumentum efformatur sic. Etenim ad pacem, & quietem Reipublicæ conservandam, & ad vitanda scandala, necesse est, quòd Judices dirimant lites, & controversias: atqui si in conflictu opinionum æquè probabilium, non licet alterutram eligere, cessare debebunt tribunalia plerumque; litesque, & controversiæ relinquentur decidendæ gladio uniuscujusque: ergo absurdum est, dicere, quòd in conflictu opinionum æquè probabilium, non licet alterutram eligere. Major, & consequentia patent.

877 Minor ostenditur. Nam plerumque circà lites, & controversias non inveniuntur nisi opiniones æquè probabiles; quas Jurisperiti appellant *Communes contra communes*, præcipuè cùm Jurisprudentes plerumque attendant ad authoritates Doctorum, magis, quàm ad rationes Ergo in his casibus, qui frequentissimi sunt, cessare debebunt tribunalia, & relinquere litem gladio uniuscujusque.

878 Nec satisfacies, si dicas, in iis casibus rem esse dividendam inter partes. Etenim sunt multa incapacia divisionis. Quomodo enim divident Judices majoratum ex natura sua indivisibilem? Quomodo divident beneficium Ecclesiasticum, vel Canonicatum, aut Abbatiam? Quæ divisio facienda est fundi Ecclesiastici ex natura sua inalienabilis? nec possunt redimi pecunia, quæ non sunt pretio æstimabilia.

879 Deinde ex persuasione omnium Jurisprudentium quando sunt opiniones communes contra communes, & paris authoritatis, si alterutra opinio eligitur, non vituperatur Judex, quòd eam opinionem elegerit; quin potiùs omnes Jurisprudentes censent, Judicem suo muneri satisfecisse, si judicavit ex opinione communi contra communem. Ergo contra persuasionem omnium Jurisprudentium doctissimorum est asserere, in conflictu æquè probabilium, non posse eligi alterutram.

ARTICULUS VII.

Alia argumenta pro eadem conclusione.

SUMMARIUM.

An sit opinio tuta, quam Doctores communiter amplectuntur? Et quid inde pro nostra assertione? num. 880. & seq.

An sit

An liceat sequi minùs probabilem pro libertate, quando ex motivo extrinseco redditur tuta? Et quid inde pro nostra assertione? nu. 882. & seq.
An posita disjunctiva impropria benè valeat à negatione unius partis ad affirmationem alterius? Et quid inde pro nostra conclusione? num. 886.
An sumatur urgens argumentum pro nostra conclusione ex doctrina S. Thomæ? num. 887.

880 TRedecimum argumentum sumitur ex Mercoro, qui *par. 3. art. 6.* (ut retuli suprà *cap. 15 art. 1.*) constituens duos casus, in quibus potest eligi opinio minùs probabilis, sic ait: [Primus est, si nomine partis probabilis intelligitur pars tuta, & nomine probabilioris pars tutior. V. g. celebrare Missam ante recitationem Matutini licitum est: *hæc pars est tuta, quia Doctores id modò communiter sentiunt*: & quia est tuta; ideò probabilis, & prudenter eligitur.]

881 Itaque secundum Mercorum, illa sententia dicitur tuta, & prudenter eligitur, quam Doctores communiter amplectuntur: sed omnes Doctores, illi quidem sapientissimi, hujus, & præcedentis sæculi, communiter amplectuntur sententiam, quæ docet, in æquè probabilibus, posse quamlibet eligi: ergo sententia tuta est. Ergo tutò possumus eligere quamlibet ex opinionibus probabilibus.

882 Addit deinde Mercorus secundum casum his verbis: [Potest dari casus, *quòd minus probabilis favens libertati*, possit tuto sequi, relicta probabiliori: & tunc est, quando minus probabilis ex motivo intrinseco per motivum extrinsecum redditur certa moraliter. Sit exemplum: pensatis rationibus intrinsecis, *An sit licitum in die festo opus servile per horam*, pars negativa mihi videtur probabilior, & affirmativa minus probabilis. Si posteà adverto, quòd personæ Religiosæ, & doctæ, & Dei timorem habentes faciunt laborare suos famulos per horam in die festo extra casum necessitatis; ex hoc exemplo tamquam ex motivo extrinseco, possum sequi sententiam, quæ mihi *minus probabilis* apparet ex principio intrinseco.] Hæc Mercorus.

883 Sed quis non videt, hac assertione destrui totum, quòd promovere studuerat de probabiliori, & tutiori opinione seligenda.

884 Enim verò tunc potest tutò eligi ad praxim ea opinio pro libertate, *quoties adverto, quòd personæ Religiosæ, doctæ, & Dei timorem habentes*, juxta eam opinionem operantur: sed quamplurimæ personæ Religiosæ, doctæ, & Dei timorem habentes docent, & operantur juxta sententiam de opinione æquè probabili seligenda: ergo possumus tutò seligere ad praxim, & operari juxta sententiam de opinione æquè probabili seligenda.

885 Et quidem quando conspirant in unam sententiam, Suarius, Vazquius, Thomas Sanchez, Valentia, Granadus, & sapientissimus Præsul Hispalensis Ecclesiæ Petrus de Tapia; mihi sufficiunt omninò ad securitatem conscientiæ, *cùm sint Religiosi, doctissimi, & Dei timorem habentes* in heroico gradu: ergo hæc sententia de opinione seligenda pro libertate inter æque probabiles; quam hi viri sapientissimi, & Religiosissimi amplectuntur; tutissima est, & securissimè amplectenda.

886 Quartum decimum argumentum ex evidenti regula dialecticorum: quòd posita propositione disjunctiva impropria, benè valet à negatione unius partis ad affirmationem alterius. Tum sic: In conflictu opinionum æquè probabilium, vel semper eligenda est tutior, tamquam in dubio practico, scilicet ea, quæ stat pro præcepto; vel possumus sequi eam, quæ stat pro libertate: sed prima pars, quòd semper teneamur sequi tutiorem, & eam, quæ stat pro præcepto, non solùm est falsa, sed etiam contradictionis implicatoria, ut ostendi *cap. præced.* ergo secunda pars vera est, quòd licitum sit sequi, etiam eam, quæ stat pro libertate, saltem in conflictu æquè probabilium.

887 Et sanè hic perpendere oportet, quòd non solùm ex opposita opinatione (quòd suprà notavi) aliquæ opiniones S. Thomæ notandæ sunt tamquam periculosæ cum summa injuria S. Doctoris; sed etiam perpendere oportet, quòd quando S. Thomas in *quodlib. 8. art. 3.* docet, eum qui *ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, sic non committere se discrimini, nec peccare;* tunc non distingui inter opiniones stantes pro præcepto, & stantes pro libertate; nec inter æquè probabiles, aut probabiliores: sed solùm requirit, quòd positus inter diversas opiniones nullam habeat dubitationem: quam quidem excludit assensus probabilis ad unam partem; ut suprà ostendi. Cùm ergo S. Thomas non docuerit, sequendam esse opinionem stantem pro præcepto, nec distinxerit inter æquè probabilem, aut probabiliorem; præcipuè oblata occasione adeò opportuna id docendi; quare isti, qui Thomistarum nomine gloriantur, volunt nobis obtrudere opinationem tam alienam à Doctrina S. Doctoris? Præcipuè cum D. Thomas expressè loquatur de eo, qui eligit opinionem stantem pro libertate in quæstione, [An liceat habere plures præbendas?] qui si in nullam dubitationem incidat ortam ex diversis opinionibus, affirmat, nulli se discrimini committere. Quando autem S. Thomas ponit casum, quo *in quamdam dubitationem inducitur ex varietate opinionum*, loquitur de eo, qui dubitat de probabilitate talium opinionum; ut notavit Bartholomæus de Medina, cujus verba referuntur infrà *disp. 58.* initio. Vide alia argumenta in *1. part. Cris Theolog. disput. 15.* Denique adverte, omnia argumenta proposita *cap. 15.* pro prima parte hujus doctrinæ, militare etiam pro hac secunda parte.

CAPUT XVII.

In conflictu opinionum probabilioris, & minus probabilis posse nos tutò quamlibet amplecti.

ARTICULUS I.

Sex argumentis roboratur hæc sententia.

SUMMARIUM.

An nomine minus probabilis non sit intelligenda opinio levibus fundamentis innixa? num. 889.
An frequenter contingat, quòd quando una opinio multùm excedit aliam in probabilitate, hæc secunda nitatur fundamento levi? nu. 890.
Quid de hac quæstione censuerit Tapia? num. 892.
An faciat pro nostra sententia, quòd nemo tenetur ad id, quod est melius? num. 893.
An sit onus intolerabile quærere semper probabiliorem, aut tutiorem? nu. 894. & seq.
An qui censet suam opinionem esse probabiliorem, possit deponere hoc judicium, & assentiri oppositæ? nu. 897. & seq.
An resistat conscientiæ, qui sequitur minus probabilem? num. 900.
An sit laudabile, subjicere proprium judicium alieno? num. 901.
An judicium de probabilioritate afferat formidinem de illa? nu. 902.
An Religiosus teneatur obedire Prælato in omnibus, quæ non sunt manifestè illicita? & quid inde pro nostra conclusione? nu. 903.

888 COmmunis, & recepta hodie sententia inter omnes Theologos, præcipuè Hispanos (quibus nullos alios præstantiores invenies) docet, posse nos tutissimè deducere ad praxim quamcumque opinionem, quæ sit practicè probabilis, sive probabilior, sive minus probabilis sit, sive pro præcepto, sive pro libertate.

889 Sed pro recta intelligentia nostræ sententiæ, maximè advertendum est primò, immò & cavendum, ne nomine minus probabilis intelligatur opinio levibus, frivolis, superficialibus, sophisticis, aut æquivocis rationibus innixa. Cujus generis non paucæ circumferuntur in aliquibus nonnullorum scriptis. Hæ enim cùm non sint probabiles, non possunt esse minus probabiles. Ideò optimè dixit Mag. Medina in 1. 2. *quæst. 19 art 6 dub 4. § Certa argumenta*; in hæc verba: *Opinio probabilis est, quam asserunt viri Sapientes, & confirmant optim argumenta.*

890 Advertendum est secundò, frequenter contingere, quòd quando una opinio magno excessu probabilitatis censetur excedere aliam; hæc secunda ideò est adeò inferior, quia innititur argumētis frivolis, levibus, vel sophisticis, & ideò illa non est minus probabilis, sed non probabilis, defectu fundamenti sufficientis. Cujus autem sit judicare, an fundamentum sit grave, vel leve; & quando sit evidenter leve, dicam in disputationibus sequentibus.

891 Hæc sententia colligitur clarissimè ex S. Thoma, ut infrà ostendam. De cæteris verò Doctoribus antiquis dicam *cap. 19. art. 1.* Numerare autem Authores hujus, & præcedentis sæculi, qui hanc sententiam tuentur; prolixæ est operæ: cùm nullus, præter eos paucos citatos *cap. 15.* ab ea dissentiat. Vide innumeros, quos refert P. Moya *tom. 1. select. tract. 1. qu. 6. § 2*

892 Et solùm adverto, Thomistam severissimæ doctrinæ, scilicet Illustrissimum D Petrum de Tapia Archipræsulem Hispalensem hanc nostram sententiam docere in *Cat. moral. lib. 1. quæst. 8. art. 12 num. 5.* Qui tamen in præfatione ad Lectorem sic ait: [Sententias, vel certas, vel inter topicas *probabiliores, & securiores* se legimus, quantum nostri ingenii imbecillitas dedit.] Unde saltem probabiliorem, & securiorem judicavit sententiam de qualibet opinione practicè probabili seligenda. Dixi *saltem probabiliorem*. Nam eadem *quæst. 8 art. 10. num. 2.* affirmat, conscientiam, quæ fundatur in opinionibus practicè probabilibus, esse omninò certam; cujus verba inferiùs proponam. Rationem nostræ conclusionis reddit Illustris. Tapia his verbis: [Ratio est: quia nemo tenetur ex præcepto operari, quod *melius, & securius est*; sed sufficit operari *bonum, & tutum*, maximè in rebus moralibus, in quibus omnimoda certitudo haberi non potest; atque adeò esset intolerabile onus obligari ad semper investigandum, quòd probabilius, & tutius est.] In quibus verbis duo argumenta proposuit.

893 Primum est. Nemo tenetur ex præcepto ad faciendum id, quod est melius: ergo nemo tenetur ex præcepto ad eligendum id, quod est probabilius; Aliud est, quòd nobis expediat aspirare ad meliora; & aliud, quòd teneamur ex præcepto ad eligenda meliora. Consulit nobis S. Paulus, ut æmulemur charismata meliora; sed non præcepit. Si interroges; quid liceat, respondeo, licitum esse sequi quamlibet opinionem probabilem. Si interroges, quid expediat; respondeo, expedire, quòd æmulemur charismata meliora, & opiniones meliores probabiliores, & tutiores amplectamur.

894 Secundum argumentum est: nam esset intolerabile onus, in omnibus materiis occurrentibus, quærere opinionem probabiliorem, aut reducere nos semper ad dubium practicum, in

quo

quo oportet eligere partem tutiorem. Quod onus non debet hominibus imponi, cùm non constet, Deum nos ad illud obstrinxisse.

895 Dices cum Mercoro, & aliis, Non exigi à suæ partis Doctoribus, quòd semper eligant partem probabiliorem; sed quòd, ubi agnoverint, eam partem esse probabiliorem, & tutiorem, non possit eligi minùs probabilis.

896 Sed non satisfacit. Nam obligatio ad opinionem probabiliorem talis est, ut debeat homo, quærere, & investigare, quænam sit pars probabilior. Id autem est, quod dicit Illustris. Tapia cum ceteris Doctoribus nostris, esse intolerabile onus: maximè cùm deliberatio de rebus agendis passim occurrat; & sit in multis materiis summa difficultas, quænam sit pars probabilior.

897 Tertium argumentum est. Qui censet suam opinionem esse probabiliorem, adhuc potest deponere suam opinionem, & assentiri oppositæ; potest, inquam physicè, & licitè: ergo conscientia ejus potest gubernari ex opinione minùs probabili. Consequentia patet. Nam qui licitè judicat, operationem esse honestam, nihil impedit, quominus illam ad praxim deducat. Si enim licitè id judicat, licèt sit ex ignorantia; ea ignorantia non est culpabilis; nam si esset culpabilis, id non judicaret licitè.

898 Antecedens verò, nempe, quòd physicè possit deponere suam opinionem, & assentiri oppositæ, probatur Nam qui judicat, suam opinionem esse probabiliorem, adhuc dicit, fortè illam esse falsam, cùm habeat formidinem de illa, quam secum affert omnis opinio: deinde solvit, & consequenter ad nihilum redigit objectiones ejus partis probabilioris: ergo intellectus manet expeditus, nulloque impedimento ligatur, quominus assentiatur oppositæ parti. Patet consequentia. Nam ubi non cogit evidentia veri, non ligatur intellectus ad unam partem; ut demonstravi *in 1. part.* Cris. Theolog. *disp.* 6. sed ubi adhærens opinioni probabiliori, manet cum formidine de veritate, & solvit objectiones partis probabilioris, non cogit evidentia veri: ergo tunc non ligatur intellectus ad partem probabiliorem. Potest ergo physicè assentiri oppositæ.

899 Quod autem possit licitè assentiri parti oppositæ; quæ erat secunda pars antecedentis, probatur. Nam supposito, quòd intellectus formidans de veritate opinionis probabilioris, & solvens ejus objectiones, physicè potest assentiri oppositæ opinioni, innitens rationibus illius; nullum apparet præceptum, quo cogatur, aut obstringatur voluntas ad impediendum eum assensum.

900 Nec satisfacies, si dicas, dari præceptum audiendi clamorem conscientiæ clamantis, eam partem probabiliorem apparere magis appropinquantem veritati. Nam quomodo probatur, debere nos sequi judicium illud de probabilioritate, cùm sit formidulosum, & habeat aliud judicium innitens rationibus probabilibus, & non impeditum rationibus ejus, quæ probabilior apparet? Neque enim illud onus imponendum est absque urgenti fundamento.

901 Quartum argumentum est, quod proposui supra *cap. 7. art. 3.* Etenim laudabile est, & proprium hominis prudentis, ubi non cogit evidentia veri, subjicere proprium judicium alieno. Vide hoc argumentum ibidem latius propositum. Et confirmatur iis verbis *Prov. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

902 Quintum argumentum ibidem propositum desumitur ex eo, quòd communiter judicium de probabilioritate opinionis affert secum formidinem de ipsa probabilioritate; ratione cujus intellectus dicit, fortè se decipi, censendo eam esse probabiliorem: ratione cujus formidinis potest intellectus eam opinionem deponere, & adhærere oppositæ. Vide ibid. id argumentum latiùs propositum.

903 Sextum argumentum ibidem etiam propositum est. Nam quilibet Fidelis, & præcipuè Religiosus, tenetur obedire suo Prælato (in materia præceptibili) in omnibus illis, quæ non sunt manifestè illicita: sed dum Religiosus putat, suam opinionem esse probabiliorem opinione Prælati, præcipientis id, quod subdito videtur minus probabile; adhuc illud non est manifestò illicitum: ergo Religiosus subditus tenetur exequi id, quod est minùs probabile. Quod argumentum ibidem confirmatur clarissimè ex S. Augustino, & S. Patriarcha nostro Ignatio. Et quidem magna scandala orirentur in Religionibus, si prætextu opinionis probabilioris subditus nollet obedire Prælato.

ARTICULUS II.

Verò omnia argumenta proposita cap. præced. pro opinione æquè probabili militant etiam pro minùs probabili.

SUMMARIUM.

An dum intellectus solvit rationes partis oppositæ, nitatur motivo probabili, quod non enervatur per rationes partis oppositæ? n. 904.

An adsit discrimen inter quæstionem juris, & quæstionem facti? Et quid inde pro nostra sententia? n. 905.

An in Politicis subiicere solemus proprium judicium alieno, licèt nostrum videatur nobis probabilius? n. 906.

An Professor Theologiæ licitè possit docere quamlibet opinionem verè probabilem n. 907. & seq.

An in minùs probabili detur ignorantia invincibilis, quæ excuset à peccato, & quibus modis? n. 909. & seq.

An minùs probabilis sit tuta ex Mercoro? nu. 911.

An minùs probabilis sit eligibilis ex mente S. Thomæ? n. 912.

An quando opinio est minùs probabilis, præceptum de opposito non sit sufficienter intimatum? n. 913.

904 SI opinio, quæ dicitur minùs probabilis, verè est practicè probabilis, eisdem argumentis probatur ejus electio licita, quibus probatur electio opinionis æquè probabilis; quæ proposuimus *cap. præcep.* Igitur septimum argumentum est. Qui nititur motivo probabili, quòd non enervatur per rationes partis oppositæ, prudenter præstat assensum: sed intellectus, qui non cogitur evidentia veri, dum solvit rationes partis probabilioris, & eas sic ad nihilum redigit, innititurque rationibus alterius partis, quæ videbatur minùs probabilis, nititur motivo probabili, quod non enervatur per rationes partis oppositæ: ergo iste intellectus in hoc casu prudenter præstat assensum ei parti, quæ minùs probabilis videbatur. Et hujus minoris probationes vide *cap. præced. art. 2.*

905 Octavum argumentum desumitur ex discrimine, quòd intercedit inter quæstionem facti, & quæstionem juris. Hæc enim ratio discriminis eandem vim habet in conflictu opinionis probabilioris, & minùs probabilis, ac in conflictu æquè probabilium. Intellectus enim in quæstione juris solvit, & ad nihilum redigit rationes partis oppositæ probabilioris, & sic expeditus manet, ut innitatur rationibus partis, quæ videbatur minùs probabilis. Non tamen habet intellectus modum, quo, dum constituitur inter duo testimonia æqualis fidei, solvat eam testificationem, *Ego vidi.* Vide *cap. præced. art. 5. Posit. 3. & 4.*

906 Nonum argumentum desumitur à quæstionibus politicis, & ad gubernationem spectantibus: nam licèt quis suam opinionem censeat probabiliorem, prudenter, & laudabiliter agit, cùm deponit suam opinionem, & judicium suum alieno judicio submittit. Ex quo ulterius infertur, rationes partis minùs probabilis non enervari per rationes partis probabilioris, quandoquidem viri prudentes, suam opinionem deponentes, adhærent opinioni, quæ minùs probabilis videbatur. Quod præstare non possent, si enervatæ manerent rationes alieni judicii, cui suum submittit. Vide *cap. præced. art. 2.*

907 Decimum argumentum est. Quæ Professor Theologiæ potest docere in cathedra, & in libris in lucem editis, potest deducere ad praxim, sive operando, sive consulendo: sed Professor Theologiæ potest docere in cathedra, aut in libris quamlibet opinionem, quæ verè sit probabilis, circà praxim: ergo potest quamlibet opinionem probabilem deducere ad praxim, sive operando, sive consulendo. Minorem probat P. Granado infra citandus his verbis: [Nemo cordatus reprehendet eum, qui docet opinionem verè probabilem.]

908 Confirmatur. Homo licitè potest operari, quod vir doctus prudenter judicat esse licitum: sed vir doctus prudenter judicat esse licitum pingere in die festo, quamvis oppositum sit probabilius: ergo homo potest pingere in die festo, quamvis oppositum sit probabilius. Major & consequentia patent. Minor probatur. Nam vir doctus solvens rationes partis oppositæ, incertæ quidem, quamvis probabilioris, non manet impeditus, quominus innitendo rationibus alterius partis, illis præstet assensum. Quod autem is assensus non sit temerarius, sed prudens, inde constat, quia solutis objectionibus partis oppositæ innititur fundamento gravi.

909 Vndecimum argumentum, quod proposui *cap. præced. art. 3.* desumitur ab ignorantia invincibili, quæ etiam datur in opinione practicè probabili, licèt minùs probabili. Nam, ut ibidem probavi, est invincibilis, quoties vinci non potest per scientiam; nec tenetur homo vincere per electionem partis tutioris in dubio: atqui in conflictu opinionis probabilioris, & minùs probabilis, ignorantia veri vinci non potest per scientiam: alioqui non esset probabilitas, sed evidentia; nec tenetur homo reducere se ad dubium, in quo per tutioris partis electionem vincere debeat dubitationem; quia solvendo rationes partis probabilioris, & innitendo rationibus partis adversæ, prudenter deponit dubitationem: ergo ea ignorantia, quæ reperitur in opinione minùs probabili, invincibilis est.

910 Duodecimum argumentum, quod etiam pro æquè probabilibus ibidem proposui, desumitur alio modo ab ignorantia invincibili plurimorum Doctorum, qui docuerunt, posse nos tutò sequi quamlibet opinionem practicè probabilem, licèt minùs probabilem. Qui si in hoc asserendo erraruit; vel error eorum fuit vincibilis, & culpabilis, vel invincibilis? Si primum; infero: ergo viri sanctitate conspicui censendi sunt extitisse in statu damnationis æternæ. Quod est temerarium asserere. Si verò dicatur, errorem eorum fuisse invincibilem, infero: ergo nos, qui eorum doctrinam sequimur, si erramus, invincibiliter erramus. Vide hoc argumentum ibidem fusius propositum, & singularibus personis adaptatum.

911 Tredecimum argumentum, quod etiam proposui *cap. præced. art. 4.* desumitur ex Mercoro oppositæ opinationis patrono, asserente, tunc opinionem esse tutam, quando Doctores eam communiter amplectuntur. Quod mani-

manifestè verificatur in hac sententia de quavis opinione, etiam minus probabili eligenda. Recole quæ *ibid.* perpendi.

912 Decimum quartum argumentum desumitur ex S. Thoma, ut ibidem proposui; qui opportuna occasione sibi data, non distinxit, inter magis, & minus probabiles. Recole dicta in fine *art.* 4.

913 Adde quintum decimum argumentum, quod latè proposui in 1. *part. Crif. disput.* 15. *cap.* 10. & hic repeto verbis P. Granado, qui illud ad hanc brevem periodum reduxit. [Non est lex sufficienter promulgata ad obligandum, quandiù probabiliter creditur, non esse talem legem: jus enim, quod quivis habet ad tuendam propriam libertatem, & dominium propriarum actionum, præponderat majori probabilitati, qua suaderi potest, dari talem legem: ergo quandiù probabile est, non esse præceptum, quod reddat illicitum aliquod opus, rectè possum illud facere, etiamsi probabilius sit oppositum.] Ita in 1.2. *controv.* 2. *tract.* 12. *disp.* 4. *num.* 14. & huc videtur respicere Lactantius Firmianus *lib.* 3. *Institut. cap.* 25. dum ait: [Stultissimum est, præceptis velle parere, quæ utrùm vera sint, an falsa, dubitatur.]

ARTICULUS III.

An adversarii non percipiant sensum nostræ doctrinæ? Ubi, quo sensu dicatur, etiam in materia valoris Sacramentorum posse nos sequi quamlibet opinionem probabilem?

SUMMARIUM.

An adversarii non intelligant sensum nostræ doctrinæ? nu 914. & seq.

An dum admittimus minus probabilem, putent, nos admittere quamlibet opinionem cujuslibet scriptoris? nu. 916.

An cùm dicimus, posse admitti quamlibet opinionem probabilem, putent, dicere nos, posse admitti cum præjudicio proximi? nu 918 & seq.

An dum dicimus, posse nos uti probabilitate in articulo mortis, putent, dicere nos, posse uti mediis probabilibus, dum adsunt certa? nu. 922.

An cùm dicimus, Medicum sequi posse quamlibet probabilem opinionem, putent, dicere nos, quòd potest eligere pharmacum minus probabile? num. 923.

An cùm dicimus, Venatorem probabiliter opinari, id, quod adest, esse feram, non hominem, putent, dicere nos, quòd licet jacere sagittam? num. 924

An cùm dicimus, Judicem probabiliter opinari reatum Petri, putent, dicere nos, quòd Judex potest damnare reum? num 925.

An putent, dicere nos certitudinem inesse ipsi actui opinativo? nu. 926.

An puteat, dicere nos posse licitè uti probabilitate, etiamsi redundet in detrimentum proprium, vel alienum? num. 927

An puteat, dicere nos Ethnicum, qui judicat probabiliorem legem Evangelicam, posse licitè retinere suam? nu 928.

An cùm dicimus, posse uti probabilitate in materia belli, putent, dicere nos licitum esse bellum ex causa probabili? nu. 929.

An adversarii ex prava intelligentia nostræ sententiæ eliciant decem pravas consequentias? nu. 930. & seq.

914 Ultimum argumentum desumitur ex eo, quòd adversarii oppositæ sententiæ defensores, non impugnant sententiam nostram: ergo ab illorum argumentis nullum patitur detrimentum. Manet ergo firma nostra doctrina.

915 Antecedens probatur. Nemo impugnat, quod non percipit; quia nemo potest reprobare, quod nescit; & ideò in 1. *part. Crif. disp.* 11. *capit.* 9. *num.* 263. docui, Doctorem non habere authoritatem in eo, quod ignorat: sed adversarii non percipiunt sensum nostræ doctrinæ, de opinione minùs probabili eligenda: ergo eam nec reprobant, nec impugnant. Majori nihil evidentius.

916 Minor constat. Nam dum docemus, posse nos tutò eligere opinionem minus probabilem; insigniter decepti putant, dicere nos, posse tutò sequi quamlibet opinionem, quæ in quolibet Summista, aut Scriptore reperitur; cùm tamen certum sit, in aliquibus eorum libris reperiri opiniones damnabiles, & repsa damnatas ab Alexandro VII. Et quia in hoc sensu accipiunt nostram doctrinam, ideò inferunt ex illa, posse tutò reduci ad praxim multas propositiones, quas judicant scandalosas, & relaxativas conscientiæ; quarum magnam congeriem afferunt præcipuè Fagnanus, & Gonetus, & quarum infrà mentionem faciemus.

917 Sensus ergo, in quo id docemus, est, posse nos sequi quamlibet opinionem, quæ verè fuerit practicè probabilis; eas autem opiniones laxativas conscientiæ, & scandalosas à numero probabilium excludimus. Præcipuè cum in 1. *part. Crif. disput.* 11. docuerimus, non sufficere ad probabilitatem unumquemque Authorem, sed illum solùm, qui fuerit omni exceptione major. Vide suprà *cap.* 9. & *in* 1. *part. Crif. disp.* 15 *cap.* 4. *art.* 1.

918 Hinc fit secundò, ab adversariis malè intelligi nostram doctrinam, qua dicimus, etiam posse nos tutò sequi quamlibet opinionem practicè probabilem in materia valoris Sacramentorum. Et hinc inferri putant ex nostra doctrina, quòd potest fieri baptismus extra casum necessitatis cum sola materia probabili; v.g. quòd possit fieri baptismus in lixivio extra ejusmodi casum.

919 Censemus ergo, improbabile esse, & certò falsum, quòd extra casum necessitatis possit fieri baptismus in materia solùm probabili. Est enim evidens præceptum charitatis non exponendi id Sacramentum frustrationi extra casum necessitatis: & ideò non potest esse probabilis opinio, quæ Sacramentum extra casum necessitatis exponit frustrationi.

920 Ideò in 1. *part. Crif. disput.* 15. *cap.* 4 *art.* 2. distinxi eas duas propositiones: *Baptismus in lixivio est validus, & Licitum est conferre baptismum in lixivio extra casum necessitatis.* Primam dixi probabilem; & secundam improbabilem, & certò falsam. Et ad tenendam certam regulam in hac materia ostendi, non valere consequentiam à propositione directa ad reflexam; & quare. Ideò pessimam esse hanc consequentiam: *Baptismus in lixivio probabiliter validus est; ergo probabile est, quòd licet illum conferre extra casum necessitatis.*

921 Scio, aliquos Authores ex nostris asserere, non posse nos tutò sequi opinionem probabilem in re Sacramentaria extra casum necessitatis, præcipuè in præjudicium fidelium. Scio etiam de re à nobis non dissentire. Illi enim, & nos convenimus in eo, quòd non licet exponere Sacramenta frustrationi extra casum necessitatis propter probabilitatem valoris. Putamus tamen rem hanc, melius à nobis explicari modo dicto. Et quod dicimus de Baptismo, dicimus etiam de reliquis omnibus Sacramentis. Censemus enim improbabile, & certò falsum, quòd licet exponere frustrationi ullum ex Sacramentis; saltem propter præceptum charitatis; quod in omnibus Sacramentis militat; etiam in iis, ad quæ suscipienda non tenentur Fideles sub mortali. Est enim mihi certum, quòd peccabit mortaliter Parochus, qui in extrema unctione utatur materia mere probabili, cùm habeat certam; quia exponit frustrationi Sacramentum in præjudicium animæ; quam amissioni magni gratiarum thesauri exponit. Conveniunt quidem Theologi in ea assertione, quòd quamvis Fideles, qui in articulo mortis susceperunt Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non teneantur præcepto suscipiendi sacram unctionem; tenetur tamen Parochus præcepto administrandi illam suis ovibus. De quo vide infrà *disp.* 76. *num.* 25. Præceptum ergo, quod obstringit Parochum ad administrandum Sacramentum unctionis sacræ, obstringit etiam illum ad non exponendum illud contingentiæ frustrationis: quòd in omnibus reliquis Sacramentis dicendum est.

Post totum hoc volumen confectum, prodiit decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Universalis Inquisitionis, promulgari jussum à SS. D. Innocentio XI. cujus tenorem invenies infrà *disp.* 77. in quo damnantur, & prohibentur tamquam scandalosæ sexaginta quinque opiniones. Quarum prima hæc est. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Quæ quidem damnatio non cadit in meam sententiam, quæ docet, esse certò illicitum exponere frustrationi quodlibet Sacramentum.

922 Tertiò dum dicimus, posse nos uti opinione probabili, etiam in articulo mortis; putant, dicere nos, licitum esse uti mediis dumtaxat probabilibus ad consequendam salutem æternam. In quo egregiè decipiuntur. Nulla enim est opinio probabilis, neque esse potest, quæ præscribat, licitum esse uti medio dumtaxat probabili salutis æternæ, dum adest medium certum; sicut etiam improbabile est, quòd liceat exponere periculo salutem æternam. Cùm ergo nulla sit opinio probabilis, quæ id præscribat, tutò dicimus, quòd in articulo mortis potest deduci ad praxim omnis opinio, quæ verè fuerit probabilis. Et ideò moribundus potest in articulo mortis uti iis opinionibus, quæ non sunt de mediis salutis æternæ, sed solùm de præceptis.

923 Quartò, cùm dicimus, Medicum posse tutò sequi quamlibet opinionem practicè probabilem, existimant, dicere nos, quòd potest eligere pharmacum minus probabile cum periculo ægroti; cùm penes ipsum sit ministrare pharmacum probabilius, & rurius: Et sanè sensum nostræ doctrinæ non percipiunt. Nam qui dicimus, illud pharmacum minus probabile verè esse probabile; subjungimus, esse improbabile, quòd Medicus possit applicare pharmacum minus probabile cum periculo ægroti. Distinguimus istas duas propositiones: primam directam, & speculativam, *Hoc pharmacum est salubre;* secundam reflexam, & practicam, *Licitum est Medico adhibere pharmacum istud minus tutum, etiam cum periculo ægroti.* Primam dicimus probabilem; secundam verò improbabilem, & certò falsam, propter præceptum charitatis omninò certum, vitandi periculum ægroti. Vide in 1. *part. Crif. disp.* 15 *cap.* 4. *art.* 2. *num.* 177 Quantam autem, & quàm monstrosam passus fuerit æquivocationem Fagnanus in hoc puncto, vide infrà *cap.* 19. *art.* 7.

924 Quintò, cùm dicimus, venatorem posse probabiliter opinari, id, quod occurrit, esse feram, non hominem, putant etiam dicere nos probabile, quòd venatori tunc liceat jacere sagittam. Cùm tamen expressè dicamus, esse improbabile, quòd licet: distinguamusque similiter duas propositiones, nempe directam, & reflexam: quarum prima est vera, & secunda falsa. Vide suprà *cap.* 3. & *in* 1. *part. loc. cit.* in quam deceptionem inciderunt etiam Mercorus, Fagnanus, Gonetus, & Baronius.

925 Sextò, cùm dicimus, Judicem posse habere opinionem probabilem de reatu Petri, ex sola semiplena probatione delicti; putant, dicere nos, quòd Judici licet damnare reum propter eam probabilitatem

eitem de reatu. In quo planè decipiuntur. Nam similiter dicimus, improbabile esse, quòd Judex in eo casu possit plectere reum pœna ordinaria legis. Vide suprà *cap.* 4.

926 Septimò, dum dicimus, eum, qui operatur juxta opinionem probabilem, aut minus probabilem, operari cum certitudine de honestate suæ operationis: putant, dicere nos, in ipso actu opinativo esse certitudinem; cùm tamen hanc certitudinem constituamus in alio dictamine diverso. Vide suprà *cap.* 5.

927 Octavò, cùm aliqui Authores dicant, non posse nos uti opinione probabili, cùm vergit in detrimentum proprium, vel alienum; nec nos exprimamus hanc limitationem; existimant, dicere nos, posse licitè uti opinione, etiamsi redundet in detrimentum proprium, vel alienum. Cùm tamen dicamus, nullam esse opinionem, nisi improbabilem, quæ præscribat aliquid in detrimentum proprium, vel alienum; nam eo ipso non potest esse probabilis.

928 Nonò, cùm dicimus, posse contingere, quòd Ethnicus audiens prædicationem Evangelii, judicet probabilius, posse consequi salutem æternam in lege Evangelica, & minus probabiliter in sua: putant, dicere nos, Ethnicum posse eligere eam Religionem, quæ minus probabiliter sibi proponitur ut salutaris. Cùm tamen dicamus, & dicendum sit tamquam omninò certum, quòd tunc Ethnicus tenetur obligatione gravi eligendi, quam videt probabilius securam; & oppositum esse improbabile. Vide, quæ dixi in *1. part. Crif. Theolog. disp.* 15. *cap* 4. *art.* 19. *num* 332.

929 Decimò, cùm dicimus, licitum esse in materia belli gerendi, sequi opinionem probabilem; putant, dicere nos, licitum esse bellum ex sola causa probabili. Nos enim distinguimus causam probabilem, quæ est objectum opinionis directæ, & speculativæ, & ipsam opinionem, quæ est reflexa, & practica. Et dicimus, improbabile esse, quòd Rex bellum gerat pro injuria merè probabili vindicanda. Vide in *1. part. Crif. Theolog. disput.* 15. *cap* 4. *art.* 2. *&* *art.* 11. *num.* 356. *& seq.* Omitto alia plura, in quibus ingentem patiuntur æquivocationem: decipiuntur enim, dum putant dicere nos, non esse præceptum, sed consilium; quòd *in dubio tutiorem partem sequi teneamur*. De quo vide infrà *cap.* 19. *art.* 4. Eamdem patiuntur æquivocationem, dum putant dicere nos, circà id principium, quòd *in dubiis melior est conditio possidentis*; intervenire judicium possessorium inter Deum, & Creaturam. De quo vide infrà in eodem *art.* 4. Eadem deceptione tenentur, dum id, quod dicimus, scilicet *opinionem speculativè probabilem esse etiam practicè probabilem*, transferunt ad dubium speculativum, & practicum. De quo vide in eodem *art.* 4 *à num.* 1080.

930 Hinc fit, pessimas esse has omnes consequentias, in quibus adversarii putant de nobis triumphare. Prima est: [Licitum est amplecti ad praxim quamlibet opinionem, etiam minus probabilem: ergo licitum est amplecti quaslibet opiniones, quæ reperiuntur in libris Casuistarum.] Quia aliquæ opiniones scandalosæ, quæ in illis reperiuntur, cùm non sint probabiles, non possunt esse minus probabiles.

931 Secunda consequentia pessima est: [Baptismus in lixivio probabiliter est validus: ergo probabile est, quòd licet, illum ministrare in lixivio extra casum necessitatis. Propter suprà dicta.

932 Tertia consequentia eodem vitio laborans, est: [Probabile est, quòd Petrus consequetur salutem æternam per hoc medium: ergo licitum est in articulo mortis uti eo medio probabili, quamvis sit aliud medium certum.] Quia à propositione directa non valet ad reflexam; nam hæc reflexa superaddit novam obligationem, quæ non reperitur in antecedenti.

933 Quarta consequentia pessimæ illationis est: [Hoc pharmacum est probabiliter salubre: ergo probabile est, quòd Medicus potest illud propinare ægroto extremè laboranti, etiam si adsit pharmacum probabilius, aut certum.] Propter rationem suprà dictam.

934 Quinta consequentia pessimæ illationis est: [Venator probabiliter putat, id, quod sibi occurrit, esse feram, non hominem: ergo probabile est, quòd tunc licet jacere sagittam.] Propter rationem suprà assignatam.

935 Sexta consequentia simili morbo laborans, est hæc: [Judex probabiliter censet, Titium esse reum: ergo probabile est, quòd licet Judici, condemnare Titium.] Quia arguit à propositione directa ad reflexam; nam hæc secunda superaddit obligationem, quæ non continetur in prima.

936 Septima consequentia contra regulas Logicæ est: [Certum est, posse uti nos opinione probabili in ordine ad praxim: ergo opinio probabilis est certa.] Sicut etiam hæc est prava consequentia: [Certum est, quòd hæc opinio est probabilis: ergo hæc opinio probabilis est certa.] Quia non valet à certitudine propositionis reflexæ ad certitudinem propositionis directæ.

937 Octava consequentia pessimi discursus est: [Possumus sequi quamlibet opinionem probabilem, sine ulla exceptione: ergo possumus uti opinione probabili vergente in detrimentum proprium, vel alienum.] Ideò autem pessima est consequentia; quia consequens est de subjecto implicatorio; quia eo ipso, quòd vergat in detrimentum proprium, vel alienum; opinio non potest esse probabilis.

938 Nona consequentia ejusdem furfuris est. [Ethnicus iste probabilius censet, in Religione Catholica esse salutem æternam, & minùs probabiliter, in sua; sed quilibet potest eligere minus probabilem: ergo in eo casu potest eligere suam; & non amplecti Catholicam.] Ideò autem malè concludit, quia major loquitur de probabilitate speculativa, & minor de probabilitate practica. Item major est propositio directa; consequens est propositio reflexa. Unde ferè omnes prædictæ consequentiæ suam pravitatem subeunt, ex eo, quòd non penetratur, quomodo non valeat à propositione directa ad reflexam. De quo uberius dixi in *disput.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. Hæc similiter est pessima consequentia: [Regi illata est injuria probabilis: ergo probabile est, quòd eam potest bello vindicare.] Ob eamdem rationem.

ARTICULUS IV.

Quomodo adversarii non calleant mentem S. Thomæ?

SUMMARIUM.

An adversarii formidinem, & dubitationem confundant? num. 939.
An dubitatio sit incompossibilis cum assensu opinativo? num. 940.
An formido sit compossibilis cum assensu opinativo? num. 941.
An inde inferatur prava adversariorum intelligentia circà textum D. Thomæ? num 942.
An S. Thomas admittat casum, in quo ex varietate opinionum nulla oriatur dubitatio? num. 944.
An in casu, quo oriatur dubitatio ex varietate opinionum, ea dubitatio sit de probabilitate opinionis? num. 945.
An possit quis licitè operari non expellens physicè scrupulum, vel formidinem? num. 947.
Quo modo scrupulus, & formido, & si retineantur physicè, deponentur practicè? Ex S. Antonino? num. 948.
Quo modo satisfiat objectionibus Goneti? num. 949.

939 UNdecimo denique errant adversarii, dum formidinem, & dubitationem confundunt: ex quibus alii existimant, quòd sicut assensus opinativus non excludit formidinem actualem, ita nec dubitationem. Alii verò censent, quòd assensus opinativus non solùm excludit dubitationem, sed etiam formidinem actualem, & solùm compatitur formidinem radicalem.

940 Et sanè dubitationem esse incompossibilem cum assensu, etiam opinativo, ostendi manifestè in *1. part. Crif. disput.* 6. Ubi explicui, quomodo possit intercedere dubitatio inter motiva utrimque probabilia; atque adeò compossibilem esse dubitationem cum motivo probabili; non tamen cum assensu probabili.

941 Formidinem verò actualem non repugnare assensui opinativo, ab ipsa constat experientia. Assentimur enim plerùmque objecto opinabili advertentes esse opinabile, atque adeò advertentes, eum assensum esse expositum deceptioni; quæ advertentia est formido actualis.

942 Et hinc constat, quomodo adversarii perperam intellexerint eum texum S. Thomæ ex *quodlib.* 8. *art.* 13. quem exposui in *1. part. Crif. disput.* 15 *capit.* 6. *artic* 3. Ubi agens de opinione quorumdam [quòd licet habere plures præbendas,] ait: *Sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & sic si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.*

943 Contendunt ergo adversarii, nobis persuadere, semper in conflictu opinionum adesse dubitationem; & ideò semper, qui opinionem eligit pro libertate, discrimini se committere. Et ideò Jacobus à S. Dom. *cap.* 10. *sect.* 3. *nu.* 11. *pagin.* 106. accingens se ad expositionem prædicti textus S. Doctoris, ait: [Duo hic annotanda sunt .·.· Primum, nos fateri, omnem opinionem semper habere aliquam dubitationem sibi annexam: aliàs non esset distincta à scientia.] Et posteà adducit eum textum S. Thomæ, dimidiatum illum quidem, scilicet qua parte loquitur S. Thomas de eo, qui admittit plures præbendas, non obstante, quòd ex conflictu opinionum incidat in dubitationem de honestate. Sed prætermittit eam partem textus, in qua S. Doctor asserit, quòd si in nullam dubitationem incidat ex tali opinionum conflictu, nulli se periculo committit.

944 Itaque S. Thomas evidenter distinguit duos casus diversos; unum, in quo quis incidens in dubitationem ex conflictu opinionum, adhuc cum tali dubitatione accipit plures præbendas. Alterum, in quo nullam subiens dubitationem ex tali conflictu opinionum, accipit eas plures præbendas. Et in primo casu dicit, eum exponere se discrimini, & peccare; & in secundo casu, nulli se discrimini committere, nec peccare. Ergo contradicunt apertè S. Doctori, dum in conflictu diversarum opinionum admittit, posse aliquando oriri dubitationem, & posse aliquando non oriri; ipsi verò contendunt, semper in conflictu opinionum necessariò oriri dubitationem.

945 Nos ergo dicimus cum S. Thoma, Titium inter duas oppositas opiniones constitutum posse dubitare de honestate operationis, & (quod plerumque evenit) dubitare de probabilitate opinionis stantis pro libertate: & tunc peccare, si amplectatur eam partem,

tem,

tem, quæ stat pro libertate. In quo casu cessat assensus opinativus, & succedit suspensio intellectus inter utramque partem. Item plerumque contingere ex ea diversitate opinionum, non oriri dubitationem, sed produci assensum opinativum, illumquidem incompossibilem cum dubitatione, licet non cum formidine; & tunc non peccare, si ille assensus opinativus innitatur rationibus probabilibus. Et superaddimus, cum S. Thomas non distinxerit inter opinionem probabiliorem, & minus probabilem; nec nos distinguere debere.

946 Gonetus (qui opiniones probabiliores admittit, etiam pro libertate) *in dissert. de Probabilit. art. 2. num* 49. censet, eum, qui ex opinione probabiliori gubernat conscientiam excludere debere formidinem, quod si non excludat, peccare mortaliter. Ita enim ait: [Qui habet suspicionem, *scrupulum*, seu *levem credulitatem*, quod aliqua actio est illicita, peccat, & quidem mortaliter, si cum tali *suspicione, scrupulo*, vel *credulitate levi*, in gravi materia operetur.] Dicit, hanc assertionem expressè contineri *in cap. Per tuas* 2. de Simonia. [Ubi deciditur, inquit, esse peccatum mortale operari contra conscientiam *scrupulosam*, nisi priùs *formido*, & *scrupulus* deponantur.] Probat etiam ex *cap. Inquisitioni. de Sentent. Excomm.* Ubi cùm proponatur casus, An conjux habens conscientiam de impedimento dirimente, teneatur, aut possit reddere debitum? Respondetur Pontifex: *Credimus, distinguendum, utrùm alter conjugum pro certò sciat, impedimentum conjugii; an non sciat pro certò, sed credat*. Et de hoc secundo casu loquens ait: *In secundo distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi, & temeraria; an probabili, & discreta?* Et loquens de primò casu subdistinctionis, resolvit sic: *Et quidem ad sui Pastoris consilium (conscientia, levis, & temeraria credulitatis explosa) licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale*. Subdit Gonetus: [Innuens, quòd si credulitatem illam, & si temerariam, non exploderet, sine dubio, debitum petendo, vel reddendo peccaret.] Hæc eadem invenies in Fagnano *in capit. Ne innitoris num.* 95.

947 Sed si hæc vera sunt; væ scrupulosis, qui omninò desperabunt de salute æterna, videntes, se non posse expellere formidinem, & scrupulos. Decipiuntur itaque adversarii, non distinguentes, sed confundentes dubitationem cum scrupulo, & formidine. Et quidem filius, qui sequens opinionem S. Thomæ, non obedit Parenti quoad matrimonium contrahendum, scit, opinionem, quam sequitur, esse solùm probabilem; & consequenter cognoscit, fortè à parte rei esse falsam: sicut ergo hoc judicium deponere, non potest physicè, ita nec formidinem, quia in eo judicio imbibitur formido.

948 Itaque si loquamur de dubitatione, etiam speculativa, quæ opponitur assensui opinativo, necesse est, quòd si adsit assensus, absit dubitatio, quia non sunt compossibiles physicè. Formido autem, & scrupulus physicè compossibiles sunt cum assensu opinativo; adhuc tamen deponi debent practicè, idest, contemni, & negligi, ne impediant praxim: quòd fit per judicium, quo quis judicat, non impediri operationem per eam formidinem, & scrupulum. Debet autem formari judicium hoc, quia nemo debet gubernare conscientiam ex levi credulitate, quæ propterea non est reputanda in ordine ad praxim. Et ita expressit S. Antoninus 1. *part. tit.* 3. *capit.* 10. §. 10. *regul* 7. his verbis: [Ex his igitur sequitur, in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, (teste Aristotele) & experientiam, sufficit talis certitudo, quæ non semper *scrupulos omnes abiiciat*, sed sufficit, quòd *Contemnat*, & superet eos.]

949 Probationes allatæ parum urgent. Nam *in cap. Per tuas* 2. hæc verba habentur: *Licèt ex eo, quòd conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus, quam utique non evadet, nisi deponas errorem*. Ubi vides, hic scrupulum non sumi in sua rigorosa significatione, qua significat formidinem ex levi fundamento ortam: sed hic sumi pro errore. Nomine autem conscientiæ nimis scrupulosæ significat Pontifex, ingentem dubitationem, qua ille afficiebatur. Et quamvis loqueretur de scrupulo in sua rigorosa significatione, non urgeret: dicimus enim, scrupulum deponendum esse practicè, modo dicto.

950 Eodem modo respondendum est ad id, quod affertur ex *capit. Inquisitioni*. Nam illa credulitas levis, & temeraria explodenda est, & deponenda practicè. Nam quamvis physicè perseveret, nihil reputanda est in ordine ad praxim.

ARTICULUS V.

Aliud argumentum practicum.

SUMMARIUM.

951 Quia nonnulli ex adversariis magnis clamoribus, immò & maledictis vociferantur, non esse tutos in conscientia, & incurrere periculum salutis æternæ, qui conscientiam gubernant opinionibus probabilibus stantibus pro libertate, aut minus probabilibus; operæ pretium est practico modo discutere rem hanc, & super illa discurrere. Propono ergo hunc casum.

952 Petro occurrit negotium gravissimum conscientiæ, in quo moltis angoribus affectus, desiderat solutionem practicam, qua omninò ejus conscientia tuta remaneat. Consulitur ei, ut consulat magnos Theologos, & quos fama præstantiores indicaverit. Pro securitate ergo suæ conscientiæ eligit magnos quosque ex iis, quibus abundat Universitas Salmanticensis, vel Complutensis, aut Conimbricensis. Invenit octo, vel decem ex præstantioribus, qui conspirant in eamdem sententiam, v. g. qui eum absolvunt ab onere restituendi. Numquid ergo homo iste non satisfaciet suæ conscientiæ, videns præstantissimos sapientia Doctores uno ore in eam sententiam conspirare? Sanè, si iste homo non adhuc sibi satisfaceret, diceretur, aut duræ cervicis esse, aut humore hypocondrico redundare.

953 Aperin parabolam. Iste homo ego sum, qui pro securitate meæ conscientiæ scire desidero, An tutus sim, dum sequor, aut consulo quamlibet opinionem verè probabilem practicè, & benè intellectam; licèt ea sit minus probabilis opposita. Ergo pro securitate meæ conscientiæ volo consulere Doctores Sapientiæ præstantioris, & incipio à Suario præstantissimo Doctore. Et respondet Suarius *tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. 5. num.* 6. me tutum esse in conscientia, dum quamlibet opinionem verè probabilem amplector. Transeo ad Thomam Sanchez, cujus resolutiones omnia Tribunalia suscipiunt, & conspirat in eamdem sententiam *tom. 1. summ. cap. 9. num.* 14. Adeò Gregorium de Valencia, virum sapientissimum, & in eodem sensu abundat 1. 2. *disput. 2. quæst. 14. part* 4. Consulo etiam Vazquium, virum solidissimæ doctrinæ, & annuit eidem in 1. 2. *disput. 62. cap. 4. num.* 4. Interrogo Joannem Azor, virum etiam magnum in doctrina morali; & consulit mihi camdem doctrinam, *part. 1. lib. 2. cap. 16. qu.* 3. Leonardum Lessium pietate, & doctrina notissimum, & in eamdem conspirat sententiam *lib. 2. de Just. cap. 29. num.* 68. Jacobum Granado sanctitate, & doctrina conspicuum, & affirmat, me securè per hanc viam incedere 1. 2. *controv. 2. tract. 12. disput. 4. num.* 23. Cardinalem Joannem de Lugo, cujus sapientia in Curia Romana habebatur ad instar oraculi; & eodem tramite incedit *De Pœnit. disp* 22. *sect.* 2. §. 2.

954 Gradum facio ad scholam Thomisticam, & video insigniores Thomistas in eodem sensu abundare, Dominicum Bañez 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. Bartholomæum de Medina 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Didacum Alvarez 1. 2. *quæst.* 19. *disput.* 80. Gregorium Martinez *in* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. Petrum de Ledesma *in summ. tom. 2. tract.* 8. *capit.* 22. *diff.* 2. Ludovicum Montesinos 1. 2. *disput* 29 *quæst.* 5. § 3. Petrum de Arragon 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. Michaelem Salon 2. 2. *quæst.* 63. *controv.* 2. *conclus.* 4. Illustriss. Petrum de Tapia Archiepiscopum Hispalensem admirabili morum integritate, & doctrina præstantissimum *in Caten. Morali lib. 1. quæst.* 8. *art.* 12. *num.* 5. Et præter hos, quos consului, sunt in eadem sententia plures alii Thomistæ, quos refert, & sequitur ex eodem ordine Barnabas Gallego *in tract. de conscient. probab. dub.* 3. asserens, hanc sententiam esse communiorem inter Thomistas. Quod adeò certum est, ut Gonetus adversæ sententiæ doctor *in dissert. de Probabilit num.* 210. id supponat, ut retuli suprà *capit. 8. art.* 10. Ergo à sapientissimis viris in utraque schola Jesuitica, & Thomistica eruditos numquid non potero deponere quamlibet dubitationem, & tutam reddere conscientiam meam? Numquid propter paucos aliquos refragantes, contemnenda mihi sunt sapientissimorum virorum consulta, quibus majores in orbe litterario non reperiu: & qui mihi asserunt, hunc esse sensum S. Thomæ?

955 Dices primò, contra certitudinem nulla prævalet authoritas. Optima propositio! quam ego admitto. Sed ubi est ista certitudo sic prævalens? Nam mihi videor habere sufficientiam ad discernendum argumenta utrimque militantia: & censeo, facillimè solvi argumenta partis adversæ; & adversarios non dum solvisse argumenta, quæ contra ipsorum sententiam proposui; immò & in multis, in quibus nostram impugnant, non perfectè calluisse sensum nostræ doctrinæ.

956 Dices secundò cum oppositæ sententiæ Doctoribus, hos omnes Theologos à me citatos esse de recentioribus; antiquos autem Theologos stare pro opposita sententia: antiquos autem præferendos esse recentioribus.

957 Sed ut hæc responsio examinetur, inquiro duo. Primum: quàm certum sit, antiquos Theologos stare pro opposita sententia? Nam quidem textus eorum, qui afferuntur, vel loquuntur de dubio practico, in quo semper fatemur, tenendam esse partem tutiorem: vel loquuntur de opinionibus, quarum probabilitas est dubia. Dum ergo non est certum, antiquos Theologos stare pro opposita sententia; & certum est, Recentiores Theologos, illos quidem sapientissimos, stare pro nostra; cur fidemus magis incertis illorum suffragiis, quàm horũ doctrinę in toto orbe litterario celebratę?

958 Secundum inquiro, quanta certitudine tenendum sit, antiquos Theologos præponendos recentioribus citatis? (Et nomine

mine antiquorum non intelligo Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ, quos Deus speciali providentia illuminavit, ut docerent Ecclesiam.) Sanè hæc comparatio plena est invidiæ, & in qua, quidquid dicas, difficilè probabis.

959 Et quidem hæc comparatio aliter facienda est, ut rationabilius in ea discurramus. Nempe in iis quæstionibus, quæ apud antiquos non ventilabantur, quinam Scriptores habeant majorem authoritatem, illi antiqui, apud quòd eæ quæstiones non ventilabantur; an recentiores, apud quos eæ quæstiones non ventilabantur; an recentiores, apud quos eæ quæstiones controvertuntur?

960 Enim verò si supponamus, hos, & illos pares esse ingenii acumine, ex terminis notum est, majoris authoritatis esse eos, qui rationes, & fundamenta utrimque discusserunt; quàm qui obiter, & sine consideratione contrariarum rationum, dixerunt aliquid in præjudicium sententiæ recentiorum. Atqui in quæstionibus, quæ olim non controvertebantur, antiqui non discutiebant accuratè fundamenta utriusque partis; sicut discutiuntur, quando controvertuntur. Cùm ergo hæc quæstio de opinione æque, aut minus probabili eligenda ad praxim non fuerit inter antiquos controversa; fit in ea majoris authoritatis esse recentiores præ antiquis; non pro majori ingenii acumine, aut pro majori præstantia doctrinæ; sed pro majori discussione rationum utriusque partis. Et ita oportet respondere ad hanc quæstionem, ut omnem invidiam amoveamus, & modestius pro nostri sæculi Doctoribus causam dicamus.

961 Est & alius modus comparationis, ratione cujus dicenda est major authoritas antiquorum, quàm recentiorum: scilicet ex diuturna approbatione reliquorum Doctorum, qui antiquis successerunt. Circà quod audiendus est Illustriss. Archiepiscopus Hispalensis Petrus de Tapia insignis Thomista, cujus sapientiam, & maturitatem judicii numquam satis laudare potero *lib.* 1. *Caton. Moral. qu.*8. §.3. *nu.*9. sic ait: [Si sunt antiqui, observandum est, an in suis opinionibus habuerint sequitum perseverantem; an verò eorum opiniones sint relictæ, & antiquatæ; vel sit contra eas aliquod novum decretum, seu jus. Si enim opinio est jam communiter deserta, non æstimatur pro illa authoritas, seu testimonium sui Authoris ad fundandam probabilitatem; & multò minus si contra eam extet aliquod jus novum. Si autem opinio *antiqui* Doctoris sit *perseveranter comprobata*, habens sequitum, & approbationem apud Fideles Doctores, judicanda est probabilis ab authoritate. *Nam authoritas antiqui Doctoris cum his qualitatibus, & conditionibus æquivalet authoritati multorum: & longi temporis comprobatio assimilatur consuetudini, & traditioni, quæ in Moralibus est magni ponderis probatio.*] Hucusque noster Archipræsul.

962 Ex cujus egregia crisi desumitur argumentum validum pro nostra sententia. Etenim ea major authoritas antiquorum Doctorum consistit in eo, quòd opiniones eorum fuerint *perseveranter comprobatæ, & habuerint approbationem apud Fideles Doctores*, qui illis successerunt: atqui siqui sunt ex antiquis, qui tueantur doctrinam oppositam nostræ, quoad illam non habuerunt illam perseverantem approbationem Doctorum, qui eis successerunt; quandoquidem sententiam nostram centum ab hinc annis defenderunt Doctores ferè unanimiter; nam Mag. Bartholomæus de Medina, qui dicitur fuisse de prioribus, qui eam suscitaverunt, opera sua edidit anno 1588. & multo anteà id docuerat in Salmanticensi Academia; & paulo post scripserunt PP. Suarius, Vasquius, Thomas Sanctius, Valentia, & alii; ergo illi antiqui, qui oppositam sententiam tradiderunt, non habuerunt eam comprobationem perseverantem, ratione cujus possent sibi conciliare eam majorem authoritatem, quoad objectum hujus quæstionis.

963 Verum quidem est, aliquos Scriptores ex novissimis, non callentes perfectè vim, & naturam probabilitatis, docuisse aliqua, quæ non sine absurdis consequentiis sustineri possunt. Tale est, quòd ad probabilitatem sufficiat unus quislibet Author, quicumque ille sit. Quod tamen Doctores classici, quos supra in hoc *art.* nominavi, id non admittunt, ut ostendi in 1. *part. Crif. disp.* 11. Ubi ex prædictis authoribus, manifestè convici, non quemlibet sufficere, sed Authorem omni exceptione majorem: & quatuor exceptiones, quæ authoritatem Doctoris imminuant, ibidem ostendi, esse ad mentem eorum Doctorum.

964 Similiter aliqui dixerunt, in administratione Sacramentorum, licitum esse uti opinione probabili, etiam in articulo mortis, non explicantes sensum legitimum, in quo ea propositio sustinenda est. Ego enim, ut supra dixi, illam admitto in hoc sensu, quòd nulla opinio est, nisi omninò improbabilis, quæ dicat, licitum esse exponere fideles frustrationi Sacramentorum, aut exponere periculo salutem æternam. Et sub hoc sensu, assero, licere uti in omnibus opinione probabili, ut dixi *art.* 3.

ARTICULUS VI.

Alterum argumentum practicum ex eo, quòd eligens opinionem minus probabilem, practicè eligit probabiliorem.

SUMMARIUM.

An probabilioristæ dicant, teneri nos sequi eam, quæ nobis videtur probabilior? n.964.
An quilibet author suam opinionem propugnet, ut probabiliorem? n.967.
An dum sequor opinionem Suarii, v. g. quæ mihi videtur minus probabilis, sequor opinionem, quam Suarius sequitur, ut probabiliorem? Et quid inde pro nostra sententia? n.969 & seq.

965 SUppono primò, me loqui de opinionibus, quæ præter probabilitatem intrinsecam habent etiam aliquem, aut aliquos Doctores probatæ authoritatis, qui sunt omni exceptione majores.

966 Suppono secundò, Authores adversæ sententiæ, qui stant pro opinione probabiliore semper eligenda, dum arguimus eos de impossibilitate inveniendi, & discernendi semper probabiliores, aut de nimia anxietate quærendi illas, respondere, se non id intendere, sed solùm, quod quando mihi videtur probabilior una opinio, non licet præferre oppositam, quæ mihi videtur minus probabilis.

967 Suppono tertiò, quemlibet Authorem, qui tuetur aliquam opinionem contra oppositam contradictoriam, semper defendere suam propriam opinionem, ut probabiliorem; ut observavi in 1. *part. Crif. Theol. disp* 2. *cap.* 8. præcipuè *nu.* 98. & 99.

968 Iam verò sic efformo argumentum pro opinione verè probabili seligenda, quam tuetur Doctor probatæ authoritatis. Per vos, tenemur sequi opinionem probabiliorem: sed dum eligo opinionem minus probabilem Doctoris probatæ authoritatis, practicè eligo opinionem probabiliorem: ergo dum eligo opinionem minus probabilem Doctoris probatæ authoritatis; rectè impleo obligationem, qua teneor. Major, & consequentia patent.

969 Probatur minor. Dum sequor opinionem minus probabilem (idest, quæ mihi videtur minus probabis) Authoris omni exceptione majoris, puta Suarii, Vasquii, &c. utor sapientia ejus, & sequor judicium ejus: sed sapientia, & judicium ejus versatur circà eam opinionem, ut probabiliorem; nam ille eam defendit, ut probabiliorem: ergo dum sequor opinionem minus probabilem, quæ est opinio ejus authoris, sequor opinionem probabiliorem; scilicet virtualiter, & practicè. Nam licèt opposita mihi videatur probabilior, cùm me accommodo judicio illius Doctoris probati, tantum valet, ac si eligerem probabiliorem; cùm judicio illius Doctoris illa sit probabilior.

970 Confirmatur. Dum adversarii volunt nos obstringere, ut probabiliorem sequamur, non intendunt obstringere nos ad inveniendum necessariò eam, quæ in se sit probabilior, sed ad eam, quæ nobis videtur probabilior: ergo illum Authorem probatæ authoritatis, qui defendit eam opinionem, quæ mihi videtur minus probabilis, v. g. Suarium, non possunt arguere adversarii, quòd minus probabilem opinionem defendat, cùm ipse defendat eam, quæ sibi videtur probabilior. Cùm ergo ego eandem opinionem sequar, censendus sum in praxi sequi probabiliorem. Nam quamvis formaliter, dum judico eam esse minus probabilem, non possum simul judicare esse probabiliorem; cæterùm practicè, & virtualiter censeri debeo sequi probabiliorem, dum in praxi operor, sicut mihi consuleret ille Doctor, cui in incertis judicium meum subiicere, bonum est.

971 Dices: non peccare me, quia sequor opinionem illius Doctoris; sed quia cùm judicem illam minus probabilem, operor contra conscientiam. Sed contra est primò. Nam opinio probabilis est incerta: judicium autem conscientiæ est certum: ergo tunc non operor contra conscientiæ judicium. Vide hoc argumentum latiùs propositum supra *cap* 9.

972 Contra est secundò. Nam judicium conscientiæ dictat, non esse bonum initi prudentiæ nostræ, immo verò sequi consulta sapientum Doctorum: ergo non est contra conscientiæ judicium accommodare nos sententiæ Doctoris alicujus magni, & omni exceptione majoris.

CAPUT XVIII.

Ex tribus Capitibus proximis oritur certitudo dictaminis reflexi de usu licito opinionis probabilis.

SUMMARIUM.

Quo modo est certus usus cujuslibet opinionis probabilis? nu.974.
Quid circà hoc senserit Dominus Tapia? nu.975.
An conscientia opinativa non admittat formidinem, & quomodo ipsa conscientia purgetur à formidine assensus opinativi? num.976.
Quo modo formido opinionis non transeat ad conscientiam, & hæc maneat secura? num.977.
An præfatus Doctor afferat S. Thomam pro nostra sententia de minus probabili eligenda? n.978.
An ad hoc dictamen conscientiæ certum sufficiat cognoscere, opinionem esse practicè probabilem, quamvis non assentiamur opinioni? n.979.
Quo modo dicatur prudenter operari, qui sequitur probabile, cùm actus prudentiæ sit certus? n.980.
Quo modo opinio probabilis non sit formaliter regula operationis honestæ? n.981.
Quænam sit limitatio doctrinæ traditæ? n.982.

973 Dixi

973 Dixi sæpiùs, non rectè callere adversarios, quod genus certitudinis sit istud, quod ponimus in dictamine reflexo circà usum opinionis practicè probabilis: & ideò oportet hic illud explicare.

974 Itaque hæc propositio, *Licitum est uti quavis opinione practicè probabili*, habet tres partes, quas tribus capitibus superioribus ostendimus, esse certas rationibus saltem moraliter demonstrativis. Ostendimus enim, certum esse, in conflictu opinionum adversarum non teneri nos sequi partem strictiorem, quæ stat pro lege, illa quidem incerta. Deinde in conflictu opinionum æquè probabilium, posse quamlibet amplecti, certissimis fundamentis stabilitum manet. Nec minori certitudine fulcitur tertia pars, quòd in conflictu opinionum probabilioris, & minus probabilis, tutò amplectimur quamlibet.

975 Hoc ergo dictamen reflexum omninò certum, est judicium certum conscientiæ, quo rectè procedimus ad operationem. Placuitque, assertionem hanc illustrare verbis Illustriss. D. Petri de Tapia Archiepiscopi Hispal. qui rem hanc dilucidè explicat *lib. 1. Catena Moral. quæst. 8. art. 10. num. 2.* Nam cùm conscientiam diviserit in certam, & probabilem; & *num. 1.* conscientiam probabilem definierit; *num. 2.* subjungit sequentem periodum.

976 [Solet ab aliquibus addi in definitione conscientiæ opinativæ: *Adhærens uni parti cum formidine alterius*; sed ab hac particula abstinemus. Quia formido non est in ipsa conscientia *opinativa, & probabili*, sed potiùs in assensu opinativo; qui est *actualis opinio*; de cujus intrinseca ratione est, *assentire uni parti cum formidine alterius*: quia fundamenta opinionis non sunt omninò certa, sed solùm topica, & probabilia; atque adeò non tollunt alterius partis formidinem. Ab hac autem formidine purgatur formaliter conscientia opinativa: quia non tam respicit veritatem propositionis in re morali, quàm ipsam moralem rectitudinem operationis exercendæ. Et quamvis *opinio*, in qua fundatur, involvat in se, & in suo assensu formidinem; conscientia tamen ipsa *opinativa* eam excludit. Nam supposita opinione probabili, conscientia dictat prudenter absque ullo timore, aut formidine, *operationem esse licitam*. Opinio igitur formidat de veritate sententiæ, seu propositionis: conscientia verò, data probabilitate ista, dictat certò, & sine formidine, esse licitam operationem, quæ super talem probabilitatem fundatur, licet formidolosam. Nam tale dictamen conscientiæ pertinet ad prudentiam: quæ cùm sit vera virtus, habens opus perfectum, non patitur imperfectionem formidinis in suo actu formaliter; & si eam præsupponat in suo fundamento, scilicet in *assensu opinativo*.

977 Unde conscientia *opinativa* non differt à *certa* per hoc, quòd hæc sit absque formidine; *opinativa* verò cum formidine formaliter in ipso dictamine conscientiæ: sed quia conscientia certa fundatur in certa, & non formidolosa scientia, seu notitia ex evidentibus rationibus, vel testimonio infallibili; conscientia verò *opinativa* in opinione, & fundamentis topicis, ac solùm probabilibus, non excludentibus formidinem sententiæ, & propositionis opinatæ. Quæ tamen formido non transit ad conscientiam; alioquin omnis conscientia opinativa esset inquieta, & turbata, atque parum secura. Cùm tamen oppositum teneant omnes Doctores, & experientia ipsa doceat: quòd formido opinionis nullatenus turbat conscientiam operantis juxta opinionem probabilem: cùm ipsa conscientia dictet certò, & sine formidine, *esse licitam operationem*. Si autem ipsa conscientia formidaret de honestate operationis; non esset secura, sed dubia: atque adeò non liceret operari cum illa, seu juxta illam. Et hoc volunt Cajet. *in summ. verb. Opinionis usus, & tom. 1. opusc. tractat. ult. respons. 13. dub. ultim* Armilla verb. *Opinio num. 2. &* Navarrus *cap. Si quis autem à num. 58. de Pœnit. dist. 7.* dum ajunt, ad operandum secundùm tutam conscientiam absque peccato, requiri judicium moraliter certum, excludens omnem formidinem. Et consentit Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disput. 41. num. 6.* Immò & est expressa doctrina D. Thomæ *quodlibet. 8. artic. 13.* ubi ait, quòd quando quis *in aliquam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, si manente tali dubitatione operatur* (S. Doctor agebat de sic operante in certa materia, videlicet de habente plures præbendas cum tali dubitatione) *periculo se committit* (idest exponit) *& sic procul dubio peccat: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat*. Quibus verbis nihil aliud vult, quàm quòd, si ex contrarietate opinionum, formido ipsa opinionum transeat ad conscientiam, generat *dubium practicum*, auferens securitatem conscientiæ, & honestatem operationis.] Hucusque Illustriss. Tapia. In quibus verbis magna lux affulget ad dissolvendas nebulas objectionum, quas adversarii accumulant, quia ad has distinctiones non attendunt

978 Ubi notandum est primò, hunc doctissimum virum *art. 12. nu. 5.* posuisse hanc conclusionem. *Opinio, etiam minus probabilis, & minus tuta, dum tamen sit probabilis practicè, potest eligi tuta conscientia, relicta probabiliori, & tutiori*. Et juxta hanc doctrinam asserit, conscientiæ dictamen esse omninò certum, nempe quòd *tutò sequimur quamlibet opinionem, quæ verè sit practicè probabilis* Notandum est secundò, hoc dictamen certum assertum esse à D. Thoma procedere posse in conflictu opinionum adversarum, ut rectè observat Illustriss. Tapia.

979 Et ex dictis inferes, ad hoc dictamen conscientiæ certum de honestate operationis, non esse necessarium, quòd habeas assensum ad hanc opinionem, potiùs quam ad oppositam; sed sufficit, quòd noveris, hanc opinionem verè esse practicè probabilem, vel propter authoritatem Doctoris omni exceptione majoris; vel propter rationes, quas clarè cognoscis esse probabiles.

980 Hinc etiam patet, quo modo dicatur prudenter operari eum, qui sequitur opinionem practicè probabilem; cùm actus opinativus, utpote incertus, non possit esse actus prudentiæ. Dictat enim prudentia tamquam certum, quòd in rebus obscuris, & incertis, possis gubernari opinionibus virorum sapientum omni exceptione majorum, & niti rationibus magni ponderis.

981 Hinc etiam infertur, opinionem probabilem non esse regulam operationis honestæ: hanc autem regulam esse dictamen conscientiæ certum, quod non deviat à recta ratione, & ab operatione honesta ille, qui sequitur opinionem verè probabilem.

Limitatio doctrinæ traditæ.

982 PRæfata doctrina de rectitudine dictaminis reflexi intelligenda est, quoties concurrunt omnes qualitates requisitæ ad practicam probabilitatem. Quoties autem deficit aliqua ex iis qualitatibus, non potest formari id dictamen certum reflexum. Et quod attinet ad probabilitatem intrinsecam, deficit certitudo dictaminis reflexi, si opinio militet contra principium certum, vel si constet, opinionem niti fundamento levi, æquivoco, vel sophistico; vel etiam, si opinio sit dubiæ probabilitatis. Quia cùm in his casibus non sit sufficiens probabilitas ad regendam conscientiam, non potest super ea fundari certum conscientiæ dictamen. Et quòd attinet ad probabilitatem extrinsecam, deficiet etiam certitudo dictaminis reflexi, quoties adest aliqua ex quatuor illis exceptionibus, quæ minuunt authoritatem Doctoris. De quibus dicendum est *disp. seq.*

CAPUT XIX.

Objectionibus Fagnani occurritur.

ARTICULUS I.

Dissolvuntur objectiones ab authoritate desumptæ.

SUMMARIUM.

An in usu opinionis probabilis detur verbum verax, & consilium stabile? num. 985.
An regula operationum non sit formaliter ipsa opinio, sed judicium practicum certum de recto usu operationis? n. 989.
An S. Bernardus loquatur de opinione, ut abstrahit à probabili, & non probabili? n. 991.
An sit injuriosum S. Thomæ, dicere opinionem probabilem sola verisimilitudine se tueri, & si assertionem habeat, esse temerariam? nu. 992.
An opinio sit intellectus, sive notitia certa? n. 993.
An textus S. Augustini procedat in quæstione facti? n. 995.
An S. Augustinus, dum jubet dimittere incertum, loquatur de pœnitentia dilata usque ad extremum vitæ? Et S. Antonino? n. 996.
An juxta consilium S. Chrysostomi eligerimus meliores Doctores pro opinione probabili? n. 1000.
An S. Chrysostomus ibi loquatur de dogmatibus Fidei? n. 1001.
An ubi Doctores sunt omni exceptione majores, possint plures eorum consuli, ut quis sequatur benigniorem? n. 1002.
Et quid si authores non sunt probatæ authoritatis? n. 1003.
An judicium de probabilitate ex Sanctorum Patrum moribus desumendum sit? n. 1005.
An opinio probabilis censeatur opinio vera? n. 1007. & seq.
Quo modo intelligendi sunt Doctores antiqui circà materiam hujus quæstionis? n. 1009. & seq
An textus Scoti habeat clausulam supposititiam? n. 1014. & seq.
An ille textus Scoti intelligatur de dubio practico? n. 1020.
An etiam S. Antoninus intelligatur de dubio practico? Et an stet pro nostra sententia? n. 1028 & seq.
Plurimi authores à S. Antonino relati pro nostra sententia? n. 1023. & seq.
Quid de censura Universitatis Pictaviensis? n. 1025. & seq.
Quid de censura Parochorum Parisiensium, & Rothomagensium? n. 1028. & seq.

983 CUm in *1. part. Crist. Theolog.* scripsi disputationem 15. de quavis opinione probabili seligenda; non pervenerat ad manus volumen Prosperi Fagnani, in quo cum multa supellectile eruditionis, & energia promovere conatur suam sententiam, qua tuetur, non esse licitum regere conscientiam ex sola opinione probabili. Et solùm pervenerat ad manus meas liber parvulus Vincentii Baronii, qui argumenta Fagnani reproduxit. Ad quæ argumenta abundè respondi. Ideò non erit necesse, omnia argumenta Fagnani reproducere, sed ea solùm, vel quæ omisit Baronius; vel in quibus aliquid superaddi expedit pro majori claritate.

984 Igitur Fagnanus in *cap. Ne innitaris num. 60.* ex Sacra Scriptura

sic

sic obiicit primò: [Primò enim roboratur authoritate Divinæ Scripturæ, *Eccles. 32. Ante omnia opera verbum verum præcedat te; & ante omnem actum, consilium stabile*. Ex quo loco expositores desumunt, duo esse necessaria in judicio, quod præcedit imperium prudentiæ, ad hoc ut opera nostra sint recta, & habeant bonitatem moralem: Primum est *veritas*, designata per illa verba *verbum verax*; secundum *stabilitas*, seu firmitas rationum, significata per verba sequentia *consilium stabile*, secundùm Ianfenium. Utrumque autem requisitum deficit in opinione utrimque probabili. Ergo nostra opera, quæ opinioni probabili innituntur, nec recta sunt, nec bonitatem habent moralem.] Minorem autem, quòd in opinione non sit veritas, probat ex eo, quòd veritas certa est, opinio autem incerta; nec stabilitas, quia opinionis probabilitas potest mutari, cognita evidenter ejus falsitate, ut sæpius contingit.

985 Huic argumento, quod proposuit Baronius, respondi in ea *disp. 15. n. 358* probabiliter quidem; sed multò melius nunc respondeo; sicut etiam ibid. respondi *nu. 223*. licet in opinione probabili non detur verbum verax in toto rigore, neque consilium stabile; utrumque tamen reperitur in usu opinionis probabilis. Constat ex dictis in usu opinionis probabilis, intercedere duos actus: alter est ipsa opinio, sive assensus probabilis, incertus ille quidem, & formidolosus; alter est, judicium reflexum conscientiæ, quo censeo, licitum esse uti opinione probabili: & hoc judicium est omninò certum; cujus certitudo constat aperte ex *c. 15. 16. & 17.* & præcipuè *cap. 18* in quo relegi oportet periodum D. Petri de Tapia. Cùm ergo hoc judicium certum sit, illud est *verbum verax*, & *consilium stabile*, quod præcedit ante omnem operationem.

986 Hinc constat ad argumentum, concessa majori, distinguendam minorem: utrumque deficit [formaliter] in opinione probabili, concedo; utrumque deficit in opinione probabili, [& usu ejus,] nego. Quæ distinctio patet ex dictis.

987 Obiicit secundò *n. 66.* textum S. Bernardi *lib. 5.* de Consider. ad Eugenium *cap. 3.* ubi sic ait: *Intellectus rationi innititur Fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; sed Fides clausam, & involutam; intelligentia nudam, & manifestam. Cæterùm opinio certi nihil habens, verùm per verisimilia quærit potius, quàm apprehendit. Omninò in his cavenda confusio: ne aut incertum opinioni fides figat; aut quod firmum, fixumque est fidei, opinio revocet in quæstionem. Et hoc sciendum, quia opinio si habet assertionem, temeraria est: Fides si habet hæsitationem, infirma est: item intellectus si signata fides tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator Majestatis. Multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt. Et quidem opinio potest putari intellectus, intellectus autem opinio non potest. Unde hoc accidit? Profectò, quia hæc falli, & fallere potest; ille non potest; aut si falli potuit, intellectus non fuit, sed opinio; verus nempe intellectus certam habet non modò veritatem, sed notitiam veritatis. Possumus singula hæc ita diffinire: Fides est voluntaria quædam, & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis: intellectus est rei cujuscumque invisibilis certa, & manifesta notitia: opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. Ergo, ut dixi, Fides ambiguum non habet; aut si habet, Fides non est, sed opinio.*

988 Ex hoc textu S. Bernardi sic arguit Fagnanus *n. 66.* [Ergo judicium probabile, seu opinativum est extra spheram prudentiæ; ac proinde qui pro regula suorum actuum assumit opinionem probabilem, non agit prudenter, nec habet virtutem moralem, cum prudentia sit generalis regula humanorum actuum, & completiva omnium virtutum moralium; ut dicitur *in 6. Ethic. cap 5.* & docet S. Thomas *2. 2. qu. 166. art. 2. ad 1.*] Et urgeri potest argumentum ex eo, quod S. Bernardus distinguat intellectum, idest, notitiam certam ab opinione, doceatque, regi nos debere, nō opinione, sed intellectu.

989 Respondeo ad normam solutionis præcedentis, regulam nostrarum operationum, quæ opinioni probabili innituntur, non esse opinionem ipsam formaliter, sed judicium practicum certum de recto usu opinionis verè probabilis. Ideòque opinionem probabilem formaliter esse extra sphæram prudentiæ, non verò objective: quia prudentiæ judicium certum dictat, in iis, quæ omnimodam habent obscuritatem, & incertitudinem, innitendum nobis esse rationi probabili. Igitur qui sequitur opinionem probabilem, agit prudenter: non quia prudentia sit formaliter in ipsa opinione, sed solùm radicaliter, quatenus adest judicium certum prudentiæ, quòd in ratione rerum agendarum omninò obscura, & incerta, inniti possumus opinioni probabili.

990 Ad confirmationem respondeo similiter In usu opinionis probabilis concurrere opinionem, & intellectum, sive notitiam certam. Illud enim judicium ultimum de honestate operationis, quamvis nitatur opinione probabili, non est opinio, sed intellectus, & notitia certa; ut constat ex tribus illis *cap. 15. 16. & 17.*

991 Quia tamen ex intelligentia minus recta ejus textus S. Bernardi, potest adhuc instaurari instantia; operæ pretium est explicare in eo textu, quæ nobis obesse posse. videbitur alicui. Itaque S. Bernardus dicit, quòd *opinio sola verisimilitudine se tuetur*; & quòd *verum per verisimilia quærit*, & quòd *opinio, si assertionem habet, temeraria est*, & quòd *multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt*; & quòd *opinio falli, & fallere potest*; & quòd *opinio est, quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias*; & quòd *opinio habeat ambiguum*. Ad quæ omnia uno verbo respondeo. S. Bernardum loqui de opinione, abstrahendo à probabili, & non probabili; nec loqui posse de opinione verè probabili; ut ostendi manifestè supra *cap. 5. art. 2.*

992 Et quidem nemo negare potest, opiniones probabiles S. Thomæ, sicut & alias gravibus fundamentis suffultas, non *sola verisimilitudine se tueri*, sed rationibus gravibus, & solidis. Item easdem opiniones probabiles non *quærere verum per verisimilia*, sed per fundamenta gravia, & solida. Item si opiniones probabiles S. Thomæ, & similes *assertionem habeant*, non esse temerarias. Item neque ejusmodi opiniones *habere ambiguum*.

993 Quòd *multi suam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt*, non solùm potest intelligi de opinione utcumque, sed etiam de opinione probabili. Qui enim hanc putaverit esse formaliter intellectum, & notitiam certam, errabit. Est enim de conceptu opinionis probabilis esse incertam. Sicut etiam de opinione probabili affirmari potest; quòd *falli*, & *fallere potest*, propter formidinem, qua associatur; dummodo admittatur, esse gravia fundamenta, ad credendum, nec falli, nec fallere reipsa. Quis enim hoc negabit de opinionibus probabilibus S. Thomæ, & similibus? Item de opinione probabili dici potest, quòd *quasi pro vero habet aliquid, quod falsum esse nescias*: sed cum magno discrimine inter probabilem, & non probabilem. Nam probabilis opinio S. Thomæ, & similes cum magno fundamento suum objectum *habent pro vero, quod falsum esse nesciunt*; non item opiniones, quæ non sunt probabiles, cùm hæ careant eo magno fundamento.

994 Obiicit tertiò S. Augustinum relatum *in cap. Canonicis. 19. dist.* ubi ait: [In illis scripturis (verba sunt Fagnani) quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas eas esse, quas plures, gravioresque recipiunt, eis, quas pauciores, minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent: ergo ex sententia Augustini, juxta plura, & graviora motiva est judicandum: atque adeò opinio probabilior semper est sequenda.] Hucusque Fagnanus.

995 Respondeo, hunc textum S. Augustini esse optimum ad probandum, quòd *in quæstione facti* semper attendendum est ad meliores probationes, fortioraque testimonia. Nam cùm testimonia utrimque sint paris authoritatis, non pariunt probabilitatem sed dubium: ut latè ostendi *in 1. part. Crisi. disp. 6.* Quanta autem disparitas sit quoad hoc inter *quæstionem juris*, & *quæstionem facti*; vide supra *cap. 16.* & *in 1. part. Crisi. disp. 15. cap. 4. art. 7.* & 8.

996 Alterum textum S. Augustini relatum *in cap. Si quis autem, in fin. de Pænit. dist. 7.* refert Fagnanus *n. 93. Tene certum, dimitte incertum*: Ex quo infert dimittendam esse opinionem probabilem, quæ incerta est.

997 Ad hoc respondet S. Antoninus *1. part. sum. tit. 3. cap. 10.* §. 10 *regul. 7.* his verbis: [Solet autem movere scrupulosos, & detinere illud dictum Augustini: *Tene certum, & dimitte incertum. de Pænit. dist. 7. cap. Si quis. 1.* sed ubi in eadem materia morali sunt contrariæ opiniones Doctorum, illa videtur tutior, quæ est rigidior, & sic potius amplectenda: ad quod instigantur scrupulosi. Sed ad hoc respondetur, quòd Augustinus loquitur in dicto *cap.* propriè de eo, qui *differt pœnitentiam usque ad extremum vitæ*: cujus salvatio dubia est, & incerta; non quia vera pœnitentia non possit esse in extremis, & Deus indulgeat; ut patet in Latrone cum Christo crucifixo: sed quia incertum est, & dubium, utrùm talis verè pœniteat, quia videtur moveri principaliter timore gehennæ magis, quàm respectu Divinæ offensæ, & Divinæ gloriæ: quod requiritur ad veram pœnitentiam, secundùm Augustinum *de Pænit. dist. 7. Nullus.*] Hæc S. Antonin. Addit insuper immediatè hæc verba: *Sed extendatur illa authoritas Augustini ad alias materias morales.* Subjungitque quo modo in illis resultet certitudo moralis, *ex probabilibus conjecturis, grossis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus.*

998 Neque hæc postrema verba significant eligendam probabiliorem opinionem; quasi illud comparativum *magis* significet probabilioritatem. Sed quia conjectura, quæ favet parti affirmativæ, magis stat pro affirmativa, quàm pro negativa. Quod etiam in opinione minus probabili contingit, nam ratio, quæ suffragatur parti minus probabili, magis ad eam partem se habet, quàm ad aliam, quæ probabilior est.

999 Obiicit quarto eodem *nu. 268.* S. Chrysostomum (aut eum, quisquis est, Authorem imperfecti, qui inter opera S. Chrysostomi circumfertur) *homil. 44. in cap. 23.* Matth. ubi ait: *Si vestimenta emptur[us], gyras unum negotiatorem, & alterum; & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quo modo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, plusquam vestimentum.* Et subjungit Fagnanus: [Et superius dixerat, tales esse inexcusabiles, si errant in Fide. Cujus testimonium valdè etiam redarguit Authores modernos, qui ausi sunt affirmare, tutum esse in conscientia eum, qui propositum habet varios Doctores consulendi, quousque inveniat aliquem respondentem juxta desiderium suum.]

1000 Respondeo primo, me (qui tueor sententiam de quavis opinione seligenda, etiam si minus probabilis, quam opposita) semper sequutum esse id consilium Chrysostomi. Neque um-

quam invenire potui ullos meliores Doctores, Suario, Thoma Sanchez, Vasquiu, Valentia, Molina, Lessio, & similibus, ex schola quidem Iesuitica; & ex schola Thomistica non inveni meliores Dominico Bañez, Bartholomæo de Medina, Didaco Alvarez, Gregorio Martinez, Petro de Ledesma, Illustriss. Petro de Tapia, & similibus. Et cùm hos omnes Doctores *gyraverim*, & *circuiverim*, invenio, eos omnes me tutum reddere, dum sequor, vel doceo quamlibet opinionem verè probabilem, sive minus, sive magis probabilem, tanquam aptam ad praxim.

1001 Respondeo secundò, S. Chrysostomum non agere ibi de ratione rerum agendarum, quæ omninò obscura est, & ratione diversarum circumstantiarum trahit Doctores in diversas, & oppositas opiniones; sed de dogmatibus Fidei; quo tempore Ariana hæresis grassabatur. Et ne Fideles nutarent in dogmatibus Fidei Catholicæ, præcipit, ne in re tanti momenti exponant se periculo errandi in Fide, ut circà dogmata Fidei consulant meliores Doctores; sic enim non incident in Doctores Arianos, quorum vita doctrinam improbabat. Et hunc esse legitimum sensum ejus textus, clarè constat ex ea dictione, *ubi corrupta*. Præcipit enim, ut inquirant, quinam sint Doctores, qui tradant sinceram Christi doctrinam, & qui tradant corruptam.

1002 Ad id, quod subjungit Fagnanus, respondeo, in praxi illius doctrinæ, opus esse judicio, & maturitate. Potest enim id ad praxim reduci cum periculo errandi; & potest sine illo. Nam si quis rectè sciens, omnes Doctores, quos consulit, esse omni exceptione majores; & doctrinam omnium esse securam; potest multos consulere, & ad praxim deducere eam, quæ sibi magis arriserit. Quo pacto procedet sine periculo errandi; maximè si hæc consultatio sit Doctorum, qui prælo sua scripta mandarunt.

1003 In consultatione verò Theologorum, quæ viva voce fit, solet plerùmque errari, cùm quis desiderat resolutionem ad suum placitum. Consulit enim plures confessarios, ex eo solùm, quòd sunt approbati ad confessiones audiendas; inter quos reperiuntur non pauci mediocris scientiæ, & doctrinæ: & si consultatio sit non de casibus ordinariis, sed de casu aliquanto difficiliori, & minus ordinario, per hoc non satisfacit suæ conscientiæ, consulendo qualescumque. Nam hinc oritur dubium practicum circà consultationem ipsam; atque adeò quærere debet consultorem tutiorem, vel saltem tutum; qui taliter sapientia, & doctrina præstet, ut non possit prudenter dubitari, an sapiat, an desipiat.

1004 Iam verò Authores, qui docent, posse varios Doctores consuli, & exequi doctrinam ejus, qui magis ad placitum suum responderit, loquuntur primo modo, nempe de consultatione eorum Doctorum, qui sunt omni exceptione majores, & in quos non cadit suspicio de insipientia, & periculo errandi.

1005 Ad hunc ordinem authoritatis Sanctorum Patrum pertinet argumentum, quod instruit Iacobus à S. Domin. *cap.* 10 ubi in titulo *sect.* 2. hæc verba proponit: [Iustum de Probabilitate judicium ex *Patrum moribus*, *& vita* potius desumendum, quam ex eorum scriptis, & operibus.] Quod argumentum in ipso textu sectionis latè prosequitur.

1006 Hoc argumentum optimum esset, si Sancti Patres solum operati essent ea, ad quæ tenebantur ex præcepto. Sic enim benè argueremus: [Quidquid Sancti Patres egerunt, erat obligatorium ex præcepto: sed semper egerunt meliora, & elegerunt probabiliora: ergo tenebantur ad meliora, & probabiliora. Ergo & nos ad idem tenemur.] Cœterum cum Sancti Patres non egerint solùm opera præcepti, sed consilii; malè infertur, ex eo, quòd Sancti Patres elegerint meliora, & probabiliora, quòd nos teneamur ad probabiliora eligenda. Sanè melius nobis consulemus, si eligamus probabiliora. Sed de hoc non procedit quæstio; sed an præcepto obstringamur ad eligenda probabiliora? Vita ergo Sanctorum ostendit nobis, quo modo expediat semper æmulari charismata meliora; non verò ostendit obligationem præcepti obstringentis ad probabiliora.

1007 Obiicit quintò Fagnanus Aristotelem. 3. de Anima. *tex.* 152. aientem: *Intelligere, in quo est rectè quidem prudentia, & scientia, & opinio vera; non rectè autem contraria horum*. Igitur in sententia Aristotelis sola opinio vera est intellectio recta. Dixit autem *opinio vera*, ut excluderet opinionem probabilem, quæ non est vera, sed indifferens, ut sit vera, vel falsa: ergo opinio probabilis non est intellectio recta. Sed conscientia dirigi debet intellectione recta: ergo non opinione probabili.

1008 Respondeo, falsum esse, quòd nomine opinionis veræ excludat Aristoteles opinionem probabilem, solùm enim excludit opinionem gravi fundamento destitutam. Nam quævis opinio verè probabilis apud prudentes reputatur vera, quia habet fundamenta, quæ suadeant esse veram. Ideòque opinio probabilis dicenda est intellectio recta, attenta tenuitate intellectus nostri, & obscuritate rerum agendarum, quam patitur noster intellectus. Nec inferas, esse posse duas contradictorias simul veras; sicut sunt simul probabiles. Solùm enim dicimus, unamquamque probabilem posse censeri veram, & oppositam falsam.

1009 Obiicit sextò Fagnanus à *nu.* 59. S. Thomam ubi supra, & plures Authores antiquos, Alensem in *summ. part.* 2. *qu.* 26. *de falsit. memb.* 2. S. Bonaventuram in 2. *dist.* 7. *art.* 2. *qu.* 1. *num* 52. Scotum *quodlib.* 18. *sub litt.* Q. & in *collat.* 12. post princip. Caietanum *tom.* 1. *opusc. tract. ult. resp.* 13. *dub. ult.* & in *verb. sum. Opinionis usus*, ad finem. Gabrielem *dist.* 15. *qu.* 8. *art.* 2. *dub.* 2. & apud ipsum, Gersonem, Sylvestrum verb. *Dubium*, & verbo *Opinio*. Addit Iulius Mercorus ex antiquis Armillam verb. *Opinio*. Adrianum de *restit. qu* 4. Angelum *qu.* 1. Henricum *quodlib.* 4. *qu.* 33. Majorem in 4. *qu.* 1. *conc.* 3. Tabienam verb. *Dubium*. S. Antoninum 3. *part. tit.* 3. *cap.* 10.

1010 Hos autem Doctores afferunt pro sua sententia, vel quatenus dicunt, in dubio semper standum esse pro parte tutiori; vel quatenus dicunt, eum, qui operatur, esse debere certum de honestate operationis, vel quatenus aliqui eorum dicunt, probabiliorem partem esse eligendam.

1011 Circà quorum placita, aliqua notanda veniunt. Primum, eos Authores, dum dicunt, in dubio esse eligendam partem tutiorem, sive operantem esse debere certum de honestate operationis; nullatenus nobis contradicere: id enim nos expressè asserimus. Nam dictamen conscientiæ, quo asserimus, *Licitum esse uti quavis opinione verè probabili*, est certum, & excludit omnem formidinem. Et ita Illustriss. Tapia explicat Cajetanum, Armillam, & Navarrum; immò & D. Thomam, cujus explicationis verba vide supra *cap.* 18.

1012 Secundum, nullum ex antiquis esse, qui asserat, in quovis conflictu opinionum probabilium, etiam æquè probabilium, standum esse pro parte tutiori, & strictiori, quæ stat pro lege (illa quidem incerta) contra libertatem. Immò potiùs omnes antiquos stare contra eam sententiam, observaui in 1. *part. Crist. Theolog. disp.* 15. *cap.* 6. *art.* 5. *fin.* Quia nullus est ex antiquis Doctoribus, qui in conflictu opinionum adversarum aliquando non doceat opinionem stantem pro libertate: ergo censent, non standum esse semper in quovis opinionum conflictu pro parte tutiori contra libertatem. Ex quo patet, quòd adversarii citant pro se eos Authores, qui illis aperto Marte contradicunt.

1013 Tertium, ex antiquis paucissimos esse, qui doceant, partem probabiliorem sequendam esse in conflictu opinionum probabilium.

1014 Quartum, quod attinet ad Scotum, Gonetus putat, suæ sententiæ apertissimè suffragari. Nam in Dissert. de Probabilit. *nu.* 28. hunc textum Scoti affert in 3 *dist.* 25. *quæst.* 1. *num.* 8. [In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primo est mortale; ut si unus peritus in conscientia, dicat, quòd non licet sic mercari, & alius dicat, quòd licet; tutius est, non procedere sic, vel sic; sed expectare quousque veritas pateat aliunde. Si enim ita esset, quod unus doctus diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret; & alius, quod peccaret, si sic faceret, tunc *simplex* foret perplexus: ideò benè videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur. *Quia videlicet cùm habeas duas opiniones contrarias, perplexus sis, periculosè se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta, illam probabiliorem agnosceret*.] Hucusque producit Gonetus textum Scoti.

1015 Et ibidem affert secundum textum ejusdem Scoti in 4. *dist.* 11. *qu.* 6 in hæc verba: *Cùm multis sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minus probabilem*. Hæc ex Scoto Gonetus.

1016 Convolavi statim ad videndum textum Scoti in editione anni 1519. apud Iodocum Badium, quæ extat in bibliotheca Domus Professorum Societatis Iesu Hispalensis, ubi hæc scribo. Et inveni, in ea editione desiderari eam postremam periodum, quæ incipit, *Quia videlicet*, quæ cursivis, ut vocant, caracteribus supra scripta est; in qua dicitur esse *perplexum* eum, *qui habet duas opiniones contrarias; & periculosè se determinare*, donec *probabiliorem agnoscat*. Vnde colligo, ea verba, si in noviori editione reperiuntur, superaddita esse Scoto per aliquem discipulum, qui suam opinionem voluit Scoti authoritate fulcire.

1017 Est & alia conjectura non vulgaris. Nam tempore Scoti non vigebat hæc controversia de opinione probabiliori, aut minus probabili. Cujus manifestum signum est, quòd S. Thomas ferè coætaneus Scoto non fecerit mentionem ejus controversiæ de probabiliori, & minus probabili opinione.

1018 Est adhuc & alia fortior conjectura ad credendum, ea verba esse supposita textui Scoti. Nam in eo textu loquitur Scotus de homine simplici, & illiterato, & de prima vice, qua is homo audit eum conflictum adversarum opinionum, ut patet illis verbis, *quando primo est mortale*, item *Tunc simplex foret perplexus*. Et etiam patet ex objectione, & solutione ejus, in qua asserit, quando denuò homo simplex, & illiteratus audit prædicari tanquam articulum Fidei aliquem de novo, qui non solet prędicari in Ecclesia. Cui illiteratus non debet assentiri, donec certus fiat de tali articulo. Et dicit, similiter debere procedere, cùm de novo audit controversiam, an hoc sit peccatum mortale? Non autem daret Scotus bonam regulam homini illiterato, ex eo, quòd probabiliorem opinionem agnosceret, cùm illiteratus nesciat inter probabiliorem, & minus probabilem discernere.

1019 In eadem editione quæsivi diligenter secundum textum quem affert Gonetus, in quo agitur de quæstione probabiliori, & minus probabili; & in tota quæstione 6. citata, nec unum quidem verbum ex illis reperitur. Quare ob duas priores conjecturas credo, eum etiam textum esse superadditum textui Scoti.

1020 Sed

1020 Sed demus, eum textum priorem non esse supposititium, sed verum, & genuinum. Ex illo nihil infertur pro contraria sententia. Quia Scotus loquitur de dubio practico, in quo reperitur constitutus homo simplex, & illiteratus, eo quòd prima vice videt dissidentes duos Doctores in ea quæstione, an licitum sit operari sic. Et dum est in dubio practico, debet eligere tutiorem, aut probabiliorem. Quod etiam nos credimus in homine docto, quando dubitatur de probabilitate opinionis: quia dubium de probabilitate opinionis est dubium practicum, quod non potest deponi, nisi eligendo tutiorem, aut probabiliorem partem. Quæ explicatio potest etiam accommodari secundo textui; immò & assertioni antiquorum, ubi dixerunt, sequendam esse probabiliorem opinionem.

1021 Et sic intelligendus est S. Antoninus *in 1. part. sum. tit. 3. cap. 10.* ubi consulit scrupuloso, quòd deponat dubium adhærendo opinioni alicujus Doctoris, *Si habet rationes probabiles pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione*. Loquitur enim de dubio practico, in quo tutiorem, aut probabiliorem partem oportet eligere. Nisi fortè loquatur S. Antoninus in eodem sensu, ac loquitur paulo inferiùs, dum ait: certitudinem moralem consurgere ex probabilibus conjecturis, grossis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus. Nam rationes, quæ stant pro una opinione semper stant magis pro illa, quàm pro opposita.

1022 Constat enim S. Antoninum citatum stare pro nostra sententia de quavis opinione probabili seligenda cùm B. Alberto Magno, quem refert, & sequitur his verbis *ibid. in regul. 7. Item ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quòd frater simplex, videlicet quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur.*

1023 Sed & operæ prætium est referre cœtera fundamenta, quæ ibidem affert S. Antoninus ex variis Authoribus ad probandum, licitum sequi quamlibet opinionem probabilem, quæ pro se habet magnum aliquem Authorem. Nam immediatè post verba proximè relata subdit: [Ostiensis etiam dicit *extra. de cognat. spirit. super cap. Si vir.* ubi sunt diversæ opiniones, & diversa judicia, semper *humanior* est præferenda, & æquior Et ad idem facit, quod dicit *Augustinus dist. 9. Sana.* Guilielm. etiam in glossa Ray. dicit, quod in apicibus juris, ubi dubitant etiam sapientes, *excusabilis est ignorantia*. Unde si aliquis bona fide *partem illam, vel illam elegerit*, non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam. Item *Petrus de Palud super 4. dist. 17.* dicit, quòd si Confessor dubitaret, utrùm illud, de quo confitens non pœnitet, nec confitetur, esset mortale, & ipse confitens dicit, quòd consilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita, & conscientia probabile est, quod non consulerent, nisi bene, *illo judicio se potest conformare*. Secus autem esset, si esset certus de opposito. Idem videtur sentire *Gofr. de Fontibus*, in his scilicet opinionibus contrariis, *quæ tolerantur ab Ecclesia*, ut dictum est. Et quòd debet proponere confitenti, quòd bene studeat de hoc se ipsum per prudentes informare, eo, quòd alii tenent *contrariam opinionem*: maximè si illius contrariæ opinionis confessor sit inordinarius eius; & sic eum absolveret. Idem sentit *Riccardus Claremontanus*, non distinguendo, utrùm confessor ejus sit ordinarius, vel non ordinarius. Idem potest haberi ex decretali *extra. de senten. excomm. Inquisitioni.* tam in textu, quàm in glossa. Ubi declaratur, quando mulier uxorata incipit per novam informationem dubitare, an attineat viro gradu prohibito, quomodo se debeat habere in tali dubio circà exactionem, vel redditionem debiti conjugalis. Probatur & hoc idem tali ratione secundum *Cancellarium*. Non plus nocet homini errare in *Articulo Fidei*, qui non est declaratus adhuc ab Ecclesia, quòd sit articulus de necessitate credendus; quàm necesse (corrige, nocere) posset actus moralis contra aliquid agibile perpetratus: quia actus non dicitur esse *tortus ex Scriptura, aut determinatione Ecclesiæ*, quòd sit illicitus. Patet hoc ex eo, quòd Fides est tam necessaria, sicut virtutes morales; & si non ampliùs. Sed constat communiter apud Theologos, quòd in materia Fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiæ, tenere *unam partem, vel alteram*, sine periculo peccati, vel Fidei: ut patet in Abbate Joachim, qui tenebat contrarium ad id, quòd Magister *sentent. in 1. dist. 1. lib.* Pro quo Magistro sentent. Ecclesia postmodum determinavit *Extra. de summa Trinit. Damnamus*. Nec tamen dictus Joachim incidit in hæresim, aut perfidiam propter hoc: quia dicta sua omnia subjecit correctioni Ecclesiæ: ergo à simili, *licet unam opinionem in moralibus tenere*, juxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium, & ubi paratus est obedire Ecclesiæ, & Scripturæ, si ei errorem explicaverit.] Hucusque S. Antoninus.

1024 Ex quo patet, quàm inaniter glorientur adversarii, quòd pro sua sententia habeant omnes Doctores antiquos, cùm ex ea S. Antonini periodo constet, ipsum *S. Antoninum* stare pro nostra sententia. Item clarissimè *S. Albertum Magnum*. Tertiò *Ostiensem* qui *humaniorem*, idest benigniorem opinionem, consulit esse tenendam, & consulendam. Quartò *S. Augustinum*, quem putat S. Antoninus eidem sententiæ suffragari. Quintò *Guilielmum*, qui apertissimè favet, tum illis verbis: *Excusabilis est ignorantia*; tum illis. *Si quis bona fide partem illam, vel illam elegerit*: quæ denotant in conflictu opinionum probabilium, quamlibet eligi posse. Sextò. *Paludanum*, qui asserit, confessarium posse se accommodare opinioni pœnitentis, qui alios Doctores consuluit, licèt contra propriam opinionem; & solùm excludit casum, in quo confessarius certus sit de opposito; atque adeò cùm probabilitas non afferat certitudinem, non excludit casum, in quo probabilior sit opinio confessarii. Septimò *Gofredum de Fontibus* loquentem de quibuslibet opinionibus toleratis Ecclesia. Quod qua ratione intelligendum sit, satis declaravi *in 1. part. Crit. & in hac disput.* Octavò *Riccardum Claremontanum*. Nonò *Gersonem*, sub nomine Cancellarii, qui utitur eo argumento ineluctabili: [Non tenemur credere, nisi certò constet esse de Fide: ergo in moralibus, non tenemur, nisi certo constet de præcepto.] Decimò, existimat S. Antoninus idem probari *ex cap. Inquisitioni de sent. excomm.* Undecimò *ex glossa* ejusdem. Et hinc constat, quantum decipiantur adversarii putantes, omnes antiquos Doctores militare contra nostram sententiam.

1025 Huc spectat septima objectio ab authoritate, quam proponit Gonetus *in dissert. de Probabilit. num. 16.* in qua obiicit authoritatem Universitatis Pictaviensis, his verbis: [Denique Doctores Academiæ Pictaviensis die 21. mensis Junii anni 1665. de hac propositione (in thesibus à plurimis Societatis Jesu discipulis propugnandis, & Rectori, totique Academicorum Cœtui dicatis, contenta) *Agendi regula proxima, conscientia est: probabilem sequi tutò licet, etiam probabiliori posthabita*. Hanc tulere censuram. *Hæc propositio, quoad secundam partem generatim sumpta, quatenus ad omnem probabilitatem, & casum extendi potest, falsa est, & temeraria, & in varias morum corruptelas inducens.*]

1026 Quamvis authoritas unius Universitatis non sit authentica; neque enim Universitates habent authoritatem à Romana Cathedra ad damnandum doctrinas Theologorum; tamen negari non potest, Universitati esse authoritatem privatam non contemnendam. Ideò respondeo jubens, ut attendantur accurratè ea verba, *generatim sumpta, quatenus ad omnem probabilitatem, & casum extendi potest*. Quibus significari voluit, eam propositionem esse temerariam, &c. si extendatur ad omnes opiniones, quæ in libris quibuslibet Summistarum proponuntur ut probabiles: sic enim multæ sunt, quæ omnino explodendæ, ut patet ex decretis Alexandri VII quæ proposui, & explicui *in 1. part. Crit. Theolog. disput. 9. cap. 20.* Item si propositio loquatur de casu, in quo extra necessitatem administretur Sacramentum in materia dubia, puta baptismum in lixivio propter opinionem speculativam probabilem, quòd lixivium est materia idonea baptismo. Quamvis nos in hoc casu dicamus, licere omnem opinionem practicè probabilem, eo quòd sit practicè improbabile, quòd liceat baptizare in lixivio extra casum necessitatis; & illam opinionem non esse actum practicum, sed speculativum. *De quo vide cap. 17 art. 3.*

1027 Respondeo secundò, si Doctores Pictavienses in alio sensu locuti sunt, ita ut damnaverint nostram sententiam [De quavis opinione practicè, & verè probabili amplectenda, etiam probabiliori posthabita] illos insigniter decipi. Et contra illos oppono omnes Hispaniæ Universitates, quæ nulli alteri cedunt, Salmanticensem, quæ Reipublicæ litterariæ emporium est, Complutensem, quæ Vasquii opiniones studiosè, & emulanter colit, Conimbricensem, quæ resolutiones Suarii ad instar oraculi veneratur. Taceo Hispalensem, Ursaonensem, Biaciensem, Vallisoletanam, & reliquas Hispaniæ litterarias Academias, in quibus à centum annis ferè nullus est Doctor, qui nostram sententiam non tenuerit. Deinde ingens esset absurditatis monstrum damnare sententiam, in quam conspirarunt primaria Reipublicæ litterariæ capita, Suarius, Vasquius, Thomas Sanchez, Valencia, Molina, Lessius, Granadus, & similes, illi quidem ex Jesuitica schola; ex Thomistica vero Magistri Alvarez, Bañez, Bartholomæus de Medina, Aragon, Ludovicus Lopez, Illustriss. Tapia, & similes. Si his omnibus doctiores sunt illi Pictavienses Doctores, qui referuntur eam sententiam damnasse, posset admitti damnatio. Sed quis suadebit Reipublicæ litterariæ, eos esse doctiores præcitatis?

1028 Obiicit octavò Fagnan. his verbis *num. 289.* [Vigesimum septimum fundamentum sumitur ex quamplurimis assertionibus, quas *Parochi Parisienses, & Rothomagenses* universo Clero Gallicano, paucis ab hinc annis, proposuerunt non tolerandas, & authoritate Superiorum prohibendas; Inter quas primo loco tamquam aliarum præcipuam collocarunt hanc, de qua nunc disputamus, videlicet; *à peccato immunem esse, qui relicta opinione, quam veram credit, & quæ magis tuta, contrariam sequitur minus probabilem, minusque securam*. Judicium autem tam magni cœtus Presbyterorum, qui in Urbibus Regni præcipuis animas regunt, & conscientias dirigunt, parvi non est faciendum.]

1029 Respondeo, eam authoritatem Parochorum non esse parvipendendam; scio enim, esse viros valde doctos. Credo tamen, in eo decipi, quòd putent, dicere nos, esse probabilem opinionem, quam tradit unusquisque Scriptor, quicumque ille sit: cùm tamen id sit contra communem sensum Doctorum primæ classis; ut probavi *in 1. part. Crit. Theolog. disput. 11.* Nam cùm in aliquibus Authoribus reperiantur opiniones reprobatione dignæ, putant eas à nobis admitti intra numerum probabilium; quas

tamen ab hoc sacro nomine excludimus. Sic excluduntur opiniones, quæ levi fundamento, sophistico, aut æquivoco nituntur; quæ militant contra principium certum; quæ sine diligenti rationum discussione traduntur; & quæ sunt dubiæ probabilitatis.

1030 Sed si adhuc exclusis bis omnibus opinionibus, prædicti Parochi nostram sententiam reprobent de quavis opinione verè probabili seligenda ad praxim; considerandum est, an illi sint doctiores insignibus Thomistis Alvarez, Bañez, Bartholomæo de Medina, Illustriss. Tapia; item ex nostris, Suario, Vazquio, Sanctio, Valencia, Granado, & reliquis primæ classis Doctoribus; & ubi constiterit, eos doctiores esse, æquum erit, ut prævaleant primis Reipublicæ litterariæ capitibus.

ARTICULUS II.

Aliis Fagnani objectionibus fit satis, quas proponit pro prima parte sua doctrina.

SUMMARIUM.

Quo modo usus opinionis probabilis attingat verum, immò & certum? nu. 1032.

An opinio sit objectum virtutis prudentia, non virtus ipsa? n. 1033.

Quo modo is, qui operatur ex opinione probabili, sit certus de honestate operationis? n. 1043.

An judicium de electione opinionis probabilis conformetur legi aterna? nu. 1035.

An possit haberi probabilitas de nullitate matrimonii, & non de valore? n. 1039. & 1043.

An qui habet probabilitatem de nullitate, & non de valore, habeat judicium certum de obligatione reddendi debitum, & non petendi? n. 1041.

An qui facit actum probabiliter illicitum, discrimini se committat? nu. 1042.

An qui non invenit certitudinem, prudenter faciat, dum regitur probabilitate? Et quid ab exemplis in objectione allatis? n. 1046.

Quo modo sit certitudo in probabilibus? Et quo modo in illis sit dubitatio? nu. 1048.

An possit eligi ad praxim quavis opinio cujuscumque authoris? nu. 1050.

Quo modo in probabilibus sit rectitudo? n. 1052.

Quo modo in usu opinionis detur judicium certum de honestate operationis? n. 1054.

An adversarii non penetrent modum certitudinis, quem nostra sententia constituit? n. 1056.

An quandoque resultet certitudo ex probabilibus? n. 1057.

An quandoque ex probabilibus resultet certitudo non effectivè, sed objectivè? n. 1058.

1031 FAgnanus à *num.* 68. multas objectiones proponit, quæ ex eodem principio facilè dissolvuntur, præcipuè quinque immediatas, in quibus has congerit propositiones. Primam. Prudentia, quæ est virtus intellectualis habet pro objecto verum; opinio autem probabilis non habet determinatè pro objecto verum: non ergo pertinet opinio probabilis ad prudentiam. Secundam. Opinio probabilis non est virtus, propter ejus incertitudinem: ergo qui utitur opinione probabili, non operatur ex virtute, atque adeò neque ex prudentia. Tertiam. Ut quis rectè operetur, requiritur, quod habeat certitudinem de honestate operationis: opinio autem, utpote incerta, non potest habere hanc certitudinem. Quartam. Dictamen rectæ rationis debet conformari legi æternæ tamquam primæ regulæ, ut ait S. Thomas *in* 1.2.*qu.*19. *art.*6 opinio autem probabilis non conformatur legi æternæ, quia hæc est immutabilis, & probabilitas est mutabilis, potest enim mutari adveniente principio certo. Quintam. Judicium probabile est incertum: ergo non potest habere eam certitudinem, quæ ad operandum prudenter requiritur.

1032 Sed hæc omnia facilè solvuntur ex dictis art. præcedente in solutione objectionis 1. In usu opinionis probabilis esse duos actus: & ipsam opinionem, quæ incerta est, & dictamen conscientiæ, quod licet uti quavis opinione verè probabili practicè, quod est omnino certum. Hinc ad primam dic, actum prudentiæ habere pro objecto verum, & esse certum; non item actum opinionis: consistit autem prudentia in dictamine practico certo, non ipsa opinione. Quando autem dicitur, quod opinio non pertinet ad prudentiam, dic, non pertinere ad illam tamquam actum proprium illius, sed tamquam objectum.

1033 Ad secundam, opinio non est virtus, sed objectum virtutis, nempe dictaminis reflexi de opinione probabili seligenda ad praxim Qui ergo operatur juxta opinionem probabilem, operatur ex virtute, non præcisè quia operatur ex opinione; sed quia operatur ex illo dictamine reflexo certo, qui est actus prudentiæ, atque adeò virtutis.

1034 Ad tertiam, qui operatur juxta opinionem verè probabilem, habet certitudinem de honestate operationis, non quia ipsa opinio sit certa, sed quia certum est, illum rectè operari, qui sequitur opinionem verè probabilem.

1035 Ad quartam, licèt ipsa opinio formaliter non conformetur firmiter legi æternæ; at judicium practicum de electione opinionis probabilis, in quo residet certitudo invariabilis, perfectè conformatur legi æternæ.

1036 Ad quintam, patet ex dictis, certitudinem non residere formaliter in judicio probabili, sed in judicio certo de usu licito opinionis probabilis.

1037 Objectio secunda, ex Fagnano *num.* 37. est, quam proponit his verbis: [Qui facit actum probabiliter illicitum, discrimini se committit, & mortaliter peccat; ut est textus *in cap. Inquisitioni. de sententia excommunic.* ubi est expressum mortaliter peccare eum, qui facit actum illicitum ex conscientia credulitatis probabilis. Et probatur id à fortiori *in cap. Ad audientiam. in cap. Significasti.* 2. *& in cap. Petitio. de Homicid.* Sed qui facit actum probabiliter licitum, facit actum probabiliter illicitum, cùm probabilitas se habeat indifferenter ad utrumque extremum, ut *in* 6. *Ethic. cap.* 3. *&* 5. *& in* 1. *magnorum moral. cap.* 33. *& in* 1. *Poster. text.* 44. ubi probabile, seu opinabile definitur esse, quòd ita creditur esse, quòd tamen aliter se habere potest. Ergo qui facit actum probabiliter licitum, committit se discrimini, & mortaliter peccat.]

1038 Pro cujus claritate nota, in præfato *cap. Inquisitioni.* dixisse Pontificem hæc verba: *Verùm cum conscientia pulset animum ex credulitate probabili, & discreta* (impedimenti dirimentis) *quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

1039 Circà quæ verba notandum est primò, non loqui Pontificem, nisi solùm in casu, in quo habeat credulitatem merè probabilem de nullitate matrimonii, non autem de valore; ut notavi *in* 1. *part. Crit. Theolog. disp.* 4. *cap.* 9 *& disput.* 16. *cap.* 8. *art.* 5. *num.* 170. Et quòd possit haberi opinio probabilis de una parte contradictionis, & non de altera, multis ostendi *in eadem disp.* 4.

1040 Notandum est secundo, illa verba, *debitum reddere potest*, accipi in hoc sensu *reddere debet*, vel *tenetur*. Ut probavi *disp.* 16. *cap.* 8. *art.* 5. *nu.* 168.

1041 Notandum est tertiò, eum, qui habet credulitatem probabilem de nullitate, non autem de valore, habere dictamen conscientiæ non probabile, sed certum de obligatione reddendi debitum, & de obligatione non petendi. Utraque enim obligatio est certa, ut constat ex definitione Pontificis. *Vide in eadem disput.* 16. *num.* 171.

1042 Hinc constat, majorem syllogismi esse falsam, & negandum esse, quòd qui facit actum probabiliter illicitum, discrimini se committit. Ad probationem desumptam *ex cap. Inquisitioni.* dic, aliud esse, quod habeat probabilem assensum ad nullitatem matrimonii, & aliud, quòd negatio debiti conjugalis in eo casu sit solùm probabiliter illicita. Primum enim est verum, & secundum falsum. Quia cùm obligatio reddendi debitum in eo casu sit certa, ut probavi *loco cit. num.* 171. negatio debiti est certò illicita.

1043 Est etiam falsa minor ejus syllogismi. Potest enim fieri, quòd actus sit probabiliter licitus, & tamen non sit probabiliter illicitus. Possum enim habere fundamentum topicum de honestate actus; & carere fundamento de malitia illius, ut multis probavi *disp.* 4 *cit.* Ad probationem, benè potest fieri, quòd habeam fundamentum probabile ad credendum, actum esse honestum; quo casu, ratione formidinis verum est, quòd aliter se habere potest; quamvis non habeam fundamentum grave ad credendum, illum esse malum.

1044 Reliqui textus in eadem objectione allati non sunt ad rem. Nam in primo traditur, quid faciendum sit in dubio de homicidio; dubium autem, & probabilitas maximè differunt. In secundo nihil dicitur de probabilitate; sed quid faciendum, casu, quo constet de vulneratione levi; & quid, casu, quo constet, vulnerationem fuisse læthalem. Et in tertiò solùm dicitur, quid faciendum, casu, quo illum remordeat conscientia de reali interfectione. Ex quibus nihil concluditur ad finem intentum.

1045 Tertia objectio, ex eodem Fagnano, *qui num.* 74. sic ait: [Si Dominus dispensationem, & administrationem bonorum suorum committeret servo, qui ex imprudentia, vel infidelitate solitus esset falli, & fallere; utique ab omnibus judicaretur imprudens, ejusque fatuitati imputaretur, si servus substantiam dissiparet. Et idem esset in ægroto, si pro cura sui corporis uteretur opera medici imperiti, & infidelis. Et in navigante, si navis regimen committeret nautæ, qui ex imperitia rei nauticæ, vel dolo malo solitus esset falli, & alios fallere, & aliquando mentiendo navigantes in interitum perducere. Ergo multo magis judicandus est imprudens Christianus, qui pro directione, & regula conscientiæ suæ utitur medio opinionis probabilis, quam mentiri, & fallere sæpe contingit, & falli: ut legitur in sæpius allegato *cap. A nobis.* 2. *de sentent. Excom. & in* 6. *Ethic. cap.* 3. *in princ.* Cùm anima corpori, & rebus omnibus sit præponenda. *Cap. Sedulo.* 38. *dist. & l. Sancimus. Cod. de Sacros. Eccl.*] Hucusque Fagnanus. Textus autem, quem citat *in cap. A nobis.* hic est: *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli.*

1046 Respondeo, ex ipsis exemplis confirmari potiùs, quam infirmari

firmari nostram sententiam. Nam sicut Dominus, qui post adhibitam diligentiam non invenit administratorem peritissimum, prudenter procedit committens res suas administratori mediocriter perito: ita homo, qui post adhibitam diligentiam non invenit certitudinem omnimodam in rebus agendis, prudenter agit dirigens conscientiam probabilibus. Et sicut ægrotus non inveniens Medicum peritissimum Galeno parem, prudenter agit committens valetudinem suam Medicis mediocriter peritis, quales re ipsa inveniuntur: ita prudenter agit, qui non inveniens doctrinam omnino certam fidit probabili. Quod idem dic de Nauclero peritissimo, & mediocriter perito. Textus autem *ex cap. A nobis.* contra ipsum Fagnanum resilit. Nam judicium ipsum Ecclesiæ *nonnunquam sequitur opinionem, quam & fallere sæpe contingit, & falli*; quid mirum, quòd Fideles id exemplum Ecclesiæ sequamur?

1047 Quarta objectio, quam proponit *num.* 75. eo tendit, ut probet, in opinione probabili non esse certitudinem. Ubi ponderat textum *in cap. Fraternitatis de Frigid. & Malefic.* ubi articulus dicitur dubitabilis, non obstante opinione probabili.

1048 Sed in cassum laburat. Ex dictis enim constat, opinioni probabili non inesse certitudinem, eam tamen reperiri in dictamine de usu licito opinionis probabilis. Quo modo autem dicatur esse dubitatio in probabilibus, latè explicui *in 1. part. Crif. Theolog. dis.* 6. ubi ostendi, quo modo cum assensu probabili non sit compossibilis dubitatio: quæ tamen compossibilis est inter motiva probabilia, non præstito assensu ad alterutram partem. Ideo probabilia dici possunt non dubia, sed dubitabilia.

1049 Quinta objectio, quam proponit *num* 77. fic: [Omnis opinio probabilis, secundùm Authores contrariæ sententiæ, est eligibilis: sed omnis controversa est probabilis: ergo omnis opinio controversa est eligibilis. Minor est eorumdem ad versariorum, quia omnis opinio controversa habet aliquos Doctores pro se. At absurdissimum est, Christianos in moralibus, in quibus vertitur salutis periculum, posse eligere quamcumque opinionem, de qua inter Doctores sit controversia.]

1050 Respondeo negando minorem. Ad probationem dico, eas dumtaxat opiniones esse eligibiles ad praxim, ob motivum authoritatis, quæ habent pro se, non quoscumque Doctores, sed unum, vel plures, dummodo sint omni exceptione majores: ut latè ostendi *in 1. part. Crif. disp.* 11. & constat ex decretis Alexandri VII. quibus damnantur multæ opiniones, quæ habent pro se aliquos Doctores.

1051 Sexta objectio, quam proponit *à num.* 79. probans, assensum opinativum non esse judicium rectum; ex Alensi *in sum. part.* 1. *qu.* 16. *membr.* 1. a. S. Thoma 2. 2. *quæst.* 51. *art.* 2. *ad* 2. S. Bonavent. *in* 2. *dist.* 7. *art.* 3. *quæst.* 1. *num.* 52. Scoto *quodlib.* 18. *sub littera E. & in collat.* 12.

1052 Respondeo, assensum probabilem, & si non sit physicè, & realiter rectus, esse tamen moraliter rectum: quia dum incertum est, quo modo operaturi sumus rectè, satis operatur prudenter, qui ex ratione probabili existimat, se rectè operari.

1053 Septima objectio est, quam prosequitur *à num.* 90. probans ex multis Authoribus, ad rectè operandum præcedere debere judicium certum de honestate operationis, & opinionem probabilem non esse judicium certum, sed admiatum esse formidine. Unde infert, ad rectam operationem necessarium esse expellere omnem formidinem, scrupulum, aut levem credulitatem *ex cap. Per tuas.* 2. *de Simonia. & cap. Inquisitioni. de sent. excom.*

1054 Sed ex dictis, præcipuè *cap.* 17. *art.* 4. facilè solvitur hæc objectio. Nam dictamen conscientiæ de usu cujusvis opinionis verè probabilis est judicium certum de honestate operationis. Formidinem autem, aut levem credulitatem inclusam in opinione probabili, non est necesse explodere physicè, sed sufficit si explodatur moraliter, & practicè, nempe contemnendo illam, & formando judicium, quod illa non obstat honestati operationis.

1055 Octava objectio est, quam proponit *num.* 99. his verbis [Defensores probabilitatis enixè contendunt, in moralibus, sufficere certitudinem ex probabilibus, idque potissimùm deducunt ex Aristotele *supra cit. in* 1. *Ethic. cap.* 3. Et ea hoc fundamento apud eos solido, & inconcusso deducunt omnes suas conclusiones, videlicet, qui in actibus humanis eligit, quod est probabile, non agit temerè, sed prudenter; eligit perfectum, ac tutum; non committit se discrimini; sequitur dictamen rationis; & alia plura id genus. Quare vis tota præsentis disputationis versatur in intelligentia asserti principii, quod in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus: nam everso hoc fundamento, totam hanc machinam probabilitatum corruere necesse est. Et quidem nos eredimus, in eo magnam latere fallaciam, seu æquivocationem. Quod ut pro nostri ingenii tenuitate, quantum Deus dederit, dilucidè ostendamus, accuratè observandum proponimus, aliud esse, in moralibus sufficere *certitudinem ex probabilibus*, & aliud in moralibus sufficere *certitudinem probabilem*. Hæc enim dum differunt, ut *causa, & effectus*. Nam primum denotat causam, per quam certitudo moralis in nobis generatur, & io esse producitur: secundum verò denotat effectum, id est, ipsam moralem certitudinem in nobis jam generatam, & in esse productam. Itaque cùm dicimus, in moralibus sufficit certitudo, quæ oritur, & generatur io intellectu ex argumentis, & rationibus probabilibus, propositio vera est, quia plures rationes probabiles sunt aptæ natæ producere, ac generare in potentia rationali moralem certitudinem de honestate operationis absque ulla formidine partis oppositæ; si rationes illæ sint tanti ponderis, ut efficaciter moveant intellectum ad judicandum rem ita se habere; ut probatur *in cap. Ego solis. vers. Alios autem.* 9. *dist.* Et hæc est illa certitudo surgens ex probabilibus, quæ in morali materia sufficit ad rectè operandum. Cùm vero dicimus, in moralibus sufficit certitudo ex probabilibus, si intelligamus, id est, in moralibus sufficit *certitudo probabilis*, propositio est falsa: quia ista certitudo probabilis non datur, immò implicat contradictionem, ut sit certitudo, & sit probabilis.] Prosequiturque latissimè hunc discursum eruditè promoveas.

1056 Pro cujus claritate notabis primò. Fagnanum non rectè calluisse modum certitudinis de honestate operationis, quem nostra sententia statuit. Non enim statuimus certitudinem probabilem, quæ vere implicat contradictionem: esset enim certitudo incerta.

1057 Notabis secundò, verum esse, quod ipse ait, nempe resultare aliquando certitudinem directè ex conjecturis probabilibus, sive ex conjecturis, quarum quælibet seorsim est probabilis: conjunctæ tamen constituunt unum motivum adæquatum certum moraliter.

1058 Notabis tertiò, præter eos duos modos certitudinis ex probabilibus esse alium tertium: quæ certitudo non oritur ex probabilibus effectivè, sicut secundus; sed tantùm objectivè, quatenus opinio probabilis est objectum judicii certi, præscribentis, usum cujusvis opinionis verè probabilis esse licitum. Et hic est modus certitudinis ex probabilibus, quem nos admittimus. Ejus autem certitudo constat *ex capitibus* 15. 16. & 17.

ARTICULUS III.

Dissolvuntur objectiones Fagnani, quas opponit pro secunda parte sua doctrinæ.

SUMMARIUM.

Quo modo ex probabilibus resultet dubitatio, & quo modo assensus? nu. 1060.

An, & quo modo assensus opinativus sit liber? ibidem.

An possit esse dubium, ubi utrimque sunt rationes probabiles? nu. 1061.

An in æquè probabilibus, cùm quis, solutis rationibus unius partis, assentitur alteri, judicet, utramque non magis apparere veram, quàm falsam? nu. 1064.

1059 Fagnanus loco citato *à num.* 123. intendit probare, Inter opiniones æquè probabiles necessariò intervenire dubitationem; ideòque semper standum esse pro parte tutiori, nempe pro lege contra libertatem. Relictis ergo aliquibus objectionibus, quarum solutio constat ex dictis. Prima objectio desumitur *ex Aristotele* 1. *Topic. cap.* 9. *in princ.* ubi sic ait: *Sunt autem problemata, & de quibus contrarii sunt syllogismi; dubitationem enim habent, utrùm sic se habeant, an non; eo quòd de utrisque sunt rationes suasibiles.* Ergo necessariò intercedit dubitatio, ubi utrimque sunt rationes suasibiles, sive probabiles. Neque potest alteri partium assentiri, quia intellectus non est liber in opinando.

1060 Respondetur ex dictis, quando utrimque sunt rationes probabiles, sive suasibiles, objectum esse dubitabile, & de facto dubitare solet intellectus, sed accedente imperio voluntatis, & inclinatione illius saltem indirecta, solvit quandoque rationes unius partis; & his ita dissolutis, manet intellectus expeditus, ut assentiatur alteri parti. Loquitur ergo Aristoteles de dubitatione, quę oritur, non accedente inclinatione voluntatis. Et quidem quando versor inter duas opiniones adversas, v. g. Suarii hinc, inde Thomæ Sanchez, dum Suarium sequor, non dubito; quia Suarius illam defendit absque dubitatione, & ego qui sequor Suarium, utor sapientia illius eodem modo, quo ipse differuit. Et idem contingit, si non Suarium, sed Thomam Sanchez sequor, qui absque ulla dubitatione id docuit: utor enim doctrina illius, quia scio, me esse inferioris doctrinæ: & est dictamen certum prudentiæ, quo rectè procedo, dum in praxi utor doctrina sapientum, qualis est Thomas Sanchez, aut alius Doctor omni exceptione major. Ad id, quod dicitur, intellectum non esse liberum, respondeo, non esse liberum formaliter; in rebus autem obscuris, & incertis esse radicaliter liberum, quia in illis subiicitur, saltem indirectè, inclinationi liberæ voluntatis. De quo vide *in* 1. *part. Crif. Theolog. disp.* 15. *cap.* 4. *art.* 7.

1061 Secunda objectio est, quam desumitur Fagnanus *à num.* 148. ex variis textibus juris Canonici. *cap. Nervi.* 13. *dist.* & subdit Fagnanus: [Ubi plurimis exemplis ostenditur, eum, qui agitatur contrariis opinionibus, & per rationes suasibiles impellitur in utramque partem, propriè habere *conscientiam dubiam*, atque perplexam.] Deinde *in cap. Fraternitatis. de frigid. & malefic.* ubi dicitur latam sententiam divortii *per errorem licèt probabilem*; & tamen Innocentius III. subdit: *Quandiu articulus iste dubitabilis erat.* Ergo probabilitas dubitationem inducit. *Et in cap. Illud. de Præsumpt.* ubi ponderantur pro utraque parte rationes probabiles; & tamen dicitur, *In hujusmodi dubitatione*. Ergo rationes probabiles dubitatio-

tationem pariunt. *Item in cap. Inquisitioni. de sent. Excom. Item in cap. Illud. de Cler. Excom. minist. Item in cap. Per venerabilem. §. Rationibus.* Qui filii sint legitimi. *Item in cap. Veniunt. de Presb. non baptiz. Item in cap. Litteras. de Restitut. spoliatorum.* In quibus omnibus textibus supponitur, dum versatur causa sub probabilitate rationum, illam esse dubiam.]

1062 Sed hi textus nihil superaddunt, quòd alia egeat responsione, quàm ea, quæ data est objectioni præcedenti. Non enim negamus, esse dubitabilem causam juris, in qua utrimque sunt rationes probabiles; dummodo concedatur, dubitationem deponi posse per rationes verè probabiles. In causa verò facti ex dictis necessariò resultat dubitatio. Ubi advertendum est *in cap. Nesti.* citato, non referre S. Gregorium rationes probabiles, sed potius rationes dubitandi satis improbabiles, quæ peccatori solent occurrere ad excusandum peccatum: ut patet in exemplo volentis obedire Prælato in re illicita propter rationem, quæ occurrit obligationis obedientiæ; & in reliquis exempli ob similes rationes improbabiles. Alia multa adducit Fagnanus in eamdem sententiam, quæ non indigent alia responsione, quàm hucusque data.

1063 Objectio tertia est, quam proponit *num.* 157 his verbis: [Judicare, utramque partem contradictionis esse æqualiter probabilem, est judicare, utramque non minus apparere veram, quàm falsam: nam quælibet ex proprio motivo apparet vera, & motivo suæ oppositæ apparet falsa; unumquodque enim motivum quanto magis suam partem facit apparere veram, tanto magis suam oppositam facit apparere falsam. *Cap. Hospitiolum. in fin.* 32. *d. ff. leg.* 1 *ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* . . . Cùm igitur ex utraque parte motiva sint æqualia, utraque pars æqualiter apparebit vera, & æqualiter apparebit falsa; sed nullus potest opinari de propositione, quæ sibi æqualiter apparet vera, & æqualiter sibi apparet falsa; cùm opinari sit judicare, propositionem veram cum sola formidine, quòd sit falsa, ut ostensum est supra *num.* 127. Ergo cùm intellectus judicat, utramque partem contradictionis esse æqualiter probabilem, de neutra potest opinari, sed necessariò dubitat.]

106. Respondetur, cùm quis judicat, utramque opinionem adversam esse æqualiter probabilem, sine assensu ad alteram partem, tunc judicat, utramque non magis apparere veram, quàm falsam. Si tamen solutis rationibus unius partis, assentiatur alteri, tunc falsum est, quod judicat, utramque non magis apparere veram, quàm falsam. Nam bene stat, quòd utramque judicet æquè probabilem, & quòd accedente inclinatione voluntatis, solvat rationes unius partis, aut judicet solutas à Doctore magno; & sic expeditus intellectus assentiatur alteri parti, quam eo ipso judicat veram, & alteram falsam. In quo non procedit temerè, quia nititur fundamento gravi hujus partis. Cœtera, quæ in eorum confirmationem adducit Fagnanus, eadem responsione facillimè dissolvuntur.

ARTICULUS IV.

Altera objectio desumpta, ex eo quòd in dubiis tutior pars eligenda sit. Ubi etiam examinatur, An in dubio standum sit pro possessione?

SUMMARIUM.

An electio partis tutioris in dubiis, non præcepti sit, sed consilii? Et an adversarii nostram doctrinam non penetrent? n. 1068.

An extra materiam justitiæ in dubiis standum sit pro possessione? n. 1069.

An periculo errandi se exponant Juristæ, dum transeunt ad materiam Theologicam? n. 1070.

Casus dubii, in quibus parvuli baptizandi sunt sub conditione, & Clerici initiandi sub conditione? n. 1073.

An ad regulam de possessione libertatis in dubiis sit formandum judicium inter Deum ut actorem, & hominem ut reum? n. 1077.

An hæc possessio libertatis sit analogicè possessio? n. 1078.

An servata metaphora judicii, dicendum sit, quòd conscientia est Judex? n. 1079.

An adversarii non penetrent nostram doctrinam de dubio practico, & speculativo? n. 1080. & seq.

An confundant doctrinam de dubio practico, & speculativo cum doctrina de opinione practica, & speculativa? n. 1082.

An eo ipso, quòd opinio sit speculativè probabilis, sit etiam practicè probabilis? remissivè. n. 1083.

Et quomodo inde non inferatur, dubium speculativum fieri etiam practicum? n. 1084.

An sit impossibile, aliquem esse dubium speculativè, & certum practicè? n. 1085. & seq.

An ex Sacris Canonibus constet, in probabilibus tutiorem partem esse eligendam? n. 1087. & seq.

1065 OBjectio quarta est, quam proponit à *num.* 171. scilicet, quòd in dubiis tutior pars sequenda sit. Id autem ingerit difficultatem, quòd sacri Canones utantur hac regula in aliquibus, in quibus videtur causa decidi posse ex rationibus probabilibus: unde videtur colligi, quòd etiam in probabilibus debeamus eamdem regulam sequi de tutiori parte seligenda. Antecedens probatur *ex cap. Ad audientiam.* de homicidio, ubi dicitur: *Quia verò utrùm ex occasione vulneris decessisset, dubium habeatur; cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.* Simile est ob eamdem rationem, quod deciditur *in cap. Significasti.* 2. *& cap. Petitio. eod. tit.*

1066 *Et num.* 172. subjungit: [Sed insignem hanc regulam Canonum plures Theologi ex recentioribus multifariam conantur evertere. Objiciunt enim primò, quòd in re dubia tutiorem partem eligere *non sit præcepti, sed consilii* tantùm. Sic Suarez de consecratione *part.* 5. *(corrige in* 5. *in* 3. *part.) disput.* 40. *sect.* 6. *num.* 9. *& seq.* Sanchez *in Decalogum tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *numer.* 11. *&* 64. Malderus *in* 1. 2. *disput.* 84 *quæst.* 19. *art.* 5. Moventur præcipuè hoc fundamento: quia cùm quilibet sit *in possessione suæ libertatis*, & famæ, in dubio non debet spoliare se hac possessione, judicando se culpabilem, aut nexu alicujus obligationis innodatum: cum secundùm regulam juris, *in pari causa melior sit conditio possidentis* . . . Quam regulam habere locum non solùm in materia justitiæ sed etiam in *materia aliarum virtutum*, & in foro animæ, putat idem Sanchez *ubi supra nu.* 10. Suarez *de Relig. part.* 2. *lib.* 4. *de voto cap.* 5. *num.* 7. Henriquez *in sum. lib.* 8. *cap.* 3. *in gloss. litt. P. & alii multi.*]

1067 Et immediatè *num.* 174. subdit. [Mirum autem est, tam *levi fundamento*, quàm graves, & periculosas quæstiones decidant: inter quas non parvi sunt ponderis infrascriptæ. Qui dubius est, an inciderit in excommunicationem, sive dubium sit juris, sive facti, non debet se habere pro excommunicato, nec tenetur petere absolutionem, quia cùm sit in possessione communicandi cum fidelibus, non debet in dubio ea possessione privari. Sanchez *loc. cit. num.* 56. Layman *lib* 1. *tract.* 5 *cap* 5. §. 4. *numer.* 38 . . . Item dubius die Jovis, an transacta sit media nox, potest tuta conscientia comedere carnes. At verò in die Sabbati dubitans similiter, an media nox excesserit, carnes comedere non potest. Sanchez *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disput.* 41. *num.* 40 Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap* 5. §. 4. *num.* 36. Villalobos *in sum. tom.* 1. *tract.* 1. *diff.* 21. *num.* 7. Rationem diversitatis afferunt planè ridiculam, quia in primo casu cùm in die Jovis unusquisque possideat suam libertatem vescendi carnibus, in dubio manuteneri debet in ea possessione contra diem Veneris, sive contra præceptum abstinentiæ, pro quo nulla est possessio, & propterea comedens non peccat, cùm in pari causa melior sit conditio possidentis. In secundo autem casu in die Sabbati possessio stat pro præcepto: unde peccat, qui carnes comedit, quia spoliat Sabbatum, seu præceptum sua possessione abstinendi à carnibus. Porrò hæc doctrina *multò perniciosior* est saluti animarum, illa, quam nunc tractamus de electione opinionis probabilis: quia in contrarietate probabilium opinionum habet quis aliquam rationem apparentem existimandi, rem non esse dubiam, sed moraliter certam. At hæc theorica liberè profitetur, licitum esse operari cum *conscientia absolutè dubia* contra manifestum sacrorum Canonum testimonium, & contra unanimem Theologorum, & Canonistarum sententiam.] Citatq; deinde multos textus, & Doctores.

1068 Pro responsione notandum est, Fagnanum non rectè calluisse doctrinam Authorum nostræ partis. Primò, quia nostri Authores non dicunt absolutè, id principium, [quòd in dubiis tutior pars sit eligenda,] sit consilii, non præcepti. Constat enim apud omnes, cùm dubium est practicum, quia dubito, an hic, & nunc peccabo sic operando, debere me sequi partem tutiorem. Dicunt autem Authores nostri esse consilii, non præcepti, in illis juribus de irregularitate contrahenda ex homicidio dubio. Nam & si Pontifices decreverint, in eo homicidio dubio, unumquemque censere se irregularem, eam rationem de tutiori parte dederunt ibi, non tamquam preceptum generale pro similibus dubiis, sed tamquam consilium. Ideò perperam Fagnanus *num.* 193. dixit: [Quæ (possessio) profectò si attendenda esset, numquam daretur casus, ut quis teneretur tutiorem partem eligere: & hoc præceptum tam crebro à sacris Canonibus inculcatum, esset ludibrio positum.] Quod falsum esse comperiet, quisquis sciverit discernere inter dubium speculativum, & practicum.

1069 Secundò, quia dicit esse *leve fundamentum*, quòd desumitur ab eo, quòd in dubio standum est pro possessione extra materiam justitiæ: cùm id ex ipso jure naturali debeat esse inconcussum, quidquid alii velint. Nam certitudo præexistens non debet cessare propter merum dubium superveniens. Ideo si teneor præcepto certo superioris, & dicat mihi vir dubiæ fidei, & levis authoritatis, dispensasse superiorem; & adhibita debita diligentia, dubium vincere non potui; prævalet certitudo præcepti præexistens. Deinde si præexistat certitudo de mea libertate comedendi carnes feria quinta, & dicat mihi homo dubiæ fidei, impositum à Superiore præceptum jejunandi feria quinta, & facta debita diligentia non possim vincere dubium, id dubium non est potens evertere certitudinem præexistentem. Et ita *in cap Inquisitioni. de sent. excom.* dicitur, quòd conjux, qui ea levi credulitate dubitat, an habeat impedimentum dirimens matrimonii, potest petere, & reddere debitum: quia illud dubium non potest evertere certitudinem præexistentem de matrimonio rato, & consummato.

1070 Tertiò, quia dicit, illam diversitatem rationis à sapientissimis viris traditam esse *ridiculam*. Et quidem Juristæ periculo

culo errandi se committunt, quoties falcem mittunt in messem alienam. Nam unicuique in sua arte credendum est. Ad jurisperitos spectat ferre judicium de jure positivo humano; Ad Theologos autem de jure naturali; quale est hoc, quòd spectat ad hoc genus possessionis in materia aliarum virtutum preter justitiam. Cùm voluntas humana, quæ nullum emisit votum, sit certò libera ab obligatione voti, jus naturale dictat, non deberi everti eam certam libertatem à voto per solam dubitationem de emissione voti. Nam ab hoc jure naturali profecta est ea regula juris, quòd *factum in dubio non præsumatur*. Quare enim evertenda est illa certitudo libertatis per solam dubitationem supervenientem?

1071 Nec valet, si dicas, dubitantem de obligatione, committere se periculo peccandi: quia qui prudenter deponit dubitationem ex ea regula, quòd dubitatio superveniens non evertit certitudinem præexistentem, nulli omnino periculo se exponit; quia habet dictamen conscientiæ certum, quod ex tam solida ratione potest licitè deponere dubitationem.

1072 Quartò, & urgentius comprobatur, non plenè calluisse nostram sententiam, ab argumentis, quibus illam impugnat, attribuendo nostræ sententiæ assertiones contrarias eis, quas in casibus ab ipso propositis nos statuimus. Nam *à numer.* 187. sic ait; [Hinc jura præcipiunt, ut Sacerdotes ordinati ab Episcopis incognitis, de quibus dubium est, an sint Episcopi, necne, debeant iterùm ordinari; ut Gregorius III. sanait *in cap. Presbyteri. 68. dist.* Et idem statuit *in cap. Parvulos. de Consecrat. dist* 4 de parvulis, qui à parentibus subtracti sunt, & ignoratur, an sint baptizati, ut scilicet iterùm sint baptizandi. Utroque enim casu absque dubio tutius est, ut propter periculum salutis æternæ, Sacramentum iteretur.] Quod similibus aliis exemplis prosequitur.

1073 In quibus casibus, decipitur Fagnanus, putans, dicere nos, eos Sacerdotes non debere iterùm ordinari sub conditione; neque illos parvulos debere iterùm baptizari sub conditione. Etenim possessio, sive certitudo moralis præexistens evertitur per aliam certitudinem practicam. Ideo quamvis illi Sacerdotes essent in quasi possessione Sacerdotii, antequam superveniret dubium de Episcopis incognitis; at superveniente illo dubio evertitur illa possessio: quia fortius est dictamen certum, quòd ordinatio debet esse omnino certa, ne Sacramenta exponantur frustrationi, in præjudicium Fidelium, propter præceptum certum charitatis obligans ad id. Ideo quamvis sit opinio probabilis, quòd qui in ordinatione tangit calicem moraliter, non physicè, valet ordinatio; tamen improbabile est, quòd licet Sacerdoti probabiliter ordinato, celebrare; quia improbabile est, quòd licet exponere Sacramenta periculo frustrationis in præjudicium Fidelium. Et idem dicendum est, cùm supervenit dubium de baptismo. Multa alia exempla ex jure Canonico affert Fagnanus ibid. maximè *à num.* 190. quorum resolutionem contendit pendere ab obligatione faciendi, quòd est tutius, in omni dubio occurrenti; cum tamen eorum resolutio pendeat ab aliis circumstantiis. Ad quorum singulos casus si hic respondendum esset, satis evaderet prolixa hæc disputatio. Et ex dictis patet responsio ad præcipuam objectionem, nempe in omni dubio practico habere locum eam regulam, quod in dubio tutior pars amplectenda est; in dubio autem speculativo, standum esse pro possessione præexistente, in materia omnium virtutum.

1074 Sed instat primò, Fagnanus *num.* 210. his verbis: [Vides ergo, quàm multæ sequantur *ineptiæ*, & absurditates ea tua assertione, quòd homo in foro conscientiæ sit manutenendus in possessione suæ libertatis contra Deum, & legem; adeò ut valdè mirandum sit, quòd nonnulli confessores in foro Sacramentali talem theoricam in praxi servare, & docere non vereantur in perniciem animarum.] Sed quænam sunt *istæ ineptiæ, & absurditates*? Sane quas *à num.* 205. proponit: quarum aliquas audire oportet. [Judicium constat ex tribus personis, id est, Judice, Actore, & Reo. . Tu dicis, hoc judicium de possessione agi inter Deum, & hominem, inquiro, quis erit Judex, qui in hac causa pronunciet, & hominem in sua possessione contra Deum manuteneat? Bartolus in tractatu quæstionis ventilatæ coram Jesu Christo inter Virginem Mariam ex una parte, & Diabolum ex altera, facit Diabolum actorem, & humanum genus reum, ejusque advocatam Beatissimam Virginem, & Judicem Jesum Christum. Tu vero constituis Deum actorem, & hominem reum, sed Judicem non designas.

1075 Item judicium *retinendæ* est summariissimum . . Et momentaneum . Et est præparatorium judicii possessorii principalis, atque plenarii . . Et datur; quousque causa cognoscatur in pleno possessorio, vel petitorio, & ideo alicubi appellatur *judicium interim*, quia expectat aliud judicium post se . . Dic ergo tu, qui asseris, hoc judicium agitari inter Deum, & hominem, si in eo, Deus succumbat, & potior sit conditio hominis suam libertatem possidentis: quo pacto succurratur Deo, & coram quo jus suum prosequatur in pleno possessorio, vel in petitorio judicio ad præscriptum legis *Exitus ff. de acquirenda possess.*?

1076 Item regula juris, quòd melior sit conditio possidentis, procedit tantùm in dubio . . Et cum jura partium sunt obscura . . At quo modo fieri potest, quòd res sit dubia, & obscura ex parte Dei, cui omnia sunt plana, & aperta . . Neque insistas dicendo, rem esse obscuram ex parte hominis: Quoniam hoc non sufficit, cùm prædicta regula non intret, nisi quando jura sunt obscura ab utraque parte; alioqui si jus actoris sit clarum, & liquidum, & jus Rei conventi sit dubium, ac turbidum, non pro Reo, sed pro petitore est pronuntiandum.] Hæc Fagnanus, & alia multa his similia.

1077 Sed si hæc inferrentur ex nostra sententia, rectè appellasset Fagnanus *ineptias, & absurditates*. Sciat ergo Fagnanus, fictitium esse fundamentum, super quo hanc ineptiarum molem struit. Nam hic non nisi per metaphoram, aut allegoriam datur judicium *retinendæ*, neque alterum judicium. Neque in hoc puncto intercedit alia cognitio causæ, nisi cognitio ejus veritatis, ut in se est: nempe quòd, sicut debitum legale certum non extinguitur solutione dubia; neque obligatio recitandi officium Canonicum omnino certa extinguitur recitatione dubia: ita libertas ab obligatione voti, quæ præsupponitur ante emissionem omnino certa, non evertitur voto dubio, aut obligatione dubia. Frustra ergo fingitur judicium forense inter Deum Actorem, & hominem Reum. Nam sine hoc judicio hæc veritas per se patet, & de ea format suum dictamen conscientia.

1078 Præterea licèt hæc dicatur possessio libertatis, longissimè distat à possessione legitima, quam introduxerunt jura. Id enim nomen *Possessio* est analogum: & ideò hæc certitudo libertatis præsupposita, solùm similitudinariè, & analogicè vocatur possessio.

1079 Verum quidem est, aliquos Theologos usos esse ea metaphora judicii forensis; non quia verum judicium intercedat, sed quia per hanc metaphoram commodius rem explicant. Et casu, quo ea metaphora sequenda esset, dicendum esset, conscientiam hominis esse Judicem à Deo designatum; quia decrevit Deus, suas leges servari ab homine, eo modo, & non aliter, quo conscientia eas proponit. Qua ratione dixit S. Thomas, duas regulas operationum nobis esse, nempe legem æternam, & conscientiam; & hanc esse regulam immediatam. Ad quæ si attendisset Fagnanus, non collegisset eas, quas ipse vocat *ineptias, & absurditates*, sive ridiculas consequentias. Deberet etiam attendere, viros esse sapientissimos, & juris naturalis peritissimos, & maturissimo judicio præditos, qui hoc jus naturale promoverunt, & explicarunt.

1080 Instat secundò, referens responsionem à nostris Anthoribus datam, [Quòd regula de electione partis tutioris procedat in dubio juris practico, non autem speculativo, ita ut speculativè, & in abstracto, si quis dubitat, an contractus aliquis sit licitus, necne, liberè amplecti possit opinionem minus tutam: sed si posteà velit hic, & nunc eum contractum celebrare, tunc omnino teneatur sequi partem tutiorem; & è converso si practicè sit certus, licitè possit illum celebrare. Sic Sanchez *in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 10. numer. 2. & de Matrim lib. 2. disput. 41. numer. 6.* Layman. *in Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. numer.* 8. Beccanus *in 1. 2. tract. 1. cap. 4 quæst. 9. num. 4.* & concedit Suarez *de censur. disp. 40. sect. 6. numer.* 8. Sed profectò, secundùm hanc doctrinam licitum est aliud sentire, & aliud operari: & potest Magister in scholis speculativè docere opiniones illas, quas nec ipse, nec auditores in practica sequi possunt absque peccato. Quod valdè absurdum est, & contra textus *in cap. Error. cap. Consentire. & cap. Quid enim. 83 dist* Item supponit hæc doctrina, posse aliquem esse certum practicè, licet speculativè sit dubius, quod est impossibile: cùm intellectus practicus nihil aliud sit, quàm extensio intellectus speculativi, nec differet ab eo, nisi respectu finis secundùm S. Thomam *in 1. part. qu. 79 art. 11.*]

1081 Sed ex hac instantia constat manifestè, Fagnanum non rectè calluisse nostram doctrinam, quæ clara, & dilucida est. Qui dubitat, an votum emiserit, speculativè dubitat; quòd si non succurrat ratio, per quam id dubium contemnat, transit in dubium practicum, quia cùm dubitet an sit re ipsa obligatus, & non inveniat rationem excusantem ab obligatione, dubitat, an hic, & nunc sit peccatum omittere impletionem voti. Si autem superveniente dubio ille speculativo, invenit rationem excusantem ab obligatione, nempe, [quòd libertas certa non evertitur obligatione dubia,] sic illud dubium speculativum deponitur practicè, & contemnitur; quia votum dubium non nocet libertati certæ præsuppositæ. Et pro solutione multarum difficultatum, semper dicendum est, dubium speculativum transire in practicum, quoties non succurrit ratio sufficiens ad deponendum dubium speculativum

1082 Unde illud, quòd dicit de celebratione contractus dubia speculativè, & practicè, perperam dicitur, & contra mentem, & assertionem nostrorum Authorum. Patitur equivocationem Fagnanus, dum confundit aliam doctrinam diversam cum hac. Est enim longè diversum agere de dubitatione practica, & speculativa; atque agere de opinione practica, & speculativa. Et quæ nostri Doctores dicunt de opinione practica, & speculativa, transfert ad dubitationem practicam, & speculativam.

1083 Est quæstio, an eo ipso, quòd opinio sit speculativè probabilis, debeat esse etiam practicè probabilis. In quo diversimodè discurrunt Authores. Eam quæstionem dilucidè discussi *in 1. part. Crist. Theolog. disp.* 14. per duas conclusiones. In prima asserui, posse

dari opinionem speculative probabilem, quæ non sit practicè probabilis; eo quòd speculativè probabilis non possit reduci ad praxim sine nova circumstantia, quæ immutat judicium. In secunda, si opinio speculativa consideret omnes circumstantias, quæ concurrunt in praxi, eo ipso, quòd cum illis omnibus circumstantiis sit speculativè probabilis; eo ipso est etiam practicè probabilis.

1084 Hinc non arguitur, quòd dubium speculativum fieri debeat practicum. Nam si ex levi credulitate, & fundamento dubitet conjux, an sit impedimentum dirimens matrimonii, nec possit physicè expellere dubitationem propter nimium suum timorem, debet contemnere, & sic explodere eam dubitationem, *cap. Inquisitioni, de sentent. Excom.* In quo casu retinet dubium speculativum, & expellit dubium practicum, contemnendo illam dubitationem speculativam, quam non potest physicè repellere. De quo vide *supra cap. 17. art. 4.*

1085 Et hinc etiam constat, falsum esse, quod subjungit Fagnanus, esse impossibile, aliquem esse certum practicè, & dubium speculative. Nam in casu immediate præcedenti *ex cap. Inquisitioni.* falsificatur.

1086 Præterea id in scrupulosis frequentissimè contingit, ut cum non possint repellere physicè, & realiter illas molestas dubitationes, admonentur à confessariis, ut eas dubitationes contemnant, & nisi jurati affirmare possint, se peccare læthaliter, ita se gerant, ac si nulla esset dubitatio, formando judicium, quòd eæ dubitationes contemnendæ sunt. Si autem illæ dubitationes speculativæ, quas physicè repellere non potest, essent etiam dubia practica, non posset scrupulosus illa spernere, sed deberet semper strictiorem partem sequi, non sine ingenti periculo desperationis, aut furoris. Cœtera autem, quæ refert ex nostris Doctoribus de contractu speculative licito, & practicè illicito; item de Magistro in scholis docente speculativè opiniones, quæ non possunt reduci ad praxim; constat, esse meram æquivocationem, neque aliter intelligi posse, nisi modo explicato.

1087 Instat tertiò. Nam sacri Canones præcipiunt, ut eligatur pars tutior in omni dubio, ubi vertitur salutis periculum, & in omni materia. Discurrit autem per quinque materias, nempe excommunicationis, Matrimonii, Pœnitentiæ, Ordinis, & Baptismi. In excommunicatione adducit textum *in cap. Illud, de Cleric. Excom. ministr.* in Matrimonio *in cap. Juvenis, de sponsal.* In Pœnitentia *ex cap. Si quis positus, & cap. Si quis autem de Pœnit. dist. 7.* In Ordine *ex cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz.* In Baptismate *ex cap. Parvuli de Consecr. dist. 4.* Et generaliter ubi agitur de præcepto sub culpa mortali, *in Clem. Exivi §. Item præterea de verb. signific.*

1088 Respondeo ex dictis, non esse dubium, quin in omni dubio practico tutior pars semper sit eligenda. Quando autem dubium deponi potest motivo verè probabili, dubium non est practicum. Deinde id, quod intendit Fagnanus, non satis probari ex iis juribus. Ad primum *in cap. Illud* P. Thomas Sanchez *lib. 1. sum. cap. 10. num. 63.* respondet, solùm probari, fama plenè probari excommunicationem.

1089 Ad secundum textum *ex cap. Juvenis* respondet idem Author *lib. 2. de Matrim. disp. 41. nu. 9.* ibi agi de dubio practico, in quo tutior pars eligenda est.

1090 Tertius textus geminus circà pœnitentiam non est ad rem: quia in illis agit S. Augustinus de defectu securitatis in homine, qui tota vita peccavit, & in articulo mortis agit pœnitentiam.

1091 Ad quartum, & quintum textum circà Ordinem, & Baptismum, in dubio valoris eorum Sacramentorum est præceptum certum charitatis non exponendi Fideles ei periculo, in quo defraudentur effectibus Sacramentorum: per quod præceptum tollitur libertas, quæ præcedebat ante dubium.

1092 Ad id, quod addit generaliter de quovis præcepto *ex Clem. Exivi.* respondeo, ibi agi de dubio practico, ut ostendi *in 1. part. Crist. Theol. disp. 15 cap. 4. art. 11. nu. 325.*

ARTICULUS V.

Aliæ Fagnani objectiones solvuntur, quibus conatur probare, in opinionibus æquè probabilibus necessariò intervenire dubium.

SUMMARIUM.

Quam partem debeat sequi Judex in æquè probabilibus? n. 1094.
Quomodo qui sequitur opinionem probabilem, neque certus sit, neque dubius? n. 1097.
Quomodo qui habet opinionem probabilem de valore matrimonii, non fluctuet, sed possit petere, & reddere? n. 1098.
Quomodo scrupulus explodendus sit? n. 1100.

1093 EAsdem objectiones sæpius repetit Fagnanus: quæ tamen à nobis repeti non oportet. Ideo eas seligo, ita ut semel positæ non repetantur. Inter opiniones æquè probabiles semper intervenire dubium, in quo oporteat, tutiorem partem eligere, iterùm probare conatur *à nu. 231.*

1094 Primò igitur, latissimè laborat in ostendendo, quòd in æquè probabilibus Judex teneatur servare quasdam regulas à jure præscriptas pro casibus dubiis, & obscuris, aut quando pares pro utraque parte sunt probationes, sive juris, sive facti. Et quòd licèt jus relinquat aliqua decidenda arbitrio Judicis, ea non sunt decidenda pro libito ejus; nam arbitrium postulat aliquam peculiarem rationem, aut legem.

1095 Sed hæc nihil officiunt meæ sententiæ, qua mihi certum est, speciali præcepto teneri Judicem ad judicandum secundùm jus probabilius. *Ut tradidi in 1. part. Crist. Theolog. disp. 15. cap. 15.* unde in æque probabilibus quærere debet Judex eas regulas, quæ faciunt jus alterius partis magis probabile. Et similiter in sententia arbitraria, rationes verisimiliores. Quòd si detur æqualitas authoritatum, & rationum, ait Fagnanus sequendam esse communem sententiam. Sed quid si sit communis contra communem? Tunc enim penes ipsum erit electio.

1096 Secundo *num. 241.* de novo arguit *ex cap. Inquisitioni. de sent. excom.* sic: [Prima igitur conclusio, id est, *Qui versatur inter contrarias opiniones probabiles, non est certus, sed dubius*, probatur clarè in ea decretali: tum quia certitudo impedimenti, quæ ponitur in primo casu contradistinguitur à credulitate, seu opinione probabili, quæ ponitur in tertio casu: tum quia conjux, qui habet conscientiam impedimenti ex credulitate probabili, in hac fluctuatione animi, An matrimonium sit validum, vel nullum; potest reddere debitum, licet postulare non debeat, ut ibi est decisum in ultimo casu. Ergo non est moraliter certus, sed dubius. . . Secunda itidem conclusio, quòd *in concursu opinionum probabilium eligendu sit tutior*, probatur ibidem: quia conjux, qui pro una parte probabiliter putabat, matrimonium à se legitimè contractum esse validum, & pro alia habebat conscientiam impedimenti dirimentis ex credulitate probabili, debitum exigere non potest, cùm hoc procul dubio sit tutius, ne, ut ibi dicitur, *contra legem conscientiæ committas offensam.*]

1097 Respondeo, in eo tertio casu capitis *Inquisitioni*, illum conjugem habere probabilitatem de impedimento dirimente matrimonii, & non habere probabilitatem de nullitate talis impedimenti: ut probavi *disput. 4. cap. 9.* In forma ergo respondeo, quòd qui assentitur uni opinioni ex æquè probabilibus, neque certus est certitudine directa, neque dubius; ideò certitudinem contradistinguit Pontifex à credulitate probabili; est tamen practicè certus, quòd sequens opinionem probabilem, rectè operatur.

1098 Deinde negandum est, ibi intervenire necessariò fluctuationem animi, si haberet opinionem probabilem de valore matrimonii, aut de nullitate impedimenti. In quo casu posset petere, & reddere. Solùm enim dicitur in eo textu, quòd habuerit probabilem opinionem de impedimento, non autem dicit dari probabilitatem de nullitate impedimenti. Et hinc fit, falsum esse, quod subditur, quòd pro una parte putabat probabiliter matrimonium esse validum. Ad quod erat necessarium, quòd haberet opinionem probabilem de nullitate, sive de non esse impedimenti.

1099 Tertiò arguit *num. 246. & seq.* Nam ubi quis habet scrupulum, tenetur illum explodere, ut dicitur *in cit. cap. Inquisitioni.* ergo à fortiori dum habet opinionem probabilem de malitia operationis; quia plus est habere opinionem probabilem de malitia, quàm merum scrupulum.

1100 Respondeo *ex dictis cap. 17. artic. 4.* scrupulum non esse necessariò expellendum physicè, quia id aliquando scrupulosis impossibile est; sed expellendum practicè, id est, contemnendum, formando judicium de ejus contemptibilitate. Ad id, quod additur in consequente, dico, per se plus esse opinionem probabilem de malitia operationis, quàm scrupulum. Sed si intellectus habeat etiam opinionem probabilem de honestate operationis, solvendo rationes partis oppositæ, vel sciendo solutas esse à Doctore magno, tam parùm obstare opinionem oppositam, quàm obstat scrupulus.

ARTICULUS VI.

Solvuntur argumenta Fagnani contra sententiam de minus probabili opinione seligenda.

SUMMARIUM.

An opinio minus probabilis appareat magis falsa, quam vera? n. 1102.
Et quomodo possit apparere magis vera, quàm falsa? n. 1103.
An in consultationibus sequamur semper, quæ nobis videntur probabiliora? n. 1105.
An opinio probabilior plerùmque sit vera? n. 1107.
Quomodo in quæstione, in qua de peccato mortali quæritur, periculosè determinetur, nisi expressè veritas habeatur? n. 1109.
Quomodo exemplum stateræ non noceat nostræ sententiæ? n. 1110.
An teneamur vitare periculum peccati materialis? n. 1112.
Quomodo inter opiniones Doctorum possit esse dubitatio de honestate operationis? n. 1113.
An in Clementina de Summa Trinitate prohibeamur eligere minus probabilia? n. 1115.
An opinio minus probabilis nullum contineat periculum peccandi? num. 1119.

1101 Con-

1101 CONtra hanc sententiam construit Fagnanus quadraginta duo fundamenta à *numer.* 257. In quibus, quia multa repetit, ea ad contractiorem numerum redigemus. Prima objectio. Quicumque in agibilibus non adhibet moralem diligentiam, quam debet, ad cognoscendum verum, absque dubio peccat; juxta S. Thomam 1. 2. *quæst.* 76. *artic.* 2. sed qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliori, non adhibet diligentiam moralem, quam debet, ad cognoscendum verum: ergo absque dubio peccat. Minor probatur. Non adhibet diligentiam, quam debet ad cognoscendum verum circà malitiam operationis, qui dedita opera eligit opinionem, quæ magis apparet falsa, quàm vera: sed qui eligit opinionem minus probabilem, dedita opera eligit eam, quæ magis apparet falsa, quàm vera: ergo qui eligit opinionem minus probabilem, non adhibet diligentiam, quam debet ad cognoscendum verum circà malitiam operationis. Minor probatur. Nam si magis probabilis apparet magis vera, ejus contradictoria minus probabilis apparebit magis falsa.

1102 Respondeo, concessa majori, negando minorem. Ad probationem, dum intellectus neutri opinioni probabiliori, aut minus probabili præstat assensum, neutra apparet magis falsa, quàm vera; quia dum non formatur propositio enuntiativa, non datur veritas, neque falsitas, etiam apparens. Quòd si intellectus præstet assensum probabiliori, tunc dicetur, opinionem minus probabilem apparere magis falsam, quàm veram; quia tunc revera apparet falsa. Si verò intellectus, solvendo rationes probabilioris, ut fieri potest, (quia intellectus non cogitur ad assensum sine evidentia veri; quæ evidentia non datur in opinione probabiliori) assentiatur opinioni minus probabili, saltem deponendo judicium de probabilioritate; tunc opinio minus probabilis apparet vera, & probabilior apparet falsa. Denique si opinio stans pro lege sibi videatur probabilior, nempe, quòd [Filius teneatur obedire parenti quoad matrimonium contrahendum] & velit subiicere judicium suum judicio Sancti Thomæ oppositam opinionem tuentis pro libertate filii; tunc licèt prima opinio pro lege sibi videatur probabilior, tamen virtualiter sibi ista apparet falsa, & ea, quæ est pro libertate apparet vera: quia dum sequitur opinionem, quæ sibi videtur minus probabilis, practicè deponit judicium suum, & utitur scientia S. Thomæ, qui eam opinionem asseruit tamquam probabiliorem, & tamquam absolutè veram absque dubitatione. Idem mihi contingit, dum in praxi sequor opinionem P. Suarii, aut alterius Doctoris magni; licet opposita mihi videatur probabilior.

1103 Hinc ad probationem, nego minorem: quia eo ipso, quòd sequor opinionem Doctoris magni; sicut ipse Doctor asseruit illam tamquam veram absque dubitatione; virtualiter, & practicè apparet mihi eodem modo, ac apparuit ei Doctori magno. Ad ulteriorem probationem dico, falsum esse absolutè, quòd magis probabilis apparet magis vera, nisi solùm modo explicato.

1104 Secunda objectio. In nullo negotio gravi humano, in quo agatur de proprio, vel de publico commodo, sequitur quis minus probabilem partem: ergo multò minus id agendum est in negotio animæ, in quo agitur de offensa Dei, & de vita æterna.

1105 Sed objectio instauratur contra suum Authorem. Nam sæpè in consultationibus de negotiis publicis, vel privatis contingit, quòd licet mihi hæc pars videatur probabilior; quia tamen video homines optimo judicio præditos aliter opinari, depono judicium meum, quod scio esse fallibile, & illud conformo judicio aliorum. Quare absolutè negandum est antecedens.

1106 Tertia objectio. In moralibus verum, vel falsum sufficienter ostenditur ex iis, quæ plerùmque fiunt, & eveniunt, ut dixit Aristoteles 1. *Ethic. capit.* 3. sed plerùmque evenit, ut opinio minus probabilis sit falsa: ergo qui in moralibus sequitur minus probabilem, sufficienter colligitur, quòd sequitur id, quod ostenditur esse falsum.

1107 Respondetur negando minorem. Et sanè à multis sæculis controversum est de hac, & illa materia, & Theologi non dum compererunt, quæ pars sit vera, quæ falsa. Quomodo ergo dicitur, quòd plerùmque contingit id, quod numquam, aut rarò vidimus contigisse. Huc accedit, quòd quàm hi dicunt esse minus probabilem, illi dicant esse probabiliorem. Quod cùm ita sit, quomodo ista experientia certa desumi potest?

1108 Quarta objectio. Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur; quæ sunt verba S. Thomæ *quodlib.* 9. *art.* 15. sed ab eo, qui sequitur opinionem minus probabilem, non habetur expressè veritas: ergo qui sequitur opinionem minus probabilem periculosè determinatur: ergo periculo se exponit.

1109 Sed hæc objectio regreditur contra suum Authorem, nam etiam qui sequitur opinionem probabiliorem, cùm sciat non esse omninò certam, scit se non habere expressè veritatem. Distinguenda ergo est major; nisi expressè veritas habeatur [probabiliter] concedo; [certò, & evidenter] nego. Et similiter distinguenda est minor. Sciebat enim S. Doctor, multa esse in rebus agendis, quæ scire non possumus, neque expressè habere veritatem eorum absque formidine.

1110 Quinta objectio est, quam desumit ab exemplo stateræ, penditque in una lance probabiliorem, & minùs probabilem in altera; ex quo fit, intellectum necessariò inclinari in partem probabiliorem. Cui objectioni abundè satisfecit *in* 1. *part. Cris. Theolog. disput.* 15. *capit.* 4. *art.* 7. præcipuè *num.* 271. Addo insuper, hoc libramen opinionum probabilioris, & minus probabilis factum esse à P. Suario, aut alio Doctore magno: & licèt in mea statera præponderet magis opinio, quæ mihi videtur probabilior, in statera P. Suarii præponderasse magis oppositam: quia sicut judicia Sapientum sunt diversa, ita stateræ mentis diversæ sunt. Ergo prudenter ago, dum potiùs sequor stateram Suarii, quàm meam, licèt hæc opinio in mea statera videatur præponderare.

1111 Sexta objectio. Qui non vitat quantum potest, periculum peccandi materialiter, amat periculum, & peccat formaliter: sed qui sequitur minus probabilem, quæ est pro libertate, non vitat periculum peccandi materialiter: ergo formaliter peccat. Majorem probat ex S. Thoma *quodlib.* 9. *art.* 15. asserente: *Quicumque committit se discrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter.* Et ex aliis textibus similibus. Et ex Scoto in fine *qu.* 2. *prologi senten.* ajente: *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrùm sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & expositorum. Tamen non est dubia via salutis, quia à talibus tamquam periculosis debet homo sibi cavere, & se custodire; ne dum exponit se periculo, incidat in peccatum.*]

1112 Respondetur absolutè, majorem esse falsam: quia non tenemur vitare peccatum materiale, nisi quando dubitamus practicè, an sit peccatum formale. Quando autem utimur opinione probabili, ea sufficiens est ad deponendum dubium. Ad probationem is textus S. Thomæ nihil favet ei propositioni majori: quia peccatum materiale non vocatur à S. Thoma peccatum mortale, cùm non sit formaliter tale.

1113 Textus Scoti etiam in nostra sententia verissimus est. Admittimus enim multa esse dubia, an sint peccata mortalia formaliter. *Etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum*: quia plerumque dubitatur de probabilitate earum doctrinarum; & ubi dubitatur de doctrinæ probabilitate, dubium est practicum, in quo tutior pars amplectenda est. *Et à talibus tamquam periculosis debet homo sibi cavere.* Inde autem non infertur, quòd teneamur vitare peccata materialia, sed peccata formalia, & periculum incidendi in illa.

1114 Septima objectio proponitur à Fagnano his verbis *num.* 270. [Jura expressè determinant, in varietate opinionum eligendam esse *magis probabilem. Clement. unic. §. final.* ibi: *Opinionem secundam tamquam probabiliorem, &c. duximus eligendam. De Sum. Trin. & Fid. Cathol.* ∴ Unde ille textus efficaciter probat, rationis, & juris esse, ut in contrarietate opinionum prævaleat probabilior, & solidioribus argumentis vallata.]

1115 Respondetur, non dubitare nos, quòd sit expediens eligere opiniones probabiliores, etiam speculativas; quinimò Doctores, qui unam opinionem eligunt defendendam, semper eligunt, quam censent probabiliorem. Sed numquid propterea Concilium prohibet, minus probabiles eligi? Neque enim damnatur à viris prudentibus Doctor ille, qui defendit opinionem verè probabilem, & à Doctoribus magnis approbatam, licèt opposita communiter censeatur probabilior. Et maximè in opinionibus practicis, quarum usus frequentissimus occurrit; & in quibus est difficillè discernere probabilioritatem. Dicendum ergo est, ex ea Clementina colligi, expedire, quòd eligamus, etiam in speculativis, opiniones probabiliores; sed in ea non prohiberi (maximè in practicis, de quibus non loquitur ea Clementina) electionem opinionis minus probabilis in ordine ad praxim.

1116 Octava objectio ex *num.* 291. sic ab eodem proponitur. [Numquid non imprudens, ac temerarius dicendus esset, qui spontè ingrederetur sylvam, quam probabilius crederet obsessam esse à Latronibus, & grassatoribus? ut per D. Ambros. Ps. 1. Quive ultrò se in altum puteum demitteret per funem, quem probabilius judicaret protinus confractum iri? Aut qui cùm medicamentum tutum haberet, tamen illud sumeret, quòd probabilius judicaret esse mortiferum? Aut qui in duello pugnaret cum milite strenuo, ac forti, à quo probabilius opinaretur, se fore interficiendum? Aut qui cum decem millibus bellum committeret adversùs Regem, qui cum viginti millibus veniret ad se? ut Lucæ 14. Rursùs transeundum est mihi flumen: consulo aliquot viros fide dignos, an vadum sit tutum; respondent illi, esse tutum, & plures sæpè transmeare, nec alicui umquam aliquid mali accidisse. Si ergo illorum authoritate, & probabilibus rationibus adductus flumen ingrediar, non sum dicendus imprudens, aut temerarius, licèt securius possem per pontem transire. At si volenti mihi flumen ingredi, occurrant mihi multò plures, & majoris authoritatis, & fidei, obtestantes, flumen esse profundum, ac rapidum, & multos in eo periisse, ac proinde periculosum esse, illi se committere: certè si eorum testimonio, & rationibus validioribus auditis, flumen intrarem, non solùm imprudens, ac temerarius, sed etiam fatuus dicendus essem: & meritò culpæ meæ omnes adscriberent, si quid in aquis mihi deterius contingeret ∴ Quæ cùm ita sint in periculis corporis, longè magis vindicant sibi locum in periculo salutis animæ, quæ corpori est præponenda.]

1117 Hoc argumentum, & omnia ejus exempla regrediuntur contra suum Authorem, qui admittit opiniones probabiliores pro libertate contra legem, expresse minus tutas, & si probabiliores. Nam si quatuor homines mihi dicerent sylvam esse securam, & duo testes assererent, esse plenam grassatoribus, probabilior esset ea pars, quòd sylva esset secura: & tamen, quia propter assertionem duorum testium res est incerta, non potest negari adesse periculum. Ergo etiam opiniones probabiliores periculo non vacant. Deinde si Petro ingressuro domum fœminæ, proponitur ut probabile, quòd labetur in venerea, & proponitur ut probabilius, quòd non labetur; adhuc manet incertus, an labetur, & adhuc est periculum probabile peccandi; & tenetur vitare ingressum domus: ergo etiam contra opiniones probabiliores militat hoc argumentum à periculo labendi desumptum.

1118 Respondebis, eum, qui sequitur opinionem probabiliorem, certus est, quòd facit quantum potest. Qui ergo certus est, se non peccare, nullum periculum incurrit peccandi.

1119 Contra est primò. Nam qui sequitur opinionem probabiliorem, quæ non est tutior, sed stat pro libertate; ampliùs facere potest pro vitando periculo; nempe sequi partem tutiorem pro lege: ergo non facit quantum potest.

1120 Contra est secundò. Nam qui sequitur probabiliorem pro libertate, aut est certus moraliter, quòd non peccat ratione probabilioritatis præcisè, aut ratione dictaminis de nuò advenientis, quòd qui sequitur probabiliorem, facit quantum potest, ideòque non peccat. Si primum, implicat contradictionem, quòd detur certitudo moralis formaliter in ipsa opinione probabiliori, quæ non excedit metas probabilitatis. Si verò dicas secundum; nempe in dictamine denuò adveniente esse formaliter certitudinem, non verò in opinione probabiliori, jam admittis modum propugnandi conclusionem, quem nos ponimus, & quem totus impugnare contendis.

1121 Respondeo ergo uno verbo ad omnia hæc exempla, sententiam verè probabilem, & de cujus probabilitate non est rationabile dubium, omninò esse tutam, & si minùs sit probabilis, quam opposita. De quo vide *in 1. part. Crif. Theolog. disp. 15. capit. 4. art. 11. numer. 328.* Illa enim opinio est omninò tuta, in qua nullum est periculum peccandi: sed in opinione verè probabili nullum est periculum peccandi: ergo opinio verè probabilis est omninò tuta. Minor constat ex *cap.* 18. Nam ibi ex tribus capitibus antecedentibus ostendi resultare dictamen certum, quòd qui sequitur opinionem verè probabilem, non peccat. Ubi autem est certitudo nullius damni secuturi, ibi nullum est periculum.

1122 Ad exempla itaque dico, si aliqui homines mihi dicerent, sylvam esse plenam grassatoribus, & latronibus; & deinde ego certò comperissem, nullos esse grassatores, aut latrones; nullum mihi timendum esset periculum: quia scientia subsecuta prævalet testimonio illorum attestantium periculum. Sic ergo contingit in præsenti. Opinio probabilior dicit, ibi esse peccatum: sed quia non excedit metas probabilitatis, incerta est. Est præterea apud me dictamen reflexum moraliter certum, quòd dum sequor opinionem verè probabilem, nullum est peccatum, nullum periculum peccati; ut probavi eo *cap.* 18. Hoc ergo dictamen certum prævalet opinioni probabiliori. Et idem dicendum est ad reliqua exempla.

ARTICULUS VII.

Solvuntur argumenta, quæ Fagnanus desumit ab absurdis.

SUMMARIUM.

Quomodo intelligatur, quòd Medicus possit sequi opinionem probabilem, aut minus probabilem? n. 1123. & seq.

Quomodo Fagnanus non penetraverit mentem P. Azor? n. 1130. & seq.

Quomodo valeat argumentum à Medico corporali ad spiritualem? num. 1135.

Disparitas inter Judicem, & hominem privatum quoad sequendam opinionem minus probabilem? n. 1138. & seq.

Disparitas inter Judicem, & Confessarium quoad opinionem minus probabilem? n. 1141.

An irroget injuriam Sacramento, qui administrat cum opinione probabili? n. 1143. & seq.

An sit absurdum, quod confessarius debet sequi opiniones pœnitentis? num. 1146.

An, & quomodo liceat gerere bellum juxta opinionem probabilem? num. 1148. & seq.

Quomodo liceat consulere modò secundùm unam opinionem, modò secundùm oppositam? n. 1152.

Quomodo exemplum veneni nihil obsit nostræ sententiæ? n. 1153.

1123 A *Numer.* 293. incipit proponere quam plurima absurda, quæ putat ex nostra sententia inferri. Primum sic proponit [Ex libera electione opinionis minus probabilis, ac minus tutæ, sequitur, ut Medicus curans ægrotum, cui magis probabile sit, medicamentum non profuturum, minus verò probabile, profuturum, cùm habeat aliud in promptu, quòd magis probabile est profuturum fore, possit licitè tunc dare illud medicamentum, quod minus probabiliter esset profuturum, relicto eo, quòd probabilius posset prodesse. Rursùs posset dare medicamentum, quòd magis probabiliter obesset, & minus probabiliter prodesset; & sic probabilius occideret. Hoc autem esse perquam absurdum, vel ex eo manifestum est, quia nemo vellet talem Medicum. Et quamvis negent, id esse absurdum, Azor (quàm manifesta æquivocatio Fagnani!) *Instit. Moral. to. 1. lib. 2. c. 17. q. 11.* Arragonius *2. 2. qu. 63. ad dub. penult.* Salas *1. 2. q. 21. tr. 8. disp. unic. sect. 15. à n. 156.* tamen convincuntur ratione illa naturali, & evidenti: quia, ut prædixi, nemo eligeret sibi Medicum, qui probabilius occideret, quàm sanaret: & siquis talem eligeret, aut probaret; hunc ego censerem magis ægrum mente, quàm corpore: stultus enim, & fatuus dicitur, qui discrimini se committit. Talis igitur est meritò reprobandus, idque non propter ignorantiam, sed propter malitiam, qui non Medici officium implet, sed homicidam agit.] Sic Fagnanus.

1124 Et pauló post à medicina corporali probabiliori transit ad opinionem probabiliorem, & hæc subjungit. [Si charitas, aut amor proximi postulat, ut certiori modo, quo possumus, ægro subveniamus, sicut fatetur Sanchez: cur etiam amor veri, & recti, quod in omnibus actionibus nostris spectare debemus *l. 1. ff. de just. & jur.* non itidem postulat, ut certiori modo, quo possumus, illud assequamur? Et quemadmodum qui non utitur certiori medio ad subveniendum infirmo, convincitur, ex Sanchez, & Vasquez, non diligere infirmum, & peccat: ita quicumque non utitur medio certiori ad assequendum verum, & rectum, seu honestum, convincitur ex hoc ipso esse malus, & non diligere Deum, qui est ipsa veritas. Joann. 14.]

1125 Transit deinde ad Confessarium, & hæc subdit: [Item si cavendum est à Medico corporali, qui propinando medicinam probabilius nocituram, occidit corpus, ut fatentur adversarii; quantò magis cavendum est à Medico spirituali, & consultore animarum, qui præbendo perniciosum consilium opinionis minus probabilis, ac minus tutæ, occidit animam? Cùm mors æterna magis sit formidanda, quàm mors temporalis?] Aliaque in hanc sententiam, & ponderationem prosequitur.

1126 Sanè magna commiseratione digni sunt Doctores, qui cum materias metaphysicas tractent metaphysicè, & formalissimè, ut debent; eorum tamen mens, ob rei difficultatem, non penetratur. Nec minori commiseratione digni sunt, qui mentem Authorum non penetrant: & multò majori commiseratione, qui cùm non penetrent, condemnant, & suam æquivocationem vertunt in injuriam Authorum. Hæc materia de probabilitate, ut notavi *in 1. part. Crif. Theolog.* initio, est valdè metaphysica, & multas subit reflexiones: ideòque indiget magna mentis acie, ne lectores hæreant in æquivoco.

1127 Tota hæc difficultas evanescet, si mente retineas id, quod suprà notavi *cap. 17. art. 3.* in quinta ex assertionibus nostris, quas adversarii non callent. Lege etiam, quæ dixi *in 1. part. Crif. Theolog. disp. 1. cap. 4. art. 11.* Perperam ergo intellecti sunt illi Authores à Fagnano.

1128 Pro cujus claritate, distingue has duas propositiones, Primam: *Hoc pharmacum est salubre*; Secundam: *Medicus potest propinare pharmacum probabiliter salubre, & probabilius lethiferum.* Prima est speculativa, secunda practica. Prima est directa, secunda reflexa. Prima est probabilis, & secunda improbabilis. Neque ex probabilitate primæ infertur probabilitas secundæ: nam, ut docui *disp. 15. cap. 4. art. 2.* latissimè, à probabilitate cognitionis directæ non valet ad probabilitatem cognitionis reflexæ.

1129 Deinde replicata reflexione distingue has duas propositiones. Primam: *Medicus potest propinare pharmacum probabiliter profuturum, & probabilius nociturum.* Secundam: *Quando fuerit opinio probabilis, quòd Medicus potest propinare pharmacum probabiliter nociturum, & probabiliter profuturum, licitum est Medico uti ea opinione probabili.* In prima, ut vides, probabilitas cadit suprà pharmacum; in secunda probabilitas etiam cadit suprà opinionem practicam de præbendo pharmaco. Prima agit de opinione Medicorum; Secunda de opinione Theologorum; nam prima est de pharmaco; & secunda est de electione facienda juxta conscientiam rectam. Quare illæ duæ propositiones sunt valdè distinctæ. Secundam concedit P. Azor (idem credo de reliquis Authoribus citatis à Fagnano) nempe in casu, quo vita ægroti sit omnimodis desperata. Primam expressè negat.

1130 Audiendus est Azor *loc. cit.* [Quæritur, an in curandis morbis, in quibus est grave mortis periculum, Medicus tutiorem, vel communiorem, vel probabiliorem opinionem sequi debeat, ubi sunt duæ opiniones adversæ, sed probabiles? (*Ecce quomodo distinguit Azor*) Animadvertendum est, posse hoc duobus modis contingere. Primò, quando sunt inter Theologos opiniones, quarum una affirmat, posse Medicum ægroto hanc, vel illam medicinam porrigere; & altera negat. Deinde quando inter Medicos sunt duæ opiniones, quarum una asseverat, hoc remedium esse ægroto salutare; altera contra, illud docet esse lethale. (*Ecce distinxit inter duo genera opinionum Theologorum, & Medicorum.*) Quæritur modò, an medicus contra propriam opinionem tuta conscientia possit, aliorum (*Medicorum*) probabilem sententiam secutus, medicinam graviter ægrotanti præbere, cùm tamen ipse existimet, eam esse lethiferam? (*Audi resolutionem*) Respondeo, manifestum esse jure, non posse Medicum remedium ægroto adhibe-

adhibere, quando dubitat, an sit ei profuturum, an nociturum: quia in dubiis tutior, & certior pars est eligenda.] Hæc Azor de varietate opinionum, quæ est inter Medicos de salubritate, aut periculo medicinæ.

1131 Videamus modò, quid asserit, in varietate opinionum; quæ sit inter Theologos, non de qualitate medicinæ, sed de applicatione illius juxta conscientiam rectam. Præsupposita ergo assertione, quam statuit, quòd non sit opinio probabilis, quæ præscribit aliquid, quòd sit in detrimentum, aut periculum ægroti; agit posteà de opinionibus, non Medicorum, sed Theologorum probabilibus, nempe quæ nullum important periculum ægroto. Et de his ita ait: [Respondeo, si aliorum opinio sit communis, vel tutior, vel probabilior, jus esse Medico id facere: quia tunc imprudenter non agit, nec ulla injuria, damnove ægrotum afficit. Item si aliorum (*Theologorum*) opinio sit probabilis quidem (*utpotè nullum periculum afferens ægroto*) licèt nec tutior, nec probabilior, nec communis, etiam Medico integrum est, eam opinionem in curando sequi: quia quod ex probabili ratione, & causa fit, imprudentia, & temeritate vacat.

1132 Ex his ergo duabus conclusionibus apertè colligitur, quàm recto tramite incedit P. Azor (idem credo de cæteris citatis.) Nam in prima conclusione ponit, non esse opinionem probabilem, quòd possit curari ægrotus cum periculo. In secunda de opinionibus Theologicis probabilibus, quæ eo ipso nullum debent afferre periculum ægroto (nam si afferunt periculum non sunt probabiles) asserit, Medicum posse sequi, quam maluerit.

1133 Videat ergo Fagnanus, quam immeritò eas censuras projecerit in sententiam P. Azor. Ergo ne Azor consulit ægroto ita sinistrè eligere Medicum, ut propterea censendus sit magis æger mente, quàm corpore? Ut propterea stultus, & fatuus dicendus sit? Numquid Azor docet, eligendum Medicum homicidam? Quo modo magis clarè potuit excludere periculum ab infirmo? Sanè consultius est impugnatori, silentio committere opiniones Authorum, quorum mentem non penetrat.

1134 In forma ergo respondeo ad argumentum, licèt pharmacum sit probabiliter profuturum, & probabilius nociturum; non est probabilis opinio, quæ doceat, illud posse ministrari: quia non valet, à probabilitate pharmaci ad probabilitatem applicationis. Nam, ut docui *disput.* 15. *capit.* 4. *art.* 2. non valet à resolutione quæstionis directæ ad resolutionem quæstionis reflexæ. Quæstio directa est, [An pharmacum probabiliter profuturum, & probabiliter nociturum?] Quæstio reflexa est, [An Medicus, ex præcepto saltem charitatis, teneatur ad porrigendum pharmacum securius?] Et quia hoc præceptum charitatis est certum, ideò non valet ea consequentia. Vide, quæ dixi ibi, præcipuè *num.* 283.

1135 Ad secundam periodum Fagnani, in qua vult, esse consequentiam à securiori medio applicando ex charitate in ægrotum, ad securius, & probabilius medium assequendæ veritatis, & bonitatis ex charitate in Deum: respondeo, disparitatem esse luce meridiana clariorem. Quia ubi est periculum ægroti, est obligatio illud vitandi. Circà offensam verò Dei nullum penitus esse periculum in opinione probabili. Nam ubi quis certus est de honestate operationis, nullum potest timere periculum. In usu autem opinionis verè probabilis esse hanc certitudinem, satis ostendi *cap.* 15. 16. & 17. Vide etiam, quæ de hoc argumento dixi ea *disp.* 15. *cap.* 4 *art.* 11. *num.* 328. & *seq.*

1136 Deinde in 3. periodo transitum facit à Medico ad Confessarium. Cui argumento satisfeci in ea *disput.* 15. *cap.* 4. *artic.* 11. *num.* 347. & *seqq* & in additionibus, quæ sunt ad finem *partis* 2. *num.* 14. & 41. Et pro re præsenti dic, quòd sicut Medicus, ita & Confessarius tenetur, non porrigere infirmis medicinam probabilius nocituram. Sed, & si sit opinio minus probabilis, quòd [Pictori liceat pingere in die festo,] licèt id permittat Confessarius Pictori, non ministrat illi medicinam probabilius nocituram; quia nullum est periculum Pictori, quia pingit in die festo ex opinione probabili; cùm certum illi sit, licitum esse usum opinionis probabilis. Sicut cùm Medicus permittit ægroto potum aquæ in decremento febris; non quia Medicus præscribat illum potum; sed quia ille potus tunc non nocebit ægroto; tunc enim nullum ei afferet periculum.

1137 Secundum absurdum, quòd deducit Fagnanus *num.* 298. ex sententia de opinione minus probabili seligenda, est, quòd aliqui Doctores tuentur, Judici licitum esse, sententiam ferre ex opinione minus probabili. Sed quia vidit, melioris notæ Authores id negare, & assignare rationem disparitatis inter Judicem, & conscientiam privatam cujuslibet Fidelis; ipse rationem disparitatis contendit esse nullam, & posteà transitum facit ad Confessarium, eo quòd iste etiam sit Judex, ideòque judicare debeat pœnitentem secundùm opiniones probabiliores.

1138 Ad hoc argumentum respondi ea *disput.* 15 *capit* 4. *art.* 11. *num.* 354. & *ibidem capit.* 15. propugnavi tamquam mihi certam sententiam, quòd Judex tenetur ferre sententiam inter partes secundùm jus probabilius, tum ex contractu, aut quasi contractu inito cum Republica judicandi secundùm jus probabilius; tum ex eo, quòd Judex cedit jure suo sequendi opinionem minus probabilem.

1139 Ex quo resultat duplex disparitas Sole clarior. Prima est; Nam potest quis se obligare ex contractu ad sequendam opinionem, quam censuerit probabiliorem: & de facto Judex ita se obligavit; ut ostendi eo *cap.* 15. Fideles autem talem obligationem non subierunt, neque talem contractum inierunt.

1140 Secunda disparitas est. Nam qui cedit jure suo sequendi opinionem minus probabilem, non potest eam sequi; cùm ergo Judex hoc jure cesserit, ut *ibid.* ostendi, non potest judicare secundùm minus probabilem. Quis autem dicat, aut quo fundamento probabit, omnes Fideles cessisse jure suo sequendi opiniones minus probabiles.

1141 Ad paritatem, quæ desumitur à Judice ad Confessarium, fateor, quòd sicut Judex, ita & Confessarius tenetur gerere suum munus meliori modo, quo possit; sed tamen ita ut is melior modus intelligatur proportionatè ad finem uniuscujusque muneris. Ad finem Judicis forensis attinet subditos continere in pacifico amicitiæ fœdere, & vitare jurgia, & scandala; & ad hunc finem est necessarium, quòd Judex dicat jus secundùm opiniones probabiliores. Finis autem fori pœnitentiæ est procurare veram pœnitentiam in ordine ad remissionem peccatorum, & ad vitæ emendationem. Ad hunc autem finem non requiritur, quòd Confessarius consulat probabiliora, sed solùm quòd attendat diligenter, ut opiniones sint verè probabiles: immò quandoque expedit ad salutem pœnitentis benigniora sequi. Non illas opiniones, quæ permittunt occasionem peccandi; hæ enim non sunt probabiles, neque tolerandæ: neque illas, quæ si benè intelliguntur, sunt probabiles; quæ tamen, quia à rudibus malè intelliguntur, præbent illi occasionem peccandi; V. g. de furtis minutis domesticorum, de verbis obscœnis, & similibus. Nam cum sit periculum, quòd malè intelligantur à rudibus, dicendæ sunt hic, & nunc periculosæ. Et ideò expedit, Confessarios esse prudentissimos, & cautissimos.

1142 Tertium absurdum ex nostra sententia infert Fagnanus *num.* 303. quòd sequens in administratione Sacramentorum opinionem minus probabilem, exponit se periculo faciendi irritum Sacramentum; cùm possit opinio minus probabilis esse falsa.

1143 Sed argumentum resilit in suum Authorem: nam similiter sequens opinionem probabiliorem exponit se periculo faciendi irritum Sacramentum; cùm etiam opinio probabilior possit esse falsa.

1144 Respondeo ex suprà dictis, me non admittere ullam opinionem probabilem, quæ Sacramentum exponat frustrationi: nam eo ipso quòd frustrationi exponat Sacramentum, est improbabilis, saltem ex præcepto charitatis propter præjudicium salutis animarum; ut notavi suprà *cap* 17. *art* 3. *num.* 921.

1145 Quartum absurdum, quod proponit *num.* 304. desumitur ex eo, quòd Confessarius teneatur sequi opiniones pœnitentis. Quod quomodo sit intelligendum, abundè explicui ea *disput.* 15. *capit.* 4. *artic.* 11. *num.* 357. & in Addit. ad finem *partis* 2. *num.* 14. & 41 Et solùm noto, errasse Fagnanum, dum eam opinionem, quæ verè probabilior est (ni velis vocare certam moraliter) vocat *errorem*.

1146 Neque textus Scoti, quem ibi affert, est ad rem (sicut nec allegationes S. Thomæ, & S. Bonaventuræ) quia Scotus solùm ait, malè operari eum, qui contra propriam conscientiam operatur, & si rectè operetur juxta conscientiam alterius: quod verissimum est; & nihil probat contra pravum Confessarii se accommodantis opinioni pœnitentis: quia licèt id exequatur contra propriam opinionem, non tamen contra judicium conscientiæ: hoc enim præscribit, posse se conformare in incertis cum opinionibus Authorum probatæ authoritatis.

1147 Quintum absurdum, quòd *numer.* 306. conatur inferre ex nostra sententia est: quòd si liceret sequi opinionem, etiam minus probabilem, liceret Principibus gerere bellum ex opinione probabili de justitia belli, præcipuè, quia [iniquum est, ut Rex, qui pacificè regnum possidet, in paritate opinionum æquè probabilium, & longè magis si pro se habet opinionem magis probabilem, de sua possessione vi dejiciatur.] Quæ sunt verba Fagnani, quibus hæc subjungit [Ex quibus patet, quàm sit perniciosa Christianæ Reipublicæ hæc doctrina probabilitatum, quæ publicam pacem sæpè sæpiùs turbat, & inflammat Reges ad bella gerenda. Timorati enim Principes priùsquam rem eam arduam aggrediantur, consueverunt exquirere à suis Theologis, & directoribus conscientiæ, quid sibi liceat, à quibus audientes sibi favere in puncto juris opinionem probabilem, quam tuta conscientia sequi possint, licèt opposita sit probabilior, ac tutior; huic damnabili consilio acquiescentes, bellum movent, quod est perditio animæ, corporis, & substantiæ. Quo etiam fit, ut hæc doctrina pariter non sit à Christo, qui venit in mundum, ut pacem doceret, *cap. Nisi bella.* 23. *quæst.* 1. sed potiùs ex Diabolo, qui est pacis æmulus, & sator zizaniæ.] Hæc Fagnan.

1148 Cujus periodum in ipsum sic contorqueo. [Ex quibus patet quàm sit perniciosa Christianæ Reipublicæ hæc doctrina de *Probabilitate*, quæ publicam pacem sæpè sæpiùs *turbat*, & inflammat Reges ad *bella gerenda*. Timorati enim Principes priùsquam

rem

rem eam arduam aggrediantur, consueverunt exquirere à suis Theologis, & Directoribus conscientiæ, quid sibi liceat, à quibus audientes, sibi favere in puncto juris *opinionem probabiliorem*, quam tuta conscientia sequi possint, huic damnabili consilio acquiescentes, &c.]

1149 Et quidem si id absurdum infertur ex sententia de opinione minus probabili, non minus infertur ea sententia de opinione probabiliori: unusquisque enim suam sententiam defendit ut probabiliorem; & quam Regi consulit director, non censet minus probabilem sed probabiliorem.

1150 Hoc ergo inconveniens si apertius est Fagnanus contra publicam pacem, sciat non oriri ex nostra sententia de probabilitate, sed ea malè intellecta ea sententia de probabilitate. Et in hac ipsa argumentatione cernitur, quàm non sit rectè intellecta. Nam in ea argumentatione arguitur à resolutione directa ad resolutionem reflexam sic. [Probabile est, quòd Rex A. habet jus proprietatis ad regnum, quòd possidetur à Rege B. ergo probabile est, quòd Rex A. potest occupare armis regnum B.] quæ est prava consequentia propter possessionem, quæ dat jus certum retinendi. Quæ omnia abundè explicui ex *disput.* 15. *cap.* 4. *art.* 11. *num.* 356. *& seqq.*

1151 Sextum absurdum *num.* 311. deducit ex eo, quòd juxta Authores nostræ sententiæ licitum est sequi opiniones oppositas, & modò judicare secundùm unam, modò secundùm aliam. Quod esse perquam absurdum dicit se ostendere evidenter. Videamus, quomodo? Etenim ex contrariis opinionibus oportet unam semper esse veram, & alteram falsam. Unde qui consulit, & judicat secundùm utramque, in rei veritate necessariò sequitur falsum. Nam licèt intellectus humanus non cognoscat, quænam sit vera, & quænam falsa; tamen certus est, in una ipsarum falsitatem latere, cùm impossibile sit, utramque esse veram. Unde sequendo utramque, sequitur necessariò id, quòd certò scit esse falsum. Et confirmat. [Quemadmodum qui miscuit venenum in una ex duabus potionibus, & oblitus est, in qua potione illud miscuerit, quamvis seorsim possit probabiliter æstimare, hanc, vel illam non esse veneno admixtam, tamen si sumat utramque, certus est formaliter, se sumere venenatam: ita qui consulit, & judicat secundùm oppositas opiniones probabiles, formaliter certus est, se pro una parte sequi falsum, licet propter imbecillitatem intellectus humani non discernat, qua in parte falsitas reperiatur.]

1152 Respondeo, eum, qui consuleret secundùm utramque opinionem oppositam, amplecti unam veram, & alteram falsam. Sed qui consulit modò secundùm unam, modò secundùm alteram oppositam, non consulit secundùm utramque; id enim denotat, quòd consulit secundùm utramque simul; sed solùm consulit secundùm utramque divisivè, & successivè. Quod non est inconveniens. Etenim *si sapientis est mutare consilium*; quare non erit sapientis, mutare consilium in re morali? Item si laudabile est, sequi consulta virorum sapientum; quare non erit laudabile, sequi hodie sententiam Suarii, & crastina die sententiam Thomæ Sanchii, aut cujusvis alterius, qui sit omni exceptione major? Maximè cùm illi Doctores magna cum discussione, & examine eas opiniones censuerint veras, & probabiliores. Ad id, quod dicitur, eum consultorem scire, in una earum latere falsum, verum est: sed cùm divisivè sumuntur, de qualibet seorsim prudenter credit, in illa non latere falsum.

1153 Ad confirmationem à veneno desumptam respondeo, si venenum esset ejus qualitatis, ut infectio ejus dependeret à judicio humano prudenti; in eo casu posset ille, credens probabiliter in ea potione A. non esse venenum, assumere securè talem potionem A. à qua nihil læsionis pateretur. Posteà verò credens probabiliter venenum extitisse in potione A. jam hausta, quæ ratione probabilitatis non læsit, posset dare amico potionem B. sine periculo læsionis illius. Et in hoc potiùs parificatur exemplum.

ARTICULUS VIII.

Reliqua absurda, ad quæ nostram sententiam conatur trahere Fagnanus.

SUMMARIUM.

1154 A *Numer.* 314. incipit enumerare, & ponderare alia septem absurda, quæ ferè omnia licèt diversis verbis perpensa, ad unum reducuntur, nempe quòd ex nostra sententia de quavis opinione probabili sequenda ad praxim ortæ sint opiniones scandalosæ, & laxativæ conscientiæ. De quibus loquitur *num.* 335. illis verbis, quæ proposui suprà *cap.* 9. *artic.* 5. quæ ut fusius explicem, oportet reproducere, ait enim: [De innumeris ferè opinionibus falsis, temerariis, & scandalosis, quæ ex libertate eligendi quascumque opiniones probabiles, tanquam ex æquo Trojano, in dies prodeunt; & quamplurimæ pallio probabilitatis tectæ, traduntur à Scriptoribus nostri temporis, quæ revera non sunt tolerandæ.] Incipit autem eo *num* 314. arguere ex eo, quòd, secundùm nostram sententiam. [Fas erit marito, modò adhærere uxori suæ, & ab ea debitum exigere, sequendo sententiam probabilem validitatis matrimonii; modò ei debitum negare, illamque dimittere ut concubinam, & aliam ducere pro libito suæ voluntatis sequendo contrariam opinionem.]

1155 Ad hoc argumentum fusè respondi *in* 1. *part. Crit. Theolog. ex disput.* 15 *cap.* 4 *art.* 1. nempe opiniones temerarias, & scandalosas esse improbabiles, ideòque oriri non posse à doctrina de vera probabilitate; neque esse æquum amputare probabiles, ut improbabiles extinguantur. Et operæ pretium est novis argumentationibus eam responsionem fulcire. Primò. Nam inquiro de illis *innumeris opinionibus falsis, temerariis, & scandalosis*, an sit certum, quod dicit Fagnanus, an non sit certum? Si dicat, esse certum: ergo illæ opiniones sunt *certò falsæ*. Hæc consequentia est plusquam evidens: quia istæ sunt synonimæ: *Certum est, hanc propositionem esse falsam: Hæc propositio est certò falsa*. Tum sic. Ergo ejusmodi propositiones non sunt probabiles. Hæc etiam consequentia est evidens; quia de essentia propositionis probabilis est esse incertam, idest, nec certam, nec certò falsam: ergo quæ certò falsæ sunt, non possunt esse probabiles. Tum sic. Ergo perperam discurrit, dum vult excludere opiniones probabiles propter opiniones improbabiles. Item: ergo ea sententia admittente solùm opiniones probabiles non oriuntur opiniones improbabiles, quas illa sententia non admittit. Ergo non possunt attribui nostræ sententiæ opiniones improbabiles, quas expressè excludit.

1156 Si verò diceret, non esse certum id, quod dicit de illis opinionibus, pejus illi consultum esset. Nam esset grande piaculum attribuere Authoribus infamiam, quæ re vera est incerta.

1157 Secundò, eodem modo efformo argumentum de eo, quòd dicit, illas innumeras opiniones esse temerarias. Nam si id certum est, erit certum, illas non niti fundamento prudenti: atqui de essentia opinionis probabilis est inniti fundamento prudenti: ergo certum est, eas opiniones, quarum mentionem facit, non esse probabiles. Cùm ergo nostra sententia expressè excludat omnes opiniones non probabiles, non possunt illi attribui opiniones, quas expressè excludit.

1158 Tertiò, similiter fit argumentum de iis opinionibus, quas dicit esse scandalosas. Nam si certum sit, esse tales, certum est, eas non esse probabiles. Est enim improbabile, quòd liceat dirigere conscientiam ex doctrina scandalosa: ergo si certum est, eas opiniones continere doctrinam scandalosam, eæ opiniones improbabiles sunt: ergo non possunt attribui sententiæ, quæ expressè excludit opiniones improbabiles.

1159 Et hic obiter notandum est, perperam dixisse Fagnanum *nu.* 110 [Licitum est sequi probabilem, cujus opposita est improbabilis: nam respectu improbabilis, opinio probabilis dici potest probabilior.] Quod minus scientificè dictum est. Nam est metaphysicè certum, quòd ex duabus contradictoriis, si una est positivè improbabilis, idest, certò falsa, altera debet esse certa; ut evidenter ostendi *in* 1. *part. Crit. Theolog. disp.* 4 *num.* 6. Ideòque perperam dicitur, opinionis probabilis contradictoriam esse improbabilem, & certò falsam.

1160 Quartò, nam si ex doctrina nostra de opinione minus probabili orirentur illæ opiniones falsæ, & scandalosæ, ablata hac doctrina

ctrina nostra, auferrentur eæ opiniones. Atqui ablata doctrina nostra, adhuc permanere possent prædictæ opiniones. Demus, hanc nostram sententiam authenticè deletam esse; & inde velis arguere, cœteras opiniones esse ablatas: respondebunt sui Authores, nullum inde præjudicium accepisse opiniones suas: nam ipsi non defendunt eas opiniones ut minus probabiles; sed ut probabiliores suis oppositis. Unde illas opiniones permansuras, donec authenticè constet, etiam probabiliores opiniones excludendas esse.

1161 Quintò, id ipsum convincitur ex verbis Fagnani, dum ait, *pallio probabilitatis tecta*. Ergo illæ opiniones falsæ, temerariæ, & scandalosæ, nihil habent probabilitatis præter pallium: ergo re vera non sunt probabiles: ergo opiniones verè probabiles inconcussæ manent, & illibatæ. Cur ergo amputandæ sunt opiniones probabiles, quia harum pallio improbabiles conteguntur? *Cùm & illæ oves non debeant deponere pelles suas, quia eis aliquando Lupi se contegunt*; ut inquit Gregorius Magnus.

1162 Sextò, quia hæ opiniones temerariæ, & scandalosæ potiùs oriuntur ex prava intelligentia probabilitatis. Quòd vel ab ipso primò exemplo earum propositionum, quod affert Fagnanus, manifestè convincitur. Ait enim in verbis suprà relatis, quòd si vera esset nostra sententia, posset conjux, sequendo opinionem probabilem nullitatis matrimonii, negare debitum, & recedere à matrimonio. Quòd quidem asserere non potest, qui rem probabilitatis rectè calluerit. Nam ob solas rationes probabiles non potest conjux privari jure, quod habet ad exigendum debitum; ut manifestè ostendi *in 1. part. Crist. Theolog. disput.* 16. *cap.* 6. præcipuè *num.* 163. & est definitum in *cap. Inquisitioni, de sentent. excommun.* Et cùm ita definitum sit, miror vehementer, quod eam opinionem, de negando tunc debitum, adnumeret Fagnanus inter opiniones probabiles. Quòd si ex illa probabilitate nullitatis matrimonii non potest conjux negare debitum, quomodo vi ejus probabilitatis poterit recedere à matrimonio?

1163 Ecce quomodo non est rectè intellecta doctrina de probabilitate. In quo etiam alii Authores deficiunt. Arguunt enim à probabilitate propositionis directæ ad probabilitatem reflexæ. Quem arguendi modum sinistrum esse, clarissimè ostendi in ea *disput.* 15. *cap.* 4. *art.* 2. Unde hæc est prava consequentia: [Petrus habet opinionem probabilem de nullitate matrimonii: ergo habet opinionem probabilem, quòd potest negare debitum, vel recedere à matrimonio.] Quia in materia consequentis superadditur jus, non probabile, sed certum possessionis.

1164 Dixi, multò minus posse conjugem recedere à matrimonio: quia, ut ostendi *disp.* 19. ob nullam rationem merè probabilem potest dissolvi contractus matrimonii, eo quòd sit natura sua indissolubilis; & contrahentes se obligant ad illum retinendum, quandiu non constiterit certò de ejus nullitate.

1165 Septimò, nam adversarii solùm referunt opiniones, quas dicunt temerarias, & scandalosas; & tamen non ostendunt caput, unde ita fiant damnabiles, cùm tamen id præstare deberent. Doctores enim privati non habent authoritatem damnandi opiniones; ostendunt tamen principium   de fiunt damnabiles. Sic quando omnes Theologi dicun. , aliqu n esse articulum Fidei, tenemur credere illum tamquam de Fide: quia quamvis Theologi non habeant authoritatem definiendi articulos Fidei, ostendunt tamen principium, unde ille articulus est de Fide. Sic, proportione servata, contingit in opinionibus damnabilibus. Numquid ergo adversarii non ostendunt capita, ex quibus illæ opiniones fiunt damnabiles; ut sic possint earum damnabilitatem rejicere in nostram sententiam, tamquam in *equum Trojanum*?

1166 Octavò, nam ipse Fagnanus *num.* 331. expostulans de *effrænata multitudine opinionum probabilium*, affirmat, id inconveniens originem trahere ex opinione, quòd sufficiat unus Author doctus, & probus. Ita enim ait: [Quin immò apud multos receptum videtur, ut probabilitas opinionum non solùm eliciatur ex rationibus, & argumentis congruentibus, sed etiam ex simplici authoritate unius docti, & pii Doctoris: ut tenent Gregor. de Valentia *in* 1. 2. *disput* 2. *quæst.* 11. *punct.* 4. *quæst.* 4. Emmanuel Sà *in summ. verb. Dubium*, *num.* 1. Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap* 4. *num.* 134. & alii apud Dianam *part.* 4. *resol. moral. tract.* 4. ∴ Quamobrem si unicuique licet sequi quamcumque opinionem probabilem; & probabilitas oritur etiam ex authoritate unius Doctoris; jam licet sequi opiniones ferè omnes, etiam erroneas, & temerarias; cùm hodie in moralibus nullum quasi sit paradoxum, quòd non nitatur authoritate alicujus Doctoris.]

1167 Ex quibus verbis manifestè colligitur, multitudinem opinionum, quas *erroneas*, & *temerarias* vocat, originem trahere, ex eo, quòd universalissimè, & illimitatè dicatur, quòd *probabilitas oritur etiam ex authoritate unius Doctoris*: ergo id non oritur ex doctrina de vera probabilitate; quæ quidem eam universalem propositionem non admittit.

1168 Et quidem si Fagnanus non fideret citationibus alienis, sed eos Authores, quos citat pro ea universali propositione, per se ipsum evolveret, & deliberate eorum sententiam considerasset; non citaret eos Doctores Valentiam, Sanctium, Filliucium pro ea universalissima propositione de probabilitate orta ex authoritate uniuscujuslibet Authoris. Nam, ut ex eisdem Authoribus probavi *in 1. part. Crist. Theolog. disput.* 11. non sufficit ad probabilitatem unus Author, nisi sit omni exceptione major.

1169 Et quidem perperam dixit ea verba: *Jam licet sequi opiniones ferè omnes, etiam erroneas, ac temerarias*. Omnes enim Doctores conveniunt in eo, quod non licèt amplecti opiniones erroneas, ac temerarias; neque ullius authoritatem sufficere ad erroneas, & temerarias imbuendas probabilitate. Quare correptione dignus est Joannes Machado, qui *tom.* 1. *in discurs.* prævio *de Probabilit. num.* 1. ait, quòd vir doctus potest consulere contra propriam opinionem, juxta alienam, & si hanc judicet improbabilem. Et pro asserto allegat Vasquium, Lessium, Salas, Coninck, Sayrum, Navarrum, Medinam, Lopez, Suarium, Azorium, Gutierrez, Henriquez, Laymanum, Villalobos, Thomam Sanctium, Becanum, Reginaldum, Bonacinam, Candidum, & Palaum. Erravit tamen Machado non solùm in asserto, sed etiam in allegationibus. Vide P. Matthæum de Moya *tom.* 2. *Selec. tract.* 1. *quæst.* 3. §. 2. ubi citatis verbis eorum omnium Authorum, convincit, ne unum quidem ex illis citari posse pro eo asserto, cujus oppositum expressis verbis tuentur. Quæ autem remedia expediant ad compescendas, & continendas opiniones intra terminos veræ, & practicæ probabilitatis; vide suprà *cap.* 9. *art.* 3.

1170 In eodem argumento conatur Fagnanus cogere nos ad hanc consequentiam: [Licebit Advocato in eadem causa patrocinari tam pro actore, quàm pro reo, si uterque habeat pro se rationes suasibiles. Contra textum *in lib.* 2. *C. de advoc. divers. judic. in l. Athletas* §. *penult. ff.* de his, qui notantur infamia, & *cap. fin.* 2. *qu.* 3.]

1171 Sed hinc colligitur apertè, adversarios non omninò callere nostram doctrinam de probabilitate. Quia nullam esse probabilitatem contra præceptum certum, omnes nostri Doctores admittunt, & est metaphysicè evidens. Quomodo enim erit probabile, quòd Advocato liceat patrocinari actori, & reo simul, si reperitur expressè, & certò prohibitum in iis textibus? Ad id, quod superaddit de Judice, & de Consiliario Regis ad bellum gerendum, satis constat ex dictis.

1172 Octavum absurdum, quod ex nostra sententia colligit *num.* 319. desumitur ex multis opinionibus, quæ in dies oriuntur, quæ lædunt immunitatem Ecclesiasticam, subditque: [Principes sæculi nihil arbitrio suo faciunt, sed quid sibi liceat, percunctantur à Theologis, quos ad sua desideria coacervant sibi Magistros. Hi verò, ut se præbeant zelatores laicalis jurisdictionis, prurientes auribus, & quærentes, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, ut plurimùm quid Divina Scriptura, sacri Canones, & probata Concilia ea de re statuant, parum investigantes, tantum laborant in perquirendo aliquem Doctorem, qui in eo articulo amplectatur opinionem, jurisdictioni sæculari faventem, aut saltem affirmet, illam esse probabilem: eoque modica cum difficultate reperto ∴ protinus consulunt, suadentque Principibus, & Magistratibus sæcularibus, ut opinione illa utantur. Et ex hac potissimùm radice, ni fallor, provenit, ut multi censuris Ecclesiasticis irretiti, despiciant absolutionem à Sede Apostolica obtinere, nec abstineant à perceptione Sacramentorum, existimantes se tutos esse in conscientia.]

1173 Circà quod argumentum multa notanda veniunt. Primum, negari non posse, quòd circumferantur præcipuè apud Jurisperitos multæ opiniones improbabiles contra immunitatem Ecclesiæ; quæ communiter reprobantur à Theologis; & ideò censentur ad minus, probabilitatis dubiæ. Probabilitatem autem dubiam afferre dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est, jam sæpè dixi.

1174 Secundum, illas opiniones, quæ circumferuntur contra Immunitatem Ecclesiasticam, non remanere probabiles; ostendi *in 1. part. Crist. Theolog. disput.* 17. eo quòd probabilitas earum opinionum limitatur per aliam regulam juris, quæ præscribit, in varietate opinionum circà immunitatem, omninò standum esse pro ea parte, quæ est in favorem Religionis. Cùm ergo illæ opiniones non remaneant probabiles, cur Fagnanus eas nobis obtrudit tamquam probabiles? Si nostra doctrina, [de quavis opinione verè probabili admittenda ad praxim] benè intellecta non admittit eas opiniones, quæ sunt contra immunitatem; cur illas tamquam probabiles attribuit nostræ sententiæ?

1175 Tertium. Authores, qui defendunt eas opiniones contra immunitatem, illas defendunt tamquam probabiliores: ergo licèt amputetur sententia nostra [de opinione minus probabili eligenda ad praxim] nihil agitur contra eas opiniones repugnantes immunitati. Ergo sententia nostra non producit eas absurdas opiniones.

1176 Quartum. Si illi Theologi aulici prurientes auribus Principum non attendunt veram doctrinam de Probabilitate limitata per alias regulas juris; hæc est culpa hominum, non doctrinæ. Doctrina ergo de Probabilitate benè intellecta, salva consistit, & incolumis.

1177 Si autem illi Theologi dumtaxat quærunt unum Authorem, quicumque ille sit, qui eam opinionem doceat contra immu-

immunitatem, planè errant. Tum quia recta probabilitatis doctrina non admittit unumquemlibet Authorem, sed illum, qui sit omni exceptione major. Tum quia, ut dixi, aliæ regulæ juris reflectunt suprà eam probabilitatem, & limitant illam; ita ut prædictæ opiniones non remaneant practicè probabiles.

1178 Nonum absurdum proponit *numer.* 320. his verbis: [Hæc doctrina reddit homines ignavos, eosque ab omni studio contemplandæ veritatis abducit. Nam ubi primùm quis in aliqua controversia morali intelligit, extare opiniones probabiles, & se habere libertatem sequendi, quam maluerit, licèt minus probabilem, & minus tutam, non laborat pro veritate ulterius assequenda: quo fit, ut hoc sæculo pauci inveniantur profundæ scientiæ, qui velut splendor effulgeant firmamenti, & velut stellæ in perpetuas æternitates. Addit Julius Mercorus *de Probabilit. opin. part.* 3. *artic.* 4. futurum esse, ut admisso usu probabilitatum, libri, qui tractant de morali materia, brevi tempore contemptibiles fient, immò tota scientia moralis contemptui habeatur. Nam casus, qui poterit unicuique occurrere, aut erit facilis, aut difficilis? Si facilis, non erit opus studio, nec revolutione librorum pro ejus resolutione. Si difficilis, jam experimur, difficultatem propositionis ex eo provenire, quia utrimque sunt rationes suasibiles, ut habetur 1. *Topic. cap.* 9. *in princip.* Unde statim atque aliquis apprehendit, casum propositum esse difficilem, simul etiam apprehendet, illum esse pro utraque parte probabilem: & sine alio studio, ad quam maluerit partem, tuta conscientia applicabit]

1179 Respondeo, numquam indiguisse viros doctos majori studio, ac diligentia, quàm in statu præsenti. Nam qui multæ opiniones improbabiles obtruduntur quasi probabiles, viri docti debent diligenter incumbere in eam curam, ut sciant discernere probabilia ab improbabilibus. Et cùm non satisfaciat conscientiæ unusquislibet Author, sed eligendi sint Authores probatæ authoritatis, &, qui sint omni exceptione majores; ad id discernendum, acri judicio, & magno studio opus est. Utinam viri docti animum adhiberent, ad cognoscenda principia certa, quæ militant adversùs multas opiniones, quæ prima specie aliquibus videntur probabiles: melius sic esset consultum rei litterariæ.

1180 Ad id, quod subjungitur ex Mercoro, respondeo, potiùs eam rationem esse contemptibilem. Nam si tibi occurrit casus difficilis, quomodo sine magno studio scies, rationes pro utraque parte esse merè topicas, & probabiles; & nullum latere principium certum, contra quod nulla est opinio probabilis?

1181 Decimum absurdum proponit à *num.* 322. ex eo, quòd ex nostra doctrina sequitur magna relaxatio conscientiæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ. Ad quòd probandum refert aliquas opiniones improbabiles in materia jejunii, & in materia non relinquendi occasionem proximam peccandi, & alias opiniones, quæ majori indigent examine, & quæ posteà examinandæ erunt.

1182 Ego sanè non capio, quomodo cùm ipse Fagnanus agnoscat, eas opiniones esse improbabiles, adhuc contendat, eas oriri à doctrina de opinionibus verè probabilibus. Sex opiniones in materia jejunii esse improbabiles, & à numero probabilium excludendas, ostendi *in part.* 2. *Cris. Theolog. disput.* 23. *capit.* 5. *artic.* 10. 11. *&* 12. *& disput.* 27. *cap.* 8. 9. *&* 11. Alias autem opiniones de occasione proxima peccandi esse planè improbabiles, ostendi *in* 1. *part. disput.* 18. ut prætermittam, quòd si aliquid probat ea argomentatio, doctrina de probabilioritate amputanda esset, quia Authores earum opinionum eas ut probabiliores defenduot.

1183 Dices, ideò opiniones improbabiles attribui tamquam origini, meæ doctrinæ: quia apud nostros Doctores sufficit ad probabilitatem quilibet Author: unde fit, quòd improbabiles, quia ab uno saltem Authore defenduntur, in numerum probabilium se intrudunt.

1184 Sed constat ex dictis, in hac responsione assumi falsum; cùm in *disput.* 11. ostenderim ex nostris Authoribus, non conducere ad probabilitatem illum Authorem; cui aliqua ex illis quatuor exceptionibus ibi assignatis opponatur.

1185 Undecimum absurdum, quòd conatur deducere, *num.* 330. ferè nihil aliud continet, quàm repetitionem prædictorum. Ubi in hæc verba prorumpit. [Si optimæ sunt leges, quæ quàm paucissima judicis arbitrio relinquerunt, secundùm Philosophum 1. Rhet fateri oportet, pessimam esse hanc doctrinam, quæ *ferè omnia* relinquit libero *cujusque* arbitratui. Nam qui legem imperare jubet, is legem, & Deum imperare jubet; qui verò hominem, belluam adjungit. ut idem docuit 3. Politic. Præsertim vero, quia idem Author modernus (Caramuel) non erubuit sua epistola disseminare hanc propositionem, videlicet *opiniones probabiles efficere, ut quòd alim peccatum erat, modò ampliùs non sit*. Quod si verum est, jam opiniones probabiles sunt suprà Legem Dei, & naturæ. Et tamen D. Thomas *quodlibet* 8. *art.* 13. *& quodlib.* 3. *art.* 10. palàm docuit, opiniones Magistrorum minimè efficere, ut quis excusetur à peccato, si agat contra Legem Dei.] Et in horum confirmationem in fine periodi subjungit testimonium Vincentii Baron in quadam epistola tractatui Julii Mercori præfixa. (In qua refertur Sanctissimi D.N. Alexandri præceptum, seu consilium in Generali capitulo evulgatum, ac Theologis Thomistis, quotquot sunt in orbe Christiano, à Definitoribus deferendum, videlicet, *Tædere Beatissimum Patrem tot novarum opinionum hoc sæculo in Theologiam moralem inductarum, quibus disciplina Evangelica resolvitur, ut conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur: & se maximè velle à Theologis nostris, ut Ecclesiæ hoc morbo occulto laborantis remedium, opus parari ex severiori, & tuto Sanctissimi Præceptoris doctrinas quo hæc morum, & opinionum licentia, quæ in dies grassatur, quasi contrario cobiberetur*.] Hucusque ea periodus Fagnani

1186 Ad primam partem hujus periodi respondeo, falsum esse, quòd nostra doctrina *ferè omnia relinquat libero cujusque arbitratui*. Tum quia non omnia, nec ferè omnia, sed ea solùm, quæ sunt incerta, relinquit arbitrio prudentum. Tum quia non relinquit arbitrio cujusque, sed Doctoris omni exceptione majoris, ut ex PP. Suario, Vasquio, Thoma Sanctio, & aliis probatis Authoribus ostendi *disput.* 11.

1187 Ad id, quod additur de imperio legis ex Aristotele, interrogo, an loquatur Aristoteles de lege certa, an etiam de incerta? Si enim incerta est, quomodo certò imperabit? Quæ ergo incerta est, judicio sapientum Doctorum subjacere debet, ut veritatem inquirant.

1188 Ad id, quod refertur ex Caramuele, respondeo, id in eo sensu accipiendum, in quo intelligitur hæc propositio: *Conscientia invincibiliter erronea denuò adveniens efficit, ut non sit peccatum, quod antea erat peccatum*. Si ergo opinio denuò adveniens habeat veram, & solidam probabilitatem, id efficiet. Nec inde infertur, quòd opiniones sint suprà legem Dei, & naturæ. Sicut non infertur, quòd conscientia erronea denuò adveniens, & denuò excusans à peccato, propterea sit suprà legem Dei; quia, ut docet S. Thomas, lex Dei obligat eo modo, quo proponitur per conscientiam. Et cùm Fagnanus defendat doctrinam de probabiliori opinione eligenda: interrogo, an si opinio, quæ anteà censebatur minus probabilis, modò censeatur probabilior, jam non sit peccatum, quòd anteà erat peccatum? Numquid ergo doctrina de probabiliori opinione seligenda est suprà legem Dei, & naturæ?

1189 *Numer.* 336. refert, Parochos Urbis Parisiensis, & Rothomagensis proposuisse quasdam propositiones, authoritate superiorum damnandas; & inter eas, proposuisse eam assertionem Caramuelis. Sed cùm habeat sensum suprà explicatum, ea non est damnabilis, si loquatur de vera probabilitate. Quod addit ex S. Thoma patet ex dictis suprà *cap.* 8. *artic.* 10. Ubi relege verba S. Antonini explicantis textum S. Thomæ, & *in* 1. *part. Cris. Theolog. disp.* 15. *cap.* 6. *artic.* 3.

1190 Testimonio, quod affertur, ejus præcepti, vel consilii Alexandri VII. fidem habeo, quia est conforme decretis ejusdem, quæ explicui *in* 1 *part. Cris. Theolog. disput.* 9. *cap.* 20. & quia certum est, multas irrepsisse opiniones improbabiles sub pallio probabilium; & hunc morbum remedio indigere. Sed ad compescendas opiniones improbabiles, non est opportunum remedium amputare eas, quæ sunt verè probabiles. In hoc remedium incumbere viros doctos, maximè expedit. Ad id ego conatus sum *in* 1. *&* 2. *part. Cris. Theolog.* Sed explicatius, & magis ex professo in hac 3. *part.* in qua aliqua exempla proponam. Quartam verò partem adhibebo, discurrendo per singulas materias morales, si afflictæ valetudinis molestiæ permiserint.

1191 Duodecimum absurdum, quod proponit Fagnanus *num.* 335. non eget responsione. Illud enim nihil aliud continet, nisi catalogum opinionum, quas vocat *falsas*, *temerarias*, *& scandalosas*. Ex quibus plures in sequentibus discutientur, & quarum aliquæ immeritò damnantur. Et quidem facillimum voce tenus damnare opiniones has, & illas; ostendere autem capita, ex quibus sint damnabiles, non ita facilè. Id autem præstare, esset magis proprium Doctoris sapientis.

CAPUT XX.

Satisfit objectionibus Celladei. Ubi singularis ejus modus opinandi vocatur ad Crisim.

ARTICULUS I.

Proponitur opinio, & ejus Crisis.

SUMMARIUM.

An rectè dividatur probabilitas in sophisticam, & realem? num. 1193.

Quomodo Celladeus explicet probabilitatem realem? numero 1194.

Quàm sit impossibile invenire semper opinionem, quæ ferè semper sit vera? num. 1195.

An Scotista non possit gubernare conscientiam ex opinione S. Thomæ? num. 1196.

An sit chymerica doctrina, quæ tradit, in conflictu opinionum sequendam esse necessariò partem tutiorem? num. 1197.

1192 ANtonius à Celladei *in* 1. *part.* de recta doctrina morum (2. pars, si edita est in lucem, non pervenit ad manus meas) singularem ingressus est viam, quam susissimo

tuo stylo prosequutus est: & ideò mihi est impossibile, omnes ejus discursus satis iogeniosos examinare. Quare est animus ita eos proponere in generali, ut ex doctrina hic subiicienda non sit difficilè, omnibus satisfacere.

1193 Igitur *lib.2. quæst.4.* distinguit duplicem modum probabilitatis. Aliam dicit probabilitatem sophisticam, quam etiam vocat probabilitatem impunem; aliam probabilitatem realem, sive probabilitatem conscientiæ. Probabilitatem sophisticam dicit esse eam, quæ communiter usurpatur apud recentiores, quæ quidem probabilitas convenit duplici opioioni contradictoriæ. Censet enim impossibile, quòd duplex opinio contradictoria habeat veram, & realem probabilitatem etiam quoad nos, & quoad nostrum intellectum. Nam sicut respectu nostri intellectus repugnat, quòd utraque sit vera, & necessarium est, quòd altera sit falsa; ita etiam repugnat, quòd utraque habeat veram probabilitatem, & necessarium est, quòd una earum nitatur fundamento sophistico, nempe quòd appareat verum fuodamentum, & tamen illud non sit verum. Hanc probabilitatem vocat impunem, quia permittitur, & toleratur: immò aliquando Superiores prohibeot, ne afficiatur censura Theologica, & cogimur uon dicere eam opinionem improbabilem. Et hoc genus probabilitatis affirmat non esse sufficiens ad regendam conscientiam, sive opinio dicatur probabilis, sive probabilior: quia ut vna sit probabilior, opposita debet esse probabilis, ut possit esse mious probabilis: at solam probabilitatem sophisticam posse inveniri in duplici opinione contradictoria; atque adeò tam sophisticam esse probabilioritatem, ac probabilitatem.

1194 Iam verò probabilitatem conscientiæ, sive realem admittendam esse contendit, & dicit illam esse, quæ ferè semper est vera. Nam probabilitas, quæ ponitur io utraque opinione contradictoria, æqualiter se habet ad verum, & falsum; & æqualiter potest fallere, & falli; at vera probabilitas debet se habere ferè semper ad verum, & non esse indifferens ad verum, & falsum, neque indifferens ad fallere, & falli. Quas autem conditiones, & requisita debeat habere, ut dicatur, quòd ferè semper est vera; hoc opus, hic labor est ad explicandum.

1195 Hæc autem sententia subsistere non potest, tum propter argumenta proposita *cap.*15. 16. & 17. tum præcipuè propter tria. Primum. Nam impossibilem, & oon solùm difficillimam, reddit totam seriem operationum humanarum, & expositam inoumeris scrupulis, & anxietatibus. Probatur. Etenim iovenire veritatem, quamvis cum eo addito, [quòd opioiu ferè semper sit vera,] in rebus omninò incertis, est impossibile. Quam à multis sæculis digladiantes Theologi inveoire non potuerunt; quomodo ego præsumam, quòd veritatem invenio? Deinde si sequi debeo opinionem veram, aut certus sum, esse veram, aut incertus. Si certus; non est opinio, sed sententia certa. Si incertus; quælibet opinio probabilis habet hoc: nam quam sequor opinionem, licèt cum formidine credo esse veram.

1196 Secundom argumentum, quod à sententia Celladei me avocat, est. Nam, juxta ipsum, si opinio pro utraque parte contradictionis habet parem authoritatem; & motivum ab intrinseco est æquale, vel non attenditur; res manet in statu dubii, nec alteram earum opinionum sequi possum tuta conscientia. Hinc fit ingens absurdum, quòd Scotista, qui censet Scotum authoritate parem Divo Thomæ, non possit tuta conscientia sequi opinionem Divi Thomæ, cui contradicit Scotus. Quod quidem absurdum devorat Celladeus verbis suprà relatis *cap.*16. *art.*5. Sed tamen dicere, quod sit aliqua opinio moralis io S. Thoma, quam alicui fidelium non liceat reducere ad praxim, mihi videtur tam immane absurdum, ut ob illud solùm numquam credam esse probabilem eam opinionem Celladei. Vide argumentum hoc susius propositum eo *cap* 16. *art.*5.

1197 Tertiom argumentum est. Nam censeo chymæricam, & impossibilem doctrinam, quæ tradit, in conflictu opinionum sibi contradicentium, semper sequendam esse tutiorem partem, sicut in dubio practico; quod expresse tradit Celladeus. Etenim in ea quæstione, [An qui damnum intulit ex sola culpa veniali, teneatur resarcire ex justitia?] sunt duæ opiniones sibi contradicentes. Si ergo in hoc conflictu opinionum sequenda est pars tutior; ei, qui damnum iotulit, tutius est solvere, ideòque tenebitur ad solvendum; ei verò, qui damnificatus est, tutius est non accipere solutionem; ideòque tenebitur illam non accipere: ergo in hoc casu damnificator tenebitur solvere, sed nemini. Vide, quid magis chymæricum dici potest. Vide hoc argumentum latiùs propositum *cap.*15. & responsiones, quæ exhiberi possunt, manifestè convictas. In r. *p.* dixi, cum præcipere posse, ut in opioabilibus sequamur partem tutiorem. Sed id intelligendum est extra materiam justitiæ.

ARTICULUS II.

Occurritur objectionibus Celladei.

SUMMARIUM.

An nulla opinio probabilis formaliter sit regula operationum? n.1203.
Quomodo duplex opinio probabilis adversa subordinetur legi Divinæ? num.1204. & seq.
Quomodo neutra opinio ex adversis egrediatur sphæram legis Dei? n.1206.
Quomodo dictamen de duplici opinione opposita, sit applicativum legis Divinæ? num.1207.
Quomodo opinio minus probabilis non se habeat magis ad falsum, quàm ad verum? num.1208.
Quomodo exemplum horologii non obsit, immò prosit nostræ sententiæ? num.1211. & seq.
Quid sit probabilitas sophistica? nu.1215.
An contra certum detur probabilitas sophistica, non autem vera? n.1216.
Quid sit argumentum sophisticum? n.1221.
Quomodo intelligatur id assertum, quod ex errore est tale, non est absolutè tale? n.1223. & seq.
An cognitio reflexa de non regula possit facere regulam? 1227. & seq.
An certitudo dictaminis reflexi desumatur ab objecto; & quomodo? num.1234. & seqq.

1198 ANtonius à Celladei *lib.*3. Recapitulationem, ut ipse vocat, omnium eorum, quæ contra probabilitatem scripserat in antecedentibus, disposuit in *quæst.*18. & quia non vacat omnes discursus, quos per totum librum fusissimè spargit, examinare; satis erit breviter satisfacere objectionibus, quas in ea recapitulatione breviter instauravit.

1199 Prima objectio est, in qua oititur probare, *probabile confusum* (sic enim vocat nostram doctrinam de quavis opioione practicè probabili amplectenda) non esse rectam regulam humanorum actuum. Sic enim ait §.2. [Conclusio, vel opinio, vel humana ratio, *hac* solùm *probabilitate* probabilis, io primis *non subordinatur Divinæ legi*; nec item est *secundaria* respectu ejus; nec dominum *applicativum* illius. Quæ probantur. Nam subordinatum subest, ac subditur suo principali: at opinio, vel ratio humana, modo dicto probabilis, non subest legi Dei; nam lex est vna, & pro vna solùm parte contradictionis: opnio verò, & ratio humana sic probabilis est io utraque, & pro utraque parte; & ita pro lege, & contra legem, ut patet.

1200 Rursus secundarium respectu alterius non egreditur sphæram ejus, ut cernitur io causa prima, & secunda; & si causæ secundæ egrederentur sphæram primæ, jam in quo egrediuntur non essent secundæ, sed primæ, ut est manifestum. At hæc ratio humana egreditur, quin per se, & necessariò egreditur sphæram Divinæ legis: nam illa per se, & necessariò falsis etiam, & utrique parti contradictionis convenit; lex autem per se, & necessariò solùm veris, & uni parti contradictionis.

1201 Denique hæc humana ratio non est applicativa Divinæ legis magis, quàm actio prorsus indifferens ad trahendum secum ignem, est applicativa ignis. Etenim ratio hæc humana se habet indifferenter ad contradictoria: ergo ad legem, & non legem. Non est ergo magis tractiva, & applicativa ejus, quàm non applicativa.] Hucusque objectio Celladei.

1202 Et paulo inferiùs circà opinionis minus probabilis electionem, hæc superaddit: [Ratio minus probabilis magis (se habet) ad falsum, & contra legem quoad oos, & oulla nec præsumptio quidem est de ejus cum lege concordia, quin præsumptio est de discordia, & repugnantia, & contrarietate.]

1203 Pro cujus argumenti solutione adverte, nullam opinionem probabilem esse propriè, & formaliter regulam humanarum operationum. Regula enim debet esse certa, & nulla opinio probabilis est certa. Quare regula, quæ attinet ad usum probabilium, est illud dictamen certum, vel universale, [quòd licet uti quavis opioione verè probabili;] vel singulare, [quòd licet uti hac opinione probabili.] Quod dictamen constat esse certum ex argumentis instructis *cap.*15. 16. 17. *&* 18.

1204 Deinde hæc opinio S. Thomæ [quòd non licet baptizare infantes filios infidelium invitis parentibus,] subordioatur legi Christi de baptismo, quia optimis argumentis probat, ita esse intelligendam legem Christi; optimaque authoritate roboratur. Similiter opinio Scoti affirmans [qoòd licet baptizare infantes filios infidelium invitis parentibus, scilicet interventu Principis, vel Magistratus,] etiam subordinatur legi Christi de baptismo: quia optimis argumentis probat, ita esse intelligendam legem Christi; optimaque authoritate roboratur. Nam quia incertum est, quæ opinio à parte rei sit vera; & vnaquæque optimis argumentis, probabilibus quidem, probat, suam partem esse conformem legi Dei; iutellectus humanus io re incerta satis prudenter procedit, dum unius authoritate, & rationibus innititur. Loquitur ergo dictamen universale de opinionibus divisivè, quo pacto non sunt indifferentes ad verum, & falsum, neque ad legem, & non legem; sed unaquæque determinatur ad verum, & ad legem, per optima argumenta id probantia.

1205 Ad primum ergo dicendum, regulam, quæ dicit, opinionem S. Thomæ posse tutò deduci ad praxim, subordinari legi Dei; quia optimis argumentis probat S. Thomas, eam esse conformem legi Christi de baptismo. Et idem dicendom est divisivè de opinione Scoti. Ad id, quòd subjungitur, quod *lex est vna, & pro vna solum parte contradictionis*, ratio vero probabilis est pro utraque parte contradictionis; respondeo, sicut lex est vna, & pro vna parte contradictionis; ita opioio S. Thomæ [quòd non licet in eo casu baptizare] etiam est una, & pro una tantùm

tùm

tùm parte contradictionis. Et similiter opinio Scoti divisivè [quod licet baptizare,] etiam est una, & pro una tantum parte contradictionis; quamvis utraque opinio copulative non sit pro una tantùm parte contradictionis. Argumentum autem à collectivo ad divisivum nullum est.

1206 Ad secundum similiter dicendum est, neutram opinionem divisivè egredi sphæram legis Dei; quia unaquæque seorsim robustis argumentis probat, eam esse conformem legi Christi de baptismo.

1207 Ad tertium similiter dicendum est, dictamen de opinione S. Thomæ elegendâ ad praxim esse applicativum legis Dei, quia robustis argumentis probat, esse conformem legi Christi. Et idem dicendum de opinione Scoti divisive, & seorsim. Nam quælibet divisivè non est indifferens ad legem, & non legem; sed applicans legem Dei determinate.

1208 Ad ultimum, quod subjungitur de opinione minùs probabili, respondeo, illam minime se habere ad tartum, si habet omnia requisita probabilitatis: quia optimis argumentis probat esse conformem legi; quamvis argumenta partis oppositæ videantur meliora. & illa optima argumenta faciunt præsumptionem de veritate ejus; quia ob incertitudinem materiæ potest contingere, quòd minus probabilis sit vera, & probabilior falsa. Et iterùm noto, plerumque contingere, eam, quæ ab aliquibus dicitur minus probabilis, absolute non esse probabilem; quod solet contingere, quando probabilior magno excessu superat oppositam: quia opposita nititur levibus argumentis rationis, & authoritatis.

1209 Objectio 2. est, quam proponit in eodem § 2. in confirmationem primæ his verbis. [Horologium, quod non magis haberet concordare, quam discordare cum motu Solis, quin necessariò designaret horas juxta, & contra motum Solis, esset pessimum horologium, & pessima regula horarum; quia scilicet rectitudo regulæ secundariæ pendet à subordinatione, & concordia cum sua prima regula. Nostra autem illa humana ratio se habet ad Divinam legem, sicut horologium illud ad motum Solis: ergo, &c.

1210 Hinc conspicitur, quàm nulla sit illa adversariorum evasio, qua, ajunt, habita hac sua probabilitate, violationem legis, si contingat, fore pure materialem: id est, involuntariam, ac inimputabilem. Habeat quis prædictum horologium, cujus nulla sit magis concordia, quàm discordia, & contrarietas cum motu Solis: & velit nihilominus regulare horas, & dies per illud suum, quòd unicè amat horologium. Profectò errabit passim in horis: & error est sibi voluntarius, & imputabilis, præcognitus nimirum, ac liberè volitus. Sic erroni ista tua humana ratione.] Hucusque Celladeus.

1211 Respondeo, ut recta sit hæc comparatio, sicut ponit duas opiniones sibi contradicentes, debet etiam ponere duo horologia inter se discrepantia, & hoc modo sibi contradicentia. Et hoc modo exemplum suffragatur nostræ sententiæ. Etenim si in puncto meridiei alterum horologium indicaret horam meridiei, & alterum indicaret horam mediæ noctis; illud secundum deprehenderetur esse parva regula. Quare? quia certissimè deprehenditur error illius. Si verò illa duo horologia solùm in uno horæ quadrante discreparent, & in eo sibi contradicerent: non propterea alterum, vel utrumque reputaretur prava regula; quin immò tanquam bonam regulam horarum admittit utrumque consuetudo Ecclesiastica, quamtumvis in uno horæ quadrante soleant ambo discrepare, & sibi invicem contradicere. Quare nisi quia in rebus incertis, & in quibus non deprehenditur error manifestus, non possunt aliter gubernari actiones humanæ dependentes à tempore? Et idem esset, si lux Solis omnino abesset spatio duorum mensium, & in medio tempore illa duo horologia discreparent in integra hora, vel in duabus, ita ut propter absentiam lucis non posset deprehendi error: tunc enim neutrum horologium, neutra regula horarum contemneretur.

1212 Similiter ergo in nostro casu, duæ opiniones sibi invicem contradicentes, quia incertum omnino est, quænam sit à parte rei vera, & quænam earum conformetur cum prima regula; si optimis argumentis utraque roboretur, utraque admittitur, ut objectum regulæ humanarum actionum; utraque, inquam, divisivè; sicut etiam utrumque horologium divisivè in præfatis casibus, admittitur ut regula. Et sicut qui in prædictis casibus regularet actiones suas per alterutrum ex illis horologiis, non esset ei voluntarius error, si fortè daretur; ita qui sequitur alterutram ex opinionibus verè probabilibus, si fortè erret in conformitate cum prima regula, non erit ei voluntarius error; quia sufficit ad hoc, quòd in rebus incertis probet optimis argumentis, quòd opinio, quam sequitur, conformatur cum prima regula Divinæ legis.

1213 Sed ponamus, illud horologium chymæricum, quale fabresit in objectione, quod non magis concordet, quàm discordet cum motu solis; & ne sit omni ex parte chymæricum, ponamus quòd aliquas horas indicat exactè, & aliàs inordinatè. Enim vero vel error deprehenditur manifestè, vel non? Si primum; nemo prudens illud sequetur ut regulam; sicut nemo prudens debet sequi opinionem, quam constat esse improbabilem. Si verò non deprehenderetur manifestò error ejus horologii, neque aliud esset in civitate, adhuc prudentes sequerentur illud ut regulam horarum. Quod exemplum quantum suffragetur nostræ sententiæ, quis non videt?

1214 Tertia objectio est, quam proponit ibidem sic: [Ostensum item fuit, istam probabilitatem contradictoriorum convenire etiam, ac inveniri contra certum, ac evidens, non autem ut probabile conscientiæ.] illud autem conatus fuerat probare *lib. 2. qu. 5. §. 2.* ex eo quod Authores dicant, suam sententiam esse certam, & manifestam; oppositam autem non dicant improbabilem, sed probabilem: ergo jam datur probabile contra certum. Quod multis conatur confirmare: & præcipue ex sententiis scientiæ mediæ, & præmotionis physicæ in quibus unaquæque schola suam sententiam certam, & evidentem reputat: & tamen neutra dicit oppositam improbabilem: immò utraque cogitur dicere oppositam probabilem propter decretum Pauli V. inhibentis censurare alterutram.

1215 Pro cujus claritate nota, me etiam admittere duplex genus probabilitatis, scilicet sophisticæ, & veræ; quamvis id admitto in alio sensu, ac Celladeus. Ipse enim omnem probabilitatem, quæ reperiri dicitur in duplici opinione contradictoria, dicit sophisticam; ego verò in utraque admitto veram probabilitatem; nam probabilitas sophistica est, quæ nititur discursu fallaci, æquivoco, sophistico, &c.

1216 Jam verò hæc probabilitas sophistica inveniri potest contra certum, & evidens; dolus enim sophismatis non destruit certitudinem, & evidentiam in intellectu tardo, & rudi, qui non penetrat, in quo sit fallacia. Vera autem probabilitas unius opinionis inveniri non potest contra assertionem contradictoriè oppositam certam, aut evidentem. Nam propositio contradictoria assertionis certæ, necessariò est certò falsa, atque adeò improbabilis.

1217 Ad id, quod addit de Authoribus asserentibus suam opinionem certam, & oppositam probabilem, id non credo de Authore, qui sit formalis; quia ea est implicatio terminorum; & pro hoc asserto nullum affert authorem Celladeus. Quòd autem authores suam sententiam dicant certam, & oppositam non dicant improbabilem, id non probat, quòd dicant, vel censeant, esse probabilem: sed quod pro bono pacis, & concordiæ abstinere volunt à simili censura; immò à Superioribus ad id obligantur. Quod contingit in quæstione de scientia media, & præmotione physica.

1218 Quarta objectio est, quam proponit ibidem sic. [Ostensum fuit in omni contradictione fundamenta alterutrius partis esse necessariò purè sophistica ex toto rigore Logicæ, & sic insufficientia pro conscientia.] In quo remittit se ad argumentum, quod pro hoc asserto instruxit *lib. 2. qu. 8 § 3.* Ubi sic ait: [Proponitur tibi duplex conclusio contradictoria, v. g. te esse obligatum, & te non esse obligatum sub eisdem omninò circumstantiis. Scis evidenter, alterutram harum conclusionum esse falsam ex lege contradictionis, licèt nescias, quæ sit determinatè vera, & quæ determinatè falsa. Tunc habes fundamenta pro utralibet earum. Dicimus itaque, quòd sicut tibi evidenter constat, alterutram conclusionem esse falsam; sic eadem evidentia scis, alterutra fundamenta esse vel falsa, vel nulla quo ad conclusionem, licèt nescias determinatè, quænam fundamenta sint vel falsa, vel nulla, & illegitima. Quare sicut impossibile est, te utramque simul conclusionem judicare veram; ita impossibile est, te utraque simul fundamenta, & argumenta judicare gravia: cùm sicut falsitas alterutrius conclusionis indeterminatè tibi evidenter constat; sic tibi constet falsitas, vel nullitas alterutorum fundamentorum indeterminatè.]

1219 Et *quæst. 9 §. 1.* instat sic: [Omne ex ignorantia vel errore tale, non est tale simpliciter, sed solùm secundùm quid, & sophisticè, & cum addito: ut ex errore, vel ignorantia aurum; ex errore, vel ignorantia Rex. Sed in omni contradictione fundamenta unius partis solùm possunt esse gravia ex errore, vel ignorantia: ergo in omni contradictione fundamenta unius solùm possunt esse gravia secundùm quid & impropriè.] Minorem probat ex argumento proximè facto ex *qu. 8.*

1220 Ego tamen numquam crediturus sum, nec dici patiar, S. Thomam, vel Scotum, etiam disjunctivè, uti fundamentis sophisticis, in iis quæstionibus, in quibus sibi contradicunt. Nam hæc duo lumina Theologiæ optimè sciebant distinguere inter sophisticum, & dialecticum argumentum.

1221 Pro cujus elucidatione dicendum est, non esse sophisticum illud argumentum, quòd quamvis à parte rei non sit legitimum (id est, non sit vel verum, vel illativum) vim infert intellectui magno, qualis erat intellectus Scoti; sed illud dicendum esse sophisticum, cujus dolum, & fraudem deprehendere potest intellectus humanus, saltem magnus, quare negandum est, in omni contradictione fundamenta alterutrius partis esse sophistica ex toto rigore logicæ.

1222 Ad probationem desumptam ex ea *q. 8.* respondeo, in omni contradictione, scire me; unam propositionem esse falsam indeterminatè; & fundamenta unius partis indeterminatè esse à parte rei illegitima, & etiam quo ad nos indeterminatè. Quia tamen quodlibet eorum fundamentorum vim infert intellectui, etiam magno; ejusque ineptitudo non potest cognosci ab intellectu humano, etiam magno; ideò id fundamentum non est sophisticum, sed grave,

grave, & dignum viro prudente. Ideòque negandum est, non posse utrumque fundamentum esse grave.

1223 Ad alteram probationem argumentum assumptum ex qu.9. inventi est æquivocatione perpetuum; consistitque in eo, quòd à rebus physicis transferatur ad moralitates. Existimatio communis abstrahit à vera vel falsa. Numquid ergo, quando existimatio communis à parte rei est falsa, dicam, non esse eam existimationem communem; quia quod ex errore est tale, non est absolutè tale? Itaque quando existimatio communis ita est falsa, ut ejus falsitas sit incognoscibilis determinatè, est vera existimatio communis, in eo sensu, quo aurum est verum aurum.

1224 Hujus exemplum cernitur in moneta cuprea, quæ hodie viget in Regnis Castellæ, quæ ex lege debet habere aliqualem mixturam argenti. Scimus omnes, esse multos nummos hujus monetæ, qui falsificati sunt; & tamen quia non sunt determinatè discernibiles, omnes admittuntur, & habent suum valorem ab existimatione communi; & valor eorum reputatur verus valor. Itaque ex ignorantia, & errore habent omnes illi suum valorem; & tamen reputatur verus valor. Falsa est ergo in moralitatibus ea major propositio: [Quod ex ignorantia, & errore est tale, non est tale simpliciter, sed secundùm quid, & sophisticè.] Vel distinguenda est: Quod ex errrore [cognoscibili determinatè] est tale, non est simpliciter tale, concedo; Quod ex errore [incognoscibili determinatè] est tale, non est simpliciter tale, nego. Quæ distinctio pro rebus moralibus valet. Sic enim si in quantitate aureorum, sciremus indeterminatè esse aliquos, qui non essent ex auro, neque illi determinatè discerni possent, in æstimatione morali reputarentur tanquam verum aurum.

1225 Sic licèt indeterminatè sciamus, ex duabus opinionibus oppositis S. Thomæ, & Scoti, alterutram esse falsam; & alterutrius fundamenta esse illegitima; adhuc ea sunt gravia, licèt ex errore indeterminatæ cognitionis sint gravia: quia sunt gravia ab existimatione communi sapientum; & hæc existimatio communis abstrahit à vera, & falsa indeterminatè; quia quando non est discernibilis determinatè falsitas, solum attenditur ad vim, quam ipsa fundamenta inferunt intellectui.

1226 Quinta objectio est, quam proponit ibidem his verbis [In reflexis porrò, quo eunt, nullum est refugium. Nam nullæ reflexæ, & acumina de non regula regulam efficere sufficiunt. Reflexæ dicunt: *Licet sequi opinionem probabilem*. Hoc autem est dicere: *Opinio, seu ratio humana probabilis, est regula morum*. Id est, *Licet juxta eam operari; quia utique apta regula est*. Sed non est apta, sed ineptissima regula.] Et de hoc dictamine reflexo sæpius loquitur sparsim in toto libro, & semper assumit non posse cognitionem reflexam habere majorem certitudinem, quàm cognitio directa.

1227 Respondeo, falsissimum esse, quod assumit, quòd nulla reflexa de non regula potest facere regulam. Quod sic demonstro. Hæc propositio non est regula ad operandum, *Mentiendum est mihi pro vita hominis tuenda*: & tamen dictamen conscientiæ invincibiliter putantis, id esse obligatorium, est regula, quam sequi debet ille homo: ergo dictamen reflectens supra non regulam potest esse regula.

1228 Dices, illud dictamen conscientiæ errantis esse regulam obliquam, & distortam: Celladeum autem loqui de regula recta; nam regula non recta non est propriè regula.

1229 Contra est. Fiat iterùm reflexio supra eam regulam obliquam, quam dicis non esse regulam. Dicatque intellectus. *Debeo sequi dictamen conscientiæ invincibiliter errantis, & proponentis aliquam obligationem*. Istud dictamen habet pro objecto regulam errantem, atque adeò non regulam: sed ipsum dictamen est regula recta: ergo judicium reflexum habens pro objecto non regulam, potest esse regula recta. Major, & consequentia patent.

1230 Et minor est evidens, ex S. Thoma 1.2. qu.19. art.5. ad 2. vbi ait. *Quando ratio errans proponit aliquid, ut præceptum Dei, idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum*. Sed quare, nisi quia Deus præcipit, ut cum conscientia invincibiliter errans proponit præceptum Dei, sequamur conscientiam: ergo si Deus id præcipit, regula recta est, quæ dicit, eam esse obligationem conscientiæ.

1231 Deinde in ea probabilitate, quam ponit Celladeus, qui cum ea operatur, vel est certus, quòd non peccat, vel non est certus? Si dicat, esse certum, contra est: quia sola probabilitas non confert certitudinem. Quod si respondeat, ideò manere certum, quòd non peccat, quia facit, quantum potest humano modo; jam præter probabilitatem ipsam, admittit dictamen reflexum certificans, quod faciens quantum potest humano modo, non peccat. Si autem dicat, ex sola sua probabilitate conscientiæ non manere certum, quòd non peccat; infertur manifestè, quòd manet ille homo expositus periculo probabili peccandi.

1232 Vrgeo. Ponamus duos homines, quorum alter dicat: *Qui sequitur probabile reale* (qualiter ponit Celladeus) *non peccat; est autem probabile reale, quòd licet pingere in die festo*. Alter verò dicat: *Probabile reale est, quòd licet pingere in die festo*. Et careat primo illo dictamine, quòd qui sequitur probabile reale, non peccat. Si uterque pingat in die festo, primus non peccat, quia habet illud dictamen reflexum, quo scit, se non peccare, sequendo probabilitatem realem. Secundus autem peccat, quia dum caret illo dictamine reflexo, nescit an peccet, an non peccet, sequendo illud; atque adeò exponitur periculo peccandi: ergo potest cognitio reflexa esse certa, quamvis cognitio directa non sit certa; atque adeò cognitio reflexa, potest esse regula, quamvis habeat pro objecto non regulam.

1233 Sic ergo dicimus, præcisam opinionem probabilem non esse regulam, quia incerta est; esse tamen certum, quòd non peccat, qui utitur opinione probabili. Sed vnde certum? sanè ex argumentis propositis cap.15. 16. & 17.

1234 Instat. Certitudo sumitur ab objecto: sed objectum hujus actus reflexi. [Licet uti opinione probabili,] est ipsa opinio probabilis, quæ non potest dare certitudinem actui: ergo ille actus reflexus non est certus.

1235 Respondeo, negando minorem. Nam actus ille reflexus non affirmat solùm ipsam opinionem nudè sumptam, sed usum licitum illius, usum autem illius esse licitum, est certum ex præfatis cap. 15. & seq.

1236 Multas alias obiectiones possemus efformare ex magna mole argumentorum, quæ congerit Celladeus. Omnia autem ad hoc unum revocantur, quòd ex duplici opinione contradictoria non potest utraque etiam seorsim, & in sensu diviso, esse probabilis, & sufficiens ad gubernandam conscientiam: quia scimus, unam earum esse falsam, & adversam legi Dei. Sed omnibus fiet satis, standum in eo quod dixi, opinionem S. Thomæ optimis argumentis niti, ad probandum, eam esse legi Dei conformem; & similiter opinionem Scoti; & saltem ille, qui parem judicaverit authoritatem, & ratiocinationem, cùm discernere non possit, quæ sit vera, quæve falsa; quamcumque elegerit; habet sufficiens fundamentum ad judicandum, illam esse veram, & conformem legi Dei. Vide P. Matthæum de Moya tom.2. selectarum, tract. 1. præcipuè qu.7. & seqq. ubi latè, & ingeniosè satisfacit nimiis subtilitatibus Antonii Celladei.

CAPUT XXI.

Objectionibus Iacobi à S. Dominico fit satis.

ARTICULUS I.

Soluuntur objectiones contra possessionem libertatis.

SUMMARIUM.

Qua ratione lex æterna sit antiquior libertate humana: & quomodo stet possessio pro lege æterna? n.1238

An in materia legis æternæ non habeat locum possessio, nec dispositio legis humanæ? n.1240.

An in materia Justitiæ habeat locum possessio ex ipso jure naturali? num.1241.

Quomodo id principium, quòd in dubiis tutior pars est eligenda; & illud, quòd in dubiis standum est pro possessione; non opponantur inter se, cùm tamen ambo sint juris naturalis? n.1243.

An Saul habuerit probabilitatem contra præceptum Dei? n.1244.

1237 CUm abundè satisfecerim obiectionibus Prosperi Fagnani, vix restat aliquid, ad quod respondeatur ex iis, quæ obiicit Iacobus à S. Domin. cùm hic scriptor nullum afferat discursum, quem Fagnanus omiserit, nisi fortè aliqua testimonia S. Thomæ, & aliorum Patrum. Post tractatum tamen de Probabilitate, scripsit appendicem; in qua affirmat, se invenisse librum Antonii Celladei de Recta morum disciplina; ex eoque desumit sex capita ad impugnationem, quæ ipse Iacobus cuniculos appellat, ad quos dicit confugere probabilitatis defensores. Eosque discursus Celladei tanti facit, ut eius verba tertio quoque gradu transcribat. Et quia defensores Probabilitatis frequenter recurrunt ad possessionem libertatis in incertis, & probabilibus, & dubiis speculativis, suos cuniculos inchoat ab hoc de possessione libertatis.

1238 Obiicit ergo primò ex Celladeo. Cùm dicitur, quòd *possessio stat pro libertate*, propositio est de subjecto non supponente: ergo est falsa. Probatur antecedens. Nam lex æterna antiquior est libertate humana: atqui possessio, si qua est, debet stare pro antiquiori: ergo pro lege æterna potius, quàm pro libertate.

1239 Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo majorem: Lex æterna [certa] antiquior est libertate humana, admitto; [incerta] nego. Nam eo ipso quòd incerta sit, incerti sumus de cæteris ejus prædicatis, atque adeò de ejus antiquitate. Et nota, hic nos loqui de incertitudine speculativa; non verò de incertitudine, quæ parit dubium practicum; juxta dicenda disp.60. cap.4. Vide etiam supra cap.19. art.4.

1240 Obiicit secundò. Possessionis priuilegium in materia justitiæ introductum est à Republica per humanas leges, propter pacem, & tranquillitatem Reipublicæ: sed in materia legis æternæ non habet jus Respublica, v.g. in materia voti, juramenti, &c. ut in illis constituat idem priuilegium possessionis: ergo in materia aliarum virtutum non est admittendum.

1241 Respondetur, etiam in materia justitiæ valere privilegium possessionis jure naturali, & independenter ab humanis legibus.

gibus. Quod evidens est in redditione debiti conjugalis. Nam independenter ab humanis legibus, quando matrimonio jam contracto supervenit dubium de valore ejus matrimonii, non potest conjux ea dubitatione affectus negare debitum alteri conjugi; quia cùm iste sit in possessione dominii supra corpus alterius conjugis, ex ipso jure naturali erit injuria, si spolietur ea possessione propter merum dubium; immò & propter meram probabilitatem de nullitate matrimonii. Item in rebus fortunæ, ex præciso jure naturali, debito certo non satisfit solutione dubia; quia stat possessio pro jure creditoris: neque debito dubio debet necessariò satisfieri solutione certa, quia possessio stat pro eo, qui dicitur debitor dubius, qui proptereà non est dicendus debitor, nisi fortè transeat in dubium practicum. Quare neganda est major, quòd scilicet hoc possessionis privilegium humanis legibus introductum sit, utpote præscriptum ab ipso jure naturali. Ex quo fit, locum habere etiam in materiis aliarum virtutum. Et ita obligationi certæ recitandi officium Canonicum, non satisfit recitatione dubia, quia possessio stat pro præcepto. Itam ex ipso jure naturali præceptum dubium speculativè non potest coarctare libertatem.

1242 Obiicit tertiò. Obligatio sequendi partem tutiorem in dubiis nascitur ex ipso jure naturæ, & divino: sed quòd in dubiis standum sit pro possessione libertatis opponitur electioni partis tutioris: ergo non potest esse consentaneum juri naturæ, & diuino, quòd standum sit pro possessione libertatis. Et confirmat exemplo Saulis, qui probabilitatem habebat, ut evadere posset à præcepto Domini: & tamen Samuel illum corripuit dicens: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui:* ergo non excusavit illum possessio libertatis.

1243 Respondetur, utrumque principium esse juris naturalis: & quòd in dubiis tutior pars est eligenda; & quòd in dubiis standum est pro possessione: sed pro diversis casibus. Primum enim de electione partis tutioris obligat in dubiis practicis; alterum autem de possessione in dubiis speculativis. Quorum diversitatem si penetrarent adversarii, vel non ita frequenter repeterent id principium de electione tutioris; vel nova argumenta quærerent, ad impugnandum hoc discrimen. Quod sanè non præstant, quia dubitationes practicas, & speculativas confundunt. Immò verò si hoc discrimen penetrarent, dicere non auderent, ea duo principia esse opposita inter se; cùm tamen ambo optimè componantur.

1244 Ad confirmationem dixi sæpius, implicare contradictionem, quòd contra certitudinem dentur rationes verè probabiles. Quia id, quod opponitur assertioni certæ, est certò falsum; & implicat, quòd certò falsum sit dumtaxat probabile. Cùm ergo Samuel intimaverit. Sauli præceptum Domini tanquam omninò certum; nulla poterat esse in Saule probabilitas de non præcepto.

ARTICULUS II.

Objectionis desumptæ ab ignorantia invincibili, quæ contineri dicitur in omni opinione probabili.

SUMMARIUM.

1245 OBiicit primò. Qui dubitat, tenetur aut tutiorem partem sequi, aut veritatem investigare: sed quicumque constituitur inter opiniones hinc inde probabiles cum æqualitate rationum, vel authoritatum, dubitat: ergo qui sic constituitur inter opiniones probabiles, tenetur tutiorem partem sequi, aut veritatem investigare. Probatur minor: omnis æqualitas rationum, vel authoritatum propriissimè facit rem dubiam: ergo.

1246 Respondeo distinguendo majorem quo ad priorem partem: qui dubitat practicè, tenetur tutiorem partem sequi, concedo; qui dubitat speculatiuè, nego: quæ distinctio constat ex supradictis præcipuè *cap.* 20. Deinde distinguo eandem majorem quo ad secundam partem: qui dubitat, tenetur investigare, quando est possibilis major investigatio, concedo; quando non est possibilis; nego Quæ etiam patet ex supradictis. Deinde distinguo minorem: qui constituitur inter opiniones æquè probabiles, habet dubium practicum, nego; dubium speculativum, omitto. Dixi *omitto*, quia aliquando persistit dubium speculativum, eo quòd istud componitur cum judicio de probabilitate opinionis; aliquando verò nullum restat dubium: quia assentitur intellectus uni parti, solutis rationibus oppositæ: cum quo assensu non est compossibilis dubitatio, ut constat ex *disp.* 6. & ex multis aliis locis. Unde ad probationem minoris, negandum est antecedens: quia quamvis utrimque adsit æqualitas rationum, si intellectus solvit rationes unius partis, aut scit esse solutas à Doctore magno expeditus manet, ut alteri parti assentiatur.

1247 Id patet evidenter, si rem hanc applicemus ad casus singulares Est quæstio, an peccator teneatur confiteri statim, ac peccat? Invenitur ergo peccator constitutus inter duas opiniones æqualis, aut ferè æqualis authoritatis: nam S. Bonaventura docet teneri statim; & S. Thomas docet, non teneri statim. Ergo juxta doctrinam hujus objectionis peccator iste est practicè dubius, & tenetur sequi partem tutiorem; atque adeò peccabit mortaliter, si sequatur opinionem S. Thomæ. Quo quid absurdius dici potest?

1248 Obiicit secundò. Si habens æquales rationes affirmandi, & negandi, an hic & nunc detur voluntas Dei, qua velit à me rem istam fieri; si rem istam facio, virtualiter dico. *Sive Deus velit, sive nolit, volo eam facere.* Quæ sunt verba formalia Celladei: sed qui sic agit, gravissimè peccat: ergo qui pro utraque parte habet rationes æquales, & adhuc rem illam facit, gravissimè peccat, Confirmatur: reprehensibilis est præco, vel nuncius, qui diceret, sic faciendum esse, *sive Rex velit, sive nolit*: sed conscientia nostra est præco, vel nuncius voluntatis divinæ: & dicit, (si probabilitatem sequitur) hoc faciendum esse, sive Deus velit, sive nolit: ergo reprehensibilis est.

1249 Hanc tamen objectionem esse planè sophisticam, demonstrat idem casus singularis proximè propositus. Nam peccator constitutus inter authoritates æquales, aut ferè æquales S. Thomæ, & S. Bonaventuræ, dum eligit ad praxim opinionem S. Thomæ, virtualiter dicit, volo hanc partem sequi, sive Deus velit, sive nolit: ergo qui sequitur opinionem S. Thomæ, se exponit periculo peccandi: ergo doctrina S Thomæ periculosa est. Quæ omnes consequentiæ & legitimè deducuntur ex doctrina objectionis, & absurdissimæ sunt, ac detestabiles.

1250 Ad objectionem ergo respondeo majorem esse falsissimam: nam qui constituitur inter duas opiniones verè probabiles æqualis authoritatis, & rationis cognoscit, se esse omninò incertum de voluntate Dei: cognoscit deinde S. Thomam opinari, voluntatem Dei esse hanc; & S. Bonaventuram, voluntatem Dei, esse illam; & unumquemque Doctorem tam solidis fundamentis niti, ut quamcumque partem sequamur, cum magno fundamento credamus, voluntatem Dei esse hanc. Et hinc patet ad confirmationem, negandam esse minorem quo ad secundam partem.

1251 Obiicit tertiò. Quando apud Medicos occurrunt duo signa, scilicet urina bona, & pulsus malus, non potest Medicus ferre judicium certum de sanitate, aut morbo: ergo quando occurrunt duo motiva probabiliora, unum pro honestate, alterum pro malitia operationis, nullus poterit prudenter asserere operationem esse bonam, aut esse malam.

1252 Sed si ea objectio applicetur casui singulari proximè proposito, satis ostendet suam fallaciam. Numquid ergo, quia S. Bonaventura dicit, esse malum non confiteri statim; & S. Thomas dicit, non esse malum; nullus potest prudenter sequi opinionem S. Thomæ. Absit. Caveant ergo impugnatores isti à doctrina, quæ tantum præjudicium affert veræ doctrinæ Theologicæ.

1253 Respondetur ergo omittendo antecedens: quia ea duo indicia procedunt in quæstione facti, in qua admitto inter dun testimonia, aut quasi testimonia æqualis authoritatis intervenire dubium, & non probabilitatem. Quantum autem sit discrimen quo ad hoc inter quæstionem juris, & facti, vide *disp.* 55. & fusiùs in hac disputatione *cap* 6 *art.* 1. & passim alibi.

1254 Obiicit quartò. Qui absolvit à reservatis cum sola jurisdictione probabili, scilicet ob spem ratihabitionis, quam habebit Superior; peccat; vel ex eo solùm quòd fortasse superior id non habebit ratum: ergo qui operatur probabiliter contra præceptum, peccat similiter, quia id, quod putat non esse malum, fortè erit malum: & quod putat esse voluntatem Dei, fortè Deus non habebit ratum. Ergo requiritur certitudo, & non sufficit probabilitas.

1255 Sed obiice hoc argumentum contra opinionem S. Thomæ, quòd peccator non teneatur statim confiteri. Fortasse enim id

Deus

Deus non habebit ratum: fortasse malum est, quòd peccator non confiteatur statim. Et urgetur ampliùs. Nam vel certum est, quòd non tenetur peccator statim confiteri; vel solùm est probabile? Si primum; infero: ergo opinio S. Bonaventuræ certò falsa est, & improbabilis; quod nemo concedit. Si verò secundum; infero ad normam hujus objectionis: ergo quòd docet S. Thomas, fortè est malum: ergo fortasse est contra voluntatem, & ratihabitionem Dei: ergo quod docet S. Thomas, est conscientiæ periculosum. Quæ omnes consequentiæ detestabiles sunt. Et eadem proportione potest instaurari eadem objectio contra multas alias opiniones S. Thomæ, quæ stant pro libertate. Et ne adversarius recurrat ad opinionem minus probabilem, ut olim recurrit, ut constat *ex cap.* 8. advertendum est, objectionem non loqui de minus probabili, sed de quavis probabili pro libertate.

1256 Respondeo ergo, falsò supponere adversarium, dari jurisdictionem probabilem ad absolvendum à reservatis, per hoc solùm, quòd detur spes probabilis ratihabitionis: nam ea spes non dat jurisdictionem. Nam ad habendam jurisdictionem non sufficit consensus futurus superioris, sed requiritur consensus de præsenti. Deinde, quòd liceat peccatori non confiteri statim, ac peccat; non provenit ex ratihabitatione Dei subsecuta; sed ex certitudine, quam habet, quod in incertis potest licitè se accommodare opinioni S. Thomæ, aut alterius Doctoris magni.

1257 Obiicit quintò. Si venator videt eminus animal; & ex triginta hominibus comitantibus, viginti octo dicant, esse cervum, & duo reliqui dicant, esse hominem; non licet venatori jacere sagittam, quamvis probabilius sit, esse cervum, non hominem: ergo non solùm non licet sequi probabile, sed neque probabilius.

1258 Sed si non licet sequi probabilius, quamvis sit probabilior opinio S. Thomæ, [quòd non tenetur peccator confiteri, statim ac peccat,] non poterit peccator sequi opinionem S. Thomæ; sed tenebitur sequi tutiorem S. Bonaventuræ. Id autem est ingens absurdum; sic enim non erunt tutæ opiniones S. Thomæ.

1259 Ei argumento abundè satisfeci *cap.* 3. & ex ibi dictis, dicendum est, non sufficere probabilitatem, neque probabilioritatem hujus propositionis, *Cervus adest, non homo*; ut probabilis sit ista *Licet jacere sagittam*; quæ etiam in hoc casu improbabilis est: quia non valet à probabilitate propositionis directæ ad probabilitatem propositionis reflexæ. Recole ibi dicta.

1260 Addo insuper, aliam adhuc in eo casu esse rationem, ob quam non liceat deducere ad praxim eam probabilitatem. Nempe, quia non excusat incertitudo, neque ea est invincibilis, quando ad id sciendum potest major diligentia adhiberi. Appropinquet ergo venator, & majorem adhibeat diligentiam, quàm potest, ut cognoscat veritatem. Nulla enim est practica probabilitas, nisi in invincibiliter incertis.

1261 Obiicit sextò. Illa ignorantia excusat à peccato, quæ tollit omnino voluntarium; ut tradit S. Thomas 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Sed ignorantia, quæ ponitur in opinione probabili, non tollit omnino voluntarium: ergo non excusat à peccato. Probatur minor. Nam ut ait S. Thomas 1. 2. *quæst.* 74. *artic.* 1. *ad* 2. Ignorantia non est invincibilis, si defectus apprehensivæ virtutis subjaceat voluntati, aut sit indirectè volitus: sed hæc ignorantia, quæ est in opinione probabili, subjacet voluntati, & est indirectè volita: ergo hæc ignorantia non tollit voluntarium. Probatur minor. Nam qui eligit opinionem minus probabilem legi contrariam, non minus evidenter prospicit periculum peccati, quàm qui, pugnans in duello prævidet periculum mortis suæ, vel alienæ: ergo.

1262 Et confirmatur: Nam qui retinet affectum ad peccatum, non potest dici, quòd afficitur ignorantia invincibili peccati: sed qui magis satagit agnoscere probabilitatem ex Authorum multitudine, quam veritatem ipsam; affectum retinet ad peccatum; & colligere licet ex illo effato defensorum probabilitatis. *Authore non caret: ergo probabilis est: ergo secura morum regula*: ergo qui ita satagit probabilitatem agnoscere, non afficitur ignorantia invincibili.

1263 Respondeo, concessa majori, negando minorem. Ad probationem etiam concessa majori nego minorem, quòd talis ignorantia subjaceat voluntati, aut sit indirectè volita. Ad probationem (supponendo, quòd cum dicitur opinio *legi contraria*, intelligitur *legi incertæ*; nam si lex esset certa, non posset opinio esse probabilis) respondeo, negando antecedens, quòd qui sequitur opinionem verè probabilem pro libertate, sive sit minus, sive magis probabilis, prævideat aliquod periculum peccati; quia in electione opinionis verè probabilis, nullum est periculum peccati, ut constat *ex cap.* 19. *artic.* 2. & ex multis aliis locis hujus disputationis. Quòd autem dicit, idem esse periculum in electione opinionis, quòd est in certamine duelli, id sine probatione dicitur; & ideo negandum.

1264 Et quidem inquiro, An qui sequitur opinionem S. Thomæ, quòd peccator non tenetur confiteri statim, ac peccat, incurrat illud periculum peccandi, vel non incurrat? Si primum, infero: ergo periculosa est opinio S. Thomæ, & nullo modo tuta. Si verò dicatur non incurrere, infero: ergo qui sequitur opinionem verè probabilem, non incurrit periculum peccandi. Nec valet si dicas, eam opinionem S. Thomæ non esse minus probabilem; immò potius esse probabiliorem. Non valet, inquam, quia adversarius *lib.* 1. *cap.* 5. *concl.* 12. excludit omnem opinionem stantem pro libertate, sive minus, sive magis probabilem, eo quòd in ea est periculum peccandi.

1265 Ad confirmationem major, & minor, & consequentia conceduntur sine præjudicio nostræ sententiæ. Nos enim non admittimus, quærendam esse probabilitatem ex sola multitudine authorum qualiumcumque, ut constabit *ex disp. seq.* & multo minus admittimus illud effatum de quolibet authore, quin potius illud detestamur tamquam falsum: quòd solùm admittunt, qui rem probabilitatis non callent.

1266 Obiicit septimò. Ignorantia non censetur invincibilis, cum adest modus vitandi peccatum: sed cùm quis constituitur inter duas opiniones, alteram pro lege, incerta illa quidem, alteram pro libertate, est modus vitandi peccatum, scilicet eligendo tutiorem partem: ergo tunc non est invincibilis. Majorem dicit lumine naturali notam; & minorem à nemine, nisi protervè, negari posse.

1267 Respondetur, majorem esse falsam: nam qui invincibiliter putat, se debere mentiri, ut salvet vitam proximi, modum habet vitandi peccatum; nempe obsequendo conscientiæ; & tamen non propterea ea ignorantia desinit esse invincibilis. Deinde ad minorem dico, tunc eum modum adesse vitandi peccatum per electionem partis tutioris: sed illud non esse unicum, quia alius modus vitandi peccatum est per electionem opinionis vere probabilis. Quod manifestè patet in multis opinionibus S. Thomæ, quas retuli *cap.* 8. *art.* 9. Nam qui dubitat, an teneatur repetere confessionem, quia non habuit totum dolorem requisitum, & sequi velit opinionem S. Thomæ de Sacramento pœnitentiæ valido informi, posset etiam argui, quòd adesset modus vitandi peccatum, nempe repetendo confessionem: sed qui sic eum argueret, periculosam reputaret opinionem, quam Thomistæ communiter dicunt esse S. Thomæ.

1268 Obiicit octavò. Ignorantia non excusat à peccato, quando est cum voluntaria inordinatione voluntatis, nempe quando bonum honestum postponitur aliis boni speciebus: sed hæc ignorantia, quæ est in opinione probabili, talis est, in qua bonum honestum postponitur aliis boni speciebus, scilicet commodo, voluptati, &c. ergo talis ignorantia non excusat à peccato.

1269 Hoc argumentum militat contra opiniones S. Thomæ. Nam qui sequitur eam opinionem, quòd peccator non tenetur confiteri statim, postponit bonum honestum confessionis præsentis libertati, & commodo dilationis: & sic de aliis opinionibus.

1270 Dicendum ergo est, majorem supponere falsum, nempe semper esse inordinationem culpabilem voluntatis, quoties quis omittit opus honestum, quod exercere posset: solùm enim est inordinatio voluntatis, quando opus honestum est obligatorium. Nam si non sit obligatorium; quomodo ejus omissio erit culpabilis. Quando autem opinio probabilis docet, illud opus honestum (v. g. confessionem statim faciendam) non esse obligatorium, nulla est inordinatio voluntatis.

1271 Obiicit nonò. Ut ignorantia excuset à peccato, debet esse omnino imprævisa: sed ignorantia, quæ est in opinionibus utrimque probabilibus, non est omnino imprævisa: ergo non excusat à peccato. Probatur minor. Qui constituitur inter opiniones utrimque probabiles, videt malitiam objecti esse probabilem: ergo malitia non est omnino imprævisa. Confirmatur. Nam ille, qui videt, malitiam objecti esse probabilem, non potest comparari cum eo, cui nihil unquam venit in mentem de periculo peccati.

1272 Sed hoc argumentum in eamdem incidit absurditatem, quod militat contra opiniones S. Thomæ stantes pro libertate. Nam qui constituitur inter eas duas opiniones probabiles S. Thomæ, & S. Bonaventuræ, prævidet, probabilem esse malitiam ejus peccatoris, qui non confitetur statim, ac peccat: ergo licèt ignoremus, utra ex his duabus opinionibus coram Deo sit vera, tamen ea ignorantia erit vincibilis, & necessariò vincenda erit per electionem partis tutioris, quam docet S. Bonaventura: ergo peccat, qui sequitur eam opinionem S. Thomæ.

1273 Respondetur ergo, eum qui sequitur eam opinionem S. Thomæ, prævidere malitiam probabilem non confitendi statim; sed id non sufficere, ut ignorantia sit vincibilis, & vincenda per electionem partis tutioris. Tum quia ignorantia non est vincibilis, quando quis non tenetur eam vincere, & ubi est opinio verè probabilis, non est obligatio eligendi partem tutiorem, ut constat *ex cap.* 16. Tum etiam quia in quovis dubio practico quævis cogitatio malitiæ objecti ad id prodest, ut homo adhibeat diligentiam ad cognoscendam certò veritatem: ubi autem homo comperit, non posse certò venire ad veritatem cognoscendam, dubium practicum vertitur in speculativum: & tunc sufficienter dirigitur fundamentis verè probabilibus. Quæ omnia manifestè constant in opinionibus S. Thomæ stantibus pro libertate. Adde, majorem sic distinguendam: ignorantia si sit erronea, debet esse imprævisa, concedo; si non sit erronea, aut certò falsa, nego.

1274 Ad confirmationem. Is, qui constituitur inter opiniones

probabiles, omnino æquiparatur illi, qui nihil cogitat de periculo peccati, in eo quòd neuter potest esse certus de malitia objecti: & qui pro una parte habet fundamentum probabile, jam non dubitat, sed assentitur, & quidem prudenter.

1275 Obiicit decimò. Juxta D. Thomam *3. part. quæst. 47. art. 5. ad 3. Judæi peccaverunt non solùm tamquam hominis Christi, sed etiam Dei crucifixores:* & tamen Judæi non habuerunt perfectam notitiam de Divinitate Christi, sed ad summum probabilem: ergo sufficit notitia probabilis de malitia objecti, ut peccatum imputetur. Sed qui sequitur opinionem probabilem pro libertate, habet etiam notitiam probabilem de malitia: ergo ei imputabitur peccatum.

1276 Respondeo, adversarios adhuc non distinguere cognitiones probabiles earum rerum, ad quarum certam notitiam veniri non potest, ab illis cognitionibus probabilibus, à quibus, facta sufficienti diligentia, veniri potest ad notitiam moraliter certam. Ubi enim cognitio est hujus secundi generis, nihil prodest probabilitas, quia est obligatio ascendendi ab ea ad certitudinem, quam quis assequi potest.

1277 Verum quidem est, quòd Judæi Christi crucifixores habuerunt valdè imperfectam notitiam de ejus Divinitate, & (si ita velis appellare) probabilem. Cœterum præfati Judæi culpa sua non ascenderunt ad eam certitudinem de Divinitate Christi, quam habebant Discipuli Christi. Aderant enim argumenta evidentia de Divinitate Christi, ad quæ nolebant attendere, & renitentes claudebant oculos mentis. Nam testimonium S. Joannis Baptistæ associatum tanta vitæ sanctitate erat sufficiens ad habendam cognitionem certam de Divinitate Christi; sicut de facto ex ejus testimonio pervenerunt multi ad eum certitudinis gradum. Deinde ipsum Christi Domini testimonium, quo palàm eis suam Divinitatem manifestabat: cujus testimonium tanta miraculorum, & vitæ sanctitate splendebat; ut propterea magno supplicio digni fuerint Judæi, qui ad eam certam notitiam de Divinitate Christi non pervenerunt. Et ideò notitia Judæorum de Divinitate Christi non est dicenda probabilis; quia licèt incerta, non erat invincibiliter incerta.

1278 Hinc clarè constat, quomodo Judæi peccaverunt etiam tamquam Dei crucifixores: quia ignorantia, quam habuerunt de Divinitate Christi, fuit vincibilis, & summè culpabilis; quia in re tanti momenti debebant adhibere diligentiam ad eam notitiam acquirendam, quam protervè omittebant.

1279 Hinc elucet meridiana luce clarius discrimen inter Judæos crucifixores Christi habentes probabilitatem de ejus Divinitate, & ideò peccantes in crucifixione; & inter Doctores Catholicos habentes probabilitatem de malitia objecti, & adhuc non peccantes in electione objecti. Nam Judæi posita ea probabilitate poterant, & debebant pervenire ad certitudinem. Doctores autem Catholici dum opiniones probabiles tuentur etiam pro libertate, versantur in materia adeò incerta, ut impossibile sit pervenire ad notitiam certam. In qua incertitudine prudenter operatur, quicumque eligit unam partem innitens fundamentis probabilibus. Sic S. Thomas quamvis sciret esse probabilem opinionem S. Bonaventuræ, atque adeò esse probabilem malitiam ejus peccatoris, qui non confitetur statim, ac peccat, non propterea damnat peccatorem, qui non confitetur statim, nec censet incertitudinem ejus materiæ esse vincibilem, & culpabilem: sed in re incerta censuit prudenter operari, dum suis rationibus probabilibus, desinit peccator statim confiteri.

ARTICULUS III.

Objectiones ejusdem adversùs prudentiam, & insufficientem legis promulgationem.

SUMMARIUM.

An certitudo requiratur ad prudentiam? n. 1280. remissivè.

An contra existentiam Dei possint esse rationes probabiles; aut contra prohibitionem factam Adamo? n. 1281. & seq.

Quare Calvinista non possit se tueri probabilitate? n. 1283. & seq.

1280 Obiicit primò, differens multa de certitudine requisita ad prudentiam; quæ certitudo non datur in opinione probabili. Sed de hoc argumento satis superque dictum est *cap. 4. & cap. 19.* & passim alibi.

1281 Obiicit secundò. Si requireretur evidens legis promulgatio, nulla esset lex, contra quam non posset quilibet afferre rationes probabiles: sed hoc est in injuriam legis naturalis, & positivæ: ergo. Probatur major: nihil est evidentius, quàm quòd sit Deus; & tamen contra hanc veritatem fiunt argumenta probabilia: & prohibitio facta Adamo fuit perspicua; & tamen fuit obnoxia probabilitatibus: ergo.

1282 Respondetur negando majorem. Ad probationem negandum est contra existentiam Dei esse posse rationes probabiles; ut evidenter ostendi *in 1. part. Crist. Theol. disp. 15. cap 4. art. 3.* Quia implicat contradictionem, contra propositionem certam ejus oppositam esse probabilem, aut pro ea opposita militare argumenta probabilia. Quod idem de Adamo dicendum est, ut supra notavi.

1283 Obiicit tertiò, expressis verbis Celladei. Alicui Calvinistæ prædicatur, nostram Ecclesiam esse veram, & in sola illa inveniri salutem æternam. Ipse autem Calvinista respondeat, id quidem probabile esse; sed etiam probabile esse, quòd in secta Calvinistica sit etiam salus æterna: idque sufficere in materia religionis, sicut in materia morum sufficit, quòd quis probabiliter non sit usurarius. In quo casu etiam sectarii dicentur prudenter operari. Quare enim non prudenter? Si dicatur, ideò imprudenter, quia contra veritatem; contra est: nam in moralibus utraque pars est probabilis; & tamen una earum procedit contra veritatem: nec magis pugnat veritas religionis cum falsitate religionis, quàm veritas doctrinæ moralis cum falsitate illius.

1284 Respondeo, adversarios non penetrare sensum nostræ doctrinæ; neque discrimen, quod intercedit inter materiam certam, & incertam. Diximus sæpe, nullam esse probabilitatem ad hoc, ut aliquis exponat se periculo probabili peccandi, aut incidendi in mortem æternam: quando ergo Calvinista diceret, probabile esse, quòd in sua secta sit salus æterna; producenda sunt innumera argumenta evidentia, quæ si accuratè attendantur, implorato Dei auxilio, impossibile est, quòd non deprehendatur sola, & unica securitas Catholicæ Religionis. Deinde quia non datur probabilitas, de qua loquimur, quando potest adhiberi major diligentia ad cognoscendum certò veritatem. Et licèt his argumentis propositis Calvinista non perveniret ad omnimodam certitudinem, sed solùm ad probabilioritatem; tunc improbabile, & certò falsum deberet illi repræsentari, quòd posset deserere Religionem Catholicam, quia improbabile est, quòd non teneatur eligere securiorem viam. Ita viator si certò sciret ex duabus semitis alteram leone infestari, teneretur ingredi (si necessarium esset alteram earum adire) eam, quam probabilius intelligeret esse tutiorem.

1285 Hinc constat, quare sectarii in illo casu non operarentur prudenter. Nam licèt haberent dumtaxat cognitionem probabilem de securitate utriusque religionis; illa probabilitas non procedit in materia incerta; sed potius in materia, in qua, adhibita sufficienti diligentia, pervenire potest ad certitudinem. Et ideo in rebus moralibus per opiniones probabiles proceditur prudenter, quia versamur in materia omnino incerta, & à qua non possumus ascendere ad majorem certitudinem.

ARTICULUS IV.

Occurritur ejusdem objectionibus contra dictamen reflexum, & contra potentiam moralem assentiendi probabilibus.

SUMMARIUM.

Quomodo dictamen reflexum habeat certitudinem circà usum opinionis probabilis? n. 1286. & seq.

An judicium temerarium sit assensus probabilis, & prudens? n. 1288. remissivè.

An non sit absurdum, quòd quis modò assentiatur uni, modò oppositæ opinioni? n. 1290.

Quare non verificetur, Sic censeo quia volo? n. 1291.

An licitum sit Theologo respondere modò secundùm unam, modò secundùm oppositam opinionem? n. 1292.

An in disputationibus non habeat locum ea ratio mutandi opinionem? n. 1293.

1286 Obiicit primò, etiam expressis verbis Celladei. Per omnes istas cogitationes reflexas intellectus non potest sibi persuadere, ut assentiatur probabilibus tamquam certis: ergo non potest dari dictamen reflexum, quod sit certũ circà probabilia.

1287 Respondeo, ex hoc præcipuè argumento constare, adversarios non penetrare sensum nostræ doctrinæ. Neque enim dicimus, assensum probabilem accipere certitudinem à dictamine reflexo: sed dictamen reflexum evidenter procedere circà assensum probabilem tamquam circà objectum suum; ut constat *ex cap* 4. & ex multis aliis locis. Quod denuo evidenter demonstro. Ille qui invincibiliter putat, licitum esse amplecti in praxi quamlibet opinionem probabilem; vel habet dictamen certum, quòd non peccat; vel non habet id dictamen certum? Si hoc secundum dicas; infero: ergo non est certum id, quòd docuit S. Thomas, errorem invincibilem excusare à peccato; vel si certum est, ille homo habebit dictamen certum de eo. Si vero dicas primum, nempe illud dictamen esse certum, infero: ergo potest dari dictamen certum circà usum opinionis probabilis, quamvis non resultet certitudo in ipsam opinionem.

1288 Obiicit secundò, illam exorbitantem æquivocationem, qua (ut constat *ex cap* 2.) putavit, me dixisse, quòd voluntas possit inclinare intellectum ad assensum prudentem contra pravitatem viri, qui nulla unquam malæ famæ laboravit suspicione; & consequenter judicium temerarium esse assensum prudentem, & licitum; & id me ita asseruisse, quia transitum feci à potentia naturali ad moralem. Sed licèt adversarius repetat suam æquivocationem; frustraneum est, [illegible] ostendi.

1289 Obiicit tertiò. Si in probabilibus voluntas posset inclinare intellectum, fieret primò, nos sine vitio posse singulis momentis opiniones mutare, & stantibus æqualibus rationum momentis, & authoritatibus idem affirmare, & negare; & tunc diceretur; *Possum quia volo*. Secundò possemus secundùm unam opinionem modò resolvere, modò secundùm oppositam; Item fieret, quòd posset quis initio disputationis quidpiam negare; & posteà stantibus eisdem rationibus id ipsum concedere: sed hæc omnia sunt absurdissima: ergo.

1290 Respondetur ad primum, nullum esse absurdum, quòd ubi non cogit evidentia veri, & ubi intellectus solvit objectiones unius partis, vel cognoscit esse solutas à Doctore Magno, ea inclinatione voluntatis assentiatur alteri; & quòd posteà successivè eodem modo se gerat circà partem oppositam. Circà quod multa *dixi c. 19.*

1291 Ad id, quod subjungitur, nempe tunc verificari, possum mutare sententiam, *quia volo*; respondeo, ut id verificaretur, necessarium esse, quòd tota causa adæquata, ob quam possem præstare assensum alterutri parti, esset imperium voluntatis; nam si hoc non sit tota causa adæquata, illud non potest verificari. Ideò si sententia judicialis debet procedere à duobus suffragiis, perperam loquetur unus suffragantium, si dicat, *Hæc sententia taliter prodit, quia volo*. Quare autem id perperam dicitur, nisi quia unus suffragantium non est tota causa adæquata illius sententiæ judicialis. Sic ergo qui mutat assensum opinativum, non potest dicere, *possum mutare, quia volo*; quia licet inclinet ad id affectus voluntatis; hic tamen non est tota causa adæquata, quare possit mutare assensum: nam alia causa partialis est, quòd solvat objectiones oppositas, ut ita intellectus maneat expeditus; & alia causa partialis est fundamentum probabile, cui innititur.

1292 Ad secundùm respondeo, licitum esse Theologo consultori, per se loquendo, respondere, modò secundùm hanc, modò secundùm oppositam opinionem, si utraque est verè probabilis. Dixi, *per se loquendo*: sunt enim circunstantiæ, in quibus opportet, Theologum non variare semel traditam opinionem: sunt etiam circunstantiæ, in quibus Theologus tenetur resolvere partem benigniorem, pro urgente aliquo inconveniente vitando.

1293 Ad tertium respondeo, in disputationibus non habere locum eam rationem mutandi sententiam, sive modo affirmandi, & modo negandi. Quia qui unam partem propugnat ut veram, vel ut probabiliorem, assumit obligationem sustinendi firmiter eam propositionem. Nisi forte quando quis assumit ab initio disputationis defendere problematicè utramque partem affirmativam, & negativam.

ARTICULUS V.

Objectiones ejusdem ex eo quod probabilitas relaxet conscientiam.

SUMMARIUM.

Quo tempore obliget præceptum dilectionis Dei super omnia? n. 1294.
An opinio improbabilis circà hoc præceptum præjudicet doctrinæ de probabilitate? n. 1295. & seq.
Quomodo liceat quærere opinionem benigniorem? n. 1299 remissivè.
An operetur contra conscientiam, qui operatur contra propriam sententiam? n. 1300.
An operetur contra conscientiam, qui operatur juxta opinionem alterius? n. 1301. & seq.
An sit improbabile, quòd quis possit sequi opinionem, cujus fundamentum est inane? n. 1304.
Quomodo prosit bona fides ad securitatem opinionis? n. 1305.
An sit probabilis opinio, quæ est in præjudicium alterius? n. 1306.
An actus ex opinione probabili falsa possit esse meritorius? Et quòd sit certa pars affirmativa? n. 1307 & seq.
Quomodo non sit ad rem textus S. Gregorii? n. 1310. & seq.
Quomodo neque sit ad rem testimonium S. Leonis? n. 1312. & seq.

1294 OBiicit primò. Ex doctrina probabilitatis magnum oritur præjudicium præcepto dilectionis Dei super omnia: nam quidam Theologi affirmant, illud obligare semel in die: alii, obligare semel in hebdomada; alii, semel in triennio; alii differunt usque ad mortis periculum; alii tandem dixerunt illud sufficienter impleri servatis reliquis præceptis. Ergo doctrina de probabilitate toleranda non est.

1295 Sed hoc argumentum saltat extra chorum. Nam vel relatæ opiniones sunt probabiles, vel non? Si hoc secundum dicas, quare conaris accensere opiniones improbabiles, easque applicare doctrinæ de probabilitate, quæ docet omnes improbabiles excludendas esse. Si verò dicas, illas esse probabiles; quare illas reprehendis tamquam præjudicantes maximo, & primo mandato. Si enim probabiles sunt, non possunt illi præjudicare: quòd si illi præjudicant, non possunt esse probabiles. Est enim doctrina certò falsa, quæ præcepto dilectionis Dei quoquomodo obsistit.

1296 Et non possum non mirari vehementer, quòd recenseatur inter opiniones absurdas, & præjudicantes præcepto dilectionis Dei illa, quę docet obligationem diligendi Deum semel in die, aut semel in hebdomada, cùm hę duę opiniones potius stent pro ipso pręcepto.

1297 Deinde quid nocet doctrinæ nostræ, quòd quidam docuerint eam opinionem improbabilem, quòd præceptum dilectionis Dei sufficienter impletur adimplendo reliqua præcepta? Quam opinionem damnavit Alexander VII. (ut minimum) tamquam scandalosam. Sicut enim doctrina nostra omnes opiniones improbabiles reiicit, ita & hanc.

1298 Obiicit secundo. Contra propriam conscientiam operatur, qui in aliquo casu occurrente quærit opinionem favorabilem, varios Casuistas consulens, donec aliquem reperiat sibi faventem pro libertate, aut lucro, contra id, quod quis vere & in conscientia judicat, sic & non aliter faciendum: sed hæc est doctrina communis de probabilitate: ergo ea doctrina continet relaxationem conscientiæ, ut pote quæ operari docet contra propriam conscientiam.

1299 Respondeo, eum modum quærendi opinionem favorabilem sine consideratione veræ, & securæ probabilitatis, esse improbabilem. Qua autem modo licitum sit quærere opinionem benigniorem; *vide disp. seq. cap. 3. art. 1. in calumn. 11.*

1300 Quod autem dicitur de opinione, quæ sit contra id, *quod quis verò, & in conscientia judicat, sic & non aliter faciendum*; distinctione eget: nam vel id judicat tamquam certum, & absque formidine; & sic operabitur contra conscientiam, si velit stare alterius opinioni: quia qui suam sententiam judicat certam, oppositam judicat certò falsam, & improbabilem; posse autem dirigi conscientiam ex opinione certo falsa, & improbabili, improbabile est. Si verò suam sententiam judicet non certam, sed dumtaxat probabilem, licitè potest quærere aliam, quæ verè probabilis sit, non apud quoscumque Casuistas, sed apud authores probatæ authoritatis, & omni exceptione majores, ut dicam *disp. seq.*

1301 Obiicit tertiò. Unusquisque tenetur dirigere suas actiones ex propria conscientia, & non ex aliena; sed qui deserit propriam opinionem, ut sequatur alienam dirigit actiones suas, non ex propria, sed ex aliena conscientia: ergo qui sequitur opinionem alienam, perperam operatur. Probatur major ex S. Thoma *in cap. 1. Epist. 2. ad Corinth. lect. 4. ubi ait: Semper homo plus debet stare testimonio conscientiæ suæ de se, quam testimonio aliorum.*

1302 Respondeo concessa majore, negando minorem. Est enim dictamen propriæ conscientiæ, & veræ prudentiæ, subiicere judicium proprium alieno in rebus incertis, & obscuris practicabilibus. Textus autem S. Thomæ non est ad rem: quia solùm loquitur de testimonio, quod exhibet propria conscientia de reatu, vel de innocentia personæ.

1303 Obiicit quarto. Aliqui authores circa doctrinam probabilitatis dixerunt absurda: Primum. Quidam enim asseruit, quòd si vir doctus inveniat opinionem, quam putat esse falsam, & cujus fundamentum est inane, & vacuum, potest eam opinionem sequi. Secundum. Deinde alii dixerunt ad operandum licitè, sufficere bonam fidem, & bonam Intentionem. Tertium. Alii dixerunt, posse nos sequi opinionem probabilem, licèt sit in magnum proximi detrimentum. Alii denique opus factum ex opinione probabili, quę coram Deo est falsa, posse esse meritorium, quòd videtur esse contra S Thomam 1. 2. *qu.* 19. *art.* 7. *ad* 3. ergo hæc doctrina de probabilitate non est toleranda.

1304 Respondeo uno verbo, quòd sicut prudentia non potest errare, bene tamen viri prudentes; ita etiam doctrina nostra de probabilitate non errat, quamvis aliqui probabilitatis defensores errent. Ad primum ergo dico, errasse eum, qui sic disseruit: constat enim ea ipsa definitione opinionis probabilis, eam non esse probabilem, quæ nititur fundamento inani, & vacuo. De quo vide, quæ late dixi *in 1. part. Cris. disp. 11. & dicam disp. seq.*

1305 Ad secundum, id, quod dicitur de bona fide, & bona intentione, distinctione indiget. Nam si hæc interveniat cum ignorantia vincibili, & culpabili, nihil prodest: & (si formalius loquendum est) quando error est culpabilis, non est propriè dicenda bona fides: quia conscientiam arguit obligatio adhibendi majorem diligentiam ad assequendam veritatem. Quando verò bona fides conjungitur cum errore invincibili, tunc ea bona fides salvat.

1306 Ad tertium dico, implicare, quòd sit probabilis opinio, quæ est in præjudicium proximi, ut constat *ex cap. 17. art.* 3. & passim alibi.

1307 Ad quartum. Id, quod adversarius reputat absurdum, apud me est certissimè verum. Nam si ex errore invincibili reputetur bonum, quod re vera est malum, sine dubio est meritorum. Quod sic demonstro. Omnis actus obedientiæ, quo quis obedit Deo, meritorius est: sed qui errore invincibili putat, esse obligationem mentiendi ad salvandam vitam proximi, tenetur in eo casu mentiri; & consequenter implens eam obligationem, elicit actum obedientię, per quem obedit ei præcepto, quod tunc instat: ergo in eo casu elicit actum meritorium.

1308 Confirmatur. Ille, qui operatur conformans se legi æternæ, elicit actum meritorium: sed qui mentitur in eo casu, conformat se legi æternæ: ergo qui mentitur in eo casu, elicit actum meritoriom. Probatur minor. Nam licèt lex æterna prohibeat mendacium; tamen lex æterna jubet, ut homo sequatur conscientiam, quę proponit sub persuasione invincibiliter certa, licèt errante, præceptum Divinum: Et hanc assertionem optimis argu-

mentis, & Theologorum testimoniis optimè prosequitur P. Mathæus de Moya *tom. 2. select. tract. 1. q. 1. 9. §. 6.*

1309 Denique notandum est Jacobum à S. Dom. in ipso titulo voluminis profiteri, habere pro se authoritatem quatuor Sanctorum Patrum illis verbis: *Ad sensum Sanctorum Patrum Augustini, Leonis Papæ, Gregorii Magni, Doctoris Angelici.* Et quia supra satis superque diximus de authoritate S. Augustini, & S. Thomæ, demonstraverimusque, nihil penitus nocere sententiæ nostræ; restat ut modo breviter videamus textus, quos obiicit Sanctorum Gregorii, & Leonis, quos congerit *lib. 1. cap. 8. sect. 3.*

1310 Obiicit ergo textum S. Gregorii *in 1. Reg. cap. 3.* ubi ait: *Et si in Sanctorum virorum oculis recta sunt ea, quæ agunt, ante omnipotentis Dei oculos qualia sint, scire non possunt: unde & bona, quæ prævalent, incessanter agunt, & super se tonantem illam judiciorum abyssum pertimescunt.* Producit deinde alium textum *ex lib. 5. moral. cap. 5.* ejusdem sententiæ, quamvis diversis verbis prolatæ: ergo malè asserunt probabilitatis authores, dum in opinionibus probabilibus securitatem statuunt.

1311 Respondeo, eum textum non esse ad rem: quia stat bene, quòd dilectio Dei super omnia sit securissima via ad salutem: & quòd viri justi, qui conantur elicere plurimos actus dilectionis Dei super omnia, adhuc non sint securi, *& super se pertimescant tonantem illam judiciorum abyssum*, quia non certò sciunt, se elicuisse veros actus dilectionis Dei super omnia. Sic ergo quamvis opiniones verè probabiles sint securæ, homo, qui eis utitur, non potest manere cum omnimoda securitate, quòd in earum usu, rectissimo tramite incesserit.

1312 Obiicit deinde textum S. Leonis *serm. 3. de Nativit. cap. 3. & alium ex serm. 5. de Nativit. cap. 1* in quibus loquitur S. Leo de variis opinionibus contra Fidem Catholicam; sic enim vocat sectas, & fabulas Ethnicorum, & Hæreticorum, quas esse dicit *Dubias imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates.*

1313 Sed quis non videt, id non esse ad rem? Opiniones enim, quæ contra certas Fidei veritates militant, detestabiles sunt, & execrandæ. Cum his autem tenebricosis opinionibus nihil habet commune nostra doctrina de probabilitate: quæ dumtaxat in rebus agibilibus incertis docet, posse nos inniti fundamentis probabilibus, & insignium Theologorum consultis.

DISPUTATIO LVII.

An Authores dantes probabilitatem opinionibus debeant esse omni exceptione majores?

CAPUT PRIMUM.

Deciditur quæstio affirmative.

ARTICULUS I.

Quantum intersit recta decisio hujus difficultatis, & resolvitur remissivè?

SUMMARIUM.

An quæstio de probabilitate extrinseca malè intellecta, fuerit occasio nimiæ licentiæ opinandi? nu. 1.

An sufficiat ad probabilitatem unus Author, quicumque ille sit? ibid.

An ut Author det probabilitatem, habere debeat speciales qualitates, & quas? nu. 2. & 3.

An exceptiones, quæ minuunt authoritatem Scriptoris, sint quatuor, & quænam? nu. 4. & seq.

An prædictæ exceptiones tradantur à Doctoribus primæ classis? nu. 7. & seq.

1 HÆc quæstio de probabilitate authoritati Scriptorum innixa, quia perperam à multis intellecta, origo est, unde quàm plurimæ opiniones improbabiles, & scandalosæ ortæ sunt. Multi enim audientes, quod Authores primæ classis, & primariæ authoritatis dicunt, nempe quod [unus vir probus, & doctus sufficit ad probabilitatem] & non discutientes sensum, in quo illi Doctores primæ classis locuti sunt; statim atque inveniunt aliquam opinionem in quolibet Scriptore Catholico, putant, illam eo ipso esse probabilem. Ad quem discursum reprobandum sufficit censura, qua Alexander VII. damnavit ut minimum tamquam scandalosam hanc propositionem, *Si liber est alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Quæ est vigesima septima ex damnatis ab Alexandro. Ex qua censura constat evidenter, non sufficere ad probabilitatem unumquemlibet scriptorem.

2 Et confirmatur. Nam vel omnes, & singuli Scriptores sufficiunt ad probabilitatem opinionis; vel non omnes & singuli? Si primum dicis, incurris damnationem Alexandri VII. Si verò dicas secundum, infero: ergo opus est discretione: ergo debet examinari diligenter, quibus qualitatibus pollere debeant authores ad probabilitatem constituendam.

3 Hanc ob causam *in 1. part. Crisi Theolog. disp. 11.* hanc quæstionem diligenter excussi. Et ex ipsis Authoribus, qui citantur pro ea sententia [quòd ad probabilitatem sufficit unus probus, & doctus,] ostendi, non sufficere unumquemlibet Scriptorem, nisi specialibus qualitatibus præditum: quas retuli *cap. 3.* per decem articulos.

4 *Ibidem cap. 4.* ostendi, ad quatuor capita revocari exceptiones, quæ minuunt authoritatem Scriptoris, ratione quarum non potest Scriptor facere opinionem probabilem. Primum, dum Scriptor opinatur contra principium certum; tunc enim opinio est positive improbabilis, sive certò falsa. Secundum, dum Scriptor opinatur ex fundamentis levibus, frivolis, æquivocis, sophisticis: tunc enim nec opinio est probabilis ab intrinseco, nec Author dat illi probabilitatem extrinsecam.

5 Tertium, si varia improbabilia docuerit; sive opiniones aliquas singulares à cœteris Theologis reprobatas, tamquam non probabiles. Is enim Author non confert probabilitatem opinionibus.

6 Quartum, si non discutit diligenter fundamenta, quæ militant pro utraque parte contradictionis. Nam qui fundamenta non examinat diligenter, non potest ferre judicium plenum circà eam quæstionem.

7 Ubi illud maximè notandum est, tamquam scopus præcipuus totius hujus controversiæ. Enim verò fundamentum, quo tandem deveniunt, qui communi persuasione censent sufficere ad probabilitatem unum Scriptorem probum, & doctum, est, quòd id ita asserunt Doctores primæ classis. *Ibidem ergo cap. 8.* per septem articulos, & etiam *cap. 2. & 4* ostendi manifesto, eos primarios Doctores, qui dixerunt, sufficere ad probabilitatem unum virum probum, & doctum; eosdem affirmare omnes eas quatuor exceptiones; ratione quarum, doctor destituitur authoritate ad probabilitatem extrinsecam constituendam. Et ita hujus sententiæ esse ostendi P. Suarium, P. Vasquium, P. Thomam Sancium, P. Valenciam, P. Granadum, P. Castropalaum, P. Azor, P. Petrum Hurtado, Navarrum, Sayrum, Bonacinam, & Mag. Sotum, & multos alios, quorum verba ibidem expressi; quæ ideò non sunt repetenda.

8 Et præter Authores ibi citatos stat pro eadem sententia Albertus Magnus, quem refert, & sequitur S. Antoninus *1. part. tit. 3. cap. 10* asserentes, posse ad praxim deduci quamcumque opinionem, [dummodo alicujus *Doctoris Magni* opinionem sequatur.] Ex quo patet, non sufficere ad probabilitatem unumquemlibet Doctorem, sed debere esse præditum iis qualitatibus, quæ illum reddant *Magnum Doctorem*.

9 Idem insinuat Mag. Bartholomæus de Medina *1. 2. qu. 19. artic. 6. dub. 4. §. Certe argumenta.* Ubi sic ait: [Opinio non dicitur probabilis ex eo, quòd in ejus favorem adducantur rationes apparentes, & quòd habeat assertores, & defensores; nam isto pacto omnes errores essent opiniones probabiles. Sed ea est opinio probabilis, quam asserunt viri Sapientes, & confirmant optima argumenta; quæ sequi, nihil improbabile est. Ita definit Aristoteles *1. top cap. 1. & 1. Eth. c. 4.*] Et novissimè P. Matthæus de Moya *tom. 2. select. tract. 1. qu. 9. §. 1. num. 9.* affirmat, eos Authores admitti debere ad probabilitatem, qui nullam exceptionem patiuntur.

10 Unde ex communi sententia Theologorum primæ classis ibidem ostendi, non facere opinionem probabilem, unum, aut plures Doctores, nisi sint omni exceptione majores; id est, si nullam patiatur exceptionem ex illis quatuor memoratis. Quæ assertio, si firmiter teneatur, erit ad instar regulæ ad discernendum opiniones probabiles ab iis, quæ probabiles non sunt.

ARTICULUS II.

An ut Doctor sit omni exceptione major, debeat esse probatæ authoritatis?

SUMMARIUM.

Quinam sint Authores classici; & qui proletarii? n. 11.

An authoritas Doctoris antiqui confirmetur approbatione diuturna virorum sapientum? n. 12.

An requiratur, quod Doctor sit probatæ authoritatis apud sapientes? n. 13.

An omnis Doctor probatæ authoritatis sit omni exceptione major, & è converso? n. 14. & seq.

11 ILlustriss. Archiepiscopus noster Petrus de Tapia, ex Dominicana familia (cujus viri judicium in re morali numquam satis laudare potero) *lib. 1. Cat. moral. qu. 8. §. 3. num. 8.* sic ait: [In primis habenda est ratio, & consideratio *Classici* Authoris. Dicitur Author classicus, cujus authoritas *recipitur ut probabilis* in scholis, & Tribunalibus, & apud sapientes, & cordatos viros. Qui autem non sunt hujusmodi authoritatis, *Proletarii* dicuntur tamquam vilioris authoritatis. Authores autem *classici, & probati* quidam sunt in facultate Theologica scientificè sapientes, alii in Canonica, alii in Civili, seu legali juris Cœsarei facultate, qui appellantur Jurisconsulti, seu prudentes in utroque jure, Canonico, & Cœsareo.] Hucusque Dom. Tapia.

12 *Et num. 8.* accedens ad explicandum, quantæ sint authoritatis ad

tis ad probabilitatem Doctores antiqui, illam reducit ad approbationem, quam jam diù habent inter viros sapientes. Ubi sic ait: [Si autem opinio antiqui Doctoris sit perseveranter comprobata, habens sequitum, & approbationem apud Fideles Doctores; judicanda est probabilis ab authoritate. Nam authoritas antiqui Doctoris cum his omnibus qualitatibus; & conditionibus æquivalet authoritati multorum. Et longi temporis comprobatio assimilatur consuetudini, & traditioni; quæ in moralibus est magni ponderis probatio.] Ita Dom. Tapia de authoritate Doctoris jam diù approbata.

13 Dicendum ergo est primo, ad conferendam probabilitatem opinionibus requiri, quòd Doctor sit probatæ authoritatis apud sapientes, & prudentes. Quòd si positam ab aliquo Doctore opinionem reliqui Theologi majori ex parte reprobent, ea non est probabilis. Ratio hujus assertionis desumitur ab ipsa definitione opinionis probabilis, quæ dicitur inniti fundamento gravi. Sed quomodo gravi? sanè relative ad judicium prudentum, sapientum. Ergo si reliqui sapientes non approbent, & à fortiori si reprobent, fundamentum non erit grave judicio prudentum. Quòd si reliqui sapientes approbant tamquam probabilem, jam intelligitur ejus fundamentum esse grave judicio sapientum.

14 Dicendum est secundò, omnem Doctorem probatæ authoritatis esse omni exceptione majorem; & omnem Doctorem omni exceptione majorem esse probatæ authoritatis. Patet conclusio. Nam ut Author sit omni exceptione major, quatuor illa requiruntur: quòd non opinetur contra principium certum; quòd non opinetur ex levibus, aut sophisticis fundamentis; levibus, inquam, relatè ad judicia prudentum; quòd habeat eam communem approbationem, nempe quòd non docuerit varia improbabilia; & quòd ita sapienter tradat doctrinam, ut scientificè, & diligenter discutiat fundamenta utriusque partis. Atqui eo ipso quòd hæc omnia requisita habeat, ab omnibus sapientibus approbatur ejus authoritas ad probabilitatem. Constat ergo, Doctorem omni exceptione majorem esse probatæ authoritatis.

15 Deinde eo ipso quòd Doctor sit probatæ authoritatis, sive quòd ejus authoritas habeat communem sapientum approbationem; eo ipso, inquam, habet illa quatuor requisita; quorum altero deficiente, ejus authoritas non approbatur à viris sapientibus; ut constat *ex ea disp. 11. cit. præsertim cap. 2. art. 4. & cap.* 8.

ARTICULUS III.

Corollaria de Scriptoribus insufficientibus ad probabilitatem.

SUMMARIUM.

An Authores, qui non discutiunt fundamenta, sint insufficientes ad probabilitatem? n. 16.
An meri summistæ, & compilatores sint insufficientes ad probabilitatem? nn. 17.
Quinam dicendi sint meri summistæ? nu. 18.
An neque quatuor, neque plures ex proletariis conferant probabilitatem? num. 19.
An Scriptores, quorum scripta non vidimus, faciant nobis fidem probabilitatis? n. 20.
An id suppleatur per famam sapientiæ? n. 22.
An citationes Authorum, quorum neque scripta, neque fama ad nos pervenerunt, prosint ad probabilitatem? n. 23.
An subscriptiones Theologorum, quorum doctrinam non novimus, prosint ad probabilitatem? n. 24.
An subscriptiones Theologorum, qui solùm habent famam in una Urbe, prosint ad probabilitatem in toto orbe? n. 25. remissivè.
An censores librorum conferant probabilitatem opinionibus, quæ in libris continentur? n. 26. remissivè.
An laurea Doctoris decoratus sufficiat ad probabilitatem? n. 27.

16 EX his, & ex dictis ea *disp.* 11. inferes primo, eos Scriptores, qui non discutiunt scientificè fundamenta utriusque partis, non esse sufficientes ad conferendam probabilitatem. Ita Doctores relati *in ea disp. 11. cap. 2. art. 4. & cap.* 8. per omnes ejus articulos. Et ratio est. Quia qui non discutiunt fundamenta, scire non possumus, an penetreant vim difficultatis, quæ pro utraque parte militat.

17 Inferes secundò, meros Summistas, & meros compilatores casuum conscientiæ non esse sufficientes ad conferendam probabilitatem opinionibus. Ita censent Doctores citati pro corollario antecedenti; & ex illo manifestè infertur; cùm meri Summistæ, & meri compilatores non discutiant fundamenta utriusque partis.

18 Qui autem dicendi sint meri Summistæ, explicui *ea art.* 4. *cit. nu.* 56. quando scilicet aliunde non constat de præstantia sapientiæ, & maturitate judicii eorum. Sic enim distinxit Dom. Tapia inter *Classicos*, & *Proletarios* (sic appellabant Romani plebejos vilioris authoritatis.) Sic enim ait ubi supra *num.* 8. [Alii quos *Summistas* vulgò appellant: quorum præcipuum studium est acervare casus conscientiæ. His Summistis præferendi sunt priores Doctores. Inter quos præferendus est quisque in sua facultate; Theologus in Theologia, & sic de aliis. Verùm est inter Summistas esse aliquos Doctores ad primam classem reducendos. Tum ob eorum etiam in aliis prædictis facultatibus eruditionem, & sapientiam. Tum quia suas summas conscientiæ stylo scientifico composuerunt. *Ut Thomas de Vio Cajetanus* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, eximius Theologus; Doctor *Martinus Navarrus* ex jure valde peritus, & Theologiæ non ignarus; *Sylvester de Prierio* Magister Sacri Palatii Apostolici in utraque facultate absolutissimus: & inter recentiores *Thomas Sanchez* in præceptis Decalogi, & libris de Matrimonio: quos in exemplum adducimus Summistarum, absque præjudicio aliorum.] Hi ergo quamvis summas confecerint, non sunt appellandi proletarii, sed classici; nec meri Summistæ, quia de præstantia sapientiæ eorum aliunde nobis constat.

19 Inferes tertiò, neque quatuor, neque sex, neque plures ex his proletariis conferre probabilitatem opinionibus, nisi valde tenuem, & quæ indiget aliis adminiculis, ut in conceptu probabilitatis sustineri queat. Patet ex dictis: cùm probabilitas sine exacta discussione rationum utriusque partis subsistere nequeat. *Vide locum citatum ex ea disp. 11. & præcipuè num. 59. &* 60.

20 Inferes quartò, eos Scriptores, quorum scripta ego non vidi, non facere mihi fidem probabilitatis. Patet ex dictis. Nam ut Scriptor conferat probabilitatem opinioni, debet exactè discutere fundamenta utriusque partis: sed Author, cujus scripta non vidi, scire non possum, an exactè discutiat fundamenta utriusque partis, in singulis opinionibus: ergo is Author, cujus scripta non vidi, non potest facere mihi fidem probabilitatis. Et in hoc asserto convenio cum Celladeo 1. *part. lib. 2. quæst. 6.* § 4.

21 Confirmatur. Nam authoritas Theologi ad probabilitatem opinionis non consistit in sola ejus sapientia; sed in eo, quòd sapientiæ ejus præstantia nota sit: ergo si præstantia sapientiæ ejus mihi non est nota, non facit mihi fidem ejus authoritas, neque ejus authoritas, apud me valet. *Vide, quæ dixi circa hoc punctum disp. 11. cap. 15. art. 2. & seq.*

22 Limitanda est conclusio, ut vera sit, nisi talis sit fama sapientiæ ejus Doctoris, inter viros sapientes, ut quamvis non viderim scripta ejus, impellat me ad credendum præstantiam doctrinæ ejus. Quo pacto poterit facere mihi fidem probabilitatis.

23 Inferes quintò, citationes Authorum, quæ reperiuntur præcipuè in compilatoribus casuum conscientiæ, nihil mihi prodesse ad probabilitatem opinionum, si eorum scripta, qui citantur, ego non vidi; neque aliunde cognosco præstantiam doctrinæ eorum. Hoc etiam rectè probat Celladeus supra citatus. Patet ex præcedenti corollario. Quia scire non possum, an sint ex illis, qui præstantiam habent in fundamentis opinionum pro utraque parte discutiendis. Deinde quia non omnino prospicit securitati suæ conscientiæ, qui nimiùm fidit ejusmodi citationibus. Passim enim reperimus opiniones infideliter citatas, & attributas Authoribus contra expressam eorum mentem. *Vide in 1. part. Cris. Theol. disp. 18. cap.* 9. Ubi invenies citatos pro absurdissima opinione Suarium, Thomam Sanchez, Ludovicum Lopez contra expressam assertionem eorum; citatos, inquam, à Joanne Sancio, Leandro à SS. Sacram. Machado, & Murcia. Et tertio quoque gradu invenimus, aliquos Authores in citationibus turpiter errare. Immò & Probabilioristæ, qui nostræ sententiæ adversantur de quavis opinione probabili seligenda, nostris Authoribus falsò attribuunt multas opiniones; ut mox videbimus.

24 Inferes sextò, subscriptiones Theologorum, de quorum doctrinæ præstantia non habeo sufficientem notitiam, non mihi facere fidem probabilitatis. Hæc illatio manifestè infertur ex præcedentibus. Et notavit Celladeus cit.

25 Inferes septimò, subscriptiones eorum Theologorum, qui sua scripta non ediderunt in lucem publicam, & solùm habeant famam præstantis doctrinæ in una urbe, aut academia, non dare probabilitatem pro omnibus mundi regionibus. *De hoc latè dixi disput. 11. cap.* 15.

26 Inferes octavò, Censores librorum, quorum censura præmittitur ipsis libris, non esse sufficientes ad conferendam probabilitatem; etiam si magna sapientia præstent. Nescimus enim, quanta attentione legerint libros sibi commissos. *Vide in 1. part. Cris. disput. 11. cap. 15. art. 5. num.* 353. Addit Celladeus ubi supra, aliquos libros prohiberi, & opiniones eorum damnari à Superioribus; non obstante approbatione censorum: ergo censores non attulerunt illis sufficientem probabilitatem.

27 Inferes nonò, eos, qui laurea Doctoris decorati sunt in quacumque Academia, non propterea esse sufficientes ad conferendam probabilitatem opinionibus. Quod assertum satis clarè ostendi *ea disp. 11. cap. 15. art.* 4.

28 His omnibus maximè suffragatur P. Mathæus de Moya *tom. 2. selectar. tract. 1. quæst. 7. num.* 6. cujus hæc sunt verba: [Sententia ergo Celladei in uno tantùm casu veritatem continet: nempe, quando pro opinione benigna unus, vel alter Author reperitur, cujus authoritas ignota est; tunc enim nullus, qui ex ratione, qua ducitur, ejus probabilitatem eruere nequeat, poterit de illa judicium ferre, ut bene tradit ipse Celladeus, *lib. 1. quæst. 10 fol.* 113.

neque poterunt, qui sola relatione opinionum prela fatigant. Quia Authores pure historici opinionum, qui nec inter fundamenta gravia, & levia sciunt distinguere; & quibus de gravitate Authorum, quos citatos legunt, nil constat, non habent, unde opinionem illam probabilem censere possint, quia nec à principiis extrinsecis, quòd Authorum gravitas sit illis prorsus ignota, neque ab intrinsecis, cùm illa non calleant: qua propter temere, & illicitè ejus praxim consulent, ut pote ignorantes, an practicè probabilis sit. Maximè cum hac tempestate, indocti etiam homines ad opuscula edenda mirum in modum propendeant, & sæpe leviter, & per transennam rem tractent, & parvi momenti rationibus sæpe ducantur. Qua propter probabile reputari non debet; quòd à quocumque Authore moderno typis datum reperitur, nisi aliunde ejus probitas, & præexcellens peritia, publica fama, aut aliunde nota sit, ut bene inquit Terillus *qu. 6. num. 25.*] Hucusque P. Moya.

CAPUT VII.

An unus Author possit dare probabilitatem opinioni singulari contra reliquos?

SUMMARIUM.

An unus Doctor possit reperire firmius fundamentum pro opinione singulari? n. 29.

An opinio singularis unius non possit esse probabilis, in qua communis opinio facit evidentiam moralem? n. 30.

An opinio unius non possit esse probabilis, quando pendet omnino à judicio prudentum tamquam à mensura extrinseca? n. 31. remissivè.

An quando omnes censent materiam præcepti esse levem, non possit opinio unius esse probabilis asserens, esse gravem? n. 32.

An quando omnes censent aliquam injuriam esse gravem, non possit esse probabilis opinio opposita? n. 33.

An quando omnes censent, fundamentum opinionis esse leve, non possit esse probabilis opinio opposita? n. 34.

An possit esse probabilis opinio unius negantis diversitatem specificam peccatorum, contra communem reliquorum? n. 36.

An in quæstionibus, quæ omnino pendent à significatione vocum, possit esse probabilis opinio unius contra reliquos? n. 37.

An inde inferatur votum Castitatis Religiosæ extendi ad fugiendos actus internos luxuriæ? n. 38.

An in quæstione facti possit dari opinio probabilis unius contra reliquos? num. 39.

Et an inde inferatur, esse improbabiles aliquas opiniones in materia jejunii? nu. 40.

An circa sensum legis humanæ possit esse probabilis opinio singularis unius contra reliquos? n. 41. remissivè.

29 IN hac quæstione audiendus est Illustriss. Tapia *lib. 1. Cat. moral. qu. 8. art. 11 num. 14* cujus hæc sunt verba: [Non censemus impossibile, quòd unus Doctor ex his, qui sapientiæ diligenter incumbunt, aliquando sententia communi, & fundamentis Doctorum accuratè perpensis, reperiat firmius fundamentum, quo ipsius sententia singularis probabilior evadat.] Citatque pro eo asserto P. Vazquium 1. 2. *qu. 19. art. 6. disp 62. cap. 4.* Montesinos *disput. 29 quæst. 5 §. 6. numer. 247.* Sylvestrum *verbo Opinio, quæst. 1.* Angel. *ibid. numer. 2.* Navarrum in Manual. *cap. 27. numer.* 288 Valenciam 1. 2. *disput. 1. quæst. 12. punct. 4. qu. 4.* Thom. Sanchez *lib 1. sum. cap. 9. num. 7.* aitque favere D. Thomam *quodl 3. art. 10.*

30 Sed ut magis in particulari hæc quæstio decidatur, ex iis, quæ docui *in 1. part. Crif. Theolog. disp.* 12. aliquæ limitationes præcedentis doctrinæ necessariæ sunt. Sit limitatio generalis. In illis materiis, in quibus communis opinio Doctorum facit evidentiam moralem, non potest esse probabilis opinio singularis unius Doctoris. Hæc assertio est evidens, si sit certum, opinionem communem in aliquibus materiis facere evidentiam, aut certitudinem moralem. Id autem certum esse, clarissimè ostendi *in ea disp.* 12. Ratio autem ejus limitationis generalis est, quia contra certitudinem moralem nulla est probabilitas; ut metaphysica evidentia constat *ex disp. 4. num. 6.* Descendendo autem ad limitationes particulares.

31 Sit prima conclusio. In illis, quorum resolutio pendet omnino à judicio prudentum, tamquam à mensura extrinseca; opinio unius, quantumvis sapientis, non potest esse probabilis contra communem. Hanc conclusionem demonstravi *ea disp. 12. cap. 1.*

32 Hinc inferes primò, quòd quando omnes Theologi censent, aliquam materiam præcepti esse levem; non potest dari opinio singularis probabilis, quòd ea materia sit gravis. Et similiter si omnes, aut ferè omnes, judicent, esse gravem, nulla opinio opposita potest esse probabilis. Quia parvitas, & magnitudo moralis non habent aliam mensuram, nisi judicium prudentum. Et ubi certò constat, omnes prudentes conspirare in hoc judicium, evidens est, quòd est gravis, vel levis judicio prudentum.

33 Inferes secundò, quando omnes, aut ferè omnes Doctores conveniunt in judicando, aliquam injuriam, aut irreverentiam esse magnam; opinio opposita unius, vel alterius non potest esse probabilis. Ratio est eadem: quia magnitudo moralis non habet aliam mensuram, nisi judicium prudentum; & ubi certum est, quòd omnes, aut ferè omnes prudentes judicent, esse magnam; evidens est, quod est magna judicio prudentum. *Et ideo ibid. cap.* 2. ostendi, non posse esse opinionem probabilem eam, quæ affirmat, non esse gravem irreverentiam contra Sacramentum, si Minister deputatus conjiciat Sacramentum in statu peccati. *Et cap.* 3. ex eodem principio ostendi, non esse probabilem opinionem, quæ affirmat, dari parvitatem materiæ in jejunio naturali ad sacram Communionem; aut non esse gravem irreverentiam communicare post sumptionem cibi, aut potus, quamtumvis minimi.

34 Inferes tertiò, non esse probabilem opinionem unius, aut alterius Doctoris, quando reliqui Theologi judicant, fundamentum ejus opinionis esse leve. Nam cùm gravitas, aut levitas moralis habeat pro mensura judicium prudentum; quando omnes prudentes judicant, esse leve; evidens est, quòd est leve judicio prudentum, atque adeò quòd est moraliter leve. Evidens enim est, quòd non est magnum illud, quod non æquat mensuram.

35 Hinc colligere licet regulam ad ferendum judicium de probabilitate aliquarum opinionum, quæ ex levibus, frivolis, & superficialibus fundamentis intruduntur prætextu probabilium. Nam ubi reliqui Theologi judicant, fundamentum esse leve, debet esse certum moraliter, quod est leve; & ideò excludendæ sunt à numero probabilium. *Vide, quæ dixi ea disp. 12. cap. 5. concl. 4.*

36 Sit secunda conclusio. Non potest esse probabilis opinio singularis unius, vel alterius negantis diversitatem specificam peccatorum, contra communem sententiam omnium, aut ferè omnium Theologorum. Hanc conclusionem latè probavi *in 2. part. Crif. Theolog. disput* 53. Cujus ratio est, quia diversitas moralis specifica dependet tamquam à mensura à judicio prudentum; & ubi omnes, aut ferè omnes prudentes judicant, eam diversitatem esse adeò magnam, ut pertingat ad specificam; evidens est, quòd habet eam magnitudinem judicio prudentem. Ideò ibidem ostendi, non esse probabilem opinionem, quæ negat diversitatem specificam inter pollutionem, sodomiam, & bestialitatem.

37 Sit tertia conclusio. In iis quæstionibus, quæ omnino dependent à significatione, & usurpatione vocum (ut contingit sæpe in legibus juris positivi humani) non potest dari opinio probabilis unius, vel alterius Doctoris, contra sententiam communem Doctorum. Hanc conclusionem latè ostendi *in ea disp.* 12. *cap.* 4. & ratio est: quia usurpatio vocum non dependet ab acceptione unius, vel alterius, sed ab acceptione communi.

38 *Ideo in 2. part. Crif. Theol. disp.* 36. ostendi, esse improbabilem opinionem, quæ doceat, votum Castitatis Religiosæ non extendi ad fugiendos actus internos impudicos: quia non est pro libito uniuscujusque limitare significatum hujus vocis *Castitas*, sed accipienda est in ea usurpatione communi, in qua omnes Theologi, immò & omnes Fideles accipiunt; ut extendatur ad fugiendos omnes actus turpes, sive externos, sive internos. Sic etiam *in eadem 2. part. Crif. Theol.* ostendi, esse improbabiles opiniones alias. *Vide disp.* 27.

39 Sit quarta conclusio. In quæstione facti non potest dari opinio probabilis unius, vel alterius contra communem sententiam omnium, aut ferè omnium Doctorum, v. g in quæstione de impositione, aut traditione alicujus præcepti: quia omnes, aut ferè omnes Doctores faciunt plenissimam probationem facti; contra quam probationem nullius momenti est dictum unius, vel alterius. Hanc ostendi clarissimè *in ea disp. 12. cap. 5. concl. 3.*

40 Et ex hac positione *in 2. part. Crif Theolog. disp. 23. cap 5. art. 10.* ostendi, esse improbabilem opinionem aliquorum negantium præceptum abstinendi à Lacticiniis in Quadragesima: quia ex communi omnium sensu constat de traditione præcepti. Quam opinionem judicavi improbabilem, etiam ante decretum Alexandri VII. eam damnantis ut scandalosam. Et *art.* 11. ex eadem positione ostendi, improbabilem esse opinionem eorum, qui dicebant, jejunia quatuor temporum non obligare sub mortali. *Et art.* 12. demonstravi, esse etiam improbabilem opinionem eorum, qui asseruerunt, non esse præceptum grave jejunandi in pervigiliis Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, & Omnium Sanctorum.

41 Sit quinta conclusio. In quæstione de sensu, & interpretatione legis humanæ, non dat probabilitatem unus, vel alter Scriptor contra reliquos juris interpretes. Nam quo ad hoc sententiam communem omnium, aut ferè omnium Doctorum habendam esse pro lege, testantur communiter Jurisprudentes; idque rectè intellectum, est certissimum. Ita ostendi *ea disp 12 cap* 6. quod est in additionibus, quæ habentur in fine 2. *partis nu.* 26.

42 Et sub his quinque limitationibus, verum censeo, quòd unus Author omni exceptione major possit facere opinionem probabilem, sicut censent Doctores initio hujus capitis allegati.

CAPUT III.

Quinam Authores in singulari habendi sint tamquam classici, & probatæ authoritatis, & omni exceptione majores?

43 UNusquisque vir doctus debet apud semet ipsum ferre judicium de iis Authoribus, qui sunt omni exceptione majores, & probatæ authoritatis; ut sic in casibus occurrentibus, possit ad eos confugere, & conscientiæ propriæ, & alienæ securè consulere. Sed hic nominare omnes classicos, exclusis reliquis, res est non solùm difficultatis, sed & invidiæ plena. Nec tamen possum omninò abstinere ab hac designatione aliquorum ex iis, quorum scripta magis versare soleo: eo vel maximè quia ab adversariis, qui impugnant nostram doctrinam de Probabilitate, immeritissimè contemnuntur, eisque falsò attribuuntur opiniones aliquæ improbabiles; & aliæ maximè probabiles reprehenduntur. Quare operæ pretium est eos ab his calumniis vindicare.

ARTICULUS I.

An P. Thomas Sanchez sit omni exceptione major, cujus opiniones tuta conscientia sequi possimus?

SUMMARIUM.

Commendatio doctrinæ hujus Authoris? n. 44. & seq.
Quid in contemptum ejus afferat Gonetus circà intelligentiam S. Thomæ? num. 47.
Quid in laudem ejus afferat Illustriss. Tapia? n. 49.
Quo modo Illustriss. Tapia eodem modo intellexerit eum locum D. Thomæ? nu. 50.
Ostenditur, eam esse rectam intelligentiam textus S. Thomæ? num. 52. & seq.
An Fagnanus ei attribuat per calumniam, quòd regulares uti possint privilegiis revocatis à Tridentino? n. 55.
An Fagnanus ei falsò attribuat, quòd possint Episcopi dispensare in reservatis Papæ ob solam paupertatem? n. 57. & seq.
Quo jure Fagnanus reprehendat eumdem, quòd dixerit probabilem opinionem de dispensatione, in qua non fit mentio de copula? n. 64.
Quàm injustè reprehendat opinionem, quòd Episcopus potest in urgentissima necessitate dispensare in dirimenti, antè matrimonium? num. 65. & seq.
Quam injustè damnet opinionem ejusdem, quòd Principes sæculares possint ex se indicere impedimenta dirimentia? n. 67. & seq.
Quo jure reprehendat sententiam ejusdem de quavis opinione probabili eligenda? num. 69.
Quo modo intelligendus S. Thomas, cùm ait, non excusari à peccato eum, qui versatur in conflictu opinionum? n. 70.
An P. Thomas Sanchez dixerit, sufficere unum Doctorem sub quatuor limitationibus? num. 71.
Quo jure reprehendatur sententia omnium Theologorum; & an ideò reprobandatur, quia non penetratur sensus ejus? n. 72.
Quo sensu opinio minus probabilis dicatur minus tuta? n. 73.
An falsò referat Fagnanus opinionem ejusdem, quòd liceat occidere accusatorem, testes, & Judicem iniquos? n. 74.
Quo sensu eam doceat Author? n. 74. & seq.
Quo jure damnet Fagnanus opinionem, quòd ille, qui accepit pretium pro actione turpi, non teneatur illud restituere? n. 78. & seqq.
Quo jure Fagnanus appellet errorem, quòd Confessarius nequit negare absolutionem ei, qui non vult deserere suam opinionem probabilem? num. 85.
An Fagnanus infideliter referat sententiam ejusdem de consulendo varios Doctores? n. 87 & seq.
Quid de calumnia, quod ad probabilitatem sufficiat quilibet Theologus? num. 89. & seq.

44 TAm magna pollet authoritate P. Thomas Sanchez in re morali, ut ridendum videatur, id in quæstionem adducere; nisi Authores adversarii probabilitatis, aliquas ejus opiniones damnare vellent. A quorum calumniis oportet illum vindicare.

45 De præstantissima ejus sapientia omninò tacere, nefas videtur. Pro meo instituto sufficiat transcribere periodum ea præfatione, quam Collegium Granatense Societatis Jesu præfixit tomo ejus primo in decalog. [Neque verò est illius laus angustis, aut exiguis circunscripta terminis, sed præclaris ingenii sui monumentis posteritati prodita, orbem terrarum, quantus est, cum summo applausu, & acclamatione pervagatur. Quis enim eruditissima illa volumina de Matrimonii Sacramento accuratissimè conscripta, vel fama, & auditione non novit, qui modo litteras novit? Quis autem, vel quæstiunculam aliquam obiter inspexit, qui non simul tam limatum, & expolitum opus suspexit, & plena manu laudavit? Constans fama est, Clementem VIII. Pontificem Maximum, cùm fortè gravissima quæstio Romæ agitaretur, quam noster Thomas fusè, & graviter decidebat; ipsiusque liber inspiciendus oblatus esset Pontifici, totam illam quæstionem (ut erat ipse doctissimus) per otium perlegisse, ac vehementer admiratum subtile hujus acumen, peracre judicium, raram perspicuitatem, singularem, & exquisitam in rebus indagandis solertiam, in tradendis facillimam methodum, in evolvendis, citandisque authoribus exactissimum, & planè indefessum studium, seriò Pontificem pronuntiasse, *nullum unquam authorem extitisse, qui dubias de matrimonio controversias uberiùs, & accuratiùs enodasset.*]

46 Audienda quoque est periodus ex præfatione præfixa tomo secundo in decalogum. [Potuit ineluctabile mortis imperium, tam Sanctum, tam Religiosum, ac Doctum virum nobis eripere ∴ non poterit tamen efficere, ut ejus nomen oblivione deleatur. Immortalia sunt, quæ nobis industriæ, scientiæ, & religionis monumenta reliquit, quibus eam nominis celebritatem promeruit, quàm ubique possidet, immortaliaque beneficia, quæ scribendo omnibus contulit. Testantur id, qui juri dicendo in Ecclesiasticis præsertim tribunalibus insudant.] Qui plura desiderat, plura inveniet in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu.

PRIMA CALUMNIA.

47 GOnetus in dissert. de probabilitate *art. 6. §. 2. num. 211.* sic ait: [Contra nostram assertionem obiicit in primis Thomas Sanchez *in summa lib. 1. cap. 9. num. 7.* & alii recentiores Casuistæ post ipsum, ut Joannes Saucius, Layman, Filliucius, & alii, testimonium D. Thomæ, desumptum ex *quodlib. 3. art. 10.* Ubi S. Doctor (inquit Sanchez) ait, *Posse quemquam amplecti opinionem, quam à Magistro audivit in iis, quæ ad mores pertinent.* Sed totum hunc articulum diligenter, & accuratè legimus, & relegimus, & hæc verba invenire non potuimus, nec ea certè videre poterimus, nisi Sanchez sua illa conspicilia, quibus videntur ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, nostris oculis admoveat. Nam Sanctus Doctor nihil tale habet in hoc articulo, sed totum oppositum. ait enim, ut suprà retulimus: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat.* Ex quo duo patent notatu digna: nimirum Sanchem, locum illum D. Thomæ adulterasse, vel saltem alienis, aut alienatis oculis legisse: & alios recentiores Casuistas, qui illum pariter sic corruptum, & vitiatum referunt, Authores non legere, sed absque ullo prorsùs examine transcribere id, quòd alii scripserunt.]

48 Ego quidem censeo, non consulere famæ propriæ in linea sapientiæ eos, qui doctrinam P. Thomæ Sanchez contemnunt. Nam cùm totus orbis litterarius tam magni faciat sapientiam, & doctrinam hujus Doctoris, judicia omnium sapientum spernit, qui doctrinam ejus: nec famæ suæ consulit, qui omnes sapientes spernit.

49 Non spernebat sapientiam hujus Doctoris Illustriss. Archipræsul Hispalensis Petrus de Tapia, qui *tom. 1. Caten. Moral. lib. 1. quæst. 8. art. 11. nu. 8.* agens de authoritate Scriptorum in ordine ad probabilitatem practicam, sic disserit: [Verum est, inter Summistas esse aliquos Doctores ad primam classem reducendos: tum ob eorum etiam in aliis prædictis facultatibus, Juris Canonici, & Cæsarei, eruditionem, & sapientiam: tum quia suas summas conscientiæ stylo scientifico composuerunt. Ut Thomas de Vio Cajetanus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, eximius Theologus: Doctor Martinus Navarrus in jure valdè peritus, & Theologiæ non ignarus: Sylvester de Prierio Magister Sacri Palatii Apostolici, in utraque facultate absolutissimus: Et inter recentiores Thomas Sanchez in præceptis Decalogi, & libris de Matrimonio: quos in exemplum adducimus Summistarum, absque præjudicio aliorum.] Ex quibus verbis colliges, quanti fecerit doctrinam P. Thomæ Sanchez Illustriss. Præsul, quem ad primam classem Doctorum adnumerat. Quem quidem non legebat Magnus hic Præsul illis conspiciliis, quibus videntur ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt: sed neque talia conspicilia invenit Magnus Præsul in doctrina hujus Doctoris: sed potiùs invenit in eo *eruditionem, & sapientiam in facultatibus juris Canonici, & Cæsarei, & stylum scientificum:* qui stylus longissimè abest à talibus conspiciliis.

50 Sed quàm fallacia fuerint conspicilia Goneti, & quàm deceptus fuerit in eo judicio efformando, constat primò ex eo, quòd insignis Thomista Illustriss. Petrus de Tapia *tom. 1. Caten. Moral. lib. 1. quæst. 8. art. 12. num. 9.* pro eadem opinione refert D. Thomam eodem modo, ac Thomas Sanchez. Ubi hæc verba habet: [Hinc etiam sequitur, posse indoctos sequi per principia extrinseca, scilicet propter solam authoritatem Doctorum, opiniones eorum in rebus moralibus. *Colligitur ex D. Thoma quodlib. 3. artic. 10. ubi docet, quemquam posse sequi opinionem sui Magistri*, in his quidem, quæ non derogant fidei Divinæ, aut bonis moribus. Ubi vides, Thomistam omni exceptione majorem intellexisse D. Thomam, & eum textum *quodlib. 3.* in eodem sensu, & per eadem ferè verba, ac P. Thomas Sanchez.

51 Sed numquid hic Illustriss. Præsul Thomisticæ doctrinæ Doctor egregius arguetur de conspiciliis, per quæ videntur ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt? Numquid post viginti annos, quibus in florentissima Complutensi Academia incubuit legendis, & relegendis articulis S. Thomæ; hic solus articulus decimus ex *quodlib. 3.* ejus mentem, & intelligentiam subterfugit?

52 Sed operæ pretium est examinare sensum ejus articuli. Cui S. Thomas præfigit hunc titulum: *Utrùm discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris?* Deinde in corpore articuli, sic ait. *Respondeo dicendum, quòd diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt.* Hic est textus, ex quo P. Thomas Sanchez intulit, & retulit assertionem D. Thomæ, quo discipuli possunt sequi opiniones diversas suorum Magistrorum. Quando verò dixit, *Si quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores*, intelligit de iis, quæ *manifestè* non contradicunt fidei, & bonis moribus.

53 Quòd verò S. Thomas ita id intelligat, constat ex illis, quæ paulò post subjungit. *In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam* (id est manifestè falsam) *opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat: alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum hæresiarcharum.* Ex quibus verbis patet, in quo sensu loquatur S. Thomas, dum dicit; neminem excusari si sequatur opinionem Magistri in iis, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, quando quidem expressè loquitur de opinione erronea; non verò de incerta, & probabili. Quod magis explicat in verbis ferè immediatè subsequentibus. *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*

54 Ex quibus omnibus apertè constat, S. Thomam distinguere inter ea, quæ sunt manifestè contra Scripturam, vel sensum Ecclesiæ, & ea, quæ non sunt manifestè contra Scripturam, aut sensum Ecclesiæ: & in primo casu affirmat, non excusari discipulum, quia circà ea, quæ sunt *manifestè* contra Scripturam, aut sensum Ecclesiæ, ignorantia est vincibilis, & culpabilis; circà ea verò, quæ non sunt manifestè contra Scripturam, aut sensum Ecclesiæ, *absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt*. Unde patet, sensum eorum verborum, quæ primo loco posita sunt, hunc esse: [Respondeo dicendum, quòd diversæ opiniones Sacræ Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores (id est, *si non sint contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem*) absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt.] Ex quibus evidenter constat contra Gonetum, P. Thomam Sanchez non legisse eum textum S. Thomæ *oculis alienatis, aut aliunde, neque per conspicilia, per quæ videntur ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt.*

SECUNDA CALUMNIA.

55 PRosper Fagnanus *in lib. 1. decretal. cap. Ne innitaris, num.* 335. conqueritur: [De innumeris ferè opinionibus falsis, temerariis, & scandalosis, quæ ex libertate eligendi quascumque opiniones probabiles, tamquam ex equo Trojano in dies prodeunt ∴ quæ re vera non sunt tolerandæ,] texitque catalogum magnum earum opinionum, & inter eas constituit istam: *Regulares in foro conscientiæ possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.*

56 Pro qua citat P. Thomam Sanchez in Decalogum *lib. 5. cap. 4. num.* 18. (corrige 16.) sed non sine summa injuria illum pro ea opinione refert. Nam P. Thomas Sanchez id nullo modo asserit, sed solùm refert ex Emmanuele Rodriguez; ut legenti evidenter constabit.

TERTIA CALUMNIA.

57 DEinde istam refert Fagnanus: *Cum subditis, qui ob paupertatem ad Urbem accedere non valent, possunt Episcopi dispensare in casibus Sedi Apostolicæ reservatis.* Et pro ea refert P. Thomam Sanchez *lib. 4. in Decalogum cap.* 40 *num.* 39. Sed si Fagnanus legisset eam quæstionem in contextu P. Thomæ Sanchez, nun constitueret illum inter assertores opinionum, quas dicit falsas, temerarias, & scandalosas. Est enim falsum, quod id concedat P. Thomas Sanchez illis, *qui ob paupertatem ad Urbem accedere non valent*; sed solùm propter magnum animæ periculum imminens, si expectanda sit dispensatio Sedis Apostolicæ.

58 Ita enim ait ibidem *num.* 32. [Quando magnum *incontinentiæ periculum* imminet, nec est facilis aditus ad Pontificem præ paupertate, vel alia causa, potest Episcopus dispensare in voto Religionis, & Castitatis.] Et *num.* 39 subjungit: [Secundò limitatur ab aliquibus, nisi Episcopus certiorem possit facere Pontificem, & sublevare pauperiem eorum, cum quibus dispensandum est, ministrando sumptus ad id necessarios ∴ quæ quidem limitatio esto admitteretur, dumtaxat procederet, quando sola pauperies, absque alio periculo in mora, causam hujus dispensationis afferret. Quippè huic *periculo existenti* non consuleretur ministratis sumptibus; atque ideò hoc *periculo existenti*, potest æquè Episcopus dispensare cum divitibus, ac cum pauperibus.]

59 Ubi vides non ob pauperiem, sed ob magnum animæ periculum, asseri ab hoc Doctore licere Episcopi dispensationem. Quod autem hæc opinio sic tradita non sit adnumeranda temerariis, & scandalosis, quilibet Theologus inveniet, qui perpenderit solidissima fundamenta, quibus eam confirmat *ibidem num.* 34. *& libr. 8. de Matrimon. disput.* 9. *num.* 21.

60 Et quidem incredibile est, velle Pontificem, vota esse reservata cum ingenti periculo animæ; neque Ecclesiam providisse remedium pro his casibus, in quibus animæ Fidelium laqueis irretiti manerent cum periculo damnationis æternæ.

61 Et ideò hanc sententiam post innumeros alios, Theologos, & Canonistas, tuetur severissimæ doctrinæ Author Archipræsul Hispalensis Petrus de Tapia *tom. 1. Caten. lib. 4. qu. 20. art. 5. nu.* 9.

62 Illud autem maximè displicet in Fagnano, quòd dum eas opiniones refert, quas vocat temerarias, & scandalosas, non ostendit caput, unde ea temeritas, aut scandali ratio eis attribuenda sit.

63 Laudo Joannem Baptistam Gonetum, quòd dum opiniones refert, quas censet improbabiles, simul conatur ostendere caput, ex quo improbabilitas eis conveniat.

QUARTA CALUMNIA.

64 FAgnanus ibidem adnumerat inter temerarias, & scandalosas hanc opinionem: *Dispensatio inter consanguineos, vel affines, non est subreptitia, non facta mentione de copula habita inter eos, antè, vel post matrimonium, stylo Curiæ non obstante.* Et arguit P. Thomam Sanchez, quod eam opinionem dixerit probabilem, cùm tamen ipse oppositam defendat *lib. 8. de Matrimon. disput.* 25. Sed in hoc exorbitat Fagnanus. Quare enim P. Thomas Sanchez negaret probabilitatem sententiæ, quam defendunt, & multis argumentis propugnant Navarrus, & multi insignes Doctores, quos ibi refert, & eorum fundamenta non contemnenda? Quod si Fagnanus eam opinionem censebat improbabilem, quare non ostendit principium, ex quo ea improbanda erat?

QUINTA CALUMNIA.

65 DEinde refert aliam opinionem in hæc verba: *Episcopi possunt ex magna necessitate dispensare, etiam antè matrimonium contractum, in impedimentis dirimentibus.* Pro qua citat P. Thomam Sanchez *de Matrimon. lib. 2. cap. 7. num.* 40. (corrige *disput. 40. num.* 7.)

66 Ego verò vehementer admiror, quòd eam opinionem recenseat Fagnanus inter temerarias, & scandalosas; cùm tam solidis fundamentis authoritatis, & rationis innitatur, & solùm eam admittat Doctor noster pro casu *urgentissimæ necessitatis*, & ad vitandum magnum scandalum, & ne animæ laqueis conscientiæ maneant irretitæ. Maximè cùm in electione opinionum eam debeamus præferre, quæ magis conducit ad salutem animarum. Præcipuè etiam cùm omnes Theologi, qui post P. Thomam Sanchez scripserunt, eam opinionem summo consensu amplexi fuerint. Cùm autem opinio alicujus Doctoris habet universalem approbationem subsequentium Doctorum, non potest non censeri maximè probabilis. Nam ut disertè tradidit Illustriss. D. Tapia relatus suprà *cap. 1. art. 2. Longi temporis comprobatio assimilatur consuetudini, & traditioni, quæ in moralibus est magni ponderis probatio.* Cùm ergo hæc opinio P. Thomæ Sanchez approbata fuerit ab omnibus scriptoribus per plusquam octoginta annos, nam editio Genuensis librorum de Matrimonio facta est ann. 1592. hæc censenda est magni ponderis probatio. Eamque novissimè approbavit severissimæ doctrinæ Doctor Petrus de Tapia suprà relatus *tom. 1. Caten. moral. lib. 4. quæst. 20. art. 5. num. 9.* in hæc verba. [Etiam in legibus generalibus pro tota Ecclesia, *quando necessitas urget*, & est impossibilis aditus, ob inopiam, vel aliam causam, ad Superiorem conditorem legis, v. g. Pontificem; vel *est periculum in mora*, aut timetur *grave scandalum*; tunc *Episcopus potest dispensare* in lege Pontificis. Quia id exigit æquitas juris, bonum commune, & prudens regimen.] Vide infrà *disp. 76.* ubi ex professo propugnatur hæc sententia.

SEXTA CALUMNIA.

67 ADnumerat etiam Fagnanus inter temerarias, & scandalosas aliam ejusdem Doctoris opinionem hujus tenoris: *Principes sæculares ex genere, & natura suæ potestatis possunt impedimenta matrimonium dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere eo modo, quo Summus Pontifex id potest.* Pro qua citat P. Thomam Sanchez *lib. 7. de Matrim. disput. 4. (corrige 3.) quæst. 1. nu.* 2. Quam propositionem ita tradidit Doctor noster, nisi quòd Fagnanus omisit postrema verba propositionis, quæ maximè ad rem conducunt: eam enim Thomas noster sic proposuit: *Eo pacto, quo id Pontifex Summus potest, nisi sibi hanc potestatem reservasset.*

68 Sed cùm hanc opinionem tam clarè tradiderit S. Thomas *in 4. dist. 34. quæst. unic. art. 1. ad 4.* & Bellarminus *lib. 1. de Matrimon. cap.* 32. & insignes alii Doctores, & fundamentis moraliter evidentibus nitatur; mirandum est iterùm, atque iterùm, quòd tam acri censura eam sententiam velit inurere Fagnanus. Audiendus est S. Thomas loco proximè citato: *Ad 4. dicendum, quòd personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quòd sunt contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: in quantum est Sacramentum, statuitur jure Divino: in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili; & ideò ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici*

ad

ad matrimonium illegitima: nec est simile de aliis Sacramentis, quæ sunt Sacramenta tantùm. Ubi vides quo modo asserat S. Thomas pertinere ad legem civilem, statuere impedimenta dirimentia, per quæ personæ redduntur illegitimæ ad contrahendum matrimonium: & quo modo de matrimonio non militat eadem ratio, quæ in cœteris sacramentis: quia matrimonium est contractus humanus, cœtera verò sunt sacramenta tantùm. Quia verò matrimonium non est dumtaxat contractus, sed etiam sacramentum, ideò Romanus Pontifex sibi servavit eam potestatem statuendi impedimenta matrimonii; quæ possent statui à Principe sæculari, si eam potestatem non sibi reservasset Princeps Ecclesiasticus.

SEPTIMA CALUMNIA.

69 IDem Fagnanus *num.* 336. hanc periodum scribit: [Libet etiam hic referre assertiones periculosas plurimorum recentiorum in materia Theologiæ moralis, quas Parochi Urbis Parisiensis, & Rothomagensis, ut mihi relatum fuit, universo Clero Gallicano, authoritate Superiorum damnandas, proposuerunt, excerptas ex eorum libello supplici oblatn in Novembri 1656. cùm perspicuè D. Thomas sentiat *quodlib.* 3. *art.* 10. *& quodlib.* 8. *art.* 13. opiniones Doctorum minimè impedire, quominus quis reus fiat, dum agit contra legem Dei: contra asserunt hi recentiores, *opinionem aliquam probabilem esse, cùm ab uno solo Doctore gravi sustinetur, & à peccato immunem esse, qui relicta opinione, quam veram credit, & quæ magis tuta, contrariam sequitur minus probabilem, minusque securam*. Pro qua assertione inter alios citat P. Thomam Sanchez *in summ. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7

70 Circà quam calumniam quatuor notanda sunt. Primum, perperam intelligi mentem S. Thomæ: cujus legitimus sensus est, quòd quando dubitatur de probabilitate opinionum, qui aliquam earum sequitur, periculo peccandi se committit. Et ita intellexit D. Thomam Bartholomæus de Medina 1.2. *quæst.* 19 *art.* 6. *dub.* 4. §. *Si quis agat*. Ubi sic ait: [Si quis agat secundùm opinionem, de qua *dubitat, an sit probabilis*, peccatum committit ∴ Hanc conclusionem constituit D. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 13.] Et constat evidenter, hunc esse legitimum sensum S. Thomæ: tum ex eo quòd, cùm S. Thomas tradiderit multas opinione benignas stantes pro libertate, suis ipsius opinionibus bellum indiceret, easque declararet periculosas, si dixisset, opiniones Doctorum non excusare à peccato. Tum ex eo, quod latè scripsi *disp.* 56. *cap.* 8. *& cap* 15. *art.* 7. *& cap* 17. *art.* 4 & passim alibi.

71 Secundum notatione dignum est, falsum esse, quòd P. Thomas Sanchez dixerit, sufficere ad probabilitatem unum solum Doctorem gravem utcumque; sed apposuisse quatuor limitationes, sive exceptiones, sub quibus, & non aliter, sufficit unus Doctor gravis ad probabilitatem; ut ex verbis ipsius Thomæ Sanchez manifestè ostendi *in* 1. *part. Crif. Theolog. disp.* 11. *cap.* 2. per plures articulos, & *cap.* 3. *art.* 3. & præcipuè *cap.* 8. *art.* 1. Ex quo Authore in ea *disput.* 11. latè probavi, unum authorem omni exceptione majorem sufficere ad probabilitatem; non verò unum, neque plures, si non sint omni exceptione majores. Quam doctrinam, ut dixi, didici ab ipso Thoma Sanchez.

72 Tertium notatione dignum est, quod velint numerare inter opiniones periculosas sententiam ab omnibus Theologis receptam, & tam clarè demonstratam, quòd scilicet sequi possimus tuta conscientia quamlibet opinionem probabilem, sive magis, sive minus probabilem. Ideò autem eam damnant, quia non intimè penetrant sensum nostræ doctrinæ. De quo vide suprà *disp.* 55. *& disp.* 56. *cap.* 17. *& in* 1. *part. Crif. Theolog. disput.* 15. Et si quidem nomine opinionis probabilis intelligant opinionem, quam unus author, quicumque ille sit, & quacumque exceptione notatus docet; sic concedam, propositionem esse damnabilem, ut constat ex decretis Alexandri VII. in quo tamen sensu non tradidit P. Thomas Sanchez.

73 Quartum est, falsum esse, quod ultimo loco dicitur, opinionem minus probabilem esse minus securam: nam licèt ea opinio verè probabilis, quæ stat pro libertate, dicatur esse minus tuta materialiter; tamen opiniones verè probabiles formaliter sunt æquè tutæ. Vide *in* 1. *part. Crif. Theolog. disput.* 15. præcipuè *capit.* 4.

OCTAVA CALUMNIA.

74 FAgnanus ibidem inter assertiones periculosas hanc proponit. *Falsum accusatorem, atque adeò testes, & Judicem licere occidere, quando aliter oppressio innocentis impediri nequit*. Citatque P. Thomam Sanchez *lib* 2. *in decalog. cap.* 39. sed clarè cognoscitur, Fagnanum non legisse textum P. Thomæ Sanchez, quando quidem illi attribuit, quæ nullo modo leguntur in textu. Non enim habet verbum aliquod circà occisionem judicis, & testium: sed solùm loquitur de actore, quando *certum est, fore ut actor per fraudem in judicio ipsum* (innocentem) *opprimat, & ejus injustam condemnationem impetret*. In quo casu affirmat, licere innocenti provocare actorem calumniosum ad duellum; quia ea non est aggressio, sed defensio; & est cum moderamine inculpatæ tutelæ, si supponatur, nullam aliam esse viam, qua à morte, vel à gravissima ignominia evadat; quod etiam admittit de occulta occisione talis actoris: quam assertionem authoritate gravium Doctorum, & multis argumentis confirmat.

75 Hanc autem assertionem posteà tradidit noster Archiepiscopus Petrus de Tapia *tom.* 2. *Caten. moral. lib.* 3. *quæst.* 4. *art.* 5. *num.* 2. *&* 3. ubi sic ait: [Tota ergo hujus articuli difficultas est, an aliquando duellum possit amittere suam nefariam formam, & transire in puram defensionem justam? Sit regula generalis. Si acceptare duellum, vel etiam indicere, sit medium unicum necessarium ad defendendam vitam, & fugiendam mortem injustè attentatam, vel infamiam veram similiter vi irrogandam; licitum erit acceptare duellum, vel si opus fuerit, etiam *indicere*. At tunc pura defensio est, non duellum, nisi secundùm apparentiam ∴ & est communis doctrina, ex regula, *vim vi repellere licet, leg. ut vim, ff. de just. & jure, & cap. Si verò* 1. *de sentent. excommun.* ubi cavetur, *leges & omnia jura hoc permittere*.] Et paulò post exprimit casus singulares, in quibus id licet, in hæc verba: [Provocatur quis ad duellum, certò sciens, nisi acceptet illud, provocatorem clam occisurum eum, vel *crimen graviter infamatorium impositurum*, vel uxore alibi commorante fruiturum, seu rapturum; vel segetes, aut alia bona combusturum, aut furaturum. In his itaque eventibus, si non suppetat aliud remedium, poterit acceptare duellum; immò & *indicere*, si opus fuerit. Quia tunc nulla est ex parte istius aggressio, atque adeò nec commissio duelli formalis; sed pura defensio justa, cùm moderamine inculpatæ tutelæ. Sicut occidere hominem, quando est unicum medium effugiendi mortem imminentem injustam, non est homicidium, sed pura defensio] Et quidem id solum est, quod docet P. Thomas Sanchez, & nihil aliud.

76 Animadvertendum est, eam propositionem sub eisdem ferè terminis, quibus eam proponit Fagnanus, damnatam esse ab Alexandro VII. tanquam scandalosam, estque decima octava ex damnatis ab ipso, sub hoc tenore verborum: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia: si alia via non potest innocens damnum evitare.*

77 Sed dubitabit aliquis, an hæc censura Romanæ Cathedræ sit respectu propositionis simul comprehendentis ad interfectionem, falsum accusatorem, & falsos testes, & iniquum judicem; an sit respectu propositionis comprehendentis, vel omnes simul, vel quemlibet divisivè: ita ut damnata maneat propositio, quæ solùm dicit licitum, provocare ad duellum, vel aliter occidere falsum accusatorem, qui inducit falsos testes in judicium, ut innocens ex sententia judicis occidatur, aut gravissimè infametur. Hanc tamen dubitationem non est meum decidere: ad cujus decisionem oportet consulere Romanam Cathedram.

NONA CALUMNIA.

78 IBidem refert Fagnanus hanc assertionem: *Divinatorem teneri ad restituendam rem acceptam pro divinatione, si solùm consulit astra: si dæmonem, non item*. Et pro ea assertione citat P. Thomam Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 30. *num.* 95. Et omittendo, perperam referri eam assertionem, id videtur damnare Fagnanus, quòd dicatur divinator, qui Diaboli arte usus est in commodum alterius, accepto pretio, non teneri pretium restituere. Et generaliter, quòd pretium acceptum pro opere turpi non est obnoxium restitutioni. Sed malè damnat eam sententiam: nam licèt opposita sit communior inter Canonistas, non sic inter Theologos, ad quos magis spectat scientia juris naturalis

79 Est igitur quæstio celebris, An ille, qui pretium accepit pro actione turpi, teneatur illud restituere? In qua quæstione Sotus *lib.* 4. *de Just quæst.* 7. *art* 1. *ad* 2. dixit, si actio turpis sit contra justitiam, pretium restituendum esse; secus si non sit contra justitiam. Sed Doctores utriusque juris teste Covarruvia in regulam *Peccatum*, *part.* 2. §. 2. asserunt communiter, restituendum esse pretium acceptum pro opere pravo, quòd legibus punitur; secus pro illis pravis actionibus, quæ legibus non puniuntur. Et quidem quòd attinet ad pretium meretricis, aut similis actionis turpis, illud non esse restituendum, conveniunt Theologi cum S. Thoma 2.2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. ubi S. Doctor sic habet: *Alio modo aliquis illicitè dat, quia propter rem illicitam dat, licèt ipsa datio non sit illicita, sicut cùm quis dat meretrici propter fornicationem.*

80 Quod attinet autem ad pretium reliquarum actionum turpium audiendus est Lugo Cardinalis *tom.* 1. *de just disp.* 18. *sect* 3. *num.* 54. in hæc verba: [Communis etiam Theologorum sententia est attento jure naturæ, & nisi leges reddant inhabiles ad dandum, vel accipiendum, non debere restitui, facto jam opere criminoso, quod pro eo patrando acceptum est. Ita Navarrus, Sylvester, Antoninus, Petrus Navarra, quos refert, & sequitur Turrianus (*disp.* 14. *dub.* 2.) *num.* 7. Vasquez *tract. de restit.* ubi suprà (*cap.* 7. *dub.* 4.) *num.* 25. Lessius loco citato. Molina *tom.* 1. *tract.* 1 *disput.* 94 & alii communiter. Probari autem potest ex iis, quæ de turpi lucro meretricis dicta sunt; eadem enim est ratio de aliis peccatis: cùm in iis etiam accipiatur pro re aliqua emptori grata, & utili, & ad quam venditor non tenebatur.]

81 Quanto autem pondere authoritatis nitatur hæc sententia, comperies, si legeris doctissimum P. Mathæum de Moya *tom.* 1. *select. tract.* 6. *disput.* 4. *quæst.* 2. ubi quam plurimos Doctores, notatis

eorum

eorum verbis, refert. Et in primis stando in jure naturali non esse restituendum pretium receptum pro opere pravo, etiam contra justitiam, apud ipsum tuentur Petrus de Ledesma *tom. 2. summ. tract. 8. de just. commut. cap. 11. concl. 6* asserens, hanc esse sententiam omnium Thomistarum, citansque pro ea Cajetanum, Sotum, Bañez, Orellanum, Medinam, Peñam. Item Conradus *1. part. respons. quæst. 87.* citans Salonium, Cordubam, Medinam, & Sotum, immò & D. Thomam. Item Sotus *lib. 4. de just. quæst. 7. art. 1. ad 2.* Serra *2. 2. quæst. 62* afferens exemplum de pretio meretricis, quod ponit S. Thomas, ait *idem esse de sicariis*. Cajetanus *2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 2.* loquens de pretio adulterii Ludovicus Lopez *1. part. instructor. cap. 105.* id probans ex mente S. Thomæ. Trullench. in Bullam *lib. 3. cas. 5.* citans D. Thomam, Lessium, & Ludovicum à Cruce. Villalob. *tom. 2. tract. 11. diff. 16. concl. 7. num. 13.* Verricelli *tom. 1. tract. 3. quæst. 1. num. 16.* ubi citat Navarrum, Angles, Petrum Navarra, Valentiam, Rebellum, Toletum, Lessium, Molinam, Laymanum, & Dianam. Item Henriquez *de Pontif. Rom. clave lib. 4. cap. 25. num. 3.*

82 Stando etiam in jure humano positivo communi, quamplurimi Doctores asserunt apud eumdem P. Moya, non esse restituendum pretium acceptum pro opere pravo, etiam contra justitiam. Navarrus *in summ. Hisp. cap. 17. num. 33.* citans S. Antoninum, Monaldum, Angelum, & Sylvestrum. Item Petrus Ledesma *summ. part. 2. tract. 8. de just. cap. 11. concl. 9.* dicens, esse communem sententiam Thomistarum, & præcipuè Orellanam, Serra *2. 2. quæst. 62. art. 5.* Bañez, quem refert, & sequitur Villalob *tom. 2. summ tract. 11. difficult. 16.* citans etiam Navarrum, & Lessium, Ludovicus Lopez *2. part instruct. cap. 106. §. Circà prædictam.* Aravio *in decis. moral. disput. 7. part. 2. num. 4.* citans D. Antoninum, Monaldum, Angelum, Sylvestrum, Navarrum, Bañez, & Vasquium. Item Trullench *in decalog. lib. 7 sect. 3. cap. 9. dub. 6. num. 2* & in Bullam Cruciatæ *lib. 3. casu 2.* Verricelli *tom. 1. quæst. moral. tract. 3. quæst. 1. num. 16.* citans Navarrum, Angelum, Navarram, Valentiam, Rebellum, Toletum, Molinam, & Laymanum. Item Diana *part. 8. tract. 6. resol. 110.* Murcia *in disquis. moral. lib. 2. disp. 2. resol. 21.* Leander à SS. Sacram. *tom 6. in decalog. tract. 5. disp. 4 quæst. 11.* subjungens: [Sic docent D. Thomas, Lessius, Ægidius, Palao, Trullench, & omnes,] Joannes Martinez de Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 17. quæst. 5. num. 36.* citans (ultra relatos) Joannem de Friburgo, Joannem de la Cruz, Covarruviam, Azor, Vasquez, Molina, Bartholomæum à S. Fausto, Bonacinam.

83 Cùm ergo hæc sit communis, & recepta sententia Theologorum; & stando juri naturali ferè quadraginta Theologi, quorum plures sunt magni nominis, censeant pretium acceptum pro opere pravo, etiam contra justitiam, non esse restituendum; & stando juri humano totidem idem censeant; quo jure Fagnanus eam calumniosè refert inter temerarias, & scandalosas? Sanè nullo alio, nisi pruriginis damnandi opiniones verè probabiles Theologorum. Ex quibus constat, pretium datum pro divinatione ei, qui dæmonem consulult, non esse obnoxium restitutioni, atque adeò opinionem P. Thomæ Sanchez esse securissimam in praxi.

DECIMA CALUMNIA.

84 IDem Fagnanus *num. 292.* proponit, referre plura absurda, quæ sequuntur ea doctrina de libera electione opinionis minus probabilis: quæ absurda dicit esse valdè gravia; & quæ eorum authores *audacter negant, illa esse absurda, quamquam reluctante conscientia*. Quæ sunt verba Fagnani.

85 Inter eas absurdas opiniones enumerat Fagnanus *num. 305.* sententiam, quæ asserit, Confessarium teneri sequi opinionem pœnitentis; & peccare mortaliter Confessarium, qui negat absolutionem pœnitenti, quia non vult deserere suam opinionem probabilem. Quam sententiam Fagnanus appellat errorem. Et pro ea refert P. Thomam Sanchez *lib. 1. in decalog. cap. 9 num. 27. & 29.*

86 Sed in cassum cadit conatus Fagnani, dum non solvit argumentum moraliter demonstrativum, quo suam sententiam confirmat Doctor noster. [Non potest negari absolutio ei pœnitenti, qui est benè dispositus; sed pœnitens sequens opinionem probabilem est benè dispositus: ergo pœnitenti sequenti opinionem probabilem non potest denegari absolutio.] Ideò hanc sententiam defendit severissimæ doctrinæ Author Petrus de Tapia *tom 1. Caten. moral. lib. 1. quæst. 8 art. 16.* & est recepta apud omnes Doctores primæ classis. Quas autem limitationes patiatur hæc sententia, vide *in 1. part. Crif. Theolog. disp. 15. cap. 4. art. 11 num. 347.* Et in additionibus ad finem *partis 2. num. 14. & 41.* Vide etiam *disp. 56. cap. 19. art. 7. ad 4.* absurdum.

UNDECIMA CALUMNIA.

87 IDem Fagnanus *num. 329* sic ait: *In conscientia tutum esse illum, qui propositum habet varios Doctores consulendi, donec aliquem juxta desiderium suum respondentem inveniat, Author est idem Sanchez dicto cap. 9. num. 29.* (corrige 29) *licèt hunc in pessimo statu esse, rectiùs affirmat Adrianus* ∴ *Vides ergo per quam latam viam ducuntur pœnitentes à defensoribus probabilitatum*. Hucusque Fagnanus.

88 Sed desiderio perculsus infamandi sententiam de probabilitate, infideliter refert, quod cum magna discretione asseruit Doctor noster. Explicans enim id assertum Adriani, subjungit: [Sed hoc intellige, quando hic non recta veritatis indagandæ intentione, sed inveniendi Doctoris ad libitum respondentis, id efficit. Et similiter, quando huic potiùs, quàm aliis fidem habet, nulla peculiari majoris hujus peritiæ ratione ductus, nec ampliùs investigat, an ea opinio probabilis sit. Secus quando recta investigandi intentione, an ea opinio sibi favens sit probabilis, *animo firmo nil mali efficiendi, sed id solùm, quòd sibi licere invenerit*. Quia unicuique jus est, jus suum protegendi, & ad id rationes quærendi.] Severissimæ doctrinæ author Petrus de Tapia *lib. 1. Caten. moral. quæst. 8. art. 14. nu. 5. & 6.* eisdem ferè verbis sequitur P. Thomam Sanchez; sicut & P. Castropalao *tom. 1. tract 1. disp. 2. punct. 3. num. 6.* Vide etiam P. Matthæum de Moya *tom. 1. select. tract. 1. quæst. 4. num. 17.* & plures authores apud ipsum. Vide etiam, quæ dixi *disp. 56. cap. 19 art. 1. ad 4.*

DUODECIMA CALUMNIA.

89 IDem Fagnanus *num. 331.* sic ait. *Quin immò apud multos receptum videtur, ut probabilitas opinionis non solùm eliciatur ex rationibus, & argumentis congruentibus, sed etiam ex simplici authoritate unius docti, & pii Doctoris*. Pro qua assertione inter alios refert P. Thomam Sanchez *lib. 1. in decalog. cap. 9. num. 7.* Et post pauca subjungit: [Non enim desunt, ut sæpè audivimus, qui dicant: sufficit mihi, ut pro meæ conscientiæ quiete sic doceat talis, vel talis Theologus ex neothericis, quibus magis deferendum esse, quàm antiquis, quorum opiniones possunt esse antiquatæ, confidenter affirmat Thomæ Sanchez *in decalog. tom. 1. dict. cap 9. num. 11.* Quare hæc doctrina probabilitatum videtur fovere veluti quandam libertatem conscientiæ, ac proinde magnopere indigere dextera Dei, & Beatissimi Romani Pontificis provisione, ne venenum jam plus nimio dilatatum ulteriùs serpat.]

90 Sed fallitur egregiè Fagnanus primò, dum existimat, oriri venenum ex doctrina probabilitatum; non enim oritur, nisi ea prava intelligentia illius. Fallitur secundò, dum putat, Doctorem nostrum loqui de opinione uniuscujuslibet docti, & pii; ut ostendi *in 1. part. Crif Theolog. disput. 11. cap. 3. artic. 3. & cap. 8. art. 1.* ubi ea variis testimoniis ejusdem Doctoris nostri ostendi, non sufficere unum, nec plures, nisi sint omni exceptione majores: neque sufficere unum doctum, & pium, si contra ipsum stet aliqua exceptio ex quatuor ibi numeratis. Unde si attente legeretur Doctor noster, non ita vituperaretur à Fagnano.

91 Id, quod dicit *confidenter affirmari* à Thoma Sanchez, infideliter refertur. Nam quod ibi asserit Doctor noster, ita est certum; ut à nemine possit negari. Sic enim scribit in loco relato. [Ut opinio censeatur probabilis, oportet, ut communiter reputetur non continere errorem, & ne sit antiquata. Quippe evenire solet, ut aliqui scribentes non attenderint rationem aliquam, legem, seu decretum vim maximam contra eorum opinionem habere; at neothericos iis convictos jam contrarium asserere: & tunc non debet censeri probabilis antiquorum Doctorum sententia, ut liceat secundùm illam operari.] Et ego peto à Fagnano, quænam ex his propositionibus non sit certa? Numquid censebitur probabilis opinio, quæ communiter creditur continere errorem? Numquid concedetur probabilitas ei, quæ jure meritò est antiquata? Numquid admittetur ad probabilitatem opinio Doctoris antiqui, quæ apertè pugnat contra legem, aut decretum, vel quod denuo statutum fuit, vel quod latuit authorem?

ARTICULUS II.

An P. Suarius ita sit omni exceptione major, ut omnes ejus opiniones securissimè possimus amplecti?

SUMMARIUM.

Commendatio hujus Doctoris? nu. 92. & seq.
Quo jure reprehendat Fagnanus sententiam Suarii, quòd Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis? n. 96.
Quam falsò attribuat Fagnanus Suario, Bullam Sixti V. contra Astrologos, non obligare in foro conscientiæ? n. 98
Quam falsò Fagnanus attribuat Suario opinionem de levitate doloris, & propositi in confessione? n. 103. & seq.
An Fagnanus per injuriam attribuat Suario, quòd non sit præceptum, sed consilium, in dubiis tutiorem partem eligere? n. 108.

92 ILli dumtaxat dubitare poterunt de securitate doctrinæ P. Suarii, qui ejus scripta non legerint: ea enim qua magis legitur, & relegitur à viris doctis, eò magis suam securitatem insinuat mentibus eorum. Ideò non miror, quòd Fagnanus textibus jurisprudentum intentus totus, & nihil in Theologicis versatus, aliquas P Suarii opiniones contempserit. Miror tamen, quòd famam doctrinæ ejus, quæ inter sapientes adeò clamat, ipse non audierit.

93 Diuturnæ esset operæ ex professo describere, quæ viri sapientes, & dignitate præstantes censuerunt de hujus Doctoris sapientia, & quantum doctrinam ejus celebraverint. Postquam Theologiam professus est Pinciis, Romæ, Compluti, Salmanticæ,

ticæ, adeò percrebuit fama doctrinæ ejus, ut Academia Conimbricensis pro beneficio postulaverit à Philippo II. Hispaniarum Rege (cui paulò antè hereditario jure advenerat Regnum Lusitaniæ) ut Suarium ad se mitteret ad primam Theologiæ Cathedram: quod solo Regis imperio potuit ea Academia obtinere. Et ut in hac re brevitati consulam, satis erit, si transcribam aliqua verba ejus encomii, quod scripsit Philippus Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

94 [Simul verò (inquit) atque se explicare cæpit admirabilis viri eruditio, atque doctrina, & in tanto publici splendore plausus, par morum gravitas, atque facilitas, verborum modestia, animi submissio, incredibile dictu est, quantum attraxerit omnium animos, quantumque sui admiratione defixerit. Omnes fateri, id loci, id honoris longè infrà Suarium esse; fama sui multo majorem; felicem Academiam, cui talis, ac tantus Doctor obtigisset. Alii persuadere sibi, infusam ei divinitus sapientiam esse, quem proinde *communem omnium Theologorum*, quà publicè, quà privatim nuncupabant. Conimbricæ annis viginti circiter, post impensos totidem aliis in locis, Theologicam Spartham docendo exornavit tam prospera fama, ut Scriptores hujus ætatis florentissimi, quoties incidit Suarii mentio, numquam sine titulo laudis appellent. *Authorem gravissimum, celeberrimumque Doctorem*, Algarbiorum, & Lamecensis Aotistites; *alterum hujus ætatis* Augustinum Cooimbricensis Episcopus indigitavit. Paulus V. Pontifex maximus, datis ad eum quaternis litteris Apostolicis *Doctorem eximium* vocat, aliosque addit honores verborum, ut satis appareat, quantum illius numini tribuat, & doctrinæ. Eadem de ipso Regum, eadem Principum in Hispania fuit existimatio, multique Conimbricam iter flectebant, ut *Magnum illum* (sic ajebant) *Suarez hujus ætatis prodigium, & oraculum* coram viderent. Fuere, qui *lumen Philosophiæ, ac Theologiæ, qui Theologorum Coryphæum, & Antesignanum, qui hujus sæculi in scholasticis gigantem* dicerent. Nullus certè authorum umquam, quorum quidem opera extant, posteritatem tam numeroso voluminum fætu hactenus locupletavit.]

95 Qui plura desideraverit de celebritate doctrinæ hujus magni Doctoris, legat censuram Universitatis Complutensis, quæ præfixa est tomo opusculorum, & data anno 1599. Item epistolam Cardinalis Burghesii ad Suarium scriptam nomine Pauli V. Pontif. Max. datam die 16. Aprilis ann. 1617. quæ præfixa est *tom. 1.* de gratia. Item censuram Illustriss. Dom. Alphonsi à Castello-branco Episcupi Conimbricensis, datam die 11. Junii anni 1613. ubi inter alia ait: *Quem ego propter eximiam sapientiam tot monumentis approbatam, communem hujus ætatis Magistrum, & Augustinum alterum existimo*. Item censuram Illustriss. Dom. Ferdinandi Martinez Mascareñas Episcopi Algarbiensis datam die 6. Decembris anni 1612. ubi inter alia hoc encomium legitur: *Cùm magna Reipublicæ Christianæ utilitate, quasi ex feraci, fæcundoque solo complura edidit religiosissimus juxta, ac gravissimus Author sui ingenii monumenta, quæ orbis suspicit, miratur, amat*. Item censuram Illustriss. D. Martini Alphonsi à Mello Episcopi Lamecensis datam die 4. Novembris ann. 1612. ubi inter alia encomia eum vocat: *Authorem clarissimum, & Theologum eminentissimum, valentem sapientiæ viribus*. Quas trium Episcoporum censuras invenies præfixas libro, qui inscribitur, *Defensio Fidei*. Quàm addictus fuerit doctrinæ Suarii Sanctiss. D. Alexander VII. comperies in Cardin. Sfortia Paravisino *tom. 1. in* 1.2. Vide etiam Theophilum Raynaud. *tom. 17. cent.* 1. § 32. & sæpè alibi.

PRIMA CALUMNIA.

96 HAnc doctrinæ præstantiam si attendisset Fagnanus, potuisset intelligere, opiniones Suarii, quas vituperat, non esse dignas vituperio, sed approbatione. Sed tamen *num.* 305. damnat eam opinionem, quòd Confessarius peccat mortaliter, negando absolutionem pœnitenti, quia non vult deserere opinionem probabilem, eo quòd Confessarius tenetur sequi pœnitentis opinionem. Pro qua opinione primo loco citat P. Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 32 sect. 5. num. 4.*

97 Constat tamen ex articulo præcedenti calumn. 10. quam non solùm probabilis, sed etiam certa sit, & censeatur à Theologis. Quam sic confirmat P. Suarez citatus. [Ratio est clara ex dictis: quia in eo casu pœnitens integrè confessus est, & est benè dispositus, & nihil agit contra conscientiam, & hoc totum est evidens Confessori: ergo nullum habet jus, nec rationem aliquam, ut illum sine absolutione remittat: *Neque in hoc est ulla difficultas*.] Consultius fuisset Fagnano, argumentum Suarii proximè propositum solvere, aut saltem conari ad solutionem ejus, quàm doctrinam tam evidenti argumento suffultam sine probatione damnare.

SECUNDA CALUMNIA.

98 IDem Fagnanus *num.* 336. inter propositiones temerarias, & scandalosas recenset istam: *Bulla Sixti V. contra Astrologos non obligat in foro conscientiæ, sed in foro externo tantùm*. Subditque eam dici probabilem à P. Suarez apud P. Thomam Sanchez *libr. 1. in Decalog. cap.* 38. *num.* 34.

99 Miror tamen vehementer, quòd Fagnanus, ut damnaret Suarium, non examinaverit attentius ejus sententiam, quæ quidem infidelissimè refertur, neque ut in se est, neque ut refertur à P. Thoma Sanchez. Nam *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 11. num.* 30. sic ait: [Sed in hoc puncto loqui possumus, vel in ordine ad judicium externum, quod in præsumptione sæpè fundatur, vel in ordine ad conscientiam, & ad Deum, qui judicat de culpa actionis, prout in se est.] Scopus autem ejus duplicis quæstionis, cui vult satisfacere Suarius, est in eo casu, in quo Astrologus judiciarius prædicit futura contingentia libera, asseverans, se non statuere illam prædictionem tamquam certam, sed solùm tamquam probabilem, & conjecturalem. Affirmat ergo Suarius, Astrologum sic respondentem puniri debere in foro externo, etiam si explicet, intellexisse suam prædictionem, ut probabilem, Probatque ex verbis Bullæ Sixti V. & deinde addit, talem Astrologum committere gravem culpam, *saltem propter scandalum, & propter speciem mali cum præsumptione juris, & de jure.*

100 Ex quo planè colligitur, quam sine fundamento damnaverit Fagnanus in Suarii opinionem, quam non docuit; & in ea universalitate, in qua Suarius non tractat: non enim instituit eam quæstionem, an Bulla Sixti V. intelligenda sit tantum quo ad forum externum? Sed quæstio ibi tractata est, circà ea verba Bullæ, *etiamsi id se non certò affirmare, asserant, aut protestentur*, &c.

101 Debuisset etiam Fagnanus advertere, P. Thomam Sanchez non retulisse sententiam P. Suarii pro ea universali propositione, quòd Bulla Sixti V. contra Astrologos intelligenda sit pro solo foro externo; sed retulisse sensum Suarii quoad ea præcisè verba Bullæ proximè relata; ut legenti patebit.

TERTIA CALUMNIA.

102 NUm. 336. inter temerarias, & scandalosas adnumerat Fagnanus hanc propositionem: *Curam Confessarii de judicando statu pœnitentis huc demum reduci, si petenti, an doleat de peccatis cum proposito non ampliùs ea perpetrandi, id verbulo affirmet, eique Confessarium credere oportere*. Pro qua propositione refert P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 32. sect. 2. num. 2.*

103 Sed qui versatus fuerit in scriptis P. Suarii, ex ipso modo dicendi cognoscet hanc planè esse imposturam. Neque id illi attribueret Fagnanus, si in ipso Suarii libro ejus doctrinam de hac materia legisset, neque meliùs confutabitur impostura, quàm reproducendo assertionem Suarii, quam scribit eo *num.* 3. citato in hæc verba.

104 [In quo est secundò observandum, hanc dispositionem pœnitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia præteritorum, & proposito in futurum: & quidem quoad displicentiam attinet, facilè potest sibi satisfacere Confessor, quia si pœnitens in ipso modo confessionis, & accusationis suæ præbet signa doloris, vel certè si est homo non valdè rudis, & apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur Confessor adhibere, benè tamen semper faciet proponendo, & consulendo detestationem peccati: & quando non habet sufficientia signa doloris, potest & debet interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solùm communis, & generalis obligatio non peccandi de cœtero. In quo observant Doctores, non debere Confessorem proponere pœnitenti omnes difficultates, quæ in vitandis peccatis occurrere possunt; quia constituet illum in manifesto periculo, non solùm non habendi propositum efficax in futurum, sed etiam denuo peccandi: satis ergo est, ut proposita in genere fœditate peccati, Dei bonitate, & periculo damnationis, &c. pœnitens concipiat generale propositum numquam iterùm peccandi mortaliter: neque oportet, ut Confessor sibi persuadeat, & judicet etiam probabiliter, ita esse futurum, ut pœnitens à peccando abstineat, sed satis est, ut existimet nunc habere tale propositum, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus. Ita docent omnes authores. Et ratio est clara ex iis, quæ dicta sunt suprà in materia de contritione.] Hucusque Suarius in eo *num.* 2.

105 Vide ergo cum quanta specificatione, & discretione tradat doctrinam circà praxim observandam à Confessario: & quam longè distet ab eo *verbulo*, quòd ex vituperandi prurigine adinvenit Fagnanus.

106 Quòd verò Confessarius debeat credere pœnitenti, asserenti contritionem suam, & propositum non peccandi; docuere etiam S. Thomas *quodlib. 1. art. 12. & in 4. dist. 17. quæst. 3. quæstiunc. 5. ad 2.* Turrecremata, *cap. Quem pœnitet. de pœnit. dist. 1.* Armilla *verb. Absolutio, num.* 30. Tabiena *verb. Absolutio, qu. 24. num.* 45. Sancius *in select. disp. 8. num. 1 & disp. 9. num. 7.* Fillincius *tom. 1. tract. 7. num.* 354 Dicastillo *de pœnit. disp. 10. dub. 29 num.* 571. Henriquez *lib. 6. cap. 20. & cap. 26. § 4.* Murcia *in disquisit. lib. 2. disp. 1. resol. 10.* Machado *tom. 2. lib. 7. part. 2. tract. 3. docum. 2.* quos refert, & sequitur P. Moya *tom. 1. select. tract. 3. disp. 7. quæst. 5.*

QUAR-

QUARTA CALUMNIA.

remissivè.

107 D*Isp.56.cap.19.art.*4. objectione 4.proposui, & everti alteram calumniam impositam P. Suario à Fagnano, nempe quòd *in re dubia tutiorem partem eligere non sit præcepti, sed consilii tantùm*. Quam etiam calumniam imponit P. Thomæ Sanchez: & ea ea calumnia multas consequentias infert absurdas. In quo quantam æquivocationem passus fuerit Fagnanus fusiùs proposui loco citato.

ARTICULUS III.

An P. Gabriel Vasquez adnumerandus sit inter Doctores primæ classis, & omni exceptione majores, cujus doctrinam tutò amplecti possimus?

SUMMARIUM.

Commendatio Doctoris? n.109.& seq.

An Gonetus falsò attribuat Vasquio, quòd vix divites teneantur ad eleemosynam? n.113.& seq.

An damnatio Sacræ Congregationis tangat eam opinionem Vasquii? nu. 117.

An Fagnanus perperam referat opinionem Vasquii circà consulta Theologorum? n 120.& seq.

108 DOctrina moralis P. Gabrielis Vasquez tam solidis fundamentis roboratur ab eo authore, & tanta approbatione admissa est ab omnibus bonæ notæ Doctoribus, ut indubitabile sit, ipsum esse numerandum inter Doctores primæ classis, & omni exceptione majores; doctrinamque ejus posse tutissimè deduci ad praxim Et ita Mag. Basilius Poncius de Leon. *lib.4. de matrim. capit. 25.num.9 & lib 5.cap.7 num.* 6. appellat nostrum Vasquium *Theologorum hujus ætatis facilè principem, qui sibi in rebus præsertim moralibus sit unus pro mille.*

109 Antoninus Diana *part.3.tract 5.resol.*79. loquitur eodem ferè modo Ait enim: *Opinionem sapientissimi ætatis nostræ Theologi P. Gabrielis Vasquez*, &c. Et *resol.*80. ait: *Ita docet Vasquez, qui apud me instar omnium est.*

110 Laurentius Beyerlinck in sua Chronographia ad annum 1603 sub titulo *Viri illustres.* de P. Vasquez ait: *Ejus memoria è Theologorum gymnasiis nunquam excidet, ob illustres, & eruditos in S. Thomam Commentarios, qui Doctoris sui nomen ita solidè tuentur, ut alio præcone non indigeant.*

111 Joannes de S. Baptista apud P. Joannem Eusebium Nietembergium in vita S. Ignatii *cap.* 38. vocat nostrum Vasquium *Solem Theologiæ, Magistrum Magistrorum, & Doctorum, hominem admirabilem, Angelum vita, atque intelligentia; Magistrum, Solem, Lucem Theologiæ, qui sine ullius injuria, jure mereatur nomen Doctoris orbis, quemadmodum ætate sua gloriosissimus Chrysostomus*. Vide multa alia elogia emissa à doctissimis viris in Vasquium, in Bibliotheca Scriptorum Societatis, quæ satis indicant, quanto pretio habenda sit doctrina moralis hujus magni Doctoris.

PRIMA OBJECTIO.

112 GOnetus *in dissert. de probabilit. cum num.* 64. proponat exorta esse *horrida probabilitatum monstra in materia morum*; mox inter alias ab ipso censuratas opiniones, *num.*152. refert hanc. *Vix unquam tenetur aliquis ad eleemosynam præcisè ex superfluo status, cùm vix unquam hujusmodi superfluum in sæcularibus, etiam in Regibus, inveniatur. Vasquez opusc. de Eleemosyna.*

113 Ego tamen miror, quòd solùm Vasquium referat pro eo asserto; cùm illud priùs tradiderit Caietanus *in summ. verb. Eleemosyna*, in hæc verba: [Superfluum in tali latitudine consistens judicandum est consideratis sumptibus honorabilibus etiam filiorum, familiæ, status munificentia, magnificentia, communibus eventibus, heredibus, & aliis ejusmodi: *Ita ut rarò videatur contingere, ut homo secundùm statum gloriosè vivens, superfluum habeat.*] Quòd si juxta Cajetanum rarò habent superfluum, rarò tenentur eleemosynam erogare de superfluo.

114 Ideò autem potest videri damnabile id assertum, quia per illud videntur divites excusari ab obligatione erogandi eleemosynam, etiam in gravi necessitate. Advertendum tamen est in sententia P. Vasquii non exonerari divites ab ea obligatione, quia censet, divites teneri ad succurrendum pauperi in gravi necessitate, etiam ex necessariis ad statum. Ita *cap.4 de Eleemosyn.* dixerat: [Graves etiam necessitates status proximorum, & alias graves tenentur Ecclesiastici sublevare, ut minimum de superfluo status, & aliquando *de necessariò*, ut suprà *de sæcularibus* diximus.] Ubi vides, quomodo, secundùm Vasquium, *sæculares* divites tenentur ad eleemosynam in gravibus necessitatibus ex necessariis ad statum, atque adeò non excusari ab eleemosyna ex eo, quòd non habeant superfluum statui. Et *cap.1.num.*16. ait: [Si urgeat gravis morbus, tenetur quis ex *superfluo naturæ suæ*, & subditorum aliis subvenire, quia tenetur defendere proximum à morte, si potest efficaciter, vel *ab amissione salutis*, etiam si ad id opus fuerit substantia rei temporalis, quæ *superfluit naturæ*.] Juxta quam assertionem debent divites succurrere, non solùm ut defendant à morte proximum (quæ est necessitas extrema,) sed etiam ab amissione salutis, quæ est necessitas gravis; idque ex superfluo naturæ, quod quidem est necessarium ad statum. Et paulò inferiùs ait: [Si alicui imminet periculum famæ amittendæ, ... tenetur quis *cum detrimento sui status*, & rei familiaris *superflua* naturæ similem necessitatem propellere, & sublevare.] Itaque in sententia Vasquii verificatur, quòd quando tenentur divites ad eleemosynam, tantùm ex superfluis statui juxta opinionem aliorum, juxta propriam ejus sententiam tenentur ex necessariis ad statum.

115 Verum quidem est, quòd Gonetus nititur in eo asserto (quòd putat esse S. Thomæ) scilicet ex superfluitate divitiarum oriri obligationem gravem eleemosynæ etiam in communibus necessitatibus, & probat ex asserto Evangelico Luc. 11. *Quòd superest, date eleemosynam*. Ea tamen assertio non videtur ita certa, ut propter eam solam opinio Vasquii recensenda sit inter horrida probabilitatum monstra, ut loquitur Gonetus. Nam Mag. Aravio propugnat oppositam sententiam *2.2.quæst.32.art.10.dub.1. concl.*3. inquiens: [Ex sola superfluitate divitiarum, si non adsit necessitas gravis, sive urgens, non oritur obligatio præcepti succurrendi proximo.] Et pro ea citat S. Thomam in ea *quæst.* 32. *art.5 corp.* Item (dum refert secundam sententiam, cui ipse suffragatur.) Medinam, Paludanum, Covarrubiam, Sylvestrum, Angelum, Armillam, & Cordubam. Idem defenduot, ultra relatos, Fernandez, Victorellus, Gaspar Hurtado, Malderus, Petrus à Navarra, Gabriel, Alensis, Abbas, & D. Antoninus, quos refert, & sequitur Diana *part.2.tract.15.resol.*32. Item Molfesius, Sotus, Navarrus, & Toletus, quos refert, & sequitur idem Diana *ibid tract.16.resol* 28.

116 Differt autem Vasquez à Goneto circà intelligentiam ejus textus Evangelici, quòd secundùm Vasquii sententiam, quod superest ex alimentis necessariis ad naturam, dandum est in eleemosynam, scilicet quoties adest necessitas gravis; at juxta Gonetum, quod superest ex necessariis ad statum, dandum est pauperibus, licèt contra communem sententiam doceat id esse obligatorium etiam in communibus necessitatibus.

117 Post hæc scripta incidi in decretum Sacræ Congregationis damnantis sexaginta quinque opiniones; quarum duodecima est hujus tenoris. *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* Ubi inquirendum videtur, an ea damnatio cadat in relatam doctrinam P. Vasquii? Filguera in Lucerna Decretali prop.12. affirmat.

118 Aliquibus tamen videtur non cadere. Primò. Ideò enim, damnari videtur ea propositio, quia exonerat divites sæculares ab eroganda eleemosyna: sed P. Vasquez non exonerat divites sæculares ab eroganda eleemosyna, cùm, dicat eos erogare debere ex necessariis ad statum: ergo ejus opinio videtur non subiacere ei censuræ.

119 Secundò. Nam si hæc censura cadat in eam opinionem Vasquii infertur, quòd ex eo decreto damnata, sive antiquata maneat opinio Mag. Aravio, & reliquorum, quos suprà retuli *nu.* 115. qui dicunt, extra gravem, & extremam necessitatem non teneri divites ad eleemosynam, scilicet in communibus necessitatibus. Inferri verò probatur. Nam si damnata maneret opinio, quæ asserit, [via divites habere superfluum statui, & tamen non exonerari ab obligatione erogandi eleemosynam in extremis, & gravibus necessitatibus;] id esset, quia etiam in communibus tenerentur de superfluis statui.

Confirmatur. Nam si subsistat indemnis sententia communis, quòd extra graves, & extremas necessitates non tenentur divites sub mortali ad opitulandum pauperibus, favorabilior est sententia Vasquii pauperibus, dum docet, succurrendum gravibus necessitatibus etiam ex necessariis ad statum; quàm sententia aliorum docentium solùm teneri ex superfluis statui: ergo si manet damnata, seu antiquata sententia Vasquii pauperibus favorabilior; à fortiori manebit damnata, seu antiquata sententia aliorum minus favorabilis, dum non dixerint, etiam ex superfluis statui opitulandum esse communibus necessitatibus.

120 His non obstantibus omninò abstineo ab hac quæstione: [An sententia Vasquii sic explicata subjaceat censuræ Sacræ Congregationis?] Censeo enim consuli debere Sacram Congregationem pro recta intelligentia hujus materiæ.

SECUNDA OBJECTIO.

121 FAgnanus *ibid. n.*327. sic disserit. [Multi affirmant, in conflictu opinionum probabilium posse virum doctum, relicta opinione, quam probabiliorem credit, juxta probabilem consulere, quando pœnitentem eximit ab obligatione restitutionis, & alia quacumque: secus autem quando ipsum ad quidpiam obligat. Atque ita secundùm hanc Theoricam consultores, & judices animarum sequi non possunt opinionem minùs probabilem, quando illa est strictior, & securior pro salute animæ pœnitentis, sed solùm quando est laxior, & periculosa.] Pro qua opinione refert P. Vasquez *in 1.2. disp.62.cap.9.num.*47.

122 Et

122 Et ut ab extrema periodi parte incipiamus, constat, Fagnanum, sicut & cœteros nostræ sententiæ adversarios, non rectè penetrare sententiam nostram. Asserimus enim, nullam opinionem, quæ practicè probabilis sit, esse periculosam, neq; unam formaliter esse securiorem altera. Et ideò falsum est, quod attribuit Vasquio, quòd dixerit posse consuli opinionem periculosam.

123 Deinde sententia P. Vasquez, quam eo loco citato tradit, est longè diversa in multis; primò, quia ibi non loquitur de opinione magis, vel minus probabili, sed de opinione propria, & aliena; & posse Doctorem consulere juxta opinionem alienam, quam *fsit esse probabilem*.

124 Prætereà falsò imputatur Vasquio, quòd doceat, *Consultores non posse sequi opinionem minus probabilem, quando illa est strictior*. Nam P. Vasquez loco citato sic ait: *Melius tamen est in prabendo consilium, semper sequi opinionem propriam*. Et paulò post subjungit. *Quamvis quisque doctus possit juxta opinionem probabilem alterius Doctoris contra propriam aliquem excusare à peccato: tamen non posse juxta opinionem alterius contra suam aliquem obligare, aut condemnare, vel ad restituendum, vel ad aliquid simile, quoties is, qui ita condemnaretur, aut obligaretur judicio, & consilio talis Doctoris; sola authoritate illius convictus restitueret, aut id faceret; ita tamen, ut si sciret, illam non esse opinionem ejus, id non faceret. Iniquum enim est, ficta authoritate convincere aliquem*. Ubi vides, quàm diversus sit casus ab eo, quem Fagnanus illi attribuit; & qua ratione id solùm tradat P. Vasquez in casu, in quo inveniretur ea esse ficta authoritas.

ARTICULUS IV.

Quid dicendũ de authoritate P. Gregorii de Valentia ad probabilitatem?

SUMMARIUM.

Commendatio Doctoris. nu.124.
Objectio Goneti. nu.125.
Altera objectio Fagnani. nn.130.
Alia objectio eiusdem. nu.131.

125 MAgno plausu, & approbatione virorum sapientum recepta est doctrina P. Gregorii de Valentia à nonaginta circiter annis: cujus magnam sapientiam experti sunt plures hæresiarchæ, quorum furentium impetum primum Dilingæ, deindè Ingolstadii acerrimè compescuit, tum voce, tum scriptis totos viginti quatuor annos. In cujus signum superna providentia factum est, ut dum utero gestaretur matris, hæc sibi visa sit gestare catulum continuò latrantem, sæpiusque affirmavit, se ex utero audire latratum canis. De hoc Doctore magno multa encomia effusa sunt à viris sapientibus. Unum sit pro multis, quod refert Adamus Contzen *lib. 5. politic. cap.* 1. nempe quòd Clemens VIII. Pontifex Maximus Gregorium de Valentia *Doctorem Doctorum* appellavit. Multitudinem scriptorum ejus, & reliquam laudationem videre poteris in Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu.

126 Gonetus in dissertatione de probabilitate *num.*143. hanc Valentiæ attribuit propositionem: *Dare pecuniam, vel aliud quid temporale pro beneficio, ut motivum, quo voluntas collatoris ad illud conferendum inducatur, non est simonia, si non detur ut pretium beneficio æquale*. Pro qua propositione citat P. Valentia *tom.*3. *disp.*6. *qu.*16 *punct.*3.

127 Et in primis P. Valentia non habet eam propositionem, neque meminit pecuniæ, neque beneficii Ecclesiastici, neque collatoris. Sed cùm inquirat ibidem, An sit semper simonia dare aliquid temporale pro spirituali; affirmat duos esse modos, quibus non committitur simonia, dando temporale pro spirituali. Et subdit: *Primus* (modus) *est, quando temporale est duntaxat motivum conferendi, aut efficiendi spirituale, aut è contrario*. Hujus propositionis universalis ponit exempla sic: V. g. *Si aliquis leget Ecclesia fundum cum hac conditione, ut anniversarium sacrum fiat. Ratio est; quia tunc spirituale tantùm est motivum*. Subjungit deinde aliud exemplum his verbis: *Non esse simoniacum usum aliquarum Ecclesiarum, in quibus promittitur aliquod ministerium spirituale* (*ut exequia, Missa, &c.*) *illis, qui hanc, aut illam eleemosynam, aut oblationem contulerint*. Affirmat enim, hæc, & alia, in quibus temporale datur, ut stipendium, non continere labem simoniæ: quia temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum.

128 Deveniens tamen ad Beneficia Ecclesiastica in eodem *punct.* 3. *quæstiunc.*2. in secunda objectione hoc argumentum sibi obiicit: *Accidit etiam pacisci de temporali retribuendo, tametsi non nisi tanquam motivo, aut compensatione gratuita*. Quæ objectio coincidit cum ea, quam opponit Gonetus illi universali propositioni P. Gregorii desumptam ex S. Thoma. Ad quam objectionem respondet P. Valencia sic: *Eiusmodi pacta illegitimè facta damnantur in capitulis citatis* (*cap. final. de pactis*. & aliis) *in illa secunda ratione: juxta ea, quæ paulò inferius trademus circa permutationem beneficiorũ*. Ubi vides, quomodo, quamvis dixerit P. Valencia in generali non esse simoniam *quando tẽporale est dumtaxat motivũ cõferendi, vel efficiendi spirituale;* tamen quando intervenit pactum, seu modus prohibitus circà illud motivum, committitur simonia, juxta mentem hujus Doctoris.

129 Post hæc scripta incidi in decretum Sacræ Congregationis, quo damnantur, & prohibentur sexaginta quinque opiniones morales. Ex quibus quadragesima quinta hæc est. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra*. Attenta autem præfata explicatione P. Valenciæ, & assertione, qua reprobat omnia eiusmodi pacta, quæ damnantur in Sacris Canonibus, damnatio ejus decreti non videtur attingere doctrinam P. Valenciæ sic explicatam. Nam juxta hunc authorem non excusat à peccato ratio motivi, quando pactum, aut modus inveniuntur prohibita ab Ecclesia in Sacris Canonibus; ut constat ex dictis. Quòd si de hoc dubium fuerit, consulatur Romana Cathedra, cui in omnibus judicium meum submitto.

130 Fagnanus *cap. Ne innitaris num.*336. *vers. Quibusdam.* hanc eandem calumniam imponit P. Valenciæ, sed quo jure, constat ex dictis. Imponit etiam id ipsum, quod imposuit P. Suario, quòd *Bulla Sixti V. contra Astrologos non obligat in foro conscientiæ, sed in foro externo tantùm*. Ut constat ex *art.*2. *calum.*1. & ex ibi dictis constat, eam esse meram calumniam.

131 Citat etiam P. Valenciam pro eadem sententia, quam defendit P. Suarez, quòd Confessarius debeat absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem oppositam opinioni Confessarii. Sed ex *art.*2. *calum.*1. constat, quàm immeritò reprehendatur à Fagnano ea sententia.

ARTICULUS V.

Quid dicendum de doctrina morali P. Ludovici de Molina?

SUMMARIUM.

Commendatio Doctoris. nu.132.
Quo jure reprehendat Fagnanus opinionem P. Molinę, quòd liceat occidere invasorem ad defensionem rerum temporalium? n.133. & seq.
An sententia P. Molina sit communissima inter Theologos? n.135. & seq.

132 DOctrina hujus Doctoris diuturna sapientum approbatione à nonaginta circiter annis recepta est, ut nemo dubitet, eum esse computandum inter Doctores primæ classis, & omni exceptione majores. Cujus multa leguntur encomia in plurimis sapientum monumentis. Sylvester Maurolycus *lib. Ocean. Relig.* sic ait. [Ipse verò Molina in Theologia morali tantæ est authoritatis, tantæque æstimationis in tribunalibus, & apud iuristas, ut sine adminiculo, aut copia aliorum authorum, afferat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigiis.] Sed & Laurentius Beyerlinck in Chronograph. anno 1599. sub titulo *Viri Illustres*. sic de illo scribit: [Multiplice rerum scientia præcellens etiam doctissimos suæ ætatis, eam Theologiæ partem, quam majoribus difficultatum scopulis expositam longo usu didicerat, elegantioris doctrinæ lumine penitus illustravit.] Eundem magnis laudibus extollunt PP. Leonardus Lessius, Ioannes Macherentinus, Andreas Eudæmonioannes, Petrus Iarricus, Valentinus Herice, Hieronymus Fasolus, Franciscus Garcia de Valle, & Didacus de Baeza. Vide reliquam ejus commendationem in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

133 Quare non sine admiratione referre possum, quòd Fagnanus *in cit. cap. Ne innitaris. nu.* 335. opinionem P. Molinæ referat inter temerarias, & scandalosas, & sine probatione. Opinionem his terminis proponit: *Clericus, si res ei subreptæ excedant valorem trium, quatuor, aut quinque ducatorum, potest sine peccato, & incursu irregularitatis, occidere furem cum dictis rebus fugientem, catapulta in eum explosa*. Locus autem, quem citat P. Molinæ est in *tom.*3. de Justitia *tract.*2. (*corrige* 3) *disp.*16.

134 Propositio autem P. Molinæ ibidem *nu* 6 hæc est *Quando verò fur cum re aliqua aliena fugeret, ut cum equo, utrùm tunc à longe fas esset illum iaculo interficere ad defensionem rei illius? Couarrubias num.*6. *citato adversùs Sylvestrum id licere negat. Et quidem quando res non esset magni valoris, ut si esset solùm valoris trium, quatuor, aut quinque ducatorum, consentit Sotus art.*8. *citato, & consentiunt alii. Quando verò esset magni valoris, exiguaque esset spes illam postea recuperandi, affirmat Sotus, fas in eo eventu esse, illum interficere. Neque id auderem condemnare, modo prius voce admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficiendum. Semper tamen est consulendum, ne proximus in eo eventu interficiatur*.

135 Et in tota *disp.*16. urgentissimis fundamentis probat, licitum esse defendere res temporales ab injusto aggressore, etiam interficiendo, si alia via non possit recuperare, cum moderamine inculpatę tutelæ, quæ est expressa sententia Cajetani 2. 2. *qu.*64. *art.*7. *ad* 2. consentaneè ad doctrinam, quam ibi tradit D. Thomas; Scoti *lib.* 5. *de Just. qu.*1. *art.*8. Navarri in manual *cap.*15. *n.*2. Iulii Clari *lib.* 5. *sentent.* §. *Homicidium, n.*25. Covarrubiæ *Clement. Si furiosus. part.* 3. §. *unic. n.*6. & probat ex lege *Furem. ff.* ad legem *cornel.* de Sicariis, & glossa, ibi; item ex leg. *Sed & si. ff. ad leg. Aquil.* Probat etiam ex *cap. Olim.* 1. *de rest. spol.* & multis rationibus ex jure naturali desumptis.

136 Ean-

136 Eandem sententiam tuetur Lugo Cardinalis *tom. 1. de just. disp. 10. section. 9* & apud ipsum, præter citatos, Vasquez, & Lessius. Item Diana *part. 5. tract. 4. resol. 17.* & apud ipsum ultra relatos, idem docet P. Tannerus, P. Turrianus, P. Baldellus, P. Azor, P. Valentia, P. Filliucius, item Sylvester, Navarra, Aragon, Bañez, Marchantius, Busseldius, quorum plures affirmant hanc sententiam esse communem.

137 Quòd si lector majus pondus authoritatis desideret pro sententia P. Molinæ, legat P. Moya *tom. 1. select. tract. 6. disp. 3. qu. 2.* vbi transcriptis periodis Authorum, quam plures refert. Hi sunt Sylvester *verb. Excommunicatio. 6. quæst. 9.* citans Ioannem Andream, Ostiensem, & Bartolum. Item Margarita *Confessor. fol. 82* Sotus *lib. 5. de just. qu. 1. art. 8.* Ludovicus Lopez *1. part. instruct. cap. 2.* citans Mercatum, Conradus *1. part. Respons. qu. 75* citans D. Thomam, Cajetanum, Sylvestrum, & Sotum. Zanardus *5. part. de Homicid. à c. 1. § 9.* Paulus de Blanchis de Homicidio *cas. 5. dub. 1. §. Ad secundam.* Ioannes de la Cruz *sum. præcept. 5. art. 5. dub. 6.* citans Sylvestrum, Sotum, Cajetanum, Bañez, & esse communem ex Thoma. Item Villalobos *tom. 2. tract. 12. diff. 51.* citans etiam Aragonium, & Ledesmam, & dicit, hanc esse sententiam *communissimam*. Leander à SS. Sacram. *tom. 5. de Irregular. disp. 13. quæst. 7.* citans (ultra relatos) Reginaldum, Dicastillo, & Rodriquez. Item Franciscus Bonæ Spei in Noctua Belgica. *dub.* 20. *n.* 614. Stubrockius *epist.* 14. *fol.* 208. qui (vltra relatos) citat. S. Antoninum, & Medinam.

138 Et apud P. Moya *cit.* invenies *n.* 15. Doctores, qui eam doctrinam extendunt ad Clericos, & Religiosos. Hi sunt D. Antoninus, Cajetanus, Lessius, Malderus, Sylvius, Diana, Sotus, Petrus Navarra, Barbosa, Leander à SS. Sacram. & Victoria. Et Leander asserit, hanc esse sententiam ferè omnium, qui docent licitum esse occidere furem pro defensione rerum.

139 Sunt ergo pro sententia P. Molinæ quadraginta duo Doctores, & quamplures eorum magni nominis. Quorum agmen claudat P. Suarez de Censuris *disp. 46. sect. 2.* cujus verba digna sunt, quæ hic ad rei evidentiam transcribantur. [Aliquorum opinio fuit, hæc exteriora bona non posse defendi licitè cum interitu ejus, qui violentè vult illa auferre, etiam si omninò amittenda sint: quia charitas obligat ad hæc bona tribuenda pro tuenda vita proximi, vel etiam quia alius non est dominus vitæ, sed solus Deus: ergo non potest quis illam vitam destruere, ut res suas tueatur. Ita sentit Maiolus, & alii infra citandi. Ego verò suppono, servatis debitis circumstantiis, hoc posse esse licitum. Quę est communis sententia Theologorum, & aliorum Doctorum, ut statim patebit. Circunstantiæ autem sunt. Prima ut temporale nocumentum actu, & iniustè inferatur, sitque grave, & dignum tali propulsatione. Deinde, ut sit irreparabile, vel non sine tanta difficultate, & periculo, ut vel ob eam causam possit grave dispendium reputari. Tertia, ut defensio sit moderata, & pura. Quarta, ut sit inevitabile nocumentum proximi, ut defensio habeat effectum. Concurrentibus ergo his conditionibus, nec contra justitiam, nec contra charitatem est, invasori resistere vsque ad occisionem ejus. Quia charitas non obligat ad præponendum vitam proximi propriis temporalibus rebus, nisi quando proximus est in necessitate: at in præsenti casu ille non est in necessitate, sed in iniqua voluntate: & ideò charitas tunc non obligat ad cedendum illi: neque etiam justitia, quia nemini debet vis, aut fraus patrocinari: ergo hic etiam vim vi repellere licet. Detrimentum autem, quod aggressori sequitur, illi potius, quàm se defendenti imputatur.] Quare iterùm admirandum est, quòd Fagnanus tali censura afficiat sententias sapientissimorum virorum solidissimis fundamentis.

ARTICULUS VI.

Quid censendum sit de doctrina P. Leonardi Lessii?

SUMMARIUM.

Commendatio Doctoris. n. 140. & seq.

Quo jure calumnietur Gonetus opinionem Lessii de milite navali iniicientes ignem in pulverem sulphureum? nu. 142. & seq.

Quo jure idem scriptor attribuat Lessio, quòd pauper in gravi necessitate possit furari? nu. 150.

An sit inconsequentia, quòd unus author doceat unam opinionem, & alter oppositam? n. 153.

Quo jure idem damnet opinionem Lessii, quòd non debet restitui acceptum pro causa injusta? n. 156. & seq.

An Fagnanus per calumniam damnet opinionem Lessii, quòd liceat occidere eum, qui colaphum impegerit? n. 159 & seq.

Quo jure damnet Lessium asserentem posse occidi, qui bona nostra pretiosa eripit, etiam fugientem? n. 162. remissivè.

140 SI meo judicio hæc res decidenda esset, affirmarem ferè nullam doctrinam moralem veriorem, & securiorem esse præ hujus Doctoris sententiis, inter Theologos qui à trecentis annis scripserunt. Nam ita solidè, & rationabiliter discurrit, ut in omnibus videatur ferè moralem evidentiam facere. Notanda sunt verba, quæ de eo leguntur in Bibliotheca Scriptorum Societatis. [Erat illi par ingenium, fœcundum pectus, memoria ad admirationem prompta; ut de quavis proposita materia ex tempore dissereret aptissime. Fuit illi cum Francisco Suario, Gabriele Vasquez, Ludovico Molina, aliisque hujus notæ viris communicatio litterarum, qui ejus in gravissimis quoque scientiarum negotiis judicium exquirebant.] Hæc in prædicta Bibliotheca. Quæ quantam afferant commendationem doctrinæ Lessii, perpendat lector.

141 Stephanus Ennonerius in splendore veritatis, in aditu ad disputationem, de P. Leonardo sic ait: [Ejus mititas, & suavitas morum singularis; summa, quæ in eo ubique se prodit, scriptionis, & in difficultatibus quantumcumque implexis, ac, sive rerum obscuritate, sive Doctorum, ut fit, obscuratione, tenebricosis, limpiditas, & pelluciditas singulari; diffusa rebus, & succi plenissima, verbis substricta tractandi ratio, delectus sententiarum, solidæque ubique doctrinæ cura insignis, in penetrando, ac perspiciendo difficultatis nodo acumen, & in dissolvendo dexteritas, perpetua, & nunquam desiderata ejus fides in referendis, ac proponendis adversariorum sententiis, modestiaque tanto viro digna in illis refellendis. Hoc enim, qua erat, & intellectus luce, & voluntatis compositione, semper retinuit, ut adversariorum sententias summa fide referret, parique modestia, & lenitate reiiceret. Et verò via intra paucos annos prælum frequenti alterius ullius operis Theologici editione toties caluit, non exiguo argumento adamatæ à doctis Lessii doctrinæ, eo ingenio, perspicuitate, ac modestia traditæ.]

PRIMA OBJECTIO.

142 IGitur Gonetus in dissertatione de probabilitate *art. 3. nu.* 103. attribuit P. Lessio hanc propositionem: *Milites navales licitè possunt ignem iniicere in pulverem sulphureum, ne navis in hostium potestatem integra deveniat, vel ne hostes fiant animosiores ex parta victoria.* Subditque Gonetus: *Eam tamen cæteri Theologi reprobant cum Angelico Doctore 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 3.* & deinde affert textum S. Thomæ, in quo asserit, nunquam licere alicui, ut sibi mortem inferat. Secundò producit textum S. Augustini asserentis, Sansonem excusari à peccato, quòd se ipsum cum hostibus oppresserit, ex eo quòd habuerit internè iussionem Dei. Tertio affert alios textus S. Augustini, Lactantii, Isidori Pelusiotæ, Aristotelis, & Senecæ asserentium, nemini licere inferre sibi mortem propter miserias alias fugiendas.

143 Pro cujus calumniæ satisfactione operæ pretium est periodum P. Lessii per suos formales terminos proponere, quam invenies *lib. 2. de Justitia cap. 9. dub. 6. n.* 34 [Hoc modo excusari possunt nostri milites, & socii navales, qui sæpè fortissimè cum hæreticis prælio navali dimicantes, cùm jam vident, navem in potestatem hostium venturam, communi consensu ignem pulveri iniiciunt, *& se mari committunt*, ne ipsi, & navis veniant in hostium potestatem. *Non enim intendunt sui interitum*, sed ne hostis navis cum publico damno potiatur, ut *se ipsi* (si qua ratione possint) *morti certissimæ* ab hoste inferendæ eripiant. Si enim quis potest desilire in mare, ut salvet amicum, cur non ut evadat hostis crudelitatem?]

144 Ubi vides, quomodo omiserit Gonetus eos formales terminos opinionis, qui satisfaciunt ejus objectioni. Primò enim ait Lessius iis verbis, *non enim intendunt sui interitum*, quòd milites navales, si fortè moriuntur in mari, sibi inferunt mortem, non ex intentione, sed præter intentionem. Deinde illis verbis, *ut se ipsi, si qua ratione possint, morti certissimæ ab hoste inferendæ eripiant*; significat, illos milites se committere morti dubiæ cum aliqua spe vitę, ut à morte certissima se eripiant.

145 Itaque juxta opinionem P. Lessii tunc licet militibus ignem navi admovere, & se mari committere, quando mors certissima ab hostibus imminet, & non adeò certa à mari: in quibus circumstantiis asserit licere. Quod si in mari mortem inveniant, id esse præter intentionem: neque tunc milites mortem sibi intulisse; sed ex majoris mali timore periculo mortis minori se obiecisse.

146 Hinc patet, non esse ad rem textum, quem affert Gonetus ex S. Thoma. Nam juxta Lessium, verum est, quod ait S. Thomas, nemini licere se occidere ad fugiendas alias vitæ molestias; cum hoc tamen stat, licere periculo dubiæ mortis se committere, ut certissimam mortem effugiant. Quod confirmat exemplo Eleazari, qui suppositus Elephanti illum occidit, occisus & ipse ab Elephante, cujus egregium facinus laudat S. Ambrosius *lib. 1.* Officiorum *cap.* 40. Ex eadem responsione solvuntur ea, quæ obiicit ex cœteris Patribus, & Philosophis.

147 Ad exemplum Sansonis, quod affert Gonetus, (licèt aliter respondeat Lessius, & quidem probabiliter) responderi potest ad mentem S. Augustini, desumptaque responsione ex ipso conceptu Lessii, Sansonem peccaturum, si non haberet jussionem Dei, eo quòd cùm everteret domum, id non faceret ex intentione eripiendi se à morte certissima. Itaque disparitas intercedit inter Sansonem, & militem navalem, quòd iste ut à morte certissima se eripiat, committit se minori periculo mortis: quod non invenitur in facinore Sansonis.

148 Quod autem dicit Gonetus; cœteros Theologos oppositam sententiam tenere, falsum est. Nam sententiam Lessii tuentur Sylvius 2. 2. *qu. 64. art. 5. ad 4.* Malderus 2. 2. *tract. 2. cap. 5. dub. 59.* Petrus Marchantius in tribunali, & alter Marchantius in *resol. pastor.*

pastor. ad decalog. cap. 5. quæst. 8. cas. 4. quos refert Caramuel in *Theologia præterintention. præcept.* 5. *cas.* 6. *num.* 2418. idem etiam asserit Ludovicus Lopez 1. *part. cap.* 65. & Doctor quidam Lovaniensis cum approbatione facultatis Theologiæ Lovaniensis, ut refert Caramuel citatus, qui satis ingeniosum discursum quolibet sapiente lectore dignum ibi efformat: & licet quæstionem non dirimat, utramque ejus partem affirmat esse probabilem.

149 Eamdem sententiam defendit egregiè Lugo Cardinalis *tom.* 3. *de just. disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 51. docent etiam Diana 5 *part. tract.* 4. *resol.* 26. *& part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 36. Serra a. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *fine.* Vvigers de just. *tract.* 2. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 100. Joannes Martinez de Prado *tom.* 2. *Theolog. moral. cap.* 20. *quæst.* 2. §. 3. *num.* 30. *citant* (ultra relatos) Fagundez, Bonacina, & Trullench. Item Acacius de Velasco *tom.* 2. *resol. moral. verbo Homicidium, resol.* 37. *num.* 3. favet etiam Cajetanus *in cap.* 16. Judicum, quatenus asserit, Sansonem licitè potuisse opprimere inimicos, etiam cum periculo propriæ vitæ; idque independenter à jussione Dei. Et eodem modo favent Lyra 2. Machabæorum *cap.* 14. *& Victoria in relect. de homicidio ad ultimum argumentum*, dum in simili excusant Raziam, sumpto fundamento ex verbis Scripturæ. Cùm ergo septemdecim Theologi hanc sententiam defendant; quo jure Gonetus asserit, eam à cæteris Theologis reprobari? Quare dissertè dixit P. Moya, aliquos facilè censurare opiniones aliorum *ob inopiam librorum*.

SECUNDA OBJECTIO.

150 IDem Gonetus *in dissert. de probabilitate artic.* 3. *num.* 157. sic ait: [Non est etiam prætermittendum, novellos probabilitatum patronos, dum ex una parte student placere divitibus, eos exonerando à præcepto largiendi de superfluo bonorum pauperibus; ex alia plurimùm ipsis nocere, eosque furtis, ac direptionibus pauperum exponere, dum docent, pauperibus permissum esse furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi, ut videri potest apud Lessium *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 12. . Unde dum illi volunt placere divitibus, fiunt inhumani erga pauperes; & dum volunt favere pauperibus, fiunt injusti erga divites; simulque ea eodem ore calidum, & frigidum efflant; atque, ut ait Sinnichius, pauperibus *una manu panem, altera lapidem ostentant*.]

151 In qua periodo, multa notanda veniunt. Primum, quòd attribuat Lessio eam opinionem, quòd pauperibus liceat furari; quia furari numquam est licitum; neque quid tale asseruit Lessius.

152 Secundum est, quod supra notavi *art.* 3. in 1. calumnia objecta in P. Vasquez, in quem solum expressium illam conjicit Gonetus; præfatum authorem neque studere placere divitibus, neque eos exonerare ab obligatione succurrendi gravibus necessitatibus pauperum, eo quòd asserit, illis subveniendum esse non solùm ex superfluis status, sed etiam ex superfluis naturæ.

153 Tertium, & illud quidem lepidum est, quod subjungit Gonetus de repugnantia doctrinæ, eo quòd P. Vasquez dicat (si fides habenda est falsæ calumniæ) divites non teneri ad subveniendum graviter indigentibus; & P. Lessius dicat, posse pauperem in urgenti necessitate constitutum subripere à divite, quantum requirit sua instans indigentia.

154 Ego enim nunquam vidi, argui de inconsequentia Doctores, quia unus hanc, & alter oppositam, aut incompossibilem sententiam doceant: nisi velis de inconsequentia doctrinæ arguere S. Thomam, & Scotum, quia ille hanc, iste verò oppositam sententiam tueatur. Quare si alius author panem, alius vero lapidem ostendit: perperam dicitur, quòd unus & idem una manu panem, altera lapidem ostendit.

TERTIA OBJECTIO.

155 FAgnanus *num.* 336. inter opiniones periculosas constituit hanc, *Neminem teneri aut jure natura, aut legibus, restituere acceptum pro ferenda sententia injusta, aut assassinata committendo, vel adulterio; verùm licitè illud retinere*. Et citat P. Lessium de Just. *cap.* 19. *(corrige cap.* 14.*) dub* 8. *num.* 52.

156 Hæc tamen sententia P. Lessii immeritò damnatur à Fagnano. Nam quòd attinet ad assassinatum, & adulterium constat ea dictis art. 1. circà undecimam calumniam conjectam in P. Thomam Sanchez, non debere restitui pretium acceptum pro opere pravo etiam injusto, & hanc esse communem sententiam Theologorum. Quod verò attinet ad pretium, quod accepit Judex pro iniqua sententia ferenda, magis videtur dubium propter leges, quæ videntur annullare eam pretii receptionem. Et licèt in regnis, & provinciis sint multæ leges municipales annullantes omnem munerum acceptionem in judicibus; juxta quas judices non possunt retinere prædicta munera utpote redditi incapaces dominii eorum; huic tamen assertioni sic propositæ non refragatur Lessius. Solùm enim loquitur de prohibitione facta in legibus Cæsareis, quas cum magno fundamento explicat de sola prohibitione rescindente obligationem civilem, non naturalem. Quod affirmat nixus authoritate S. Antonini, Angeli, Sylvestri, Navarri, & aliorum, immò *& ex lege* 3. *&* 8. ff. de condictione ob turpem causam, *& ex leg.* 2. *&* 5. *C. eod. tit.* Pro qua sententia stant fere quadraginta Doctores, qui, ut ex P. Moya retuli *art.* 1. *in calumn.* 11. defendunt, stando in jure humano non debere restitui, ante sententiam Judicis, pretium acceptum pro assassinatu, aut pro iniqua sententia ferenda, eo quòd leges communes non reddunt Judicem, aut assassinum incapaces dominii. Audiendus est Ludovicus Lopez citatus apud eumdem P. Moya. [Neque homicida, aut Judex ferens iniquam sententiam, quorum primus aliquid accipit pro obligatione occidendi, & secundus pro iniqua pronuncianda sententia, pro his accepti pretii dominio privantur: quia homicida potuit vendere actionem suam, laborem, & periculum ad occidendum, quamvis injusta fuerit promissio occidendi; & ille Judex iniquus, ferendo iniquam sententiam, nullam injuriam facit danti pro ea pretium.] Et Mag. Aravio ibid. cit. ait: [Asserimus cum his authoribus, recipientem mercedem ob maleficium, neque jure naturali, neque jure aliquo humano teneri ante Judicis sententiam ad restitutionem, si promissum maleficium implevit.] Et ponit exempla ibidem sic: [Quod accipit Judex ob ferendam sententiam iniquam, & quod accipit testis ob ferendum falsum testimonium, & quod accipit Tabellio ob falsam scripturam.] Et eodem modo reliqui authores exprimunt iniquam sententiam, & assassinatum.

157 Quare P. Moya eam quæstionem secundam concludit *nu.* 20. in hæc verba: [Hæc dixisse sufficiat, ad pœnam libri, opinionem Lessii sugillantis: & ut lectoribus innotescat, qua scientia, qua prudentia, qua eruditione pollere debeat, qui alienas opiniones censurare tentat.]

QUARTA OBJECTIO.

158 IDem Fagnanus citat P. Lessium de Justitia *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 79. pro ea opinione, quæ asserit; *Licitum esse sauciare, ac interimere eum, qui colaphum impegerit, tametsi aufugiat*. Et cùm citet Fagnanus alios authores, ait id esse licitum juxta quosdam speculativè; & juxta alios etiam practicè: nec tamen distinxit eam diversitatem dicendi, ut Lessium, & reliquos pariter damnaret.

159 Sciendum tamen est, P. Lessium solùm admittere eam opinionem, ut speculativè probabilem: nam *num.* 80. asserit, eam non esse in praxi admittendam. Ratio autem, ob quam admissam in speculatione, eam non admittit in praxi, est, quia in praxi superadduntur circunstantiæ, quæ illam actionem reddunt illicitam, quod ibi optimè probat.

160 Quomodo ergo Fagnanus constituit inter opiniones periculosas hanc opinionem Lessii, quæ non respicit praxim? Implicat enim manifestam contradictionem, opinionem esse periculosam, quæ praxim non respicit. Etenim illa opinio est periculosa, quæ affert periculum peccandi: sed opinio, quæ docet aliquid esse licitum in speculatione, & non esse licitum in praxi propter novas circunstantias, quæ afferuntur in praxi, nullum potest afferre periculum peccandi; cùm doceat, id non posse practicari: ergo ea opinio non potest esse periculosa.

QUINTA OBJECTIO.

161 FAgnanus *eod. num.* 336. obiicit P. Lessio hanc propositionem: *Posse occidi, qui bona nostra eripit etiam fugientem, dummodo pretiosam quid auferat*. Et citat Lessium *cap.* 9. *dub.* 11. *nu.* 66. Sed de securitate hujus doctrinæ nihil superaddendum restat, ultra ea, quæ diximus supra *art.* 5. ubi quadraginta duo Doctores pro ea allegati sunt, quorum plerique sunt magni nominis, & sapientiæ.

CAPUT VII.

Quid censendum de doctrina P. Joannis Azor?

SUMMARIUM.

Quanta securitate polleat doctrina P. Azor. n. 163.

Quo jure Fagnanus damnet per calumniam opinionem P. Azor, quasi dixerit, licere Medico propinare pharmacum probabilius nociturum? n. 164. remissivè.

Quàm injustè damnet Fagnanus sententiam P. Azor, posse quem occidi, ut ejus impediatur alapa? nu. 165.

Et an hæc sit communis doctrina Theologorum? nn. 169. & seq.

An per calumniam attribuat Fagnanus eidem authori, quòd populus non peccat, dum sine justa causa non acceptat legem? n. 174.

162 DOctrina hujus scriptoris magna sapientium virorum approbatione recepta est ab anno salutis 1600. in quo lucem vidit præclarum opus institutionum moralium. Cujus opiniones utpote cum ingenti judicii maturitate discussæ, non sine veneratione ab authoribus citantur.

CALUMNIA PRIMA.

163 FAgnanus *num.* 293. ut retuli *disp.* 56. *cap.* 19. *artic.* 7. attribuit P. Azor enormissimam calumniam, quòd videlicet

liceat Medico propinare pharmacum probabilius nociturum, cùm adsit pharmacum probabilius profuturum. Sed ex dictis loco citato evidenter constat, quòd Fagnanus non penetraverit mentem P. Azor, qui aliam assertionem longuli[illegible] diversam docuit. Quam repetere superfluum duxi, quia relegere poteris loco citato.

CALUMNIA SECUNDA.

165 IDem Fagnanus *num.* 336. hanc assertionem statuit inter periculosas. *Posse quempiam occidi, ut ejus impediatur alapa, aut percussio fustis*. Pro qua primo loco citat Azorium institutionum moral. *part* 3. *lib.* 2. *pag.* 105.

166 Quam opinionem tradit P. Azor in eo loco *qu.* 16. *his verbis: Opinio secunda est asserentium, id esse licitum, nimirum quando alapa, vel verbere, vel fuste percussus esset valde homini percusso dedecorosum. Ita Sotus, Covarrubias, Navarrus, locis supra citatis. Certè hoc videtur probabile, cùm alio modo suum honorem defendere non potest*.

167 Ego sanè desistere ab admiratione non possum, cùm video, ea esse hominum judicia, ut probabilitatem certam, & indubitatam expellere velint à terminis securæ doctrinæ, & inter opiniones periculosas constituere. Duas conditiones postulat P. Azor, ut ea defensio licita sit, etiam cum occisione invasoris.

168 Prima, ut ictus alapæ, vel fustis sit ignominiosus. Secunda, ut nullo alio modo sit evitabilis, nisi occisione invasoris. Et sub his duabus conditionibus communis Theologorum sententia docet, licitam esse eam defensionem.

169 Ita P. Vasquez *opusc. de restit. cap.* 2. §. 1. *dub.* 9. *num.* 34. ubi sic ait: [Omnes fatentur, quòd licitum est, invasorem, qui *fuste*, *aut alapa* minatur nobis malum contra honorem, occidere, si alius non sit sufficiens modus defensionis, qui adhuc invasor est, & aggreditur honorem proprium auferre: qui jure optimo plus pecunia æstimatur . . . & ex consequenti asseruot Sylvester *Homicidium*. 1. *qu.* 2. *par.* 5 & *Bellam.* 2. *q.* 3.

170 Sotus, Navarrus, Gomez, & Mercado ubi supra, quòd licet invasorem occidere, qui intendit me occidere, aut *malum inferre*, etiam si fugere possim, si dedecori mihi vertatur, neque video authores oppositum sentire.] Ubi loquitur de sæcularibus, non autem de Clericis, & Religiosis.

171 Idem docet Lugo Cardinalis *tom* 1. *de Just. disp.* 10. *sect.* 10 *nu.* 187 ubi ait: [Communiter tamen Doctores omnes id concedunt, ut testatur Vasquez, qui eos refert dicto *cap.* 2. §. 1. *dub.* 9 *Lessius cap.* 9. *dubitat.* 12. & *alii passim*: Si enim pro defensione facultatum id licet, magis licebit pro defensione honoris, qui multò pluris æstimatur ab hominibus, quàm pecunia.]

172 Idem docet P. Lessius de Just. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 77. & apud ipsum Sotus, Navarrus, Sylvester, Ludovicus Lopez, Antonius Gomez, Julius Clarus. Item Diana *par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 4. & apud ipsum, ultra relatos, Villalobos *tom.* 2. *tract.* 12. *difficult.* 10. *num.* 5. Hurtado de Mendoza 2. 2. *disput.* 170. *sect.* 16. §. 137. Marchantius, Philippus Faber, Filliucius, Becanus, Molfesius, Angelus Vantius.

173 Quòd si plusquam quadraginta Doctores, quorum plerique sunt magni nominis, quos citavi *artic.* 5. docent, posse quem defendere res suas, etiam cum occisione furis, modo ibi explicato; quanto majori jure, & urgentiori ratione censebunt, posse similiter defendere honorem, dummodo sit pura defensio?

CALUMNIA TERTIA.

174 IDem Fagnanus *ibidem num.* 335 attribuit P. Azorio *par.* 1. *institut. moral. lib.* 5. *cap.* 4 *quæst.* 1. hanc assertionem *Ut leges etiam Pontificiæ obligent, requiritur consensus, & acceptatio populi, qui propterea non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem*. Sed fallitur manifestè Fagnanus. Nam P. Azor loco citato solùm affirmat id, quod communiter asserunt Doctores, nempe leges, quæ usu non recipiuntur, non obligant, quia ea conditione feruntur, ut obligent, si usu recipiantur. Quòd autem populus sine causa possit reiicere legem, nullatenus asseruit P. Azor, neque in tota ea quæstione id invenitur assertum.

SYNOPSIS HUJUS CAPITIS.

175 MUlti alii sunt Scriptores nostræ Societatis, in quos probabilioristæ supra relati censuras fulminant, eorumque opiniones damnant. Quos tamen in præsenti defendere non vacat. Tum quia multi eorum libri non pervenerunt ad manus meas, tum etiam quia in hoc capite dumtaxat fuit animus antiquiores nostræ Societatis Theologos à calumniis vindicare: qui quidem quia ab octoginta, vel nonaginta circiter annis habent communem sapientum approbationem, & plausum; eorum opiniones sunt jam magnæ authoritatis. Nam ut optimè dixit Illustriss. Tapia supra citatus; *Longi temporis comprobatio assimilatur consuetudini, & traditioni, quæ in moralibus est magni ponderis probatio*. Maximè cum hi septem Doctores ii sint, quos frequentius lego, & relego.

176 Sed quamvis Martinus Navarrus non sit ex nostræ Societatis authoribus, placuit etiam illum à calumniis vindicare, tum quia acerbè fero, quòd vir doctissimus à probabilioristis per calumniam parvi fiat. Tum præcipuè, quia cùm omnes Doctores nostri supra vindicati semper approbaverint sapientiam, & doctrinam Navarri, hujus Doctoris vindicatio respicit etiam illorum vindicias.

ARTICULUS VIII.

An Martinus Navarrus sit omni exceptione major; cujus opiniones tutò sequi possimus?

SUMMARIUM.

Commendatio Doctoris. nu. 177.
An per calumniam attribuatur Navarro, quòd liceat sine justa causa restitutionem differre. n. 178. & seq.
An possit differri restitutio ex voluntate præsumpta creditoris. n. 180.
Quomodo intelligatur, quòd gratulandum sit huic sæculo de antidoto probabilitatis. n. 181.

177 MArtinum Navarrum fuisse virum doctissimum, habereque approbationem omnium sapientum ab annis plusquam centum, nemo est qui ignoret. De cujus doctrinæ præstantia testimonium perhibent insignes Doctores; ejusque resolutiones apud tribunalia magni fiunt. Ideo tutò operatur, qui ejus opiniones ad praxim deducit; nisi fortè aliqua novo aliquo jure sit antiquata.

178 Prosper Fagnanus *in cap. Ne innitaris. de constitutionib. num.* 14. attribuit Navarro absurdam opinionem, quam sub hac exclamatoria proponit. [Ex quibus vides, quàm largè propalata sit hæc doctrina probabilitatum in perniciem animarum. Et nihilominus illius defensores passim conclamant, eam esse valde utilem, ac proficuam Christianæ Reipublicæ, & quasi antidotum saluberrimum conscientiis Fidelium curandis: audivimus enim nonnullos Theologos affirmare, gratulandum esse huic sæculo, quod inventa sit via medendi morbis animarum, longe uberiori, ac feliciori ratione, quàm medeatur corporibus medicina naturalis: quandoquidem medicus corporis si ægroto egenti remediis calidis applicat frigida, vel è converso, non minuit vim morbi, sed auget: at non sic in medico spirituali animarum, qui potest applicare contraria remedia probabilium opinionum, quæ omnia sunt profutura. En tibi exempla. Tenetur pœnitens restituere aureos centum: Confessor suadet, ut statim integrè restituat; neque enim est capax absolutionis, qui cùm possit totum restituere, sine justa causa vult differre, aut facere restitutionem per partes. . . At pœnitens via ad hanc restitutionem inducitur. Quare medicus spiritualis applicat illi contrarium remedium opinionis probabilis, dicens, posse eum differre, aut per partes restituere, ut interea aliquid inde emolumenti sibi percipiat, si Dominus nolit dilationem parum sibi noxiam concedere. Quod tenet Navarrus in manuali *cap* 17. *num.* 63.] corrige 65. Hucusque Fagnanus. In quo maximè notanda sunt ea verba, *sine justa causa vult differre*. Eamdem expostulationem, & sub eodem modo eam proponendi, instaurat Gonetus in dissert. de Probabilit. *num.* 10. quamvis suppresso nomine Navarri.

179 Sanè si verum esset, quòd Navarrus eam docuisset opinionem, qualiter proponit Fagnanus, non modicum afferret præjudicium authoritati tam magni Doctoris. Et mirandum est, quòd Fagnanus, qui tanta eruditione pollet, tam parum fideliter referat opinionem Navarri, quæ est longè diversa. *Nam eo num* 65. sic ait. [Infertur nonò, quòd Confessarius non potest pœnitenti dilationem concedere, quando certò scit, eum solvere posse, *nisi concurrat aliqua causa* prædictarum supra eodem *num.* 62. & *seqq* quæ ad statim restituendo *excusat*. Quibus adnumerarem casum, in quo videret Confessarius, debitorem nolle se resolvere ad totum debitum statim restituendum, ob aliquod emolumentum inde sibi proveniens, & creditorem nolle concedere dilationem parum sibi nocuam, & nunquam, aut non tam citò, nec tam utiliter, atque dilationem concedendo, suum recuperaturum; & ea concessa debitor suam fidem obstringit, se ad certum tempus soluturum. His enim concurrentibus, Confessarius dilationem, & absolutionem concedere posset, juxta mentem Angeli in verbo *Restitutio. ultim.* §. 5. post directorium: tunc enim Confessarius verisimiliter credere potest, quòd creditor illo contentus foret, si sciret, ut ipse, secretum intimum conscientiæ debitoris.]

180 Ubi vides, quomodo Navarrus non dicat, quòd potest debitor differre solutionem sine justa causa. Præterea eum modum dilationis solvendi reducit Navarrus ad voluntatem creditoris præsumptam cum magno fundamento, propter illud magnum commodum ipsius creditoris. Et cùm apud omnes certum sit volenti non fieri injuriam; & hæc dilatio solutionis sit juxta voluntatem creditoris, manifestum fit, nullam creditori injuriam irrogari in eo casu.

181 Circà id vero, de quo conqueritur Fagnanus, quod audivit à nonnullis Theologis, gratulandum esse huic sæculo de antidoto probabilitatis; si id cum grano salis, ut dicitur, id est cum maturo judicio accipiatur, verum est: nempe si opiniones probabiles contrariæ verè sint practicè probabiles. Si verò id dicatur de opinionibus cujuslibet authoris, etiam si is non sit probatæ authorita-

thoritatis, & omni exceptione major, aut de opinione rationibus frivolis, aut sophisticis innixa; sic falsum est, quòd gratulandum sit huic sæculo; immò potius dolendum, quòd res probabilitatis practicæ non percipiatur ab omnibus cum ea, qua oportet, maturitate judicii.

DISPUTATIO LVIII.

An inter viros doctos possit esse dubium de probabilitate opinionis stantis pro libertate; & ex quibus capitibus oriatur; & an id sit dubium practicum?

CAPUT I.

Deciditur prima pars quæstionis.

SUMMARIUM.

Quantum intersit hujus quæstionis resolutio? n. 2.
Posse viros doctos dubitare de probabilitate opinionis stantis pro libertate? nu. 3.
An S. Thomas stet pro hac assertione? Et item Medina? ibid.
Probatio ab experientia? n. 4.
Alia probatio à censura Alexandri VII. n. 5.

1 DIxi in titulo, *Opinionis stantis pro libertate*: quia de utraque parte contradictionis, sive de utriusque probabilitate (in quæstione ad praxim spectante) non posse dubium diù durare inter viros doctos, constabit ex infra dicendis.

2 Et quamvis Authores non versaverint hanc quæstionem expressis terminis; est tamen valde necessarium, eam diligenter examinare, pro statu præsentis controversiæ de probabilitate. Ex ea enim maximè dependet scire & examinare, an omnes opiniones, quæ reperiuntur in libris Summistarum, & Compilatorum admittendæ sint ad probabilitatem; nec ne; vel de aliquibus sit dubium, & illud quidem practicum?

3 Assero ergo, inter viros doctos esse posse dubitationem de probabilitate opinionum stantium pro libertate. Pro hac assertione existimo esse S. Thomam *quodlib. 8. artic.* 13. dum loquitur de ea assertione, [An liceat habere plures præbendas?] & de eo casu, in quo quis *in quamdam dubitationem inducitur ex varietate opinionum*. Quia quamvis multi viri docti censebant, id licere; tamen dubitabatur, an opinio eorum esset probabilis practicè? Et ita Bartholomæus de Medina 1.2. *qu* 19 *artic.* 6. *dub.* 4. §. *Si quis agat*, intellexit D. Thomam. Hæc enim sunt verba Medinæ. [Si quis agat secundùm opinionem, de qua *dubitat, an sit probabilis*, peccatum committit Nam qui sic operatur, dubitat, an illud, quod agit, licitum sit, an illicitum: ergo operatur contra conscientiam dubiam: ergo tenetur non sequi talem opinionem. Hanc conclusionem constituit D. Thomas *quodlib.* 8. *art.* 14.] *corrige art.* 13.

4 Hæc assertio constat primo ab experientia. Vidi enim sæpe viros doctos dubitare de probabilitate hujus, vel illius opinionis, quæ reperiuntur in aliquibus libris Summistarum: ergo possibilis est inter viros doctos dubitatio de probabilitate hujus, vel illius opinionis

5 Constat secundò. Nam, ut ostendi *in 1. part. Cris. Theolog. disp.* 11. non omnes opiniones, quæ reperiuntur in libris Authorum, sunt probabiles: nam Alexander VII. damnavit multas opiniones tamquam falsas, & scandalosas; quæ tamen reperiebantur in libris Authorum: ergo quamvis in prædictis libris reperiantur, potest dubitari de earum probabilitate.

CAPUT II.

Ex quibus capitibus oriatur dubitatio de Probabilitate opinionis?

SUMMARIUM.

An dubitatio de probabilitate oriatur ex parte fundamenti intrinseci? Ubi an authoritas unius contra omnes sit fundamentum leve. n. 6.
An dubitatio de probabilitate oriatur ex magno excessu probabilitatis. nu. 7.
An hæc dubitatio oriatur, quando dubitatur, an author sit omni exceptione major. n. 8.
An quando author fert opinionem singularem contra omnes, & non dat fundamentum opinionis, oriatur dubium de probabilitate. n. 9.
An quando unus docet novam opinionem, & reliqui sapientes rejiciunt, ut improbabilem, dubitetur meritò de probabilitate. n. 10.
An cùm citantur authores pro opinione, nec scimus, quanta illi doctrina polleant, detur dubium de probabilitate n. 11.

6 POtest autem hæc dubitatio oriri ex variis capitibus. Primò ex parte fundamenti intrinseci. Solet enim contingere, quòd aliquod præceptum habeatur pro certò communiter inter authores; & quòd singularis aliquis scriptor contra reliquos opinetur, probans aliquibus fundamentis, non dari tale præceptum. Quo casu sola authoritas unius contra omnes, nisi urgenti rationi innitatur, leve fundamentum est; ut observarunt optimè P. Vasquez 1.2. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 17. & P. Thomas Sanchez *lib.* 1 *sum cap.* 9. *num.* 9. & Illustriss. Tapia *lib.* 1. *Caten. moral. qu* 8. *art.* 11. §. 3. *num.* 13. & ego tradidi 1. *part. Cris. Theol. disp.* 11. & probavi ex multis Doctoribus. Tunc ergo viri docti devenientes ad discutienda fundamenta, solent dubitare, an illa denuo excogitata levia sint, aut an laborent in æquivoco, vel consequentia eorum sit sophistica; & iis fundamentis non obstantibus, præceptum maneat in suo gradu certitudinis: ergo in eo casu inter viros doctos procedit dubitatio ex parte fundamenti intrinseci.

7 Secundò, solet plerùmque contingere, ubi opinio stans pro lege superat magno excessu in probabilioritate opinionem oppositam, quod hæc levibus nitatur fundamentis; adeòque absolutè aut non sit probabilis, aut dubitetur de ejus probabilitate. Et ideò probabilitas ex parte fundamenti intrinseci sit dubia.

8 Deinde ex parte fundamenti extrinseci, scilicet authoritatis scriptoris, aut scriptorum, potest oriri dubitatio de probabilitate multipliciter. Tertiò ergo potest oriri dubitatio, quando non constat, Authorem esse omni exceptione majorem: dubitatur enim, an sit ex iis, qui quæstiones, & opinionum fundamenta non discutiunt diligenter utrimque; vel an sit ex meris summistis, & meris compilatoribus, sive proletariis. Cùm ergo totum fundamentum opinionis attenditur solùm secundùm authoritatem dicentis; & de hac dubitetur, an sufficiens sit; meritò dubitatur de probabilitate opinionis.

9 Quartò dubitatur de probabilitate etiam ex parte fundamenti extrinseci, quando author fert opinionem singularem contra omnes; & non dat rationem suæ opinionis. Tunc enim meritò dubitatur, an probabilem habeat rationem, quam quidem non exposuit judicio sapientum. Et huc pertinet id assertum P. Thomę Sanchez, quòd retuli *in* 1. *part Cris. Theol. disp.* 11. *cap.* 8. *art.* 1. nempe, [Non esse credendum Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento.]

10 Quintò dubitatur de probabilitate opinionis, cùm unus, vel alter aliquam denuo opinionem ponit; reliqui verò sapientes, aut eorum plures eam censent improbabilem. Tunc enim meritò dubitandum est de probabilitate ejus. Immò si unus author, qui est omni exceptione major, & probatæ authoritatis illam dicit improbabilem, meritò dubitare possum de illius probabilitate. Et ita cum P. Thomas Sanchez, Doctor probatæ authoritatis, & omni exceptione major, dicit hanc, & illam opinionem rejiciendam esse, aut non esse audiendam, meritò dubitare possum de probabilitate illius.

11 Sextò dubitatur meritò de probabilitate opinionis, cùm pro ea video authores citatos, nec scio, quali, & quanta doctrina polleant. Sic enim dubito, an illi authores sint ex illis, qui opinionibus probabilitatem conferre possunt. Quod verum est, licèt authores citati sint multi, dum præstantia doctrinæ eorum mihi non est satis perspecta. Solent enim multi esse pro aliqua opinione, qui unum aliquem sequuntur, sine nova ratione, nec nova rationis ponderatione. Quòd si præstantiam primi illius non agnosco, meritò dubitabo de probabilitate opinionis, quam ille primus nescio an conferat; & scio, reliquos nullam addere probabilitatem propter dicta *in* 1. *part. Cris. Theol. disp.* 11. *cap.* 2. *art.* 4.

CAPUT III.

An dubium de probabilitate opinionis sit practicum, in quo tutior pars amplectenda sit?

SUMMARIUM.

An dubium de probabilitate sit dubium practicum de honestate operationis. nu. 12.
An qui dubitat de probabilitate, non habeat modum deponendi dubium. num. 13.
An requiratur ratio saltem probabilis ad deponendum dubium nu. 14.
An hinc inferatur, non esse admittendas omnes opiniones, quæ in Summistarum libris continentur. nu. 15.
An repugnet dari dubium de probabilitate utriusque partis contradictionis. n. 16.

12 SIt conclusio. Qui dubitat de probabilitate opinionis, versatur in dubio practico, in quo necessariò debet amplecti partem tutiorem. Hoc expressit Bartholomæus de Medina supra relatus *cap.* 1. ex mente S. Thomæ. Et est assertio certissima. Patet enim primò. Quia sola probabilitas potest reddere tutum de operatione licita eum hominem, qui laborat pingendo in die festo: ergo qui dubitat de probabilitate, dubitat, an id sit licitum. Ergo est dubium practicum, & tenetur partem tutiorem eligere, ne exponat se periculo peccandi.

13 Patet secundò. Cùm quis versatur in dubio circà honestatem suæ operationis, non potest deponere dubium, nisi per rationem aliquam certam, vel probabilem: sed qui dubitat de probabilitate ejus opinionis, non habet rationem certam, ut supponimus;

mus; neque probabilem, nam de hac dubitat: ergo non habet, quomodo deponat illud dubium de probabilitate opinionis. Manet ergo in ea dubitatione, atque adeò tenetur eligere partem tutiorem.

14 Patet tertio. Quia cùm pictor dubitat, an sibi liceat pingere in die festo, ideò habet rationem probabilem ad deponendum dubium; quia scit, esse opinionem Doctorum omni exceptione majorum, opus picturæ non esse servile, sed liberale, præceptum autem solùm prohibere opera servilia: ergo qui non habet rationem probabilem ad deponendum dubium, manet in illo, expositus periculo peccandi, si sequatur partem, quæ stat pro libertate. Sed qui dubitat de probabilitate, non habet probabilitatem ad deponendum dubium: ergo qui dubitat de probabilitate, versatur in dubio practico, ideòque tenetur tutiorem partem amplecti.

15 Hinc colligitur, quam irrito conatu intendant adversarii suadere, in nostra sententia [de quavis opinione practicè probabili amplectenda] admittendas esse omnes opiniones, quæ in Casuistarum libris continentur, etiam scandalosas, & laxativas conscientiæ: cùm non paucæ ex eis sint saltem dubiæ probabilitatis, quæ non sufficit ad regimen conscientiæ.

16 Hinc etiam constat id, quod initio hujus disputationis admonebam, nempe in quæstionibus moralibus, præcipuè in materia justitiæ, nunquam contingere, quòd detur dubium de probabilitate utriusque partis contradictionis. Tum à priori: quia dum dubitatur de ea parte, quæ stat pro libertate, ideò dubitatur, quia rationes, quæ stant pro libertate, videntur leves, & quæ stant pro lege, videntur certæ; ideòque non dubitatur de probabilitate ejus partis, quæ stat pro lege. Tum à posteriori: quia si in ea quæstione, [An ex damnificatione orta ex culpa veniali oriatur obligatio restituendi?] dubitatur de utraque parte contradictionis, tam damnificatus, quàm damnificator teneretur tutiorem partem eligere; & cùm damnificatori sit tutius solvere; & damnificato sit tutius non recipere solutionem, sequeretur, quòd damnificator teneretur solvere ei, qui non potest recipere solutionem: quod est implicatorium.

DISPUTATIO LIX.

Cujusnam sit, ferre judicium de probabilitate opinionum.

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi. nu 1.

An solius sapientis, & prudentis, & versatissimi in re morali sit ferre judicium de probabilitate? n. 2.

Judicia hominum ad tres classes revocata? n 3.

An de probabilitate intrinseca soli doctissimi possint ferre judicium? n. 4.

Quanta sapientia, & doctrina requiratur ad cognoscendum, an fundamentum sit leve, vel grave? n. 5.

An ad hoc judicium de probabilitate intrinseca faciendum oporteat consulere viros peritos? n. 6.

Quomodo de probabilitate extrinseca possint ferre judicium viri mediocriter docti? n. 7. & seqq.

Quid si Doctor sit ex antiquis, in quibus aliquæ opiniones sunt antiquatæ? n. 9.

Quare viri mediocriter docti non possint ferre judicium de probabilitate extrinseca, si author non sit notoriè probatæ authoritatis? num. 11. & seqq.

Solutio rationis dubitandi? nu. 14. & seq.

1 ADversarii, qui impugnare conantur nostram doctrinam de quavis opinione probabili eligenda ad praxim, putant, actum esse de nostra sententia, vel eo solo argumento, quòd obiiciunt: nempe nostram sententiam aperire viam maximæ morum corruptioni. Sed quomodo? Quia hæc sententia (inquiunt) sinit unumquemque pro arbitrio suo vivere; quia unusquisque quaslibet ratiunculas, quæ sibi occurrent, putabit probabiles; ut sic operetur juxta illas, eas assumendo pro regula suæ operationis. Et cùm homines proni sint ad commodum, voluptatem, & cupiditatem, quærent rationes ad palliandum commodum, voluptatem, & cupiditatem, & pro inclinatione sua qualescumque rationes putabunt probabiles, & eas assument, ut regulas suarum operationum. Unde quæ morum corruptio timeri non potest?

2 Ergo ne cujuscumque hominis est ferre judicium de probabilitate? Ergo ne probabiles erunt rationes, quæ cuicumque probabiles videbuntur? Audiendus est Dom. Tapia *lib. 2. Caten. moral. quæst. 8. art. 11. § 3. num. 14.* (cujus judicium in re morali magni facio.) Qui ubi asseruit, non censere impossibile, quòd *unus Doctor ex iis, qui sapientiæ diligenter incumbunt*, possit fundare opinionem probabilem contra communem reliquorum sententiam; subjungit hæc verba: [Sed de hoc in praxi judicare, & discernere, quando hic casus contingat, quòd singularis Doctor præferatur communi sententiæ; *non est cujuscumque judicare*, sed sapientis, & prudentis viri, versati in facultate, qui possit utriusque partis fundamenta expendere, & judicium inter ea ferre: & attendere potiùs ad rationes, & fundamenta debet, quàm ad singularem authoritatem.]

3 Ut autem hæc cum distinctione tradamus, sciendum est, quòd gravitas, aut levitas rationum, quæ facit, aut minuit probabilitatem, talis dicitur relatè ad judicium sapientum, & prudentum. Quare, quo ad præsens attinet, judicia hominum ad tres classes revocanda sunt. Alii enim sunt illiterati, alii mediocriter docti, & alii doctissimi.

4 Dico primò. De probabilitate intrinseca opinionis non possunt ferre judicium illiterati, non mediocriter docti, sed dumtaxat doctissimi, & in re morali versatissimi. Ita Dom. Tapia in verbis proximè relatis, in quibus præcipuè loquitur de probabilitate intrinseca, sive de fundamentis opinionis probabilis. Et novissimè sub eisdem terminis id expressit P. Matthæus de Moya *tom. 2. select. tract. 1. qu. 9. §. 2. nu. 13.*

5 Quæ conclusio sic ostenditur. Ut fiat judicium de probabilitate intrinseca opinionis, v. g. affirmativæ, necesse est cognoscere, an fundamenta partis oppositæ negativæ sint certa; nam si illa certa sunt, non potest opposita opinio affirmativa esse probabilis, sed necessariò esse debet certò falsa. Deinde debet examinari, an rationes ejus partis affirmativæ sint leves, æquivocæ, vel sophisticæ. Atqui soli viri doctissimi, & in re morali versatissimi possunt hæc examinare sine periculo enormiter errandi: nam mediocriter docti in multas quæstiones incident, in quibus non assequantur, an partis negativæ fundamenta debeant censeri moraliter certa. Deinde ut cognoscatur, quæ ratio sit levis, quæ gravis, requiritur, quòd doctor sit maximè versatus in lectione rationum, quas authores classici, & omni exceptione majores reputant graves; sine quo usu, & experientia exponitur quis periculo reputandi gravem, rationem levem; & levem, rationem gravem. Deinde ad discernendum, an fundamentum laboret in æquivoco, vel consequentia sit sophistica, non sufficit mediocris intelligentia, sed plus quam mediocris requiritur. Et hinc apertè etiam constat, quomodo illiterati non possunt ferre judicium de probabilitate opinionis; qui quandoque ne nomen quidem probabilitatis callent; & si aliquo modo id percipiunt, nesciunt, quid certum in materia morum, quid probabile.

6 Pro cujus conclusionis confirmatione audienda est periodus P. Jacobi Granado *in 1. 2. controver. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 2. numer.* 12. ubi sic ait: [Est tamen observatione dignissimum id, quod aliqui notaverunt, scilicet homini *ingenioso, sed parum in rebus moralibus versato*, non licere discedere à communi Doctorum, nisi prius fundamenta sua cum peritis hominibus contulerit, & eis saltem magnam difficultatem ingesserit: solet enim viro *ingenioso, sed parum docto* videri evidens id, quod Theologiæ moralis peritissimis videtur nullius momenti.] Ita Granado. Si ergo vir ingeniosus, sed parum in rebus moralibus versatus non potest fidere ingeniosæ suæ rationi, sine periculo errandi circà probabilitatem opinionis; infertur, quòd qui de ejusmodi rationibus probabilibus ferre debet judicium, debet esse maximè versatus in re morali.

7 Dico secundò. De probabilitate extrinseca opinionum potest rectum ferre judicium vir mediocriter doctus, si opiniones illas inveniat in Doctore, qui *notoriè* sit probatæ authoritatis, & omni exceptione major; & illas rectè intelligat. Dixi *notoriè*, quales sunt P. Thomas Sanchez, P. Suarez, P. Vasquez, & Dom. Tapia, & reliqui hujus prædicamenti. Si enim in his vir mediocriter doctus inveniat opinionem, eam potest censere probabilem. Idem esto, si invenerit opinionem in hac, vel illa summa, quæ habet diuturnam, & communem approbationem apud sapientes.

8 Dixi, *si illas rectè intelligat*. Nam sic amplectitur hanc conclusionem P. Thomas Sanchez *lib. 1 sum. cap* 9. *num.* 10. agens de iis, *qui in re morali parum sunt versati*; de quibus hæc subjungit: [At hi non debent sibi confidere, qui sæpe, aut non bene Doctoris illius opinionem callebunt, aut casui particulari applicare nescient.]

9 Intelligenda item est conclusio de opinionibus Doctoris, qui non sit ex antiquis, in quibus aliquæ opiniones sunt antiquatæ. Nam mediocriter doctus nesciet discernere, quæ sint opiniones antiquatæ, & quæ communi approbatione receptæ tamquam probabiles.

10 Sic explicata conclusio manifesta est. Nam vir mediocriter doctus scit, esse practicè probabile, quidquid docuerunt P. Suarez, P. Thomas Sanchez, & reliqui similes: ergo dum legit in iis aliquam opinionem, & eam rectè intelligit, rectè judicabit, illam esse probabilem, & tutam.

11 Dico tertiò, non est viri mediocriter docti ferre judicium de probabilitate extrinseca opinionis, quando authores opinionis non sunt ex iis, quos notoriè constat esse probatæ authoritatis, & omni exceptione majores; sed solius viri doctissimi, & in re morali versatissimi est, ferre judicium de ea probabilitate extrinseca opinionum, scilicet universali censura in ordine ad quoscumque authores. Hæc conclusio est ad mentem Domini Tapiæ, & P. Granado, quos supra citavi.

12 Conclusio constat clarissimè ex dictis. Nam ad probabilitatem extrinsecam opinionum requiruntur authores probatæ authoritatis, & qui sint omni exceptione majores, qui non repugnent principiis certis, qui non innitantur rationibus levibus, aut sophisticis, qui non docuerint improbabilia, & qui diligenter exami-

examinent fundamenta utriusque partis in unaquaque quæstione; ut constat *ex disput. 57. & ex disp.* 11. Atqui, ut aliquis incidens in aliquem authorem, cognoscat, eum omnibus his qualitatibus preditum esse, necesse est, non solùm quòd polleat bono ingenio, & maturo judicio, sed etiam quòd sit maximè versatus in re morali, & in evolvendis ejusmodi libris, ut constat ex dictis.

13 Confirmatur. Nam ut quis ferat judicium de probabilitate intrinseca unius opinionis, non est sufficiens vir mediocriter doctus; ut constat ex conclusione prima. Sed quare? scilicet quia non est sufficiens, ut judicet, an rationes sint leves, an graves; neque ut sciat diligenter examinare fundamenta utriusque partis: Atqui ad ferendum judiciom de uno authore, habeat ne omnes illas qualitates requisitas, multò plus scientiæ requiritur: opus enim est, non unam solùm opinionem examinare, sed plurimas, ut sibi constet, authorem esse de iis, qui quæstiones diligenter examinant discutiendo accuratissime fundamenta utriusque partis: ergo si ad ferendum judicium de probabilitate intrinseca unius opinionis non sufficit vir mediocriter doctus; multò minus sufficiet ad ferendum judicium de authoritate Doctoris in ordine ad conferendam probabilitatem opinionibus.

14 Et hinc constat, quam insigniter decipiantur adversarii, dum nobis obiiciunt illud argumentum initio propositum; nempe quòd unusquisque quaslibet ratiunculas judicabit probabiles, ut illas assumat pro regula operationis. Nam illiteratus, immò & mediocriter doctus, qui ita voluerit ferre judicium de probabilitate rationum sibi occurrentium, peccabit mortaliter; quia exponit se periculo errandi graviter. Quomodo enim potest illiteratus scire, quòd opposita pars non sit omnino certa; nam contra certitudinem nulla est probabilitas, nisi sophistica? aut quomodo discernet inter rationes leves, & graves, qui in his materiis non est assiduè versatus; cùm & illi ipsi, qui in illis sunt maximè versati, plerumque post diuturnum studium, maneant dubii?

15 Cùm autem dicunt, homines pro inclinatione sua semper judicaturos probabiles rationes, quæ stant pro voluptate, commodo, aut lucro; id quidem timeri posset, si id regulandum esset judicio uniuscujusque. Sed cum id non sit regulandum, nisi judicio hominis in re morali versatissimi; & qui scit, se Deo redditurum rationem pro conscientia alterius; non est timendum, quòd Theologus sapiens, & Dei timore præditus consulat pro voluptate, commodo, aut lucro.

DISPUTATIO LX.

An à sola non certitudine præcepti, non jam à probabilitate, oriatur securitas conscientiæ?

CAPUT PRIMUM.

Novissima Caramuelis sententia.

SUMMARIUM.

Opinio Caramuelis, quòd ad probabilitatem sufficit sola non certitudo præcepti. n. 1.
Item quòd ratio formalis securitatis conscientiæ sit sola non certitudo partis contrariæ. n. 2.
Fundamentum ejus doctrinæ à possessione libertatis. n. 3.
Quid doceat de constitutivo probabilitatis, & de constitutivo securitatis conscientiæ. n. 4. & seq.
Quot quæstiones disputandæ sint. n. 6.

1 ILlustr. Dom. Caramuel visus est aliquibus nimius probabilitatum propugnator. Et revera magis limitandum suum probabilitatis modum, ego ostendi *in 1. & 2. parte mea Crisis Theologicæ.* Ne ergo videretur nimius, dum promovebat probabilitatem, docebatque, ex quacumque ratione probabili, regi posse conscientiam; novissimè, id est, anno 1673. edidit in lucem volumen plusquam mediocre, quod inscribitur *Dialexis de non certitudine,* in quo latissimè contendit, non jam probabilitatem rationum, vel authoritatis sufficere ad regimen conscientiæ, sed multo minus. Quid tandem sufficit? Sola *non certitudo* præcepti. Quia ut aliquid sit licitum, non requiritur probabilitas rationum pro honestate operationis; sed sufficit, quòd præceptum non sit omnino certum, saltem certitudine morali.

2 *Et in part. 2. art. 1. nu.* 304. sic ait: [Ratio formalis, quæ reddit conscientiam securam, ut reperiatur in omni opinione probabili, non est ipsamet probabilitas.] Et subjungit immediatè: [Ratio formalis unica, & adæquata, quæ reddit securam conscientiam, est sola partis contrariæ non certitudo.]

3 Quòd si scire desideras, quo fundamento ducitur, illud est: quòd homo est in possessione libertatis suæ; à qua non est deturbandus, sine certa probatione præcepti libertatem alligantis. Quam positionem mira eruditione confirmat in dialexi *artic.* 6. per quinquaginta & sex paginas; & in Prodomo dialexis *cap.* 4. per viginti quinque paginas.

4 Quòd si obiicias: Ergo jam non oritur securitas conscientiæ ex sola non certitudine præcepti; sed etiam ex ea positione probabili, quòd homo non est deturbandus à possessione suę libertatis sine certa probatione præcepti. Respondet, eam rationem desumptam à possessione libertatis, non esse rationem specialem, sed generalem. Asserit ergo, probabilitatem, quam vocat Theologicam, consistere, non in ratione aliqua speciali, sed solùm in ea generali. Securitatem autem conscientiæ formaliter consistere in sola non certitudine partis oppositæ. Ita expressit *artic. 14. assert. 1. num.* 689.

5 Duo itaque statuit Caramuel: primum est, quoties præceptum non est certum, illud non obligare conscientiam. Secundum est, securitatem conscientię consistere formaliter dumtaxat in non certitudine præcepti. Advertit autem, se non loqui de legibus definitivis, v. g. quæ annullant actus, aut contractus, ut quæ imponunt impedimenta dirimentia, sed tantùm de legibus præceptivis.

6 Hinc resultant tres quæstiones. Prima est, An securitas conscientiæ formaliter consistat in sola non certitudine præcepti? Secunda est, An ad probabilitatem opinionis non sit necessaria ratio specialis probabilis; sed sufficiat illa ratio generalis de possessione libertatis? Tertia, An quoties præceptum est incertum, maneat homo liber ab obligatione? Quas quæstiones per singula capita discutiam.

CAPUT II.

An securitas conscientiæ formaliter consistat in sola non certitudine præcepti?

SUMMARIUM.

Quæ fuerit occasio Caramueli hujus controversiæ? n. 7.
An ratio formalis securitatis conscientiæ possit esse communis conscientiæ securæ, & non securæ? Et quid inde pro conclusione? num. 8. & 9.
An non certitudo sit communis conscientiæ dubiæ? n. 10.
An omne dubium in moralibus sit practicum, donec accedat ratio certa, vel probabilis? n. 11.
An ubi est sola incertitudo præcepti, & non dum accessit ratio certa, vel probabilis, nulla sit securitas conscientiæ? n. 12.
An incertum sit idem, quod dubium? n. 13.
Quomodo cum probabilitate possit componi dubium? n. 14. remissivè.
An incertum, antequam intelligatur ratio probabilis, sit dubium? n. 15.
An securitas conscientiæ consistat in dictamine certo de honestate operationis? n. 16. & seq.
An qui judicant pro certo, falsum esse sententiam de possessione libertatis, non habeant securitatem ex non certitudine præcepti? num. 18.

7 IN 1. *part. Cris. Theol. disp. 15. cap. 3. art. 3. num.* 63. asserui contra placitum Dom. Caramuelis, non excusare à peccato eam ignorantiam invincibilem, quę continetur in opinione probabili, si dicatur invincibilis, solùm quia vinci non potest per scientiam. Hæc enim ignorantia sic invincibilis, nihil aliud est, quam ipsa incertitudo inclusa in opinione probabili: & sicut sola ea incertitudo non excusat à peccato, ita nec ignorantia ex eo solùm quòd sit invincibilis per scientiam. Caramuel ergo ut promoveat illud suum assertum de ignorantia excusante à peccato, quæ sit invincibilis per scientiam, & quæ nihil aliud est, quam ipsa incertitudo præcepti; novissimè in sua dialexi contendit, adeò verum esse, quòd ea ignorantia, & incertitudo excusat à peccato, ut ipsa sola incertitudo sit ratio formalis securitatis conscientiæ.

8 Sit prima conclusio. Securitas conscientiæ non potest formaliter consistere in sola non certitudine præcepti. Probatur primò. Non potest esse ratio formalis securitatis conscientiæ id, quod est commune conscientiæ securæ, & non securæ: sed non certitudo præcepti est communis conscientiæ securæ, & non securæ: ergo non certitudo præcepti non potest esse ratio formalis ejus securitatis. Consequentia patet: est enim syllogismi efformati ad amussim dialecticam in prima figura: & si inverteris verba ritu dialectico, invenies esse in eo modo, quem dialectici vocant *Celarent.*

9 Major videtur evidens: est enim sicut si dicas: non potest esse ratio formalis rationalitatis id, quod est commune rationali, & bruto: nam si in bruto etiam esset ratio formalis rationalitatis, brutum etiam esset rationale. Sic si ratio formalis securitatis esset in conscientia non secura, conscientia non secura esset secura.

10 Minor vero ostenditur. Etenim non certitudo est etiam communis conscientiæ practicè dubiæ: sed conscientia practicè dubia est non secura: ergo ea non certitudo est communis etiam conscientiæ non securæ. Et hujus syllogismi major etiam videtur evidens. Nam dum quis est practicè dubius, an sibi liceat pingere in die festo, non est certus de præcepto obligante; non enim componitur dubitatio cum certitudine.

11 Probatur secundò conclusio. Omne dubium, in rebus moraliter (licitè, vel illicitè) agendis, est dubium practicum, donec accedat ratio certa, vel probabilis, virtute cujus dubium deponatur practicè: ergo in omni dubio de rebus moraliter agendis nulla est securitas, donec accedat ratio certa, vel probabilis.

Ergo donec accedat ratio certa, vel probabilis, non potest esse ratio formalis securitatis; quia ubi non est securitas, non potest esse ratio formalis securitatis; & ubi est ratio formalis securitatis, non potest non esse securitas.

12 Tum sic. Sed ubi est sola incertitudo præcepti, & nihil aliud, est dubium de præcepto; & non dum accessit ratio certa, aut probabilis ad deponendum practicè dubium: ergo ubi est sola incertitudo præcepti, & nihil aliud, nulla est securitas, atque adeo neque ratio formalis securitatis. Non ergo stat ratio formalis securitatis conscientiæ in sola non certitudine præcepti.

13 Nec satisfacies, si dicas cum Caramuele, non esse idem incertum, & dubium: eo quòd opinio probabilis est incerta, nec tamen est dubia.

14 Et quidem *in 1. part. Crif. Theolog. disp* 6. ostendi clarissimè, posse versari dubium inter motiva utrimque probabilia; quamvis cum ipso assensu probabili non possit componi actualis dubitatio. Sed iis omissis ad rem præsentem; & supponendo, omne dubium esse incertum, sed non omne incertum esse dubium, quia assensus probabilis non est dubius; ea responsio non elevat difficultatem.

15 Etenim incertum, ante quàm intelligatur ratio probabilis, est dubium. Nam omne incertum, vel est probabile, vel dubium: atqui incertum, antequam intelligatur ratio probabilis (specialis, vel generalis) non est probabile: ergo incertum, ante quam intelligatur ratio probabilis, est dubium. Tum sic: sed dubium, antequam intelligatur ratio probabilis, per quàm possit illud practicè deponi; est dubium practicum: ergo antequam intelligatur ratio probabilis, nulla est securitas: ergo ea non certitudo non potest esse ratio formalis securitatis, antequam intelligatur ratio probabilis. Ergo sola non certitudo præcepti non potest esse ratio formalis securitatis.

16 Probatur tertiò. Securitas formaliter consistit in eo, quòd absit periculum: ergo securitas conscientiæ consistit in eo, quòd formaliter aufert periculum peccandi. Sed in conscientia id, quòd aufert periculum peccandi est certitudo, sive dictamen certum, quòd sic operans hic, & nunc non peccat: ergo securitas conscientiæ solùm consistit formaliter in eo dictamine certo, quod quis habet, judicando, quòd dum sequitur hanc opinionem probabilem, hic & nunc non peccat. Non ergo consistit in ipsa ratione probabili, neque in ipsa non certitudine præcepti, sed in solo dictamine certo, quòd dum sequitur hanc opinionem probabilem, hic & nunc non peccat.

17 Confirmatur. Pone duos pictores Petrum, & Joannem. Petrus scit, esse opinionem aliquorum Doctorum, quòd licet pingere in die festo, & scit præceptum non pingendi in die festo esse incertum: sed non habet illud dictamen, quòd sibi licitum est amplecti quamlibet opinionem probabilem Joannes verò habet utrumque actum: primum, quo scit, eam esse opinionem probabilem, & præceptum esse incertum; secundum etiam, quo scit, sibi licere uti quavis opinione probabili. Uterque pingit in die festo. Et quidem Joannes cum securitate conscientiæ; quia ex illo dictamine certò scit, se non peccare. Petrus autem nullam habet securitatem conscientiæ, immò verò re ipsa peccat pingendo. Dictamen ergo illud conscientiæ certum, ponit formaliter in Joanne securitatem conscientiæ; quæ deficit in Petro, quia in illo desideratur illud dictamen certum; cùm tamen uterque sit incertus de præcepto.

18 Probatur quartò. Etiam juxta mentem Caramuelis, qui censent certò falsam esse sententiam de possessione libertatis, non habent securitatem ex eo, quòd præceptum sit incertum: ergo non datur ratio formalis securitatis ex eo, quòd præceptum sit incertum, sed etiam ex eo, quòd vera sit doctrina de possessione libertatis: ergo non stat præcisè in incertitudine præcepti ratio formalis securitatis. Nota, quòd pro eodem accipio non certum, & incertum.

C A P U T III.

An ad probabilitatem opinionis non sit necessaria ratio probabilis specialis, sed sufficiat illa generalis de possessione libertatis?

S U M M A R I U M.

Conclusio negans, sufficere illam rationem generalem de possessione libertatis? n. 19.

An cùm præceptum reputatur certum, non valent regula de possessione libertatis? Et quid inde pro conclusione? n. 20. & seq.

Explicatur exemplo? nu. 22.

An ad auferendam obligationem sufficiat solutio objectionum partis oppositæ? n. 23. & seq.

An opinio de Pictura in die festo licita requirat rationem specialem? nu 25.

An opinio, quòd virtute Cruciatæ possit auferri irregularitas, requirat rationem specialem? nu. 26

19 Sit secunda conclusio contra id placitum Domini Caramuelis relatum *cap.* 1. in quamplurimis opinionibus, præcipuè spectantibus ad jus naturale, non satis esse illam rationem generalem de possessione libertatis, sed omnino necessarias esse alias rationes probabiles.

20 Ostenditur primò. Dum communiter ab omnibus Theologis reputatur certum aliquod præceptum, illudque obligare in his circumstantiis, non valet ea regula de possessione libertatis. Patet. Nam ea regula solùm valet in incertis. Tum sic. Plerumque contigit, quòd sapientissimi Theologi inveniant rationes impellentes intellectum ad judicandum, illud præceptum non dari, licèt non evidentes: ex quo illud præceptum pro tali casu incipit esse incertum. Ideò ergo fit incertum, quia rationes probabiles suadent urgenter, illud esse incertum. Ergo ad probabilitatem opinionis, ultra rationem generalem de possessione libertatis, requiruntur speciales rationes probabiles, quibus probetur præceptum esse incertum. Non ergo sufficit ratio generalis de possessione libertatis ad probabilitatem opinionis.

21 Itaque fateor, quòd quando aliunde constat, præceptum esse incertum, sufficit ea regula generalis de possessione libertatis: cum ea tamen limitatione, quæ præscribetur *cap. seq.* Censeo tamen falsum, & absurdum, velle, quòd ad probabilitatem opinionum promovendam non sit necessarium recurrere ad alias rationes probabiles speciales, sed solùm ad illam generalem: cùm ad ipsam incertitudinem præcepti promovendam, sint necessariæ multæ rationes probabiles; quæ si non extarent, præcepta dicenda essent certo obligatoria.

22 Qui dubitans de peccato mortali à se commisso, confessus est illud ut dubium; posteà vero recordatur illius certò commissi, eum teneri ad illud denuo confitendum ut certum; ante Cardin. Joannem de Lugo, apud omnes erat certum. Numquid tunc valeret dicere, quòd ex regula possessionis libertatis poterat quis illud non confiteri denuo? Minimè: quia certum erat apud omnes, obligare præceptum illud denuo confitendi. Unde ergo provenit illius opinionis probabilitas, si qua est (ego censeo illam non esse probabilem, ut clare ostendi *in 4. part. Crif. Theol. disp.* 51.) nisi solùm ex probabilitate rationum, quas invenit ingeniosus vir: licet ipse non ausus sit illam etiam ut probabilem affirmare. Ergo ut illa opinio fiat probabilis, necessariæ sunt rationes speciales, & non sufficit ratio generalis de possessione libertatis.

23 Hinc comperies, quàm falsum sit illud assertum, quod ex Stephano Spinula refert, & approbat Caramuel in Dialexi *part.* 2. *art.* 13. *assert.* 1. *num* 180. in hæc verba: [Opinio, quæ tollit obligationem aliquid faciendi, vel omittendi, ex quocumque capite oriatur obligatio, probabilis est, & si nulla ratione positiva fulciatur, dummodo solvat omnia argumenta contrariorum.] Et solùm superaddit Caramuel: [Licet enim rationem particularem positivam non pollulet, generalem positivam non excludit.]

24 Id enim satis manet impugnatum ex eo, quòd ad promovendam incertitudinem præcepti, plerumque requirantur rationes probabiles speciales, ut constat ex dictis. Tum etiam, quia plerumque ex parte præcepti non dantur rationes, aut argumenta contrariorum; sed solùm firma persuasio sapientum, quòd tale præceptum sit impositum. Pro qua persuasione omnium, aut ferè omnium sapientum standum est, nisi ratio specialis positiva afferatur, quæ incertum faciat præceptum.

25 Ostendo secundò, ad probabilitatem opinionis non sufficere rationem generalem de possessione libertatis, sed plerumque requiri alias rationes speciales. Inquiro enim, quare probabile est, licere pictori pingere in die festo? Numquid præcisè quia non constat de præcepto? Si affirmas; iterùm inquiro, unde probas, non constare de præcepto: cùm certum sit præceptum sanctificandi dies festos? Cui interrogationi satisfacere non potes, nisi dicas, ad id requiri specialem rationem, qua probetur, picturam non esse opus servile. Non ergo cessat prohibitio pingendi ex generali ratione de possessione libertatis, sed ex speciali ratione, qua probetur, picturam esse opus liberale, non servile

26 Ostendo tertiò. Inquirunt authores, An confessarius virtute Cruciatæ possit absolvere ab irregularitate, quæ est pœna delicti? Et aliqui censent probabile, quòd potest. *Vide infrà disp.* 74. in qua tamen ostendo, eam opinionem esse dubiæ probabilitatis. Loquendo tamen cum authoribus, qui eam censent probabilem, inquiro, unde habet ea opinio probabilitatem? Si dicas, ideò esse probabilem, quia incertum est præceptum prohibens; contra est: nam ut probabiliter dicatur esse incertum, necessarium est, quòd speciali ratione probetur, irregolaritatem esse verè, & propriè censuram, ut tolli possit per absolutionem. Est enim certum, solas censuras tolli per absolutionem; eas verò pœnas, quæ non sunt censuræ, nullo modò per absolutionem auferri: quare ut ea opinio dicatur probabilis, necesse est, quòd detur specialis ratio probabilis, qua suadeatur, illam esse censuram. Et hoc modo quàm plurimas opiniones invenies, in quibus non sufficiat dicere, præceptum esse incertum; sed indigere specialibus rationibus, quibus ea incertitudo probetur.

C A P U T IV.

An quoties præceptum est incertum, maneat homo liber omnino ab obligatione?

A R-

ARTICULUS I.

Resolvitur quæstio.

SUMMARIUM.

An sententia Caramuelis sit limitanda? n. 27.
An quando ex incertitudine præcepti oritur dubium practicum, non stet possessio pro libertate? n. 28.
An plerumque oriatur dubium practicum ex incertitudine præcepti? nu. 29. & seq.
An qui potest majorem adhibere diligentiam circa certitudinem præcepti, sit in dubio practico? n. 31.
An quandoque stet possessio pro præcepto? n. 32.
An quando Petrus dubitat, utrùm sit jam sexagenarius, stet possessio pro præcepto? n. 33.
An extra has duas limitationes, quoties præceptum est incertum, nullam pariat obligationem? n. 34.

27 EX *cap.1.* constat, Caramuelis sententiam esse, quoties præceptum est incertum, nullam in homine resultare obligationem, sed ab illa manere omninn liberum. Quam positionem generalem ex multis authoribus probat, non sine ingenti eruditione. Sed eam positionem, sicut & Authorum asserta iotelligenda esse cum aliquibus limitationibus, omnino est necessarium.

28 Sit ergo tertia conclusio. Quoties præceptum est incertum, homo manet liber ab obligatione, dummodo ex incertitudine non oriatur dubium practicum: neque possessio stet pro præcepto. Potest enim, & solet contingere, quòd ex incertitudine præcepti oriatur dubium practicum; in quo casu tutior pars eligenda est. Potest etiam, & solet contingere, quòd possessio stet pro præcepto: in quo casu deficit possessio libertatis, atque adeò non pro libertate, sed pro præcepto standum est. Et has limitationes existimo esse ad mentem Doctorum, qui eam positionem generalem tradunt de possessione libertatis in casu, quo sit incertum præceptum.

29 Quod quandoque oriatur dubium practicum in casu incertitudinis præcepti, omnino est certum. Nam in omni dubio practico datur incertitudo præcepti: ergo quandoque in casu incertitudinis præcepti datur dubium practicum. Quæ consequentia evidens est ex regulis propositionum convertibilium.

30 Secundò. Nam, ut supra dixi, quoties datur incertitudo præcepti, & nulla versator in intellectu ratio saltem probabilis (generalis aut specialis) necessariò resultat dubium practicum: quia intellectus destitutus omni ratione probabili oon habet modum, quo dubium deponat, nisi temerè prosiliat in judicium: atque adeò persistit dubium practicum. In tantum enim dubium sit dumtaxat speculativum, in quantum occurrit ratio sufficiens ad illud practicè deponendum.

31 Tertiò. Nam, ut ipse Caramuel admittit, qui incertus est de præcepto, si potest adhibere diligentiam ad cognoscendum certius veritatem, & non præstat eam diligentiam, est in dubio practico, & exponit se periculo peccandi, si operatur pro libertate: ergo in casu incertitudinis præcepti sæpe datur dubium practicum.

32 Nec minus certa est secunda limitatio, quòd scilicet solet stare possessio pro præcepto, quo casu non valet possessio libertatis, etiam si homo dubitet de præcepto, aut de certitudine illius. Et quidem apud omnes sapientes habebatur ut certum præceptum confitendi peccatum, quod quis confessus est ut dubium, & posteà recordatur, peccatum illud esse certum. Videns autem Petrus rationem dubitandi, quam excogitavit Card. Joannes de Lugo, dubitat, an illud præceptum sit certum: item dubitat de probabilitate rationis, quæ in favorem ejus opinionis de non confitendo peccato adducitur ab eo authore. Tum sic. Dum illud præceptum habebatur ut certum, erat in possessione suæ certitudinis. Cùm Petrus denuo redditur incertus propter eam rationem dubitandi; ut Petrus possit securè operari contra id dubium, necesse est, quòd illud deponat practicè: ut deponat practicè, necesse est, quòd habeat rationem aliquam certam, aut probabilem. Certam non habet, ut suppono: probabilem non habet, quandoquidem de ipsa probabilitate dubitat: ergo non habet modum, quo deponat practicè dubium: ergo necessariò manet in dubio practico. Erat ergo præceptum certum, atque adeò in possessione certitudinis: hæc admitti non potest, nisi per probabilem saltem rationem: si ergo dubitatur de probabilitate, remanet præceptum in possessione suæ certitudinis.

33 Similiter præceptum jejunandi obligat omnes viros non dum sexagenarios. Dubitat Petrus, an sit jam sexagenarius; atque adeò incertus est, an currat obligatio jejunandi. Sed quia præceptum est in possessione, solum dubium superveniens non est sufficiens ad tollendam obligationem. Ergo contingere potest, quòd præceptum sit incertum quo ad obligandum hic & nunc; & quòd illud sit in possessione, ideòque instet obligatio ejus.

34 Extra eos casus harum duarum limitationum, tamquam certum tenendum est, quoties præceptum est incertum, nullam ex illo obligationem resultare. Et ratio est: quia dum est incertum, non est sufficienter intimatum; Item sicut debito certo non satisfit per solutionem incertam; ita possessioni certæ libertatis non obstat vinculum incertum, quod eo ipso quòd est incertum, non est vinculum libertatis; quia hæc non ligatur præcepto, deficiente intimatione, sive notitia certa præcepti. Vide multos Doctores, & plurimas rationes, quæ congerit Caramuel in locis citatis.

ARTICULUS II.

Duæ objectiones solvuntur.

SUMMARIUM.

Quare possessio certa præcepti tollatur per probabilitatem libertatis; & possessio libertatis non tollatur per probabilitatem præcepti? n. 35. & seq.
Quomodo probabilitas possit prævalere contra certitudinem præcepti? n. 37. & seq.
Quomodo præceptum possit deturbari à possessione certitudinis per dispensationem probabilem? n. 40. & seq.
Quomodo non satisfaciat responsio Caramuelis? n. 41. & seq.
Vera solutio hujus objectionis, ex eo, quòd intimatio præcepti debet esse certa? n. 43. & seq.
Quomodo possit esse libertas certa, & præceptum probabile? n. 45. & seq.

35 OBiicitur primò. Libertas, ejusque possessio non tollitur per præceptum incertum: ergo possessio præcepti certi non tollitur per libertatem incertam, sive per probabilitatem libertatis: atque adeò si præceptum apud omnes communiter sapientes habebatur tamquam certum; licèt denuo inveniatur argumentum probabile pro parte opposita, præceptum non deturbabitur à possessione suæ certitudinis.

36 Respondeo, disparitatis rationem desumendam esse ex eo, quòd præceptum requirit sufficientem intimationem, ad hoc ut obliget. Intimatio autem præcepti fit per certam & evidentem, saltem moraliter, ootitiam illius. Ex quo fit, quòd libertas non tollitur, nisi per præceptum sufficienter iotimatum, atque adeò certum. Quando autem præceptum est in possessione certitudinis, & denuo advenit argumentum probabile, desinit intimatio, sive notitia certa præcepti: atque adeò per eam probabilitatem amittit præceptum eam certitudinem.

37 Dices. Contra certitudinem nulla est probabilitas, ut sæpius diximus: ergo contra præceptum certum oulla probabilitas prævalere potest. Confirmatur. Nam si statim atque invenitur ratio verè probabilis, sententia, quæ habebatur tamquam certa, desinit esse certa virtute ejus rationis probabilis; fit, quod probabilitas prævalet contra certitudioem; contra id, quòd sæpius tradidimus.

38 Pro cujus claritate notandum est, has duas esse optimas consequentias. Primam: *Hæc propositio A est probabilis: ergo opposita propositio B non est certa.* Et ratio hujus est: quia si hæc propositio *B.* esset certa, opposita propositio *A.* esset certò falsa, atque adeò non probabilis; ut constat *ex disp. 4. num.* 6. Secundam: *Hæc propositio A. est certa: ergo opposita propositio B. non est probabilis.* Et ratio est: quia contradictoria propositionis certæ est certò falsa, atque adeò non potest esse probabilis; ut constat ex loco proximè citato.

39 Jam verò ad argumentum respondeo, dum constat propositionem esse certam, oppositam esse non posse merè probabilem. Solùm ergo diximus, quando præceptum, aut sententia aliqua est in possessione certitudinis, quia communiter apud sapientes reputatur certa; fieri posse, quòd inveniatur à viris sapientibus ratio probabilis, quæ eo ipso deturbet propositionem ab eo gradu certitudinis, in quo habebatur. Non autem diximus, fieri posse id, quando constat ex principio certò, propositionem esse certam. Quia dum stat principium certum, nulla potest subsistere ratio probabilis in oppositum. Itaque in sensu composito non potest esse præceptum certum, & pars opposita probabilis.

40 Obiicitur secundò. Nemo deturbatur à possessione certa ob rationes merè probabiles: ergo dum præceptum est certum, non potest deturbari à sua possessione per dispensationem probabiliter validam. Atqui hoc videtur falsum, cùm commuoiter admittantur dispensationes probabiliter validæ: ergo etiam falsum erit antecedens. Confirmatur. Ut quis deturbetur à possessione libertatis, debet dari præceptum certum: ergo ut præceptum certum deturbetur à sua possessione, requiritur dispensatio omnino certa.

41 Hoc argumentum objecit sibi Caramuel in Dialexi *par. 2. art. 9.* & respondet, implicare, quòd præceptum sit certum, sive certo obligans, & dispensatio sit probabilis. Rationem exhibet: quia dari dispensationem præcepti est non existentia præcepti obligantis: unde si dispensatio est probabilis, erit etiam probabilis non existentia præcepti; atque adeò existentia præcepti non potuit esse certa. Assignat autem disparitatem ex eo, quòd præceptum non est ipsa non existentia libertatis; quia præceptum est realiter distinctum à libertate humana: dispensatio autem est oon esse præcepti.

42 Sed hæc responsio non satisfacit. Nam libertas, de qua loquimur in argumento, est libertas non ligata, neque obligata;

nam ante præceptum, soluta est, & non ligata libertas. Unde fit, quòd præceptum est ligamen libertatis; & libertas, ut hic sumitur, aut est non existentia ligaminis præceptivi; aut saltem in conceptu suo dicit non existentiam ejus ligaminis. Unde infertur, implicare, quòd libertas sit certa, & præceptum ligans probabile: quia implicat, quòd detur ligamen probabile, & quòd sit certa nonexistentia ligaminis. Enim verò libertas dicit non existentiam ligaminis; & præceptum dicit existentiam ligaminis; atque adeò libertas, & præceptum continent duo prædicata contradictoria: atqui implicat ex duobus prædicatis contradictoriis, unum esse certum, & alterum probabile; ut constat ex *disp*. 4. *num*. 6. ergo implicat, quòd libertas sit certa, & præceptum probabile; vel è contra.

43 Respondendum ergo est ad præscriptum solutionis adhibitæ primæ objectioni, & dicendum; quando præceptum erat certum, & advenit dispensatio probabiliter valida, per hanc deficere intimationem præcepti hic & nunc obligantis; quia tunc deficit notitia præcepti obligantis, saltem moraliter evidens. Sicut etiam quando libertas est certa, & præceptum probabile, deficit intimatio præcepti, quæ consistit in evidentia, saltem morali, ipsius præcepti hic & nunc obligantis.

44 Ad objectionem ergo respondeo, negando consequentiam, nempe quòd dum præceptum est certum, non potest deturbari à sua possessione per dispensationem probabiliter validam: nam præceptum dicit, aut requirit essentialiter intimationem, sive notitiam evidentem; ideòque à sua possessione deturbatur per defectum intimationis essentialiter requisitæ ad præceptum: quem defectum importat dispensatio probabiliter valida. Ad confirmationem patet ex dictis.

45 Instabis ex supradictis. Implicat, quòd sit certa libertas, & quòd sit probabile ligamen libertatis: nam, ut supra diximus, loquimur de libertate non ligata. Si ergo probabile est ligamen libertatis, probabile erit, quòd deficit libertas non ligata: ergo non est certum, quòd datur libertas non ligata. Tum sic: præceptum probabile est ligamen probabile libertatis: ergo implicat, quòd libertas sit certa, & præceptum sit probabile; atque adeò componi non potest libertas certa cum præcepto probabili.

46 Respondetur concessa majori, negando minorem. Cùm enim lex, & præceptum petant essentialiter intimationem, quæ consistit in notitia, saltem moraliter evidenti legis, & præcepti; eo ipso quòd præceptum sit merè probabile, nullo modo est, nec esse potest ligamen libertatis. Nam ligamen libertatis non est præceptum utcumque, sed præceptum intimatum, quòd importat notitiam, saltem moraliter evidentem.



TRA-

TRACTATUS SECUNDUS
DE OPINIONIBUS, QUÆ REPUGNANT PRINCIPIO CERTO.

DIximus *disp.56. cap.9. art.3.* tria à nobis promovenda esse media ad discernendum opiniones practicè probabiles ab improbabilibus, & laxativis conscientiæ. Quorum primum est ostendere, quomodo opiniones sint incompossibiles cum principio certo: nam quæ tales fuerint, esse certò falsas, & positivè improbabiles, clarissimè ostendi loco citato.

Et iterùm omnibus testatum esse jubeo, non esse meæ intentionis censura aliqua, aut nota improbabilitatis afficere opiniones aliorum, nisi quantum ipsa vis consequentiæ ad id coegerit. Quare si sapientiores alii compererint, vim consequentiæ non pollere morali certitudine, prædictis opinionibus nullum præjudicium parari, libenter pronuncio.

Et quidem postquam hæc scripsi, pervenit ad manus meas decretum Sacræ Congregationis promulgari jussum à SS.D. Innocentio XI. editum die 2. Martii, anni 1679. ubi postquam damnavit sexaginta quinque propositiones versantes in materia morum, in fine præcipit, ut omnes caveant à qualibet censura, & nota, & à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur. Quod decretum reperies infrà *disp.77. cap.1.* Et ideò iterùm assero, non esse meæ intentionis censurare, aut notare propositionem aliquam ex eis, quæ controvertuntur inter Catholicos; sed solùm proponere certitudinem consequentiæ, quam ego existimo inesse meis assertionibus.

DISPUTATIO LXI.

An bona sæcularia possint fieri Ecclesiastica sine licentia Regis?



1 HÆc disputatio edenda erat in prima parte Crisis Theologice editę in Typographia Lugdunensi; eratque inter disputatinnes primæ partis decima nona. Censnres tamen libri, putantes eam adversari stylo Galliæ, non permiserunt typographis hujus editionem. Idcò eam seorsim edidi, paucissimis tamen eaemplaribus, quæ fines Beticæ provinciæ, ut opinor, non transilierunt. Quare operæ pretium duxi, eam huic tertiæ parti adjungere. Et notum esse jubeo, me in ea non adversari stylo Galliæ, nam omninò me latet, an id Regnum gaudeat privilegio Pontificio, aut aliquo jure æquivalenti.

CAPUT I.

Exponitur singularis opinatio Caramuelis.

SUMMARIUM.

Quadruplex dominium, proprietatis, potentiale, jurisdictionis, & politicum? nu.3.
Quæ bona dicantur cadere in manum mortuam? n.4.
Quid sit amortizatio? nu.4.
De licentia Regis posse vinculari bona laica? n.5.
Prima conclusio Caramuelis, jure naturæ, non posse fundum sæcularem fieri Ecclesiasticum sine licentia Regis? nu.6.
Conclusio 2. neque ex jure Ecclesiastico posse fundum sæcularem fieri Ecclesiasticum, sine licentia Regis? n 7.
Conclusio 3. ad hoc sufficere, licentiam Regis fuisse olim concessam? n.8.
Conclusio 4. ut bona sæcularia fiant Ecclesiastica, non valere præscriptionem legalem? n.9.
Speciale dominium Dei in domum sibi dicatam? n.11.
Per donationem Domus Christo factam non amittet Rex suum dominium? nu.13.
Templa esse ea loca, in quibus nec cives, nec Rex habent ullum dominium? num.14.

2 CAramuel *disp.57.* in regul. S Benedicti eam in hac quæstione singularem (paucis quidem jurisperitis communem) subivit semitam, ut assereret, ut bona immobilia sæcularia vendita, vel donata Ecclesiæ, fiant Ecclesiastica, necessariam esse simpliciter licentiam Regis, sive Principis supremi sæcularis. Cujus opinationis examen tanen magis necessarium est, quanto majorem habet speciem probabilitatis, ad cujus larvam speciosè videtur composita. Spero autem, quòd detecta larva, & vi sophistica argumentorum dissoluta, tradendæ doctrinæ certitudo constabit.

3 Igitur pro fundamento suæ conclusionis supponit, respectu cujuslibet rei esse triplex dominium, v.g respectu fundi existentis intra Regnum Hispaniæ: aliud dominium propsietatis, quod habet Petrus fundi dominus: aliud dominium potentiale, quod habent omnes incolæ urbis, vel regni, ratione cujus habent jus ad emendum, vel accipiendum gratis illum fundum, cùm eatiterit occasio emptionis, vel donationis. Tertium est duplex, jurisdictionis, & politicum, quod utrumque residet in Principe supremo sæculari. Dominium jurisdictionis est jus gubernandi legibus. Dominium politicum, sive extraordinarium est jus, quod habet Princeps supremus disponendi de bonis unius privati hominis, quando id expedit ad bonum Reipublicæ.

4 Deinde supponit, bona dici cadere in *manum mortuam*, quando vinculantur, aut Ecclesiastica fiunt, eo quòd fiunt inalienabilia, ideòque ex illa manu ad aliam transire non possunt. Prætereà amortizationem bonorum dici illam actionem, per quam bona vinculantur, & inalienabilia fiunt: quia sicut hæres mortuus dicitur, qui est exhæres; & exul, captus ab hostibus, pleaus in statua, & similes, cives mortui dicuntur, *leg Cùm status, ff. de donat. causa mort.* Ita cùm bona fiunt inalienabilia, emptores in ordine ad illa diei possunt mortui respectu illorum bonorum; & possidentes venditores mortui; immò & *bona ipsa vinculata, & incommutabilia possunt mortua dici*: Quæ sunt verba Caramuelis.

5 Supponit tertiò de consensu Principis sæcularis ea causa gravi, utentis jure dominii politici, posse bona vinculari, & inalienabilia fieri: quia sic ex causa gravi potest universos privare jure dominii potentialis, quod habent in prædicta bona. His suppositis, circà præcipuam quæstionem has quatuor conclusiones statuit.

6 [Conclusio prima. Stando juri naturæ, non potest fundus sæcularis Ecclesiasticus fieri sine licentia Regis Est evidens: quoniam nemo potest Deo, aut Ecclesiæ dare, quod suum non est: ergo Petrus cùm donat fundum Ecclesiæ, poterit ei validè dare dominium, quod habet ipse, non illud, quod habet Rex, non illud, quod habent universi. Atqui Rex habet in illo fundo dominium supremæ jurisdictionis, atque dominium politicæ authoritatis; universi in eundem fundum habemus dominium potentiale; Petrus autem solummodo habet proprietatem actualem: poterit ergo Petrus donare Ecclesiæ hanc privatam actualem proprietatem, quæ ad se pertinet; non poterit proprietatem politicam, supremamque jurisdictionem, quæ pertinet ad Regem; non poterit dominium largiri potentiale, quod pertinet non ad Petrum unum, sed & ad universos. Ergo ex vi privatæ donationis ille fundus erit fundus Ecclesiæ, non tamen Ecclesiasticus.

7 Conclusio secunda. Stando juri Ecclesiastico non potest fundus sæcularis Ecclesiasticus fieri sine licentia Regis. Patet: quia nec de licentia Summi Pontificis, nec ea vi alicujus Canonis licèt aliena rapere, & Ecclesiæ largiri. Dominium autem supremum, & politicum non pertinet ad Petrum, sed ad Regem; ac pro inde illud non poterit Petrus cuipiam, aut vendere, aut donare, Rege invito. Ita sentiunt Olivanus *tract. de jure fisc. cap.7. num 31.* & juniores jurisconsulti subscribentes Arnolfo Ruzeo, Petro Peckio, Carolo de Grassalio, & Chopino.

8 Conclusio tertia. Sufficit Regis licentiam fuisse olim concessam, si legitimè non sit revocata, aut moraliter esse desierit. Tale privilegium de facto Constantinus Imperator, & alii Monarchæ concesserunt. Id videntur non concesisse Reges Galliæ, Valentiæ, Lusitaniæ, & Majoricarum: sine quorum licentia nulla bona sæcularia (supple defectum textus, *acquirere potest Ecclesia*) vide Dianam *1. part. tract.2. resol.24. & part.4. tract.2. resol.57.* qui contrariæ subscribit.

9 Con-

9 Conclusio quarta. In amortizatione requisita, ut bona sæcularia fiant Ecclesiastica, non habet locum legalis aliqua præscriptio. Ratio est: quia legibus non debent judicari, qui ipsis non sunt subjecti: ergo sæcularis Principis lex non potest favere Pontifici, quoniam ille sæculari non subditur, nec venit sæculari jure judicandus. Leges igitur de præscriptionibus latæ à Monarchis sæcularibus Pontifici summo non favent. Atqui neque leges de præscriptionibus Ecclesiasticæ: ergo. Probatur minor: quia tales leges nequeunt directè attingere bona, quæ non sint Ecclesiastica: quæ autem illegitime dantur Ecclesiasticis, antè quam præscribant, non sunt bona Ecclesiastica.] Hucusque conclusiones Caramuelis.

10 In tertia conclusione deficiunt ea verba textus, quæ in parenthesi adnotantur, scilicet *Acquirere potest Ecclesia*; hæc enim est lex, quam servari, aut servatam fuisse in Gallia, Authores referunt: & præcipuè Diana ibi citatus à Caramuele, qui dictam Galliæ legem refert præsertim 6. *part. tract.* 3. *resol.* 1. *&* 10. & hæc sunt, quæ de bonis immobilibus Ecclesiasticis generaliter tradit.

11 Specialiter autem loquitur de domibus sacris, quæ Ecclesiæ acquiruntur ad Divina sacrificia peragenda. De quibus *num.* 827. ita tradit: [Ex eisdem principiis cognosces, quid facias, cùm Christo ipsi, & uni domum aliquam dedicas, hoc est, donas. Post donationem illa domus novo titulo debetur Deo. Deus habebat in illa domo dominium generale infinitum intrinsecum, & *ab æterno*; incipit à donationis tempore esse Domus illius novo titulo, nempe jure proprietatis actualis, atque particularis. Unde jam illa domus jure actualis dominii non ad te, sed ad Deum unum pertinebit tamquam ad verum Dominum, & ad Summum Pontificem tanquam ad Prodominum, seu Dei Vicarium: qui illam pro arbitrio dare, aut alienare non poterit, ni detur causa, ex qua probabiliter colligatur, Christum D. si inter nos degeret, illam alienaturum esse.

12 Omnes, qui habebant anteà dominium proprietatis in illam domum, habebunt, & post consecrationem: ac proptereà, si ex causa sufficienti illam Summus Pontifex vendat, poterunt eam à Pontifice emere illi omnes, qui à te poterant antè consecrationem.

13 Per meram domus dedicationem, seù donationem Christo D. factam, non perdit Rex, aut quilibet supremus Dominus jurisdictionis, aut politicæ authoritatis titulum. Ratio est: quia ex vi istius dedicationis tu transtulisti in Christum, quidquid juris habebas in ista dicta domo: atqui non habebas dominium supremæ, nec dominium politicæ authoritatis: ergo illud transferre non potuisti. Manet igitur domum illam *non esse totaliter sacram, sed secundùm quid*. Remque nullam posse fieri totaliter sacram sine licentia proprii Regis; sine licentia, inquam, quam vel olim dederit, vel posteà dabit.

14 Templa sunt loca totaliter dicata Deo, quæ subsunt Deo soli & prætereà nemini. In eis habet jus dominii Pontifex, non ut Dominus; sed ut Prodominus. Hinc constat, templa esse loca, ad quæ possunt omnes confugere tamquam ad asylum, in quibus sæculares, aut Ecclesiastici judices nullam jurisdictionem habent. Nullum potest Catholicus Hispaniæ Rex vinculis mandare Londini; Rex Angliæ nullum Madriti potest capere: quia sicut nec Londini Catholicus, sic nec Madriti Rex Angliæ supremam, aut politicam jurisdictionem habet. Ergo similiter nullus Rex, si rei naturam spectemus, poterit quempiam à templo extrahere, quia in eo nullam jurisdictionem supremam, aut politicam habet: est enim templum locus adæquatè mortuus, qui debet censeri, ac si non esset. Unde qui est in templo, non solùm censendus est, non esse in territorio alterius Regis, sed etiam (& hoc benè considera) censendus est non esse in mundo: est enim in loco, qui nullo titulo subest homini, sed uni Deo. Si quispiam Hispanus confugiat ad Angliam, est liber. Cæterùm si id causa exigat; poterit Angliæ Rex, aut ejus Vicarius negare favorem confugienti, & permittere, ut in Anglia capiatur. Non secus Summus Pontifex (ipse est Prodeus) ex causa legitima favorem, & adsistentiam aliquibus sceleratis denegat, permittens, quòd ab Ecclesia ipsa extrahantur. Posita autem hac Pontificia permissione possunt & ab Ecclesiis extrahi, & sententia condigna judicari.]

15 Vides quanta, & quàm admiratione digna tradat in his periodis Caramuel. Juxta quam doctrinam primò ædes sacra Deo donata, sine licentia Regis, & consecrata, in quam omnes Fideles conveniunt ad celebrationem Sacrificii, Sacramentorum receptionem, & verbi Dei auditionem, *non est totaliter sacra, sed secundùm quid*. Secundò non est templum. Tertiò remanet in universis jus potentiale ad illam ædem. Quartò remanet in Rege jus supremæ jurisdictionis, & dominium politicum ad disponendum de illa, quando utilitas Reipublicæ exigat. Quintò non est locus refugii delinquentibus, quin potiùs Rex pro jurisdictione sua potest inde quoscumque reos extrahere. Sextò nulla res potest fieri totaliter sacra sine licentia Regis. Cujus autem censuræ nota inuri debeant prædictæ propositiones, non est mei instituti discernere: solùm enim ad Crisim meam spectat certam doctrinam stabilire.

CAPUT II.

Bona sæcularia sine licentia Regis posse fieri Ecclesiastica, contra Caramuelem demonstratur duobus argumentis.

SUMMARIUM.

Demonstratio 1. *Ex eo, quòd occidens gregem non privat Regem, neque alium civem suo dominio?* n. 17.

Item ex eo, quòd in furto, & occisione ovium esset nova circunstantia ad confessionem, & restitutionem? n. 18.

An dominium Regis sit etiam in bona mobilia? n. 22.

An demoliens domum, & extirpans vineam inferat injuriam dominio Regis, aut civium? Et hinc demonstratio secunda? n. 24.

16 PRima conclusio contra prædictam doctrinam est generalis de omnibus bonis stabilibus acquisitis ab Ecclesia, aut Ecclesiastica communitate, qualis in titulo proponitur. Nam de speciali statuto prohibente alienationem bonorum in favorem Ecclesiæ, & de ædibus donatis Christo ad sacrificia peragenda, aliisque quæstionibus specialibus in ea Caramuelis doctrina traditis, specialiter deinde agendum erit. Igitur prædicta conclusio.

17 Demonstratur primò. Qui habet gregem ovium, vel armentorum, & occidit ad sustentationem suæ familiæ, nullam injuriam infert Regi, nullam particularibus civibus; similiter qui gregem transportat extra regnum, venditionis causa: & tamen per hoc Rex privatur dominio politico, quòd habet super gregem illum; & particulares cives privantur eo dominio potentiali, quod similiter in gregem habebant: ergo cùm quis donat Ecclesiæ fundum ad sustentationem, vel ædem ad sacrificia, nulla fit injuria Regi, nulla particularibus civibus, quamvis Rex privetur dominio politico, & particulares dominio potentiali. Consequentia patet ab identitate rationis. Non enim habet Rex majus dominium politicum in fundum, quàm in gregem; nec cives majus dominium potentiale: hoc autem dominio in gregem non obstante, qui habet dominium proprietatis, ita disponit de grege, ut penitus dispareat id dominium politicum, & potentiale in gregem, eaque dispositio nemini est injuria: ergo cùm quis donat Ecclesiæ fundum, sine ullius injuria ita potest disponere de illo, ut penitus dispareat dominium politicum, & potentiale in fundum.

18 Confirmatur. Juxta doctrinam Caramuelis, nemini licet spoliare Regem dominio supremo, & politico, item cives dominio potentiali; sed occidere gregem, etiam in sustentationem sui, est spoliare Regem dominio supremo, & politico in gregem, & cives dominio potentiali: ergo nemini licet occidere gregem, etiam in sustentationem sui. Hoc consequens, quòd legitimè infertur ex præmissis, est evidenter falsum ex sola apprehensione terminorum: ergo & antecedens, unde infertur. Nam ab opposito contradictorio consequentis est evidens consequentia ad oppositum contradictorium antecedentis.

19 Confirmatur secundò. Sequeretur etiam, eum, qui furatur oves, & occidit ad comedendum, non solùm injurium esse domino gregis, sed Regi etiam, & concivibus; quos spoliat dominio ad unumquemque pertinente. Quod si concedatur; nova circunstantia peccati additur, quæ in confessione necessariò explicanda erit in eorum sententia, quæ peccata multiplicat pro numero personarum, quibus irrogatur injuria, etiam unica actione, & ideò pœnitens explicare debebit circunstantiam occisionis ovium raptarum: cùm occisio ea spoliet Regem, & concives speciali dominio: quod novum onus est pœnitentibus: & Summistis, ac Theologis exprobrandum, quòd hoc genus injuriæ, & oneris non explicaverint, neque obligent furem ad restituendum Regi, & regnicolis.

20 Dices primò, dominium politicum Regis, & potentiale civium in gregem esse conditionatum, scilicet dum hic extiterit, vel in vivis fuerit, vel non fuerit civiliter mortuus, scilicet extractus à regno.

21 Infero: ergo similiter Rex habet dominium politicum, & dominium supremæ jurisdictionis in fundum illum, dum fuerit civiliter vivus, sive dum non ceciderit in potestatem Ecclesiasticam, sub qua manet amortizatus. Ergo similiter cives habent dominium potentiale in fundum, dum fuerit civiliter vivus, vel dum non fuerit civiliter mortuus, vel dum non ceciderit in manum impotem alienandi. Quod confirmatur ex verbis Caramuelis relatis suprà *num.* 3. quibus ait: [Bona ipsa vinculata, & incommutabilia possunt mortua dici.] Sed dum cadunt in manum Ecclesiasticam, fiunt vinculata, & incommutabilia, juxta Sacros Canones: ergo fiunt civiliter mortua: ergo dominium supremum, & politicum Regis conditionatum est, & non extenditur ad illa bona stabilia, nisi donec non fuerint mortua civiliter: & idem de dominio potentiali.

22 Dices secundò, hoc dominium Regis esse speciale in ordine ad bona stabilia; & similiter dominium potentiale civium ea bona specialiter respicere; non ita in ordine ad bona mobilia.

23 Sed Caramuel id non potest respondere, qui etiam ad bona mobilia concedit illud dominii genus. Etenim *num.* 821. ait: [Hinc con-

constat, hunc librum jure dominii actualis pertinere ad suum dominum; jure dominii potentialis ad omnes, & singulas personas; omnes enim aut possunt eum recipere gratis, aut emere.] Secundò: quia est evidens, Regem habere idem dominium, & item cives in bona mobilia, atque instabilia.

24 Demonstratur secundò. Petrus cum solo dominio proprietatis potest demoliri domum, extirpare vineam, convertendo illam in terram frugiferam sine licentia Regis, & sine injuria, vel querela concivium; & passim homines ita faciunt: atqui juxta doctrinam Caramuelis non possunt id facere: ea ergo doctrina militat contra evidentiam. Probatur minor. Nam si Rex habet dominium jurisdictionis, & politicum absolutum, & non conditionatum; & item concives dominium potentiale simile in domum, & vineam; qui destruit domum, & extirpat vineam, Regem spoliat dominio supremo, & politico; & concives dominio potentiali, quod habebant in ea bona; atqui spolians Regem, & concives dominio suo, illis irrogat injuriam: ergo id præstare non potest sine injuria Regis, & concivium.

CAPUT III.

Duo alia argumenta desumpta à dominio, quòd habebat Rex in personam, antè transitum ad clericatum, & ad aliud regnum.

SUMMARIUM.

Demonstratio 3. Ex eo, quòd sacris initiati non manent sub dominio jurisdictionis Regis? n. 25.
An exemptio clericorum sit juris divini? n. 29.
Eadem est ratio de exemptione clericorum, ac bonorum Ecclesiæ? n. 30.
Certum est, exemptionem clericorum potuisse statui à Pontifice? n. 32.
Rex non potest præcipere contra decentiam status? n. 33.
Indecens est trahi clericos ad tribunal laicum. Ideò potestas Regia ad id non extenditur? n. 34.
Demonstratio 4. ex eo, quòd Hispanus transiens ad Galliam non manet sub dominio Regis Hispani? n. 36. & seqq.

25 DEmonstratur tertiò. Nam in simili arguendi forma probari potest, laicos, cùm sacris initiantur, aut ad religionem transeunt, remanere sub dominio supremæ jurisdictionis regiæ, adeòque posse in causis etiam criminalibus à Rege judicari, onerari vectigalibus, &c. Vel quòd, dum laicus transit ad ordines, aut religionem, faciat Regi injuriam, privando illum eo supremæ jurisdictionis dominio: quod utrumque est evidenter falsum.

26 Quod sic ostenditur. Nemini licet spoliare Regem supremo dominio jurisdictionis: qui sacris initiatur, vel transit ad religionem, spoliat Regem supremo dominio jurisdictionis: ergo nemini licet, sacris initiari, vel transire ad religionem. Probatur minor. Non minus dominium jurisdictionis supremæ habet Rex in personas laicas, quàm in fundos sæculares: sed dum laicus suscipit ordines, amittit Rex tale dominium, quod habebat in personam laicam: ergo qui sacris initiatur, vel transit ad religionem, Regem spoliat supremo dominio jurisdictionis.

27 Vel sic: Nullis legibus Ecclesiasticis potest Rex spoliari dominio, quod habebat in fundum sæcularem; ut asserit Caramuel conclusione 2 atqui in personam laicam, antequam transeat ad clericatum, habet Rex dominium supremæ jurisdictionis: ergo nullis legibus Ecclesiasticis potest Rex spoliari dominio, quod habebat in personam laicam, antèquam transiret ad clericatum. Probatur consequentia. Ideò nullis legibus Ecclesiasticis potest Rex spoliari dominio, quod habebat in fundum, quia leges Ecclesiasticæ *non possunt facere, quòd liceat aliena rapere, & Ecclesiæ largiri*; sive quod liceat privare aliquem jure suo: sed non minus pollet Rex jure dominii supremi in personam antè transitum ad clericatum, quàm in fundum sæcularem: ergo nullis legibus potest tali jure spoliari.

28 Vel sic: Non minus dominium habet Rex in personas laicas, quàm in fundos sæculares: sed dum Petrus donat Ecclesiæ fundum sæcularem sine licentia Regis, manet Rex cum dominio supremo supra talem fundum: ergo dum persona laica donat se Ecclesiæ, per transitum ad clericatum sine consensu Regis, manet Rex cum eodem dominio jurisdictionis. Et cave, ne in hoc argumentum incidant Anglicanæ hæresis propugnatores, illud enim magni facient, utpotè à Caramuele tamquam evidens acclamatum.

29 Duæ responsiones huic argumento exhiberi possunt. Prima est, exemptionem clericorum à judiciis sæcularibus, & à vectigalibus, esse jure divino institutam: undecùm jus divinum sit suprà quodlibet jus humanum, rectè jure divino spoliantur Reges eo jure dominii, quod habebat in laicas personas, antequam transirent ad clericatum. Cùm verò jus divinum non eximat bona Ecclesiæ acquisita à jure Regum, inde est, quòd bona Ecclesiæ acquisita maneant sub dominio Regum, si isti non cedant jure suo.

30 Hæc tamen responsio nihil elevat difficultatem: nam eædem rationes, quæ probant, exemptionem clericorum esse de jure divino; & iidem Authores, qui affirmant; probant, affirmant, exemptionem bonorum Ecclesiæ esse etiam de jure divino, ut clarè affirmatur *in cap. Quamquam*. De censibus, in Unde si per transitum ad clericatum, cessat dominium supremæ jurisdictionis in Rege ob dispositionem juris divini; etiam per hoc quòd bona laica transeant ad Ecclesiasticam potestatem, ob similem dispositionem juris divini cessabit similiter dominium supremæ jurisdictionis, & politicum regale. Vide P. Suar. *in defens. Fid. l. 4. c. 9.* Bonacio. *t. 2. disp.* 10. in præcepta *decal. q. 2. punct.* 1. §. 1. *n.* 2. & plures alios apud ipsum. Item Dianam *p. 6. tract. 3. resol. 2. & p. 1. tract. 2. resol. 1.* & plures apud ipsum.

31 Secunda responsio exhiberi potest, exemptionem clericorum introductam esse jure civili, adeòque à Regibus concessam esse: quam si Reges non dedissent, haberet vim argumentum factum, quòd per transitum ad clericatum non possent Reges spoliari supremo jurisdictionis dominio, quòd habebant in personam, antequam ad illum transiret.

32 Hæc tamen doctrina est improbabilis, & certò falsa. Et ideò potuisse Pontifices Romanos hanc exemptionem dare personis Ecclesiasticis independenter à licentia Principum sæcularium, certum esse, asserit, & latè probat P. Suar. contra Regem Angl. *lib. 4. cap. 11. à num.* 5. quòd probat primò ex eo, quòd multi Romani Pontifices sub censuris præcipiant Principibus observantiam hujus immunitatis. Ut constat ex *cap. Noverit*, *& cap. Gravem.* de sententia excommun. & cap. ultimo de rebus Ecclesiæ non alienandis, *& cap. Quamquam, de censibus in 6.* ergo independenter à Principibus præcipiunt immunitatem. Probat secundò ex *Trid. sess.* 25. in decreto *de refor. cap.* 20. cujus ea sunt verba: *Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam.* Probat tertiò ex eo, quòd Christus D. dederit Petro, & successoribus potestatem in temporalibus in ordine ad spiritualia, eo modo, quo oportuerit ad rectam, & decentem gubernationem Ecclesiæ, & membrorum ejus. Quas rationes optimis instantiis confirmat.

33 Quibus addo aliam ad propositum meum urgentiorem; Numquam habuerunt Principes dominium, aut jus aliquod ad tractandum indecenter res, aut personas sacras, non solùm ea indecentia, quæ irrogat gravem injuriam, sed etiam ea, quæ dedecet statum rei, aut personæ. Sic enim, seclusa quavis exemptione, non habet Rex potestatem præcipiendi sacerdoti, ut super humeros per publicas urbis vias portet onera; nec ut portet publicè amphoram aquæ super humeros, neque ut agat muous mulionis, vel agasonis; quia hæc omnia dedecent statum. Sic etiam potestas regalis non extenditur, neque unquam extensa est ad præcipiendum fœminæ nobili, ut palàm vendat vinum ab alio emptum, neque ut administret per se tabernam olerum; nec viro nobili, ut tutoris gerat officium; nec magno regni Dynastæ, si deliquit, ut carceretur in custodiæ publicæ ergastulis tenebricosis, ubi sordidissimi generis malefactores degunt: quia potestas regalis non extenditur ad ea, quæ uniuscujusque statum dedecent: cùm potestas regalis solùm sit in ordine ad utilitatem publicam, & gubernationem decentem.

34 Jam verò certum est, esse indecens, quòd ad laica tribunalia trahantur, & ab eisdem, & eodem modo puniantur, ac reliquum vulgus, sacerdotes Deo consecrati. *Quorum ministerio* Princeps, & vasalli *fiunt Christiani* (ut cum Lessio cit. loquar) *Accipiunt doctrinam salutis, remissionem peccatorum, animæ sanitatem, panem cœlestem, & vitam æternam; quorum orationibus, & sacrificiis fulcitur regnum, avertuntur calamitates, conciliatur pax, tranquillitas, & fælix status rerum.* Dicendum ergo est, potestatem regiam nunquam extensam esse ad exercendam punitivam jurisdictionem, & ad similes actus; maximè postquam hæc indecentia apertius manifestata est in conspectu nationum. De quo vide *cap.* 12.

35 Dices, ex hac ipsa ratione posse sumi disparitatem inter fundos sæculares, qui donantur Ecclesiæ, & viros laicos, qui transeunt ad clericatum. Si enim indecens est, sacerdotes, seu clericos cum reliquo vulgo computari, ut subiiciantur judiciis cum laicis, & contributionibus vulgi; ea ratio in fundis Ecclesiæ donatis non apparet; nulla enim est indecentia in eo, quòd fundi subiiciantur dominio politico regali. Hæc tamen responsio enervatur demonstratione 5. & præsertim ejus confirmatione, & demonstratione 6. item *cap.* 12. 16. & 18.

36 Demonstratur quartò. Nam simili arguendi forma probari potest, vasallum Regis Catholici in Hispania natum, & commorantem, non posse mutare domicilium, ita ut transeat ad Galliam, vel Germaniam; ergo absurda est doctrina, quæ tam ridiculum monstrum parturit. Probatur antecedens. Nemini licet expoliare Regem supremo dominio jurisdictionis: sed Hispanus, qui transit ad Galliam, domicilium mutando, privat Regem Catholicum supremo dominio jurisdictionis: ergo non licet Hispano transire ad Galliam, domicilium mutando. Minor probatur: Rex enim habebat dominium supremum jurisdictionis in eum subditum, dum erat in Hispania, & dum transit ad Galliam mutando domicilium. Rex jam non habet dominium jurisdictionis in illum: ergo per transitum illum spoliat Regem eo dominio jurisdictionis: & similiter potest probari, quòd quamvis transeat ad Galliam, illoc transferens domicilium, Rex Catholicus retinet dominium jurisdictionis suprà illū.

Dices, nunquam Regem habuisse dominium jurisdictionis super Hispanum, nisi intra sui regni ambitum, non verò supra Hispanum, transferentem domicilium ad regnum extraneum.

38 Contra est primò. Nam Ecclesia quo ad hoc reputatur regnum extraneum: ergo cùm fundus transivit ad dominium proprietatis Ecclesiæ, reputabitur quasi transiisset ad aliud regnum.

39 Contra est secundò. Nam sicut dominium jurisdictionis regalis extenditur ad Hispanum, sub conditione, quòd non transeat ad regnum extraneum; ita idem dominium regium non extenditur ad fundum, nisi sub conditione, quod non transeat ad Ecclesiam.

40 Confirmatur. Ex sola mutatione loci pertinentis ad aliud dominium potest subditus subiici diverso dominio, & cessare dominium primi domini: ergo etiam ex mutatione status pertinentis ad diversum dominium, potest subditus subiici alteri domino, & cessare dominium primi domini, scilicet per mutationem ad statum clericalem, vel regularem. Consequentia patet: Nam status Ecclesiasticus pertinet ad dominium Summi Pontificis. Subinfero: ergo bona immobilia ratione diversi status, quem subeant, possunt pertinere ad diversum dominium politicum, & supremum. Ergo si possit intelligi, quòd res immobilis transeat ad diversum statum, scilicet Ecclesiasticum, poterit intelligi, quomodo dominium Regis nunquam extensum fuerit ad rem illam sub illo statu. Unde ergo probas, quòd res immobilis acquisita ab Ecclesia sine licentia regis non transierit ad statum Ecclesiasticum, nec facta fuerit Ecclesiastica, cùm ad dominium proprietatis Ecclesiæ transierit? Respondes, quia Rex habebat dominium politicum, & supremum in illam. Sed non respondes: quia petis principium, debebas enim probare, quod Rex habet dominium in fundum sub omni statu, aut sub statu pertinente ad dominium proprietatis Ecclesiæ. Quod malè probas ex eo, quòd habebat Rex dominium in rem, dum erat sub alio statu. Sicut malè probares, Regem retinere dominium jurisdictionis super vasallos, in quocunque regno commorentur, ex eo, quòd ante habuerit dominium jurisdictionis in illos, dum in suo regno commorabantur.

CAPUT IV.

Instruitur argumentum quintum ex eo, quòd nec privati habeat dominium, aut jus in ordine ad detrimentum Reipublicæ.

SUMMARIUM.

Demonstratio 5. proponitur. nu. 41.
Nocumentum est Reipublicæ, quòd bona Ecclesiæ sint alienabilia. nu. 43.
Potestas Regis non est in perniciem Reipublicæ. nu. 45.
Alienabilitas bonorum stabilium est in perniciem Ecclesiæ. num. 46.
Sanctus Petrus accepit à Christo potestatem supremam statuendi ea omnia, quæ necessaria sunt ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ. nu 48.
In quavis lite prævalet utilitas publica. n. 50. & seq.

41 DEmonstratur quintò. Nullum dominium politicum Principum, neque ullum jus potentiale privatorum esse potest contra ea, quæ sunt necessaria ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ, & Christianæ: sed ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ, & Christianæ necessarium est, quòd bona stabilia, quæ intrant sub dominium proprietatis Ecclesiæ, fiant inalienabilia: ergo neque Principes laici ratione dominii politici, neque cives privati ratione dominii potentialis habent jus, ut bona stabilia, quæ intrant sub dominium proprietatis Ecclesiæ, maneant alienabilia. Ergo neque Principes ratione dominii politici possint disponere de illis per alienationem, atque adeò deficit saltem partialiter ejusmodi dominium politicum; neque cives privati habent jus potentiale, ut ea bona maneant vendibilia, aut donabilia, atque adeò deficit ejusmodi potentiale jus civium.

42 Hæc consequentia patet ex prima: est enim explicatio primæ. Et major est evidens: quia nec Principes, nec privati habent jus ad destruendam Rempublicam Ecclesiasticam, aut Christianam. Probatur minor. Et quidem si probetur, id esse necessarium ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ, manifestum est, esse quoque necessarium ad conservationem Reipublicæ Christianæ, cùm hæc sine Ecclesiastica conservari non possit; & detrimentum, quod passa fuerit Respublica Ecclesiastica, utique subibit Christiana Respublica; cum hæc ab illa dependeat quo ad doctrinam salutis, quo ad remissionem peccatorum, quo ad Sacramentorum administrationem, quo ad sacrificiorū celebrationē, aliaque spiritualia ministeria.

43 Tum sic: impossibile est, conservari quamplurimas Communitates Ecclesiasticas, tum Religiosas, tum alias, quæ vel non aluntur ex decimis, vel quibus decimæ ad alimenta non sufficiunt; nisi bona ab Ecclesia acquisita sint omninò inalienabilia: ergo ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ necessarium moraliter est, ea bona Ecclesiæ acquisita esse omninò inalienabilia.

44 Ut antecedens certò constet, reducamus ad praxim doctrinam Caramuelis. In multis regnis Reges nullam licentiam dederunt adhoc, ut Ecclesia acquireret immobilia; neque de hac materia quidquam cogitarunt. Communitates Religiosæ acquisierunt bona immubilia, ex quorum redditibus fere sufficienter aluntur. Cùm hæc bona non sint acquisita de licentia Regis, juxta doctrinam Caramuelis, non sunt Ecclesiastica, adeoq; nec inalienabilia; item cùm non sint acquisita de licentia Regis, omnes regnicolæ habent jus dominii potentialis ad illa emenda, vel accipienda gratis; atque adeò illis repugnat esse inalienabilia. Cùm ergo vel ære alieno, vel necessitate annonæ in anno sterili premuntur Communitates religiosæ, licet Prælatis vendere fundos. Hoc anno unus venditur, alter anno sequenti. Et brevi annorum compendio, omnes fundi alienantur. Quid faciet Communitas, quæ fundos habebat sufficientes ad alendos quinquaginta religiosos, & jam nullum penitus fundum habet; & eleemosynæ civium vix sufficiunt ad tres religiosos alendos: locum deserere religiosum? Quòd idem eveniet in Collegiis, & Ecclesiis collegiatis, quæ ex redditibus bonorum stabilium aluntur. Ergo ne hanc jacturam patiantur, atque adeò ad sui conservationem, necessarium est, ea bona esse inalienabilia.

45 Confirmatur primò. Principes supremi ratione dominii politici nunquam habuerunt potestatem disponendi de bonis particularium in detrimentum Reipublicæ Christianæ: potestas enim eorum non est in destructionem, sed in detrimentum Reipublicæ Ecclesiasticæ, atque adeò Reipublicæ Christianæ est, quòd possit per alienationem disponi de bonis acquisitis ab Ecclesiastica Communitate: ergo Principes supremi ratione dominii politici nunquam habuerunt potestatem ad disponendum per alienationem de bonis ab Ecclesiastica Communitate acquisitis.

46 Quòd autem hæc alienatio sit in detrimentum Reipublicæ Ecclesiasticæ, disertè asseruit Pius Quintus in motu proprio, qui incipit *Et si de singulis*, de recuperatione bonorum Ecclesiasticorum malè alienatorum, his verbis: *Nos præmissa conniventibus oculis pertransire nequeuntes, utpote quæ in Divina Majestatis offensam, ac Ecclesiarum, & ordinis Clericalis detrimentum tendant.* Et Concilium Trident. *sess. 25. cap. 14.* de Reform. agens de quodam genere alienationis bonorum Ecclesiæ, ait: *Magnam Ecclesiis pernitiem affe re solet.*

47 Concedo itaque, quod Princeps habeat dominium politicum in fundum sæcularem Petri: ubi illum Petrus donat Ecclesiæ, cessat illud dominium politicum Principis saltem partialiter: quia cessat conditio, sub qua habebat tale dominium, scilicet sub conditione utilitatis publicæ: nam ubi fundus donatur Ecclesiæ, advenit circumstantia, quæ illam conditionem extinguit, scilicet publicæ rei detrimentum in alienatione repertum. Item cessat jus potentiale civium, si quod datur, in fundum illum: quia nunquam habuerant cives jus potentiale ad emendum, vel acquirendum in detrimentum Reipublicæ.

48 Confirmatur secundò. D. Petrus accepit à Christo potestatem supremam decernendi ea omnia, quæ necessaria sunt ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ, & prohibendi omnia ea, quæ sunt in perniciem illius: sed alienabilitas bonorum stabilium est in perniciem Reipublicæ Ecclesiasticæ; & alienabilitas est necessaria ad illius conservationem: ergo Petrus, & Successores ejus potuerunt prohibere alienabilitatem, & decernere inalienabilitatem bonorum stabilium Reipublicæ Ecclesiasticæ. Sed qua suprema est hæc potestas Petri, non dependet à consensu aliorum Principum; & qua necessaria est hæc inalienabilitas bonorum stabilium ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ, nullum potest esse jus, vel dominium contra illam: ergo Principes laici neque ratione dominii supremi jurisdictionis, neque ratione dominii politici possint disponere per alienationem de ejusmodi bonis ab Ecclesia acquisitis, vel acquirendis, neque privati possunt intrudere jus aliquod potentiale contra ejusmodi inalienabilitatem.

49 Major certissima est, quia aliàs Christus non satis providè consuluisset Ecclesiæ suæ. Præter quam quòd nulla est suprema potestas, quæ non possit decernere, quæ necessaria sunt ad conservationem Reipublicæ. Minor constat ex dictis in argumento. Et consequentia stat juxta regulas logicæ. Antecedens verò subjunctum ex dictis constat, cùm impossibile sit jus contra conservationem Reipublicæ. Consequentia verò nihil superaddit, quàm explicationem antecedentis.

50 Confirmatur tertiò. Quando lis est inter duas partes oppositas, quo ad jus ad aliquid, jus illius partis prævalere debet, quod est necessarium ad publicam utilitatem; & jus illius partis postponi debet, quod vergit in perniciem publicam: sed lis est circà alienabilitatem bonorum stabilium, quæ denuò acquisivit Ecclesia; nam ex una parte militant jus politicum Principis laici contendentis, ad se spectare dispositionem de talibus bonis in aliquibus casibus; & jus potentiale privatorum contendentium, bona debere manere alienabilia; & ex alia parte jus Reipublicæ Ecclesiasticæ contendentis, quæcunque bona stabilia intrant sub dominium suum, fieri inalienabilia: deinde hoc jus Ecclesiæ est necessarium ad publicam utilitatem, hoc est, ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ; & jus illud regium, seu potentiale privatorum vergit in perniciem Reipublicæ Christianæ: ergo quo ad talem dispositionem bonorum stabilium Ecclesiæ, prævalere debet jus Ecclesia-

clesiarum, & postponi debet jus dominii politici Principum laicorum, & jus potentiale privatorum.

51 Dices primò, detrimentum Reipublicæ Ecclesiasticæ consistere in alienatione bonorum stabilium; non verò consistere in eo, quòd donatio cum amortizatione fiat de licentia Regis: poterit ergo manere jus Regis integrum, ut id non fiat sine licentia Regis.

52 Contra est primò. Probavimus enim ex parte potestatis disponendi per alienationem nullum esse jus in Rege, quod requirat talem licentiam, eo quòd non sit jus in Rege ad id, quod est in detrimentum Reipublicæ. Contra est secundò. Nam vel hæc licentia Regis est necessariò concedenda, vel ad libitum Regis; si necessariò est concedenda; infero: ergo Rex non habet jus ad disponendum, quòd illa bona maneant alienabilia: ergo Rex non habet dominium politicum ad disponendum de illis per alienationem. Si verò dicas esse ad libitum Regis concedere, & non concedere eam licentiam; redit iterùm argumentum factum, quòd Rex non habet jus ad impediendam inalienabilitatem, in detrimentum publicum.

53 Dices secundò. Conventus Franciscanorum, & domos Professorum Societatis Iesu, & alias vivere de eleemosynis emendicatò postulatis: ergo alienatio bonorum stabilium earum communitatum non verget in detrimentum earum, si succedant eleemosynæ.

54 Sed contra est. Nam hæc res potius ab experimentis, quàm à similitudine rationis est petenda. Constat experientia, quamplurimas Communitates Ecclesiasticas non habere modum conservationis, aut gubernationis talem, ut ex eleemosynis postulatis possint sufficienter ali; quæ ubi detrimentum bonorum stabilium passæ sunt, vel sunt diminutæ, vel totaliter extinctæ: quòd si sine bonis stabilibus conservari omnes Communitates Ecclesiasticę possent, nunquam Romani Pontifices tam rigidè prohibuissent alienationes bonorum stabilium: quas prohibitiones multiplicaverunt, ut omninò necessarias ad conservationem Reipublicæ Ecclesiasticæ. Quod clarè constat ex verbis Pii V. & Concilii Trident. relatis *nu.* 46.

55 Dices tertiò, in Lusitania, & aliis regnis, non posse Ecclesias acquirere bona immobilia sine licentia Regis, & Ecclesiæ conservantur, & aluntur sufficienter: unde fit, non vergere in detrimentum Ecclesiarum, si non donentur bona absque licentia Regis.

56 Sed hæc responsio non est ad rem. Non enim dicimus postulationes licentiæ regiæ, aut prohibitiones denuò acquirendi, si habeant alimenta sufficientia, reddere impossibilem conservationem Ecclesiarum. Sed asserimus, non posse à laicis Principibus prohiberi Ecclesiæ acquisitionem bonorum stabilium, de quo dicemus *cap.* 7. & rursus Principes non habere jus politicum quo ad alienationem in ea bona sic acquisita, quia non habent jus ad disponendum de ullis bonis, quorum dispositio sit contra publicam utilitatem: ut contingeret, si ea bona manerent alienabilia: manerent autem alienabilia, si Principes ratione dominii politici possent de illis disponere, sicut de cœteris bonis subditorum.

CAPUT V.

Proponitur sextum argumentum ab inconsequentia doctrinæ.

SUMMARIUM.

Bona laica, etiam permanente dominio potentiali civium, possunt fieri Ecclesiastica. nu. 57.

Benè componitur dominium potentiale civium cum eo, quòd fundus sit absolutè inalienabilis. nu. 59. & seq.

57 DEmonstratur sextò. Si ob aliquid requiretur licentia Regis ad hoc, ut bona immobilia sęcularia fierent Ecclesiastica; maximè ob dominium potentiale civium: ex principiis tamen Caramuelis, adhuc persistente jure potentiali possunt fieri Ecclesiastica bona immobilia: ergo non requiritur licentia Regis, saltem quantum ex hoc capite.

58 Major est Caramuelis, qui prædictam licentiam Regis exigit, eo quòd ille ratione dominii politici in ordine ad publicam utilitatem potest privare cives eo jure potentiali. Relege eo *nu.* 824. §. *Majoris*. Minor ex ejus principiis probatur. Quæcumque bona Ecclesiastica quamtumvis amortizatione, & licentia Regis fiant Ecclesiastica, permittunt permanere istud jus potentiale: ergo isto dominio potentiali permanente possunt fieri Ecclesiastica. Probatur antecedens. Etenim quæcumque bona Ecclesiastica, quamtumvis amortizata possunt vendi de licentia Romani Pontificis; saltem quando aderit utilitas Ecclesiæ: sed hoc sufficit, juxta doctrinam Caramuelis, ut perseveret dominium potentiale, dum Ecclesiastica sunt: ergo bona Ecclesiastica permittunt permanere istud dominium potentiale. Major est indubitata.

59 Et minor probatur. Nam Caramuel *cit. num* 827. asserit, quòd quando Petrus sine licentia Regis donavit ædem suam ad sacrificia publicè celebranda, solus Christus D. habet dominium proprietatis ejus ædis; & Pontifex est Prodominus illius, qui illam alienare non potest, nisi detur causa, ex qua Christus alienaret, si inter nos degeret: quod idem est, ac dicere, quòd solùm posset Pontifex alienare in casu rarissimo ob utilitatem Ecclesiæ. Addit verò, in eo casu manere in civibus dominium potentiale: quia possent emere in eo raro casu, in quo Pontifex eam ædem alienaret. Vide verba Caramuelis supra *num.* 42. Tum sic: ut dicatur permanere jus potentiale civium, sufficit, quòd in aliquo casu raro utilitatis Ecclesiæ possit Pontifex ea bona alienare, ut patet ex proximè dictis: sed etiam quando sunt Ecclesiastica, & amortizata de licentia Regis, alienari possunt à Romano Pontifice in eodem casu raro: ergo hoc sufficit, ut dicatur perseverare dominium potentiale civium.

60 Dices. Quando Rex dat facultatem, ut Ecclesia acquirat ea bona immobilia, ratione dominii politici aufert jus potentiale civium ad illa: non ergo manet prædictum dominium potentiale.

61 Contra est. Rex non tollit dominium potentiale civium, nisi quantum requiritur, ut bona illa immobilia maneant inalienabilia eo modo, quo de facto sunt inalienabilia, & sub dominio Pontificis: sed ut fiant inalienabilia eo modo, quo de facto sunt, & sub dominio Pontificis, non requiritur ablatio ejus dominii potentialis civium: ergo quando de licentia Regis fiunt inalienabilia, Rex non tollit illud dominium potentiale civium. Consequentia est legitima. Major est evidens: quia Rex non potest tollere jus alterius, nisi quantum requiritur ad publicam utilitatem.

62 Minor probatur. Stat esse inalienabilia, ut de facto sunt, & sub dominio Pontificis, & quòd maneat dominium potentiale civium. Etenim, ut probatum manet, quantumvis inalienabilia sint, Romanus Pontifex potest ea alienare in casu raro utilitatis Ecclesiæ: id autem sufficere ex doctrina Caramuelis, ut permaneat dominium potentiale, constat ex dictis: ergo quantumvis inalienabilia sint eo modo, quo de facto sunt, non requiritur ablatio ejus dominii potentialis.

63 Hinc etiam evanescit illud, quod responderi potest ex Caramuele maximè *nu.* 826. §. *Hic obiter*. Cùm Pontifex dat legitimam licentiam alienandi bona Ecclesiastica, *Pontifex donat Ecclesiastices jure proprietatis potentialis*. (Quod videtur intelligere de jure vendendi) *cedit privilegio amortizationis concessæ à Rege*. Unde fit, quòd per licentiam Pontificis revivisciт illud jus potentiale emendi, quod per licentiam Regis erat extinctum.

64 Probavimus enim, non esse necessarium, quòd extinguatur jus potentiale, quod habent universi ad emendum: si enim hoc constat, quando ædes sacra non est vendibilis à Pontifice, nisi in casu rarissimo, poterit etiam persistere, quamvis de licentia Regis fiat invendibilis fundus; qui etiam in rarissimo casu manet vendibilis de licentia Romani Pontificis.

65 Confirmatur argumentum factum. Ut res fiat Ecclesiastica, & inalienabilis, non est necesse, quòd Rex amortizet dominium potentiale universorum: ergo ad eum finem non requiritur prædicta Regis licentia, seu amortizatio. Antecedens probatur. Stante enim dominio potentiali universorum potest fundus fieri inalienabilis. Etenim ut tradit *num.* 826. §. *Dominium*. potest Petrus Comes habere dominium potentiale ad emendum fundum, cùm tamen fundus sit invendibilis: ergo ut sit invendibilis, non est necesse, quòd amortizetur illud dominium potentiale; cùm ambo simul possint componi, & re ipsa componantur à Caramuele in prædicto casu Petri Comitis. De quo vide infra *cap.* 7. demonstratione 11.

CAPUT VI.

Tres aliæ demonstrationes pro nullitate dominii potentialis.

SUMMARIUM.

Dominium potentiale juxta Caramuelem non est solùm potentia ad acquirendum, sed verum jus actuale. nu 66.

Hoc dominium potentiale est chimaricum, quia etiam ablato eo dominio possunt cives emere. nu. 68.

Aliud est posse acquirere, aliud habere jus ad acquirendum. nu. 69.

Cives habent jus contra dolum, & fraudem, quibus impeditur emptio num 71.

Istud dominium potentiale potest considerari dupliciter, vel ut conditionatum, vel ut absolutum. num. 72.

Rex non privat omnes jure suo, nisi ob utilitatem omnium. num. 72.

Non potest exigi Gabella ab uno Regno pro defensione alterius, sine commodo istius. num 73.

Sententia, quæ ponit dominium potentiale in bonis Ecclesiæ, repugnat Sacris Canonibus. num. 75.

66 PRæmittendum est (quod & clarè constat ex dictis) hoc dominium potentiale, apud Caramuelem, non esse duntaxat potentiam ad dominium proprietatis utcumque, sed esse actualiter verum jus: quod patet ex tota ea quæstione Caramuelis. *Num.* 821. §. *Dominium particulare*, ait: [Hinc constat, hunc librum jure dominii actualis pertinere ad suum dominum; *jure dominii potentialis* ad omnes, & singulas personas.] Et *nu.* 823. §. *Quod talia*. [Singuli homines, qui sunt vera membra hujus regni, habent -

bent *jus dominii potentialis*: ergo nullus potest ab illis *hoc jus* auferre, nisi ipsi, vel Princeps. Sanè ipsi possunt etiam sine causa, quoniam possunt cedere *suo jure*. Non tamen sine Principe, quoniam, & ipse Princeps supremum habet jus dominii potentialis in talia bona; & si ipse etiam *non cedat jure suo*,] &c.

67 Ad ea, quæ dicenda sunt, revoca in memoriam, juxta doctrinam Caramuelis, jus potentiale universorum impedire, quo minus res fiat invendibilis, & inalienabilis: quia universi habent jus ad emendum, atque adeò habent jus, ut res sit emptibilis, sive vendibilis. Relege *num.* 824. §. *Majoris*, & præcipue ea verba: *Redditur invendibilis, si omnes priventur jure dominii potentialis respectu ejusdem domus, ita ut in posterùm nemo eam possit vendere, aut emere; hoc autem non potest fieri sine Principe*. Quare si utrumque, vel alterum deficiat, non fiet invendibilis: vnde si remaneat jus potentiale universorum ad emendum, res manet vendibilis, & alienabilis.

68 Demonstratur septimò conclusio. Hoc dominium potentiale, quod, secundùm Caramuelem, impedit, quòd bona Ecclesiæ donata statim fiant Ecclesiastica, nullum est, & chimericum: ergo ea hoc capite nihil obstat, quo minus bona sæcularia donatione, vel contractu fiant Ecclesiastica. Antecedens probatur in primis, quòd cùm tale dominium sit res nova, & singularis, & à paucissimis cognita asseratur à Caramuele absque probatione (quod valdè miror) quasi esset principium per se notum. Probatur deinde præfatum antecedens. Ideò ponitur istud jus potentiale in omnibus ciuibus, vel regnicolis, quia quilibet eorum potest validè emere, aut gratis accipere: sed secluso eo jure potentiali, quilibet potest validè emere, aut gratis accipere: ergo frustraneum est jus potentiale. Probatur minor. Quilibet potest cedere jure suo, atque adeò poterit cedere jure potentiali: facta autem hac cessione juris potentialis, adhuc potest validè emere, aut gratis accipere, dum res fuerit vendibilis, aut donabilis: ergo secluso jure potentiali potest validè emere, aut gratis accipere. Major est certa, & minor probatur. Dum quis fuerit capax dominii, potest validè emere, aut gratis accipere, dum tamen lege Principis, aut contractu suo non impeditur: sed facta cessione juris potentialis, remanet capax dominii; nemo enim potest se ipsum reddere incapacem dominii, nisi voto solemni paupertatis, aut voto paupertatis Coadiutorum formatorum Societatis: ergo facta cessione juris potentialis adhuc potest validè emere, aut gratis accipere, dum non impediatur lege, aut contractu.

69 Confirmatur. Stat, quòd possim habere aliquid, & quòd non habeam jus aliquod ad illud, ergo stat, quòd cives possint emere aut gratis accipere fundum, & quod nullum jus potentiale habeant ad illum. Antecedens in multis ostenditur. Primò. Peccator habet potentiam ad recipiendum dona gratiæ, & tamen nullum jus habet ad illa, Secundò. Vir nobilis potest accipere varia bonorum genera à Principe; quin propterea habeat jus ad illa. Tertiò possum aeccipere doctrinam à viro sapiente; & tamen nullum jus habeo ad eam ab illo accipiendam, qui nulla obligatione obstringitur docendi me. Et quidem aliud est potentia, & aliud est jus. Et in physicis clarum est hujus rei exemplum. Aliud est, quòd subjectum possit recipere formam, & aliud, quòd petat formam: datur enim subjectum, quod possit formam recipere, & tamen non petat talem formam. Nam subjectum potest recipere formam sibi violentam; non tamen petit illam. Sic lapidi, qui ratione gravitatis petit descendere deorsum, violentus est impulsus, qui in altum mittitur; quia ille impulsus est contra inclinationem descendendi deorsum. Lapis ergo potest recipere impulsum, & tamen non petit illum. Ita cives quamvis non habeant jus, aut exigentiam emendi bona vendibilia, habent tamen potentiam emendi. Unde possunt cedere jure emendi; non tamen possunt cedere potentia emendi, dum fuerint capaces dominii, nisi fortè ea contractu. At si secluso contractu, cedant eo jure, adhuc in illis manet potentia emendi.

70 Dices. Si velim emere pallium, & Petrus vi impediat sine justa causa, injuriam mihi irrogat: ergo habeo jus, ne mihi impediat emptionem, & dominium pallii; non enim est injuria, nisi ubi adest violatio juris.

71 Sed contra est. Nam aliud est jus potentiale ad rem, & aliud est jus, ne vi, vel dolo impediat quis mihi, quidquid mihi occurrit emolumenti. Ad hoc secundum habeo jus; istud enim habeo contra quamlibet vim, vel dolum emolumentis meis nocentem. Ita qui vi, vel dolo conatur impedire mihi dona gratiæ, vel honores gratuitos Principis, ad quæ, vel ad quos nullum jus habeo, mihi irrogat injuriam: quia quamvis non habeam jus ad dona gratiæ, vel ad honores Principis; habeo jus, ne quis vtatur dolo, vel vi contra commoda mea. Et ita qui vi impedit emptionem pallii, non ideò irrogat injuriam, quia operatur contra jus potentiale meum, quod nullum est; sed quia jus habeo, ne quis vi, vel dolo impediat mihi prædictum commodum.

72 Demonstratur octavo. Et præmitto, duplici modo posse considerari istud jus potentiale: primò ut conditionale; id est, jus ad emendum, si actualis occasio emendi fuerit; sive jus ad accipiendum, si actualiter sit, qui velit donare; & non aliter, quàm sub ista conditione. Et hac ratione etiam si bona immobilia fiant inalienabilia, non læditur ejusmodi jus potentiale, quia jus civium non est nisi pro casu purificationis conditionis; quæ non purificatur, quamdiù est res inalienabilis. Secundo modo potest considerari istud jus potentiale, ita ut non sit hoc modo conditionale, sed sit absolutum, exigens, quòd res, ad quas terminatur, sint re ipsa vendibiles. Et hoc secundo videtur Caramuel intrudere velle hoc dominium potentiale; ut constat ex initio hujus capitis: nam sic læditur, si res fiant invendibiles: contra quod jus potentiale absolutum arguo sic. Si tale jus potentiale daretur in omnibus regnicolis, non posset Rex dare licentiam vinculandi bona immobilia ad majoratum sæcularium; hoc est absurdum, & à nemine admissum: ergo fictitium est tale jus potentiale absolutum. Probatur major (nam cætera patent) Rex non potest privare universos jure suo, nisi ob utilitatem omnium: atqui licentia vinculandi unum fundum Hispalensem privat non solum Hispalenses, sed omnes regnicolas jure potentiali ad fundum: & in hoc non est utilitas publica omnium regnicolarum; sed utilitas unius familiæ, & ad summum id est in utilitatem, & splendorem aliquem Hispalensis Reipublicæ: ergo si tale jus potentiale absolutum datur, non potest Rex privare universos tali jure potentiali, vinculando bona immobilia ad majoratum. Minor, & consequentia sunt certæ.

73 Probatur major. Etenim Rex ad sternendam viam, quæ inter Cordubam, & Hispalim interjacet, non potest Mediolanenses gabella onerare: nam & si ea viæ publicæ stratio sit utilitatis publicæ, non tamen spectat ad utilitatem Mediolanensium, quibus ea via non substernitur. Et si et construere pontem propè Hispalim spectet ad utilitatem publicam, non potest Rex construere ea bonis Cantabriæ, Navarræ, vel Flandriæ; quia Hispalensis pontis constructio non cedit in utilitatem eorum regnorum. Et ita quamvis multi authores defendant tanquam probabilem eam opinionem, quam etiam judico probabiliorem, quod ab exteris confluentibus Hispalim possit exigi gabella, quam Hispalenses solvunt; id tamen est, quia prædicti exteri fruuntur commodis, quibus, cives v. g. commodis pontiū, fontium, viarum, &c. Et ob eam causam justificatur gabella exteris pariter imposita, quia in eorum utilitatem etiam cedit. Et ita asserit Card. Lugo *to. 2. de iust. disp.* 26. & P. Th. Sanch. *tom. 1. Consil. lib. 2. cap. 4. dub. 45. num. 9.* & alii apud ipsos. Et licèt aliqui Theologi defendant valdè probabiliter, posse Regem exigere gabellam ab incolis regni ad defendendum alterum regnum eiusdem Coronæ; ut tradit P. Vasq. *opusculo de restit. cap 6. §. 3. dub. 1. num. 7.* & ex eo Card Lugo proximè *cit. num.* 36. at, id ita esse defendunt, quia cedit in utilitatem regni contribuentis defendere alterum regnum; vel quia sic extra primum regnum sustinetur bellum; idque est in causa, ut primum regnum, pace fruatur: vel quia illud regnum secundum utile est ob varias causas ad conservationem primi. Ex quibus omnibus fit, quòd quoties incolis unius regni nihil accrescit vtilitatis ex contributione, non potest Rex de eorum bonis exigere.

74 Bona autem, & jura eadem lege censentur: ergo propter utilitatem Hispalensium non potest Rex Salmanticenses, Compostellanos, &c. jure suo privare. Sed cùm Rex dat licentiam vinculandi unum fundum Hispalensem, privat jure potentiali Salmanticenses, Compostellanos, &c. secundùm doctrinam Caramuelis: ergo eos privat jure suo sine publica utilitate eorum: ergo illis irrogat injuriam. Ergo ut illis non irroget injuriam, non debet vinculare fundum Hispalensem; vel quod verius est, non datur tale jus potentiale absolutum, quod exigat, rem manere invendibilem, sed ad summum jus potentiale conditionatum, scilicet jus emendi, si occasio emptionis accesserit; quod ita non sit jus, quod exigat talia bona manere semper vendibilia.

75 Demonstratur nonò. Prædicta sententia, quæ tale dominium potentiale adstruit in bonis Ecclesiæ donatis, vel aliàs acquisitis sine authoritate Regis, condemnat Sacros Canones prohibentes alienationem bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum Ecclesiæ: hoc est impium, & absurdum: ergo absurda est sententia, quæ tale dominium potentiale retineri vult respectu talium bonorum. Minor est moraliter evidens, non solùm quia contradicit authoritati præcipientium Romanorum Pontificum; sed etiam quia est in materia adeò perniciosa statui Ecclesiastico, & quæ ab omnibus tanquam certissimè falsa reiicitur.

76 Major verò probatur. Etenim sacri Canones prohibent alienationem quorumcumque bonorum immobilium Ecclesiæ acquisitorum, sine vlla distinctione bonorum Ecclesiasticorum, aut bonorum Ecclesiæ; ex contextu enim illorum apertissimè constat, prohiberi alienationem omnium bonorum, quorum Ecclesia habuerit jus proprietatis. Ideò in extravaganti *Ambitiosa*. de rebus Ecclesiæ non alienandis, enumerans bona, quæ inalienabilia esse præcipit, ait: *Immobilia, & pretiosa mobilia Deo dedicata, ex quibus Ecclesia, Monasteria, & pia loca reguntur, illustranturque, & eorum ministri sibi alimoniā vindicant*. Ex quibus verbis constat, omnia bona acquisita ab Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis. unde aluntur ministri, fieri ea prohibitione inalienabilia, sive de licentia Regis acquisita fuerint, sive sine illa: & deinde alienationem eorum irritat, & decernit, quòd talis alienatio *nullius omninò sit roboris, vel momenti*. Eodem modo loquitur Urbanus VIII in suo decreto anno 1624. de alienatione bonorum Regularibus interdicta: de quo

vide

vide P. Pellizar *to. 1. tr. 6. c. 8. num. 3.* Et Pius V. in constitutione edita ann. 1568. in qua revocat omnes licentias ad alienanda ejusmodi bona, inter alia, ait: *Volentes indemnitati Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, quantum cum Deo possumus, consulere, ac providere, ne illorum bona sine nostra, aut successoris nostri scientia, & licentia alienentur.* Et *Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. de Reform.*

77 Atqui stante jure potentiali absoluto universorum ad ea bona, quæ acquisivit Ecclesia sine facultate Regis, dum Pontifices reddunt ea bona invendibilia, & inalienabilia, injuriam irrogant universis, nam juxta Caramuelem universi habent jus ad illa emenda, dum Rex non tollit ab ejs illud jus potentiale; atque adeò Pontifices dum rem faciunt invendibilem, faciunt contra jus, quod omnes habent, ad hoc, ut res sit constituta in statu emptibilis, vendibilis, commutabilis, &c. Ergo illi canones Romanorum Pontificum, & Concilii Trid. iniqui sunt.

78 Videbitur tibi concessurus Caramuel hanc consequentiam, si relegas conclusionem suam secundam positam *suprà num. 7.* Idem enim, quòd ibi dicit de injuria illata dominio politico, & supremæ jurisdictioni regali; affirmat etiam de jure potentiali universorum, contra quòd operatur, qui vult, rem esse invendibilem, sine licentia Regis potentis amortizare tale jus potentiale universorum. Sed si talem consequentiam concedat: quanta (bone Deus!) absurda ex opinione Caramuelis inferuntur; præter certitudinem, qua omnes inhærent oppositæ. Quæ autem sint ea absurda ex reliquis argumentis subiiciendis colliges.

C A P U T VII.

Quinque alia argumenta pro nullitate dominii potentialis.

S U M M A R I U M.

Rex non potest privare jure suo incolas alterius Regni. n. 79.
An Gallus habeat dominium potentiale in bona Hispaniæ. n. 81.
Dilemmate confirmatur argumentum. n. 82.
Aliud absurdum, quòd non possent vinculari bona laica sine licentia Pontificis. n. 83.
Aliud absurdum, quòd omnia opera pia perirent. n. 84.
Implicat jus emendi rem inalienabilem. n. 86.
Ultimæ voluntates jure naturali, & gentium obligant. n. 94.
Qui in testamento disponit, bona sua manere inalienata, non infert injuriam civibus. n. 95.
In dubio prævalet jus, quod meliori titulo fulcitur. n. 96.
Sæpe vinculantur bona in Hispania absque licentia Regis. n. 97.

79 DEmonstratur decimò. Rex Hispaniæ non potest privare Gallum in Gallia commorantem jure ejus, si illud verum jus est: sed Gallus in Gallia commorans habet jus potentiale ad bona immobilia Hispaniæ: ergo Rex Hispaniæ non potest privare Gallum in Gallia commorantem jure potentiali ad bona immobilia Hispaniæ. Procedo ulterius. Ergo Rex Hispaniæ non potest vinculare bona immobilia Hispana ad aliquem majoratum. Probo consequentiam. Bona immobilia non vinculantur, secundum doctrinam Caramuelis, nisi auferatur, sive amortizetur jus potentiale universorum ad ea bona: sed Rex Hispaniæ non potest auferre jus potentiale hominis Galli ad ea bona, atque adeò non potest auferre jus potentiale universorum ad ea bona: ergo non potest illa vinculare. Hoc autem est evidenter falsum: ergo etiam est evidenter falsum, quòd detur tale jus potentiale, scilicet absolutum modo supra explanato.

80 Quòd Rex Hispaniæ non possit spoliare Gallum jure suo, si verum jus est, quæ erat major primi syllogismi, patet: nam potestas spoliandi aliquem jure suo est actus dominii, seu jurisdictionis: sed Rex Hispaniæ nullum dominium, nullam jurisdictionem habet in Gallum Galliæ incolam: ergo non potest spoliare illum vero jure, quod in aliquam rem habeat.

81 Quod verò Gallus Galliæ incola habeat jus potentiale in bona immobilia Hispana, quæ erat minor primi syllogismi; supposito, quòd vera sit doctrina de jure potentiali absoluto, etiam patet. Illi enim habent illud jus potentiale ad emendum, vel accipiendum, qui possunt emere, vel accipere: sed Gallus Galliæ incola potest utroque modo acquirere bona immobilia Hispana: ergo habet jus potentiale ad illa. Minor patet: si enim Petrus, relicto filio in Gallia, adveniat Hispalim, & fixo in ea domicilio, acquirat bona immobilia, & moriatur posteà; filius tam ex testamento, quàm ab intestato potest accipere portionem suam legitimam.

82 Confirmatur. Vel Galliæ incola habet jus potentiale ad bona stabilia Hispaniæ, vel non habet? si habet: ergo non potest privari eo jure à Rege Hispaniæ, qui non habet jurisdictionem ad privandum incolas Galliæ jure eorum: si non habet: ergo stat, quòd aliquis possit emere fundum; quin habeat jus potentiale ad illum emendum: ergo ficticium est prædictum jus potentiale. Et quidem in bonis mobilibus id evidentius constat. Alioqui non potuissem emere libros à Lugdunensibus, quos re ipsa emi. Unde si Rex Galliæ vellet libros aliquos vinculare, mihi irrogaret injuriam; cum non possit ab Hispano tollere jus dominii potentialis ad illos; quia non potest privare jure suo non subditum.

83 Demonstratur undecimò. Si daretur id jus dominii potentialis, Rex non posset dare licentiam vinculandi bona stabilia pro majoratibus sine licentia Summi Pontificis: id absurdum est, & à Caramuele neutiquam concedendum: ergo id, unde infertur. Probatur major. Ut vinculentur bona stabilia, necesse est, quòd Rex auferat dominium potentiale universorum: sed non potest auferre dominium potentiale universorum; non enim potest spoliare Ecclesiasticos jure suo dominii potentialis absque licentia Summi Pontificis: ergo non potest vinculare bona stabilia, neque ad id authoritate sua regia præstare facultatem absque licentia Summi Pontificis. Vide hoc argumentum latiùs propositum *cap. 10.* ubi comperies omnes ejus propositiones manifestis fundamentis statutas.

84 Demonstratur duodecimò. Testator ultima sua voluntate præcepit, fundum prædivitem perpetuò conservari, ut ex redditibus ejus singulis annis vicenæ dotes dentur vicenis virginibus pauperibus ad matrimonium contrahendum; alium etiam pro totidem dotibus monialium. Et inquiro, an isti fundi sine licentia Regis destinati ad ea opera pia sint vendibiles, an invendibiles? Si dicas, esse vendibiles; quia jus potentiale, quod habebant universi, non amiserunt ex ea dispositione testatoris; atque adeò habent jus, ne illi fundi maneant invendibiles; infero primò. Ergo ea voluntas testatoris licitè potest non impleri. Infero secundò. Ergo innumerabiles dotes piorum operum, quæ administrantur in Hispania sine licentia Regis, vendibiles sunt: ergo re ipsa vendi possunt ab administratoribus: ergo possunt administratores non implere voluntates testatorum, quas impleri, impossibile est, si bona stabilia vendantur: cùm in perpetuis eorum redditibus perpetuitas piorum operum nitatur. Et idem argumentum urget in capellaniis, patronatibus Missarum, Ecclesiis, & cœnobiis Regularium. Perierunt ergo uno ictu omnia opera pia, capellaniæ, beneficia, patronatus, fundationes cænobiorum, omnes Moniales deserant cœnobia sua, ne lædatur quoddam jus fictitium potentiale, quod Caramueli, & recentibus jurisperitis arrisit.

85 Si verò dicas, eos fundos manere invendibiles, infero: ergo nemo habet jus potentiale ad emendum illos: ergo jus potentiale ad emendum illos cessavit, statim atque ad ea opera pia destinati sunt; vel (quòd certius est) nullum tale datur jus potentiale absolutum. Prima consequentia probatur. Implicat contradictionem jus emendi rem invendibilem; cùm jus emendi essentialiter referatur ad correlativum vendibile: sed illi fundi manent invendibiles: ergo implicat contradictionem, quòd jus emendi remaneat in aliquo ad emendum illos.

86 Confirmatur. Fundi destinati à testatore ad opera pia perpetua ex natura sua sunt inalienabiles: implicat jus emendi rem ex natura sua inalienabilem: ergo implicat jus potentiale ad illos emendos. Minor constat ex dictis. Et major probatur. Illi fundi ut ad talia legati, ex natura sua sunt destinati ad opera pia perpetua: sed esse destinatos ad opera pia perpetua, dicit esse inalienabiles; cum aliter nequeat intelligi, eos esse destinatos ad opera pia perpetua: ergo ex natura sua inalienabiles sunt.

87 Caramuel *num. 826. §. Dominium* Ponit casum, in quo Petrus Comes accepit à quodam Monasterio fundum vere Ecclesiasticum, sine licentia Pontificis, adeòque illegitimè: & ait, (utique per inconsequentiam) quando Petrus accepit, præhabere illum dominium potentiale, adhuc tamen non potuisse emere; quia ut fundus erat Ecclesiasticus, erat invendibilis; ut autem solvat difficultatem inde ebullientem, quomodo potest esse jus potentiale ad emendum fundum invendibilem, hæc addit: [Attende obsecro. Non sufficit te esse visivum, ut Angelum videas; sicut te esse auditivum, ut colorem audias; quia & inaudibilis color, & Angelus est invisibilis: visus enim nihil videre potest invisibile, neque auris audire inaudibile; & sic de cæteris potentiis. Ergo non sufficit Comiti Petro, illum habere potestatem emendi illum fundum, si ipse erat invendibilis. Monachi enim, ut probavi, vendere illum non poterant.] Juxta hæc posset quis respondere, eos fundos destinatos ad opera pia perpetua invendibiles esse ex voluntate testatoris; adhuc tamen manere in universis jus potentiale ad emendum.

88 Contra est primò. Quia non solvit difficultatem propositam, scilicet implicare jus emendi rem invendibilem, & relationem ferri ad correlativum impossibile, aut dari veram relationem sine vero correlativo.

89 Contra est secundò. Quia exempla allata in primis non sunt ad rem; deinde ex illis oppositum infertur. Non esse ad rem, sic ostendo. Ex eo quòd ego sim visivus, non sequitur, quod possim videre Angelum; & ex eo, quòd sim auditivus, non sequitur, quòd possim audire colorem; quia Angelus non est visibilis, nec color audibilis: attende obsecro. Si hæc rectè æquiparantur, debes dicere: ergo ex eo, quod Petrus Comes habeat potestatem emendi (scilicet aliqua indeterminatè) non sequitur, quòd habeat potestatem emendi fundum, quia fundus ille est invendibilis: sed cùm dicis: [ergo non sufficit Comiti Petro, illum habere potestatem emendi illum fundum, si ille erat invendibilis,] malè æquiparas exempla cum hypotesi. In exemplo enim dicis, bene stare, quod ego sim visivus (scilicet alicujus objecti indeterminatè,) & quòd non possim videre Angelum, quia ipse est invisibilis.

bilis. In hypothesi verò dicis, bene stare non quòd Petrus sit emptivus alicujus rei indeterminate, ut ad paritatem erat necessarium) quòd Petrus sit emptivus illius fundi, & quòd fundus non sit vendibilis. Ecce quomodo exempla non sunt ad rem; quia ut ad rem sint, eodem modo, quo sumitur *visivus*, debet sumi *emptivus*, sive jus potentiale ad emendum.

90 Itaque aliud est, me esse visivum, & aliud me esse visivum Angeli. Ut possim videre Angelum, non sufficit, quòd sim visivus; sufficit tamen, quòd sim visivus Angeli. Ita similiter aliud est, quòd Petrus sit emptivus, & aliud, quòd sit emptivus fundi Ecclesiastici: ut Petrus possit emere fundum Ecclesiasticum, non sufficit, quod Petrus sit emptivus: ut possit emere fundum Ecclesiasticum, sufficit, quòd sit emptivus fundi Ecclesiastici.

91 Quòd verò oppositum ab exemplis inferatur, sic ostendo. Ex eo, quòd ego sim visivus Angeli, infertur, Angelum posse videri à me; & ex eo quod ego sim auditivus coloris, infertur, colorem esse audibilem à me (accipe eas propositiones in sensu conditionali; & propone tibi illationem factam ab intellectu, qui non putat esse impossibilem auditionem coloris, & visionem Angeli:) ergo si hæc duo æquiparantur, ex eo, quòd Petrus Comes habeat potestatem ad emendum fundum, rectè infertur, quòd fundus sit vendibilis. Quod si fundus est invendibilis, rectè infertur, quòd Petrus Comes non habeat potestatem, sive jus potentiale ad illum emendum. Sicut si Angelus est invisibilis, rectè infertur, quòd in me non est potestas videndi Angelum, quamvis sit potestas videndi.

92 Inquiro enim, an Petrus Comes habeat jus potentiale ad emendum solem? Negabis, & meritò. Quare, nisi quia sol non est vendibilis? Quòd si Petrus Comes haberet jus potentiale ad emendum fundum invendibilem, non repugnaret etiam, quòd haberet jus potentiale ad emendum solem, licèt sit invendibilis. Si enim semel admittitur, hoc, quod est, rem esse invendibilem, non esse impedimentum, ut adsit jus potentiale ad illam emendam; similiter hoc, quod est, solem esse invendibilem, non erit impedimentum, quominus detur in Petro jus potentiale ad solem emendum.

93 Sed & aliud inconstantiæ genus reperies in ea doctrina ad confirmationem. Etenim tunc non derogatur juri universorum, quando universi retinent jus suum: sed quando sine licentia Regis Petrus dat Ecclesiæ fundum, etiam si ille fiat invendibilis, universi retinent dominium suum potentiale: ergo quamvis fundus fiat invendibilis, non derogatur dominio potentiali universorum; atque adeò ex parte dominii potentialis universorum non repugnat, quòd fundus fiat invendibilis absque licentia Regis. Consequentia patet, & major est evidens ex terminis. Minor probatur. Nam Petrus Comes, secundùm Caramuelem, retinebat suum dominium potentiale respectu illius fundi invendibilis, quem de facto emit: ergo etiam si fundus maneat invendibilis, retinent universi dominium suum potentiale.

94 Pro decimotertio argumento præmitto cum P. Molin. *d.* 124. *de just.* fine, dispositiones ultimarum voluntatum firmas esse jure naturali, & gentium, & secluso quovis jure positivo. Si enim cœteri contractus jure naturali obligant, cur non & dispositio, qua quis disponit de rebus suis per ultimam voluntatem. Ideò Iustinianus in auth. de Ecclesiast. tit. §. *Si autem.* collat. 9. præcipiens impleri dispositionem testatoris, ait: *Et quæ testator disposuit, adimplete: scientes, quia si neglexerint, pro his omnibus rationem Deo persolvent.* Quod nunquam dicitur de non implentibus legem civilem, quæ ad merum finem politicum ordinatur. Et ideò iis verbis satis indicatur, esse ipso naturali jure iniquum, non impleri ultimam voluntatem. Et S. Ambros. de obitu Teodosii, plus juri naturali, & divino, quàm juri Cœsarum attendens, ait: *Privatorum ultimæ voluntates, & deficientum testamenta habent perpetem firmitudinem.*

95 Hinc fit legitimum dominii exercitium esse, cùm quis disponit de bonis suis stabilibus, ut inalienata maneant perpetuò ad aliquem usum: si enim dum vivit, nemini irrogat injuriam, conservando bona sua inalienata, & apud se retenta; quare irrogabit injuriam juri potentiali aliorum, quod velit conservari bona sua inalienata eodem modo, ac si viveret? Da Petrum vivere usque ad finem sæculi; multi enim homines futuri vivent usque ad finem sæculi: si Petrus vult retinere bona sua stabilia inalienata usque ad finem sæculi, nulli juri potentiali irrogat injuriam: ergo neque illam irrogat, dum vivens disponit, bona sua manere inalienata usque ad finem sæculi, licèt moriturus sit ante finem sæculi.

96 Dices adhuc tenax tui juris potentialis, universos habere jus, ne res sint inalienabiles; at dum vivit Petrus, licèt conservet rem inalienatam, non conservat inalienabilem, sicut manet post mortem ejus. Sed præterquam quod istud jus è suo cerebro fingunt ejus authores, ut probavi; urgeo adhuc. Nam istud jus, quod habet Petrus, ut disponat de bonis suis stabilibus in usum perpetuum, quod ei competit ratione dominii proprietatis; & istud jus, quod tu adstruis, sibi contrariantur: istud enim jus Petri, quod ego assero ratione dominii proprietatis, est, ut res maneat inalienabilis; jus autem potentiale, quod tu adstruis, est, ut res maneat alienabilis. Cùm autem de duobus iuribus invicem contrariis litigatur, illud certò prævalet, quod meliori titulo, quod potiori ratione fulcitur. Atqui istud jus universorum, quòd res semper sint alienabiles, nulla probatione adstruit Caramuel. Jus verò, quod ratione dominii proprietatis asserimus habere Petrum, ut disponat, bona sua stabilia manere firmiter inalienata ad aliquem usum, firma ratione naturali fundatur. Est enim dominium proprietatis jus disponendi de re aliqua tanquam de sua. Destinare autem rem suam ad usum aliquem perpetuum, est disponere de re tanquam de sua. Præterea exercitium istud dominii proprietatis disponendi de rebus suis ad usus perpetuos, communissimum est inter omnes gentes: habet ergo titulum firmo jure munitum, quod non invenies in eo dominio potentiali, quod sine probatione asseritur.

97 Probatur argumento decimo quarto. Etenim in Hispania multi statuuntur majoratus, vinculatis bonis stabilibus sine facultate Regis: ergo apud Hispanos legum doctissimos non reputatur necessaria facultas Regis, quæ amortizet jus potentiale civium: ergo non invenitur tale jus potentiale, quod amortizetur.

98 Dices cum Molina iurisperito, *lib.* 1. de Primogen. *cap.* 1. *nu.* 25. fieri majoratus sine licentia Regis, non sine licentia legis. Est enim lex Hispanica, quæ disponit fieri majoratus absque licentia Regis; scilicet *l.* 44. Tauri, quæ est *l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 5. novæ compilationis, illis verbis. *El que hiziere algun mayorazgo, aunque sea con authoridad nuestra.* Id est [Qui instituerit aliquem majoratum, quamvis illum instituat authoritate nostra.] Ergo ea verba legis concedunt posse fieri sine authoritate regia.

99 Sed qui attentè perpenderit, comperiet, id non concedi à lege, sed supponi esse licitum. Et meritò. Eodem enim jure, quo dispositiones ultimarum voluntatum firmantur; eodem institui possunt majoratus sæculares, & bona stabilia vinculari, sive ad majoratum sæcularem, sivè ad patronatum, sive ad quodlibet opus pium perpetuum. Quod non parum confirmat ea, quæ diximus demonstratione præcedenti, posse quemlibet, ipso jure naturæ, & gentium, disponere de rebus suis in usus perpetuos, quando nulla lege id prohibeatur. Obligat enim jure naturali, & gentium dispositio ultimarum voluntatum. Id enim juris sibi vindicat dominium proprietatis, quod habet Petrus super bona sua, ut dum vivit, possit disponere de bonis suis, ut sibi placuerit, etiam disponendo de illis, ut perpetuò firmentur ad aliquem usum; si nullus in illa jus antecedenter acquisierit. Est enim contra naturalem æquitatem velle privare Petrum hoc pleno dominio, quod habet supra bona sua, ut disponat de illis, prout sibi placuerit, propter quoddam jus potentiale dubium recenter ab aliquibus inventum ad confusionem, & diminutionem veri dominii.

100 Ex quibus omnibus colligitur, etiam si admittamus istud jus potentiale in civibus ad emendum bona, quæ sunt in Republica (quod tamen esse jus fictitium, supra probavimus) ubi res vendibilis, mutatis circumstantiis, sit invendibilis, cessare prædictum jus potentiale civium. Quia nunquam cives habuerunt jus potentiale ad emendum res invendibiles: id enim, ex dictis, contradictionem implicat. Si ergo tale jus potentiale datur, illud quidem est in ordine ad fundum, dum fuerit vendibilis, non verò in ordine ad fundum, dum factos fuerit invendibilis. Posse autem fieri invendibilem, seclusa licentia Regis, constat ex dictis.

101 Tandem nota, primum, secundum, & tertium argumentum etiam arietare molem phantasticam hujus dominii potentialis absoluti.

CAPUT VIII.

Demonstratur iniquum esse statutum prohibens (secluso privilegio) ne bona stabilia donentur, aut vendantur Ecclesiis.

SUMMARIUM.

Demonstratur conclusio ex pravitate consequentiæ. n. 103.
Dilemmate confirmatur argumentum. n. 104.

102 IN Lusitania, & aliis regnis esse leges prohibentes, ne Ecclesiis donentur, aut vendantur bona stabilia, easque esse licitas, & justas affirmat, & approbat Caramuel relatus *cap.* 1. ubi releges conclusionem tertiam.

103 Quam conclusionem esse falsam, secluso privilegio expresso, demonstro primò, ostendendo, peccare contra logicam, dum ex dominio potentiali civium, & dominio politico, & supremo Regis infert, posse Regem eas donationes prohibere. Stat juxta doctrinam Caramuelis, fundum legitimè donari Ecclesiæ, ejusque dominium proprietatis in illam transferri; & quod simul Rex maneat cum dominio politico, & supremo, & cives cum dominio potentiali; quin hæc dominia Regis, & civium lædantur: ergo Rex ob defensionem sui dominii politici, & supremi, & dominii potentialis civium, nequit prohibere donationem Ecclesiæ factam. Consequentia patet, cùm ex hoc solo titulo, secundùm doctrinam Caramuelis prohiberi possent. Antecedens verò probatur. Nam, ut admittit Caramuel relatus *cap.* 1. *n.* 12. & 13. cùm quis tradit Deo domum ad celebranda sacrificia publicè, illa domus manet sub dominio proprietatis Christi: & in eo casu manent

manent illæsa jus potentiale civium, & dominium politicum, & supremum Regis in talem domum: ergo licèt fundus maneat sub dominio proprietatis Ecclesiæ, poterunt illæsa manere jus potentiale civium, & dominium politicum, & supremum Regis. Consequentia tenet ab identitate rationis: major autem, & minor sunt Caramuelis in loco cit.

104 Confirmatur. Donatio facta Ecclesiæ aut irrogat injuriam juri potentiali civium, & juri dominii regalis, aut nullam injuriam irrogat? Quidquid dicatur est contra Caramuelem; exorbitat ergo ejus doctrina. Probatur minor. Nam si primum dicatur, insto: eodem jure censentur donatio facta Ecclesiæ, & donatio domus facta Christo ad celebranda publicè sacrificia: hæc secundùm Caramuelem non irrogat injuriam juri potentiali civium, nec juri dominii politici, & supremi regalis: ergo nec illa. Si vero dicatur secundum, infero: ergo ea nequit prohiberi à Principe. Patet consequentia. Nam eo solo titulo prohiberi potest donatio facta Ecclesiæ, quòd cedat in damnum publicum, utique juris potentialis civium, & dominii politici, & supremi regii: ergo si his juribus nullam irrogat injuriam, nullo titulo prohiberi potest.

105 Itaque, secundùm doctrinam Caramuelis, tria diversa sunt, dominium proprietatis, quod acquirit Ecclesia in illum fundum, & dominium potentiale civium, & dominium politicum, & supremum Regis. Do (& non concedo) quòd Rex præcipiat, ut fundus maneat sub dominio potentiali civium, ut manet domus donata Christo ad sacrificia publicè celebranda; item quòd præcipiat, ut fundus maneat sub dominio politico, & supremo regio. Quòd verò fundus ille non transeat ad dominium Ecclesiæ, quare poterit prohiberi; si semel salvatur, quòd manente dominio potentiali civium, & dominio regali, potest transire domus ad dominium speciale proprietatis Christi?

CAPUT IX.

Id statutum esse contra doctrinam Evangelicam.

SUMMARIUM.

Lex prohibens eleemosynam iniqua est. n. 107.
Lex prohibens stabilia donari Ecclesiæ, prohibet eleemosynam. n. 108.
Lex prohibens opera pia perpetua, iniqua est. n. 109.
Lex, quæ impedit plurima ministeria spiritualia, iniqua est. n. 110.
Responsio multis impugnata. n. 112.
An Evangelium resistat eleemosynæ in perpetuum destinatæ. n. 116.
Eleemosyna perpetua excellentior est temporali. n. 118.
Ut lex possit præcipere, ne dones Ecclesiæ, debet procedere in circumstantiis, in quibus ea donatio non sit consilium Christi. n. 121.

106 Demonstro secundò. Lex prohibens, eleemosynam erogari pauperibus, iniqua est: lex quæ prohibet immobilia donari Ecclesiæ, prohibet eleemosynam erogari pauperibus: ergo prædicta lex est iniqua. Existimo nihil hoc syllogismo evidentius in re morali. Consequentia deducta est ad amussim artis syllogisticæ.

107 Majorem quis Catholicus negabit? Tum propter præceptum Christi de eroganda eleemosyna in extremis, & gravibus necessitatibus; tum propter consilium ejus Evangelicum, erogandi eleemosynam in quibuslibet necessitatibus. De quibus *disp.* 20. *&* 21. Etenim illa lex est iniqua, quæ impedit reducere ad praxim, sive præcepta, sive consilia Christi: sed lex, quæ prohibet erogare eleemosynam pauperibus, impedit reducere ad praxim præceptum, & consilium Christi supra dictum; ea ergo iniqua censenda est.

108 Minor verò primi syllogismi probatur. Nam inter communitates Ecclesiasticas, & Religiosas quamplurimæ inopia premuntur; ratione cujus particulares Religiosi coguntur multa sibi necessaria quærere, non sine dispendio disciplinæ Regularis, ut evidens oculorum experientia suadet: ergo verè sunt pauperes, non solùm in particulari, sed etiam in communi: ergo lex, quę prohibet iis communitatibus donationes immobilium, prohibet erogare eleemosynam pauperibus. Deinde cùm donatio fit communitati bene dotatæ, est in ordine ad alendum plures Ecclesiasticos, vel Regulares, qui secluso eo augmento, non alerentur ibi: ergo ea donatio eleemosyna est, & qui eam donationem impedit, eleemosynam impedit. Prætereà quia quamvis bona sint stabilia, sublunaria sunt, atque adeò pluribus decrementis exposita, ut experientia docet: unde fundus, qui modo superabundare videtur, ideò donatur, ne accedentibus decrementis aliquibus aliorum bonorum stabilium, deficiant spiritualia ministeria, vel opera pia super ipsis fundata.

109 Confirmatur primò. Omnis lex, quæ prohibet opera pia perpetua, iniqua est: sed quæ prohibet donationes immobilium Ecclesiæ factas, prohibet opera pia perpetua: ergo ea lex est iniqua. Consequentia est legitima. Minor patet: nam donatio fundi est in ordine ad opus pium perpetuum, ex perpetuis ejus redditibus præstandum. Major verò probatur. Nam dum Christus consulit in Evangelio eleemosynam, efficacius consulit eleemosynam perfectiorem, quàm minus perfectam: atqui perfectior eleemosyna est, quæ ordinatur ad opus pium perpetuum, quàm, quæ ordinatur ad opus pium semel, vel iterùm præstandum: ergo dum Christus consulit eleemosynam in Evangelio, efficacius, & à fortiori consulit opus pium perpetuum. Opponitur ergo consilio Christi Evangelico lex, quæ prohibet opera pia perpetua. Caveant ergo, qui nimias istas subtilitates juris invenerunt, ne eum eis expostulet Christus, *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. Et quod pejus est, volentes dare, prohibuistis.

110 Confirmatur secundò. Illa lex est iniqua, & in perniciem publicam, quæ impedit quamplurima ministeria spiritualia in viam æternæ salutis ducentia: hæc ita se habet: ergo iniqua est, & in perniciem publicam. Majorem solus ignarus, vel hæreticus negare poterit: nemo enim sapiens Catholicus negat. Minor probatur. Ista lex prohibet donationes, quibus alendi sunt ministri, à quibus proditura sunt quamplurima ministeria spiritualia in viam salutis ducentia: sed deficiente ministrorum alimonia, ministeria deficere necesse est: ergo facit, quòd ejusmodi ministeria deficiant.

111 Respondebis primò, iniquam esse legem, quæ prohibet erogari eleemosynam pauperibus, quando erogatur sine injuria alterius; justam verò, quæ prohibet erogari cum injuria alterius; hæc enim injuriam alterius prohibet, non eleemosynam. Atqui donationes iste ideò prohibentur, quia dominio potentiali civium, & dominio politico, & supremo Regis injuriosæ sunt.

112 Sed ex dictis facile refellitur primò. Tum quia jus potentiale civium fictitium est; qualiter explicatur à Caramuele, & à cæteris jurisperitis, quos ipse sequitur: tum quia licèt sit verum, nunquã istud jus potentiale extensum fuisse ad res ex natura sua invendibiles, quales sunt omnes fundi destinati à testatore ad opera pia perpetua. Præterea quia dominium jurisdictionis supremæ, & dominium politicum Regis nunquam extendit sphæram suam ad disponendum, & ferendum leges in præjudicium causæ piæ; ut ostendi *disput.* 21. *cap.* 8. Item non extenditur ad ea, quę impediunt ea, quæ sunt ordinata ad finem supernaturalem, qualia sunt ea bona, quæ ordinantur ad sustentandos perpetuò ministros, ut perpetuò prorogetur doctrina salutis, Sacramentorum administratio, cæteraque Ecclesiastica ministeria. Neque extenditur illud dominium ad ea, quæ vergunt in perniciem publicam, qualis est alienatio bonorum Ecclesiæ, aut prohibitio acquirendi bona, quibus aluntur ministri; ut constat *ex num.* 39.

113 Refellitur secundò. Nam sicut non fit injuria dominio potentiali civium, & dominio politico, & supremo regio, quando mobilia consumuntur, & pereunt; de quo vide *cap.* 2. ita non fiet injuria eisdem juribus, cùm bona immobilia pereunt civiliter, id est, talibus circunstantiis vestiuntur, ut ad alium statum transferantur, in quo fiunt inalienabilia.

114 Refellitur tertiò. Etenim donationes immobilium in favorem pauperum, aut piorum operum (quales sunt donationes omnes, quæ fiunt Ecclesiæ) nihil præjudicant dominio supremo jurisdictionis regalis: ergo non sunt in injuriam illius. Antecedens ostenditur. Dominium jurisdictionis regalis est potestas condendi leges; ad quarum valorem prima conditio requisita est, quòd sit justa; & ut talis sit, necesse est, quòd non opponatur legibus, aut consiliis Christi. Ex quo fit, quòd illud dominium jurisdictionis regalis nunquam extenditur ad ea, quæ sunt contra consilia Christi: sed prohibere donationes immobilium in favorem pauperum est contra consilia Christi: ergo dominium jurisdictionis regalis non extenditur ad eam prohibitionem: ergo cùm fiunt tales donationes immobilium in favorem pauperum, non præjudicant ei dominio supremo. Hæc consequentia patet: quia ut præjudicarent ei dominio, opus erat, quòd dominium extenderetur ad eas prohibendas: atqui ex dictis non extenditur: ergo nihil pręjudicant tali dominio.

115 Confirmatur, & explicatur materia argumenti. Da, Principem sæcularem ferrè legem generaliter prohibentem, nequis eroget eleemosynam pauperibus. Inquiro, an hæc lex sit contra consilium Christi? Et negare non poteris. Atqui simili subtilitate evasionis posset hæreticus respondere, eam legem non esse contra consilium Christi; quia cum Christus consulit eleemosynam, intelligendus est de eleemosyna, quæ non sit injuria dominio jurisdictionis Regis, sive, quæ non sit injuria potestati condendi leges in oppositum. Item super prædictam rem ex eleemosyna donatam habet Rex dominium politicum, sicut habet super fundos: si ergo res illa sit usu consumptibilis, dum re ipsa consumitur, amittit Rex dominium politicum in illam: ergo si illam das pauperi, ut consumatur, privas Regem dominio politico, atque adeò injuriam irrogas Regi. Subtilitas ergo æquè sophistica intercedit, cùm dicis legem prohibentem donationes immobilium, quæ fiunt in favorem pauperum, non esse injustam, quia eæ donationes sunt in injuriam jurisdictionis regalis potentis condere leges contra tales donationes, aut contra talia immobilia; & in injuriam dominii politici regalis. Sicut ergo certum est, quòd lex generaliter prohibens, nequis eroget eleemosynam pauperibus, est iniqua, quia contra consilium Christi; ita & hæc, quæ prohibet eleemosynas perpetuas in donationibus bonorum stabilium fundatas, iniqua est, & contra consilium Christi. Et sicut donationes primi generis non sunt contra dominium jurisdictionis regalis, neque contra dominium politicũ Regis; quia hoc non extendit sphęram

ſuam contra conſilia Chriſti; ita donationes ſecundi generis eodem omnino jure cenſentur.

116 Reſpondebis ſecundo, conſilium Chriſti non eſſe, quòd dentur bona ſtabilia in alimentum pauperum; immò oppoſitum colligi videtur e a Evangelio, ubi dicitur Luc. 12. *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam.* Et Matth. 19. *Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* Et ita præſtabant Apoſtoli, qui eodem modo conſulebant fidelibus eleemoſynam. Et ita Act. 4. dicitur: *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Ergo non eſt contra conſilium Chriſti prohibere donationes immobilium in alimentum perpetuum pauperum.

117 Hæc tamen reſponſio non eſt ſuſtinenda; quia ea evidenter redarguitur ex Melchiade Papa *in c. Futuram. 12. qu. 1.* dum ait: *Futuram Eccleſiam Apoſtoli in gentibus prævidebant: id circò prædia in Judæa minimè ſunt adepti, ſed pretia tantummodo ad fovendos egentes.* Itaque quia Judæa deſerenda erat, ideò non adepti ſunt prædia in illa ad opera pia perpetua, non quia hæc contemnenda fuerunt, aut non conſulenda. Quod ampliùs confirmat Urbanus Papa *in c. Videntes. 12. qu. 1. Videntes autem Summi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quòd ex ſumptibus eorum, tam præſentibus, quàm futuris temporibus plura, & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipſorum; cæperunt prædia, & agros, quos vendere ſolebant, Matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere.* In quibus textibus traditur ratio, ob quam Chriſtus, & Apoſtoli conſulebant venditionem immobilium, quia ſcilicet deſerenda erat Judæa; & ratio ob quam, cùm cœpit Eccleſia temporum tranquillitate frui, utilius, & convenientius fuit, reſervari prædia, & agros in perpetuam ſuſtentationem fidelium communem vitam ducentium.

118 Unde manifeſtum fit, excellentius eleemoſynæ genus eſſe, bona immobilia in perpetuum deſtinare ad alimenta pauperum præſentibus, & futuris temporibus miniſtranda; quam vendere illa, & ex eorum pretio, præſenti dumtaxat tempore pauperibus alimoniam præſtare, & incomparabiliter excellentius, cum prædicta bona immobilia ad eleemoſynam ſpiritualem perpetuam immediatè ordinantur, ſcilicet ut miniſteria ſpiritualia, quæ ducunt ad vitam ſalutis, jugiter perennent.

119 Reſpondebis tertio, ex Caramuele *lib. 2. Theol. intention. diſp. 10. art. 3. num.* 628 diſtinguendo majorem: lex prohibens eleemoſynam erogari pauperibus [ob cauſam rationabilem] injuſta eſt, nego; [ſi non prohibeatur ob cauſam rationabilem] concedo. Ait enim, poſſe leges ob cauſam rationabilem prohibere, ne quis omnia bona ſua donet Eccleſiæ; neque eſſe contra conſilium Chriſti, eam donationem interdicere, ſi id interdicatur ob cauſam rationabilem.

120 Hæc tamen reſponſio latè debellatur *diſp. 21. cap. 1.* & ex ibi dictis modò breviter impugnatur: Supponendo, nos non loqui in præſenti, quando leges antecedenter ad donationem dederunt jus alicui privato in illa bona, v. g. filiis, parentibus, vel cognatis. Non enim modò contendimus, quòd valeat donatio, qua quis dedit Eccleſiæ partem legitimam filii: ſed loquimur de donatione, qua dat ea, quæ omnino ſua ſunt, & ad quæ nullus alius habet actionem.

121 Jam verò, ut lex civilis poſſit præcipere, ne dones Eccleſiæ, vel pauperibus, debet procedere in circumſtantiis, reſpectu quarum ea donatio non ſit conſilium Chriſti. Rurſus ut verificetur, quòd donatio facta pauperibus in his circumſtantiis non ſit conſilium Chriſti, opus eſt, ut verificetur, in his circumſtantiis non eſſe quid melius, & perfectius facere eam donationem pauperibus. Igitur pro re præſenti duplici argumento impugno prædictam reſponſionem.

122 Impugno primò. Nam pro eo ſtatuto propugnando nulla affertur cauſa rationabilis, in cujus circumſtantiis non militet conſilium Chriſti, & non ſit melius, atque perfectius facere eam eleemoſynam perpetuam pauperibus. Nam quæ affertur de dominio potentiali civium, & de dominio politico, & juriſdictionali Regis, ex ſupradictis jam evanuit. Et ſi tanquam cauſa rationabilis afferatur majus levamen civium, nempe ut plures fructus habeant, ex quibus ſolvant vectigalia, nec majoribus gabellis graventur; ea cauſa non ponit circumſtantias, in quibus ceſſet conſilium Chriſti donandi bona ſtabilia Eccleſiæ. Primò, quia ſi id onus ſubeunt cives, id compenſatur emolumentis ſpiritualibus, quæ accreſcunt ex alimentis perpetuis miniſtrorum Eccleſiæ. Secundò, quia adhuc in his circumſtantiis melius, & perfectius eſt, atque adeò conſilium Chriſti, donare fundum in alimenta perpetua pauperum: alioqui ſemper ceſſaret conſilium Chriſti, de renunciando omnibus, quæ poſſidet, & donando pauperibus: quia per paupertatem voluntariam donantis accreſcit reliquis onus ſolvendi gabellas, à quo pauper voluntarius eximitur. Tertiò, quia ea ratio militat contra immunitatem Eccleſiaſticorum à gabellis.

123 Impugno ſecundò. Nam vel ea cauſa rationabilis eſt cauſa pia, vel profana? (& ſuppono eam non eſſe neceſſitatem gravem, vel extremam Reipublicæ, aut privati; hæc enim faceret illicitam donationem, ſi donatio fundi non fieret pro ſimili neceſſitate.) Si dicas ſecundum; cauſa merè profana non ponit circumſtantias, in quibus ceſſet conſilium Chriſti: quia ſemper eſt melius, & perfectius dare bona ſua pauperibus, quàm id omittere propter cauſam profanam. Si verò dicas, eam cauſam rationabilem eſſe cauſam piam; contra eſt. Nam (præterquam quòd in eo ſtatu nulla cauſa pia allegatur) id non eſſet prohibere cauſam piam, ſed commutare unam in aliam. Et (præterquam quòd dificile eſt, quod ad hoc extendatur poteſtas laica) adhuc irrogaret injuriam Eccleſiæ. Unuſquiſque enim habet jus, ne per vim, vel dolum impediantur donationes ſibi faciendæ: adeòque Eccleſia id jus habet; ſtatutum autem ejuſmodi vim infert, ne Eccleſiæ donentur ſtabilia. Vide hæc latius diſcuſſa in citata *diſp. 21. cap. 1.*

CAPUT X.

Duo alia argumenta ex jure potentiali deſumpta.

SUMMARIUM.

Sequeretur, quòd non poſſet vinculari fundus ad majoratum ſine licentia Pontificis. n. 124.
Clerici non privantur jure ſuo niſi de licentia Pontificis. n. 126.
Rex non poteſt privare Eccleſiaſticos dominio potentiali. numer. 129.

124 DEmonſtro tertio. Si Eccleſia non poſſet acquirere fundum ſæcularem ſine licentia Regis propter jus potentiale civium, ſequeretur, quòd neque Rex poſſet vinculare bona immobilia ad majoratum ſine licentia Summi Pontificis: hoc eſt abſurdum, & inauditum; & à Caramuele nunquam admittendum: ergo & primum, unde id infertur. Probatur major. Ut vinculentur bona immobilia ad majoratum; neceſſe eſt, ſecundùm doctrinam Caramuelis, quòd omnes perſonæ Eccleſiaſticæ priventur jure dominii potentialis, quod habent ad emendum talia bona, quæ vinculanda ſunt: ſed ut Eccleſiaſtici priventur jure ſuo, requiritur licentia Summi Pontificis: ergo ut ea bona vinculentur, requiritur licentia Summi Pontificis; nec ſufficit ſola regalis facultas. Major eſt manifeſta: nam dominium potentiale reſpectu fundi ſæcularis æque reſidet in Eccleſiaſticis, ac in laicis: quia non ſoli laici, ſed etiam Eccleſiaſtici emere poſſunt fundum ſæcularem.

125 Minor, loquendo de jure potentiali, admittitur à Caramuele *cit. num.* 826 præcipuè illis verbis: *Cùm fuerant data Eccleſiæ* (bona immobilia de licentia Regis) *amortizati ſunt à Rege emptores ſæculares; amortizati ſunt à Pontifice emptores, & venditores Eccleſiaſtici.* Relege textum. Et §. *Dominium.* ait: *Dominium proprietatis potentialis in illum fundum habebat Comes Petrus: non enim poteſt Pontifex privare proprio dominio ſæculares.* Et ita ſecundùm Caramuelem Pontifex non poteſt privare dominio potentiali ſæculares; nec Rex poteſt privare dominio potentiali Eccleſiaſticos.

126 Sed prætereà probatur eadem minor. Eccleſiaſtici non poſſunt privari bonis ſuis in toto, aut in parte, etiam ad utilitatem publicam, niſi de licentia Summi Pontificis: ſed bona, & jura eadem lege cenſentur: ergo Eccleſiaſtici non poſſunt privari jure ſuo, adeòque nec dominio potentiali, ſine licentia Summi Pontificis. Minor conſtat: nam jura etiam inter bona incorporalia recenſentur. Et ideò *cap. fin. de immun. Eccleſiarum in 6.* excommunicantur illi, qui derogabant juri clericorum molendi, coquendi panem, &c. Major etiam conſtat: in eo enim conſiſtit partim immunitas Eccleſiaſticorum. Et habetur expreſsè *c. Clericis de immun. Eccl. in 6.* illis verbis: *Nec prudenter attendunt, quàm ſit eis in clericos, Eccleſiaſticaſve perſonas, & bona, interdicta poteſtas.* Et *c. Cum laicis.* de rebus Eccleſiæ non alien. *Cum laicis quamvis Religioſis diſponendi de rebus Eccleſiæ nulla ſit attributa poteſtas.*

127 Quòd ſi dicas, eſſe authores aliquos, qui doceant, poſſe clericos obligari ſine licentia Summi Pontificis ad contribuendum de bonis ſuis pro ſtructura pontium, aut murorum; aut quando contributio facienda eſt pro reficiendis iis rebus, quæ partim pertinent ad dominium proprietatis Eccleſiaſticorum. Ut videre licet apud P. Thom. Sanch. *to. 1. conſ. lib. 2. cap. 4. dub.* 55. & Dianam 1. *part. tom. 2. reſol.* 38 & 78. & 82. & Card Lugo *tom. 2. de juſt. diſput.* 36. *num.* 122. Similiter ergo ſine licentia Summi Pontificis poterunt jure potentiali ſpoliari.

128 Id tamen rem confirmat. Nam licèt ea ſententia ſit vera, id ſolùm admittitur, quando tangit immediatè, & directè utilitatem Eccleſiaſticorum. At vero quando nulla utilitas illis inde conſurgit, nullus dixit, nec dicere potuit, poſſe ſine licentia Summi Pontificis in toto, aut in parte bonis ſuis ſpoliari: ergo cùm jura Eccleſiaſticorum eadem lege regantur, qua bona eorum, ſine licentia Summi Pontificis non poſſunt jure ſuo potentiali ſpoliari.

129 Demonſtro quartò. Eccleſiaſtici habent jus potentiale ad emendum, & gratis accipiendum bona ſtabilia, non minus, quàm ſæculares: ergo ſtatutum prohibens, quòd emant, vel accipiant gratis bona ſtabilia, privat eos jure ſuo. Sed Rex non poteſt privare Eccleſiaſticos jure ſuo, cujus poteſtati ſicut bona, ita & jura non ſubduntur: ut patet ex præcedenti argumento: ergo

non

non potest condere statutum prohibens illis emptionem, vel acceptionem gratuitam bonorum stabilium.

130 Respondebis, habere quidem jus potentiale ad emendum bona stabilia, dum non fuerit contra jus potentiale sæcularium: quia tamen jus potentiale sæcularium læditur per emptionem, qua Ecclesiastici acquirunt bona stabilia; eo quòd statim reddunt illa inalienabilia; ideò tale jus potentiale Ecclesiasticorum debet reputari injurium juri potentiali sæcularium; quod læditur, dum res, quæ transit in Ecclesiam, fit inalienabilis.

131 Contra est. Ideò resistitur juri potentiali Ecclesiasticorum, quia noxium est juri potentiali sæcularium: sed jus potentiale sæcularium est noxium juri potentiali Ecclesiasticorum: ergo vel utrique, vel neutri resistendum est. Probatur minor. Jus potentiale sæcularium exigit, quòd omnia bona stabilia maneant alienabilia, secundùm doctrinam Caramuelis: sed jus exigens, quòd bona stabilia maneant alienabilia, est noxium juri potentiali Ecclesiasticorum: ergo jus potentiale sæcularium est noxium juri potentiali Ecclesiasticorum. Minor probatur. Nam eo ipso, quod bona stabilia manere debeant alienabilia, ement illa Ecclesiastici inutiliter, & non qualiter requiritur ad Ecclesiæ, & communitatis Ecclesiasticę conservationem: ergo jus exigens, quòd bona stabilia maneant alienabilia, noxium est potentiæ emendi bona stabilia, quam habent Ecclesiastici, sive juri potentiali Ecclesiasticorum.

132 Denique notabis, quatuordecim argumenta proposita *cap* 2.3.4.5.6.*&* 7. militare contra doctrinam Caramuelis, qua parte approbat hoc statutum in conclusione tertia.

CAPUT XI.

Sacros Canones posse disponere in hac materia, contra secundam conclusionem Caramuelis ostenditur, & hanc doctrinam de immunitate esse definitam ab Ecclesia.

SUMMARIUM.

Statutum prohibens, quòd Ecclesia acquirat bona stabilia sine licentia Regis, est contra Sacros Canones. n. 133.
Quod de hoc non possint disponere Sacri Canones, ait Caramuel. ibidem.
Pessima consequentia ex ejus assertione deducta. n. 135.
Ad quem judicem spectat decidere, sit ne peccatum, impedire donationes favore Ecclesiæ. n. 136.
Quòd Pontifex proponat Ecclesiæ tanquam peccatum, quod est honestum, propositio erronea est. n. 137.
Pontifices definierunt illud statutum esse peccatum. ibid.
Alexander IV. prohibuit illud statutum, sive alienandi stabilia, sive solvendi collectas. n. 138.
Idem Pontifex declarat, eam prohibitionem esse peccatum. n. 140. & seq.
Definivit illud statutum esse detestabilem audaciam, &c. n. 142.
Bonifacius VIII. definit illud statutum esse iniquum. n. 143.
Innocentius III. definit in concilio generali id statutum esse peccatum. num. 147.
Definiunt Pontifices, esse illicitum onerare gabellis bona Ecclesiæ. n. 151.
Tridentinum definit, sacros Canones de immunitate observari debere. num. 151.

133 ANtoninus Diana 5.*part. tract.*3. per totum ostendit evidenter, hoc statutum prohibens, quod Ecclesia acquirat bona stabilia sine licentia Regis, esse contra Sacros Canones Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium. Idem ostendit Valencuela 3. *part*. adversùs Venetos *num*. 120. Quæ omnia uno ictu videtur sibi deturbare Caramuel, asserendo, in his nihil posse disponere Sacros Canones: quia hi non possunt disponere, quòd subripiamus alteri, quod suum est; unde disponere non possunt, quòd jus suum Regi subripiatur, scilicet dominii politici, & supremi; neque quòd universis jus suum potentiale detrahatur: & consequenter non possunt disponere, quòd bona stabilia ab Ecclesia denuò acquisita fiant inalienabilia sine licentia Regis; quia si sic disponerent, decernerent utique, quod jus suum Regi, & universis detraheretur. Relege conclusionem secundam propositam supra *cap*. 1.

134 Quòd si Caramueli obiiciamus, ex doctrina sua inferri, quòd bona immobilia denuò acquisita ab Ecclesia sine licentia Regis, ut manent subjecta dominio politico Regis, ita possunt onerari collectis, & talliis, sicut bona immobilia sæcularium; eo quòd collectas, & vectigalia imponit Rex titulo dominii politici, ratione cujus potest disponere de bonis subditorum in utilitatem publicam; at Ecclesias, & Ecclesiasticas personas immunes esse ab omni onere collectarum, & vectigalium, constat ex quamplurimis sacris canonibus; uno verbo suæ secundę conclusionis ad hęc omnia respondebit Caramuel, sacros canones in hoc non posse disponere; neque potestatem Pontificis extendi ad tollendum sæcularibus jura eorum.

135 Et in primis modum loquendi vehementer admiror. Et in admirationis confirmationem subiicio hanc consequentiam: ergo dum sacri canones Romanorum Pontificum, & Conciliorum generalium præcipiunt, ne impediatur Ecclesia, quòd bona stabilia acquirat, præcipiunt, contra septimum decalogi pręceptum, jus ejus alteri subripi. Patet consequentia. Nam secundùm Caramuelem, quòd Ecclesia possideat bona stabilia modo, quo possidet, scilicet inalienabiliter, sine licentia Regis, est subripere alteri (videlicet Regi) jus suum: sed sacri canones præcipiunt, ne impediatur Ecclesia à Regibus, vel Dynastis possidere bona stabilia inalienabiliter; & consequenter præcipit, quòd Ecclesia possideat ea inalienabiliter, independenter à quavis licentia Regis: ergo sacri canones præcipiunt, contra septimum decalogi præceptum, jus ejus alteri subripi. An sit legitimè deducta hæc consequentia, & an sit evidenter impium, illam concedere, alii viderint. Solùm advertas, precor, pro majori claritate minoris; ex eo quòd sacri canones jubeant Principibus sæcularibus, ne impediant, quòd Ecclesia acquirat bona stabilia, rectè inferri, sacros canones prohibere; quod petatur ad id licentia à Principe sæculari tanquam necessaria ad possidendum ea bona.

136 Auferit itaque Caramuel in hoc nihil posse disponere sacros canones, quia est extra sphæram Romani Pontificis disponere id, per quod tollitur sæcularibus jus suum. Progredior tamen ulterius, & inquiro, ad quem judicem pertineat hæc controversia, in qua dubitatur; an sit peccatum mortale, quòd Princeps sæcularis impediat donationes stabilium Ecclesiæ factas; vel an sit contra Evangelicum consilium de eroganda eleemosyna? Spectat ne ad sæcularem, an potius ad Ecclesiasticum Principem? Et cùm materia quæstionis sit purè spiritualis, indubitabile est, controversiæ hujus decisionem non ad sæcularem Principem pertinere; sed ad Romanum Pontificem. Neque enim potest spectare ad politicam potestatem decidere, an actio aliqua offendat graviter Deum, dignaque sit pœna æterna? Si ergo ostendero, hanc controversiam decisam esse à Romano Pontifice, corruet funditus secunda conclusio, & simul universa ea doctrina Caramuelis. Tum sic.

137 Erroneum est dicere, quòd Romanus Pontifex loquens Ecclesiæ, proponat illi tanquam peccatum mortale id, quod est licitum, & justum, vel e converso; ut latè demonstravi *disp*. 9. *cap*. 20. atqui Romanus Pontifex, etiam in Concilio generali proposuit Ecclesiæ tanquam peccatum, & rem iniquam impedire, quòd Ecclesia acquirat bona immobilia: ergo id impedire, est peccatum, & iniquitas. Ergo statutum, id impediens, iniquum, & peccaminosum est. Ergo sacri canones dum id statutum prohibent, legitimè procedunt: ergo non est extra sphæram sacrorum canonum id statutum prohibere. Prima consequentia legitimè infertur; & ex ea reliquæ omnes. Major est certissima.

138 Minor probatur. Alexander Quartus *c. Quia nonnulli, de immun. Eccles. in* 6. refert injuriam, quam in Regno Franciæ domini temporales, ejusque ministri inferebant Ecclesiæ, in hæc verba. [In Regno Franciæ Communiæ, Scabini, seu Consules, & alii domini temporales, & hi, qui jurisdictionem in ipsis communiis, civitatibus, castris, & villis temporalem exercent; vel quibus in illis commissa est executio justitiæ sæcularis, molesti sunt nimiùm Ecclesiis super pluribus, & infesti: & inter cætera nituntur, & student, ut illis collectas, & tallias, & alias hujusmodi eidem Ecclesiæ, *prætextu bonorum, quæ acquisiverant*, tribuant, & persolvant, vel *extra manum suam ponant hujusmodi acquisita*] Deinde utrumque prohibet Alexander. Ubi glossa inquit: [Laici dicebant, quod Ecclesia solveret tallias *respectu illarum possessionum de novo acquisitarum* post illam legem *Placet*; vel quòd *illas possessiones poneret Ecclesia extra suam manum*. Istud fuit notificatum Summo Pontifici, qui ordinavit, quòd quæcumque potestates sæculares, vel quicumque judices laici non compellerent personas Ecclesiasticas ad solvendum tallias pro *possessionibus noviter acquisitis*; nec etiam compellant Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas *ad ponendam extra suas manus possessiones de novo acquisitas.*]

139 Ubi circa factum notabis primò, eas laicorum vexationes, eò respicere, ut possessiones denuò acquisitæ ab Ecclesia extra manum suam ponerentur. Secundò, eis possessiones, juxta sententiam Caramuelis, non esse bona Ecclesiastica, cùm non essent acquisita de licentia Dominorum temporalium; ratione autem dominii politici pertinet ad Regem imponere vectigalia super bona subditorum; unde eo titulo domini temporales justè possent exigere tallias, & collectas prætextu publicæ utilitatis, quam respiciunt vectigalia super bona subditorum imposita, si vera esset sententia Caramuelis.

140 Jam verò Alexander quartus declarat, id esse illicitum, & gravissimum peccatum. Verba ejus sunt: [Authoritate Apostolica, præhabita cum fratribus nostris diligenti deliberatione, *decernimus non licere* præfatis communiis, Scabinis, & his, qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam sæcularem exercent, tallias, vel collectas, seu exactiones quascumque Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscumque possessionibus ab eisdem Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis legitimè hactenus acquisitis, vel *in posterùm acquirendis*: etiam si ipsæ Ecclesiæ, vel personæ, vel res hujusmodi sint infra illorum districtum, vel territorium constitutæ.] Ubi notabis primò verba, Authoritate Apostolica decernimus non licere: in quibus evidens est, quòd Pontifex à Cathedra docens Ecclesiam authoritate Apostolica declarat, id esse peccatum, & Ecclesia id proponit

tanquam illicitum. Nota etiam ea verba *in posterùm acquirendis* esse generalia, & extendi ad ea, quæ sine licentia dominorum temporalium ab Ecclesia acquirentur.

141 Eodem modo declarat illicitam aliam partem statuti, quæ coarctat Ecclesiam ad alienandum, & ponendum extra manum suam bona stabilia denuo acquisita. [*Nec etiam liceat illis*, ipsas Ecclesias, vel personas ad distrahendum, vel alienandum, vel *extra manum suam ponendum* acquisita jam, vel quæ *deinceps acquirent*, aliquatenus coarctare.] Et quamvis in hac secunda clausula non apponat verbum de præsenti indicativo, *Nec etiam licet*, sed subjunctivo, *Nec etiam liceat*: at ex contextu in eodem sensu loquitur, affirmans, id esse illicitum.

142 Quod utrumque evidentius constat, cùm id peccatum gravioribus verbis ostendit, dicens: *Detestabilis malignorum audacia, & insolentium nefaria temeritas propulsetur*. Ergo declarat Pontifex authoritate Apostolica, esse peccatum mortale, impedire Ecclesiæ, quòd bona immobilia denuo acquirat, & coarctare Ecclesiam, ut ea extra manum suam ponat; vel exactionibus cogere ad ea bona non acquirenda denuo.

143 Item Bonifacius Octavus *in cap. fin. de immun. Eccles. in* 6. ait, [Eos, qui *temporale dominium* obtinentes, suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis *quidquam vendant*, *&c.* aliquando interdicunt; cùm talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ *præsumantur*, eo ipso *excommunicationis sententia decernimus subjacere*.] Nota primò ea verba *quidquam* vendant, esse generalia, & extendi ad mobilia, & immobilia. Nota secundò, dum Pontifex declarat, eos, qui talia agunt, subjacere excommunicationi, declarare utique, eos peccare mortaliter; cùm hoc in illo includatur.

144 Dices, ea verba *decernimus subjacere*, non tam esse declarationem speculativam censuræ, & peccati, quàm declarationem practicam censuræ; id est, sententiam excommunicationis, non ferendam, sed latam virtute ejus verbi, *decernimus subjacere*, id est, sententiam excommunicationis ipso facto incurrendæ ferimus.

145 Sed si in alia materia versaretur, facile annuerem. Sed cùm in hac materia immunitatis reliqui Pontifices loquantur, asserentes, & quasi speculative affirmantes, esse peccatum, impium, sacrilegum, eam violare; & verba Bonifacii capacia sint ejusdem sensus, utique in eodem sensu accipi debent.

146 Apud Dianam *cit. resol.* 4. invenies præoccupatam responsionem, quam huic textui aliqui respondere possent, id verbum *præsumantur*, solam præsumptionem importare. Nam Diana bene adnotat, eam esse præsumptionem juris, & de jure, quæ non admittit probationem in contrarium. Et probat *ex c. Is qui fidem, de Sponsal.* & ex jurisperitis. Sed urgentius adhuc potest ea responsio refutari pro casu præsenti. Nam quando jus præsumit fraudem, & super presumptione decernit; si casus afferat non solùm presumptionem, sed evidentiam, à fortiori militat lex in tali casu. Atqui hic conspicitur evidenter derogatio ejus libertatis Ecclesiasticæ, qualem sacri canones statuunt (hanc enim in sacris canonibus stabiliri, non videtur negare Caramuel; solùm enim negat, esse intra sphæram potestatis Ecclesiasticæ) ergo lex militat evidenter in hoc casu. Vide etiam P. Suarez *lib.* 4. defensionis fidei *cap.* 33. qui legitimam tradit expositionem ejus verbi *Præsumantur*; non enim significat præsumptionem juris, sed præsumptionem, qua violatores immunitatis audent, & præsumunt talia operari in derogationem libertatis Ecclesiasticæ. Quæ expositio clarè colligitur ex eo, quòd verbum *Præsumere* in eodem sensu usurpatur in eodem canone, illis verbis; *Aac alia obsequia exhibere præsumant*.

147 Innocentius Tertius in Concil. Gener. Lateran. *c. cum laicis*, de rebus Ecclesiæ non alien. damnat statuta Principum secularium præcipientium, bona stabilia ab Ecclesia acquisita alienari. Ubi Ostiensis *num. 5. verb. De alienatione*, advertit, hanc constitutionem factam esse à Concilio propter statuta Principum secularium statuentium, bonorum stabilium Ecclesiæ acquisitorum alienationem faciendam esse intra annum, & diem, post acquisitionem eorum. Ubi Pontifex in Concilio declarat, esse illicitum, talia statuta condere. Nota ea verba: [*Dolemus*, in quibusdam ex illis (scilicet laicis) sic *refrigere charitatem*, quòd immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, quam non tantùm Sancti Patres, sed etiam Principes sæculares privilegiis multis munierunt, *non formidant* suis constitutionibus, vel potius destitutionibus impugnare: non solùm de alienatione fundorum, ac aliorum possessionum; sed etiam de mortuariis, nec non & aliis, quæ jure spirituali annexa videntur, *illicitè* præsumendo.]

148 Ubi notabis primo declarationem Concilii, qua asserit *illicitum* præsumere talia statuta. Secundò idem significatur iis verbis, *dolemus sic refrigere charitatem*, quæ verba apertè significant peccatum mortale, alludunt enim ad verba Christi D. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Et verbum ipsum *dolemus*, id ipsum clarius exprimit, cùm is dolor sit de damno spirituali refrigescentis charitatis. Tertiò id ipsum ostenditur per id verbum *non formidant*; eo quòd res formidanda sit, in qua peccatum mortale intervenit. Quartò eæ constitutiones Principum laicorum super tali alienatione facienda bonorum stabilium, quæ acquisivit Ecclesia, *destitutiones* appellantur, & inferius destructiones: quæ verba iniquitatem ita præcipientium præseferunt.

149 Deinde decernit Concilium, eas alienationes, seu venditiones bonorum Ecclesiasticorum, ob iniquitatem, qua statuta sunt à laicis, esse irritas. Ita enim ait: [Constitutiones, & venditiones hujusmodi feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Ecclesiæ assensu præsumptas occasiones constitutionis laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destitutio, vel destructio dicit possit, nec non usurpatio jurisdictionum) sacri approbatione Concilii decernimus non tenere.] Declarare autem illas constitutiones laicorum, & venditiones tanquam invalidas, eo quòd sint *destitutiones, & destructiones*, eo quòd sit *usurpatio jurisdictionis* Ecclesiasticæ, eo quòd, qui eas faciunt, præsumunt operari *illicitam*, eo quòd procedant ex *refrigescente charitate*, eo quòd *formidare* deberent ita operari; quid est aliud, quàm decernere illicitum, & grave peccatum?

150 Denique advette, Concilium in eo capite *Cum laicis*, loqui de hac materia universaliter illis verbis: *Cùm laicis quamvis Religiosis disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas, dolemus, &c.* Unde directè opponitur licentiæ Principis laici petendæ. Et ita id generaliter esse illicitum, declarat modo supra proposito. Nec dixit *de rebus Ecclesiasticis, sed de rebus Ecclesiæ*, inter quæ vult Caramuel esse distinctionem. Res autem Ecclesiæ dicuntur, quæcumque ab Ecclesia dominio proprietatis acquisita. Quæ licèt velit Caramuel, ea non esse Ecclesiastica, quamvis sint sub dominio proprietatis Ecclesiæ, quia adhuc manent subjecta dominio Regis; tamen ex dictis constat, quòd Concilium declarat, ea bona non esse subjecta Principi laico; item declarat esse illicitum; quòd de ipsis disponat Princeps laicus, tanquam de sibi subjectis.

151 Deinde cum ex doctrina Caramuelis inferatur, bona stabilia acquisita ab Ecclesia absque licentia Regis manere sub dominio politico Regis; atque ea onerari posse gabellis, & exactionibus, eo quòd dominium politicum est illud, secundùm quod potest disponere de bonis vassallorum; declaratum esse generaliter à Romanis Pontificibus, esse illicitum, & grave peccatum, ea onera imponere, etiam prætextu bonorum ab Ecclesia acquisitorum, manifestum est,

152 Nam Bonifacius Octavus *c. Quamquam, de censibus, in* 6. loquens de iis exactionibus, quas Alexander Quartus damnat ut illicitas *c. Quia nonnulli, de immunit. Eccles. in* 6. ut supra ponderavimus *à num.* 134. ait primò. *Majoris inde transgressionis reatus incurrit, & offensa evidentior comprobatur*. Quæ verba evidenter peccatum significant, & illicitum. Ait secundo esse *multorum insolentiam, & abusum*. Ait tertiò, contrariam consuetudinem esse corruptelam: quæ vox vitium, & culpam significat. Quartò iterùm utitur nomine *transgressionis*. Quintò declarat, eos, qui talia exegerint à clericis, vel de bonis Ecclesiasticis, *plenariò restituere, & satisfacere competenter* debere. In quibus omnibus apertè declarat Pontifex, id esse illicitum, & grave peccatum.

153 Idem Bonifacius *in cap. Clericis, de immun. Eccles. in* 6. referens, quòd laici Principes imponebant talem quotam bonorum sibi solvendam; ait primò, quòd tales laici, *nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant*. Secundò ait: *Talibus iniquis actibus obviare volentes*. Tertiò ait: *Tam horrendum sæcularium potestatum abusum*. Quartò, loquendo de negligentia Prælatorum, qui potestatibus laicis non contradicunt, ait; *Plus timentes, Majestatem temporalem offendere, quam æternam*. Ubi evidentissimum est, Pontificem proponere Ecclesiæ, tanquam illicitum & peccatum gravissimum, eas exactiones extorquere ex bonis ab Ecclesia acquisitis.

154 Item Benedictus Undecimus *in extrav. Quod olim, de immunit. Eccles.* quamvis tollat pœnas impositas à Bonifacio Octavo contra Clericos, & Prælatos solventes, & consentientes solvi ejusmodi exactiones; tamen dictos Prælatos, & Clericos id consentientes appellat temerarios transgressores.

155 Denique *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 20. de Reformatione, gravissimis, & sanctissimis verbis omnino legendis confirmat prædictas constitutiones Pontificum, & Conciliorum generalium, & generaliter omnes sacros canones, qui immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam statuunt. Et declarat, omnes fideles teneri ad observationem omnium eorum sacrorum canonum. Præcipuè illis verbis: *Decernit itaque, & præcipit, sacros canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exactè ab omnibus observari debere*. Ubi notabis id infinitivum; *observari debere*, quod non facit sensum meri præcepti, sed declarationis. Nemo enim dicit; *jubeo festum observari debere*, sed decerno, vel declaro. Quare *decernit, & præcipit* idem est, ac dicere decernit, etiam denuo præcipiendo.

156 Tum sic: Sacri canones præcipiunt, ne potestates laicæ impediant, vel onerent quæcumque bona immobila tunc acquisita, vel deinceps acquirenda ab Ecclesia; ut manifestè constat ex hucusque dictis: sacra Tridentina Synodus *decernit* hos sacros canones *exactè ab omnibus observari debere*: ergo à sacra Tridentina Synodo declaratum est, potestates laicas non posse licitè impedire, seu onerare quæcumque bona immobilia, acquisita, vel acquirenda ab Ecclesia.

157 Deinde: Idem est decernere, *sacros canones exactè ab omnibus*

obser-

observari debere; ac esse illicitum, quòd prædicti sacri canones non exactè observentur; maximè cùm sacri canones dicant, id esse illicitum, & illos Tridentina Synodus innovet, & confirmet. Ergo ex declaratione Tridentinæ Synodi constat, esse illicitum, & peccatum, quidquid iis sacris canonibus opponitur. Sed illis manifestè opponitur statutum prohibens, quòd Ecclesia acquirat bona immobilia, vel præcipiens, quòd acquisita alienet, vel quòd ea illis quotam aliquam solvat: ergo ex declaratione Tridentinæ Synodi constat manifestè, tale statutum esse illicitum, & peccatum.

158 Ex quibus omnibus fit, quòd in quæstione, quæ inquirit; [An tale statutum sit illicitum, & peccatum?] cujus decisio evidenter pertinet ad Romanum Pontificem, habemus determinationem Pontificum, & Conciliorum asserentium, illum esse illicitum, & peccatum. Cùm autem Pontifices non possint proponere Ecclesiæ tamquam illicitum, & peccatum id, quod est licitum, & honestum, fit evidens, illud revera esse illicitum, & peccatum: & cùm Caramuel asserit in secunda conclusione, quòd *stando juri Ecclesiastico non potest fundus sæcularis, Ecclesiasticus fieri sine licentia Regis*; eo quòd de hoc puncto non possit disponere jus Ecclesiasticum; eum manifestè opponi sacris canonibus declarantibus, esse peccatum, quòd Principes velint sibi subjicere bona quæcumque ab Ecclesia acquisita; atque adeò eum opponi doctrinæ certissimæ.

CAPUT XII.

Aliud argumentum à priori, ex reverentia debita statui Ecclesiastico, quam Ecclesiasticus Princeps determinavit.

SUMMARIUM.

Rex nequit disponere contra reverentiam debitam Ecclesiæ. Ideò non potest nocere immunitati. n. 159.
Legis humanæ est decidere, quo cultu externo colendus sit Deus, Princeps, Prælatus, &c. n. 160.
Ideò ad Romanum Pontificem spectat decidere, qua reverentia colendus sit status Ecclesiasticus. Ibidem.
Pontifex de facto determinavit, qua reverentia externa colendæ sint personæ Ecclesiasticæ, & bona earum. n. 161.
Immunitas præcipitur in reverentiam status Ecclesiastici. n. 162.
Violatio immunitatis est sacrilegium, atque adeò contra reverentiam debitam Ecclesiæ. n. 165.
Vindicatur ab impostura P. Molina. n. 167.

159 SEcundum argumentum à priori desumptum, explicansque quomodo possint sacri canones disponere in materia immunitatis, quando opponi videtur dominium, aut jus Principis laici, sic propono. Principes laici numquam habuerunt dominium ad disponendum contra reverentiam debitam Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico: sed actiones, quæ opponuntur immunitati (qualem præscribunt sacri canones) sunt contra reverentiam debitam Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico: ergo ad tales actiones, in materia immunitatis numquam habuerunt dominium Principes laici.

160 Major est evidens: quia dominium Principis laici non est in contumeliam Religionis. Minor probatur ex optima doctrina Caramuelis *fund. 67. num.* 2006. qua docet, ad leges humanas pertinere determinare, quo cultu, sive qua reverentia extrinseca debeamus vereri Deum, Sanctos, Principes, Superiores: [Rem, inquit, exemplo dilucido. Deponere pileum, aut non deponere ex natura sua est actio indifferens, & propterea levis, aut fortè nullius considerationis. Verùm enim verò ex hypothesi, quòd depositio pilei sit extrinseca reverentia, posset præcipi sub culpa gravi, ne quis non deponat pileum coram venerabili sacrificio, aut coram Summo Pontifice, Imperatore, Rege, & aliis. Immò fortassis extat tale præceptum implicitè, aut expressè: quoniam coram talibus personis debet pileus deponi, & potest, & solet puniri, qui non obediat.] Ex qua doctrina evidenter infertur, ad Romanum Pontificem pertinere, determinare, qua extrinseca reverentia colendus sit status Ecclesiasticus, personæ, loca, & bona ejus.

161 Tum sic: Sacri canones determinaverunt tamquam reverentiam extrinsecam statui Ecclesiastico exhibendam, quidquid immunitatis præscripserunt pro personis, locis sacris, & bonis status Ecclesiastici: ergo quidquid immunitatis præscripserunt pro personis, locis sacris, & bonis status Ecclesiastici est reverentia debita statui Ecclesiastico: ergo actiones, quæ opponuntur immunitati præceptæ per sacros canones, sunt contra reverentiam debitam statui Ecclesiastico. Consequentia manifesta est: nam si immunitas præcepta per sacros canones est reverentia extrinseca, quę exhibenda est statui Ecclesiastico; actiones, quę tali immunitati opponuntur, etiam opponuntur reverentiæ illi statui debitæ.

162 Quòd verò sacri canones determinaverint tamquam reverentiam extrinsecam exhibendam statui Ecclesiastico, & personis, bonis, & locis sacris ejus, quidquid titulo immunitatis injungunt, evidentissimè constat ex quam plurimis textibus juris canonici. *Vide plures infra cap.* 15. de immunitate contra extractionem reorum ab Ecclesia. Quorum textuum primus, *ex cap. Ecclesia, de immunit. Eccles.* generaliter loquitur de privilegio immunitatis loci ad sacrificia dedicati. *Præterea c. 1. de immunit. Eccles. in* 6. Alexander Quartus ait: [Libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam lædere, ac minuere, tamquam *honoris*, & privilegii Ecclesiarum invidi moliuntur.] Ubi verbum *honoris*, denotat immunitatem datam Ecclesię in honorem extrinsecum, & reverentiam Ecclesiarum. Loquitur autem Alexander IV. de iis, qui prætextu prædiorum denuo acquisitorum ab Ecclesia, exactiones imponebant, & ibi prohibet, quòd cogantur Ecclesiæ ad ponendum ea extra manum Ecclesiasticam.

163 *Ex cap. Decet, de immun. Eccles. in* 6. Greg X. in consilio Lugdunen. prohibet fieri plures actiones in Ecclesia pertinentes ad immunitatem, qualia sunt Concilia Universitatum, publica parlamenta, negotiationes, nundinæ, actiones forenses, judicia criminalia, ita ut Judicum sæcularium sententiæ ibi prolatæ sint irritæ, & nullæ. Et hæc omnia asseruntur stabiliri ad venerationem Ecclesiæ, & reverentiam nominis Jesu, qui in eis locis adoratur. [Decet domum domini sanctitudo; decet, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit debita *veneratione* pacificus.] Deinde [Convenientes ibidem nomen illud, quod est super omne nomen... exhibitione reverentiæ specialis attollant.] Ad eam reverentiam specialem omnia supradicta prohibet Concilium.

164 Præterea cum Concilium Trident. verbis citandis *cap. 19. n.* 240. *ex sess. 25. cap. 20. de Reform.* injungit Principibus, & potestatibus sæcularibus observationem sacrorum canonum generaliter circà immunitatem Ecclesiæ; injungit, id ita observandum ob reverentiam debitam Ecclesiæ, præcipuè iis verbis: [Subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & Superiores Ordines reverentiam revocaturos.] Vide ibi totum textum. Ex quibus fit indubitatum, quamlibet actionem, sive positivam, sive negativam, quam titulo immunitatis præcipiunt sacri canones, præceptam esse ab Ecclesia titulo reverentiæ debitæ statui; & omnem violationem talium præceptorum esse irreverentiam, & contumeliam Religionis.

165 Et confirmantur hæc iis textibus sacrorum canonum, qui affirmant committi sacrilegium in multis actionibus, quibus violatur immunitas Ecclesiastica. *Ita cap. Sicut. & cap. Attendendum. & cap. Qui capit. 17. qu. 4* præcipuè *cap. Quisquis. eod.* in quo referuntur multæ actiones contra immunitatem sacris canonibus injunctam, & asseruntur sacrilegia. Nam sive *sacrilegium* ibi sumatur in omnibus propriè, & strictè; sive in aliquibus sumatur latè, quocumque modo probat, esse contra Religionem, & reverentiam sacro statui debitam.

166 Congruit sacris canonibus lex Castellæ 4. *tit.* 2. *lib.* 1. novæ compilationis, qua ita statuitur: [La Iglesia militante, que es ajuntamiento de los fieles, deve ser *honrada*, tenida, y guardada como Madre, y Maestra universal de todos. *Por ende* mandamos, que ninguno sea ossado de quebrantar Iglesias, oi monasterios, ni quebranten sus privilegios, ni franquezas, ni occupen los bienes, ni mantenimientos, ni ornamentos dellas, ni entren en las dichas Iglesias à hazer, ni tratar cosas deshonestas: y que las Iglesias sean tratadas con *gran reverentia*, porque son casas deputadas para oracion, y para servir à Dios.] Id est: Ecclesia militans, quæ est congregatio fidelium, *honorari* debet, haberi, & *observari* tamquam parens, & Magistra universalis omnium. *Propterea* jubemus, ne ullus audeat infringere Ecclesias, nec monasteria, nec violet earum privilegia, aut indulta, nec usurpet bona, nec alimenta, nec ornamenta earum, nec prædictas Ecclesias ingrediantur ad perpetrandum, vel tractandum inhonesta: & ut Ecclesiæ colantur magna reverentia, eo quòd sunt ædes deputatæ ad orationem, & obsequium Dei. Hæc omnia confirmantur ex dicendis *cap. 17. & 19.* quæ huic argumento, & in ejus confirmationem omnino addenda sunt.

167 Ad extremum nota Antoninum Dianam *par. 6. tract. 3. resol.* 10. allegare P. Ludovicum de Molina *disp.* 140 tamquam asseruerit, tale statutum de alienando, & ponendo extra manum intra annum bona denuo ab Ecclesia acquisita, esse licitum. Diana citat Surdum *consil.* 101. dicentem P. Molinam fuisse hallucinatum, dum sæcularibus Principibus voluit gratus fieri. Cito & ego cæcum (nempe Dianam, aliàs perspicacem) qui caligantibus oculis legit P. Molinam. Iste enim non assertivè, sed solùm relativè proponit jus Lusitaniæ regni *lib. 2. ordinam. tit. 8. in princip. & §. 1.* [Neque Ecclesiæ, neque Monasteria emere possunt bona aliqua immobilia absque Regis facultate. Quod si vel successione, vel donatione, aliqua illis adveniant, tenentur intra annum, & diem illa alienare, nisi obtineant facultatem à Rege, ut illa sibi retineant.] Et posteà refert causam impulsivam, qua ductus est Legislator. Quæ neque approbat, neque improbat; solùmque asserit id esse jus scriptum Lusitaniæ. Et fortè non reprobavit, quia non potuit indagare, an id esset privilegium Pontificium.

CAPUT XIII.

Alia impugnatio prædictæ conclusionis secundæ.

SUMMARIUM.

Præcipienti juxta opinionem probabilem obediendum est. n. 168.

Id docet Caramuel esse certum, & præcipuè Pontificibus circà immunitatem. n. 170.
Inde colligitur tamquam certum non posse Regem statuere contra bona Ecclesiæ. n. 172.

168 ALterum argumentum, quo specialiter impugnatur eadem secunda conclusio desumitur ex principiis à Caramuele statutis. Sic cum eo arguo. Prælato præcipienti secundùm opinionem probabilem, certum est, quòd tenetur subditus obedire: sed Romani Pontifices in sacris canonibus, & Conciliis præcipiunt Principibus laicis, quòd nihil disponant de bonis ab Ecclesia acquisitis; idque saltem secundùm opinionem probabilem: ergo certum est, quòd illis ita præcipientibus laici Principes tenentur obedire. Ergo certum est, teneri non sibi subiicere bona quælibet ab Ecclesia acquisita; neque sub dominio suo politico illa continere.

169 Prima consequentia est legitima, & secunda manifestè deducitur ex prima. Minorem nemo negare potest: esset enim delirium dicere, non esse opinionem probabilem eam, quam sacri canones statuunt. Et videtur admittere Caramuel, dum pro opposita sententia citat Dianam, & remittit lectorem ad eum videndum, nec dicit sententiam ejus esse improbabilem.

170 Majorem docet ipse Caramuel variis in locis, quos retuli *disput.* 16. *de Probabilit.* quam doctrinam adeò veram judicat, ut non contentus sit, esse probabilem, sed illam esse omnino certam velit: eo quòd certum reputat, omnes, qui se superioribus subjecerunt, cessisse jure suo sequendi opinionem probabilem contra præcepta Superiorum.

171 Sed in specie id docet Caramuel de Pontificibus præcipientibus in materia immunitatis secundùm opinionem probabilem. Nam in Theologia fundamentali *fund.* 66. *numer.* 1847. sic ait: [Demus rationem solidam, quæ super probabilioritatis aleam posita, solutionem non habeat . . . Ergo poterit (subditus) cedere jure libertatis, & obligare se ad obediendum Superiori in materia probabili. Atqui de facto cessit: ergo tenetur in materia probabili. Sic Gregorius XV. censuris . . . Et passim hodie, semperque Pontifices pro immunitate Ecclesiastica propugnanda innumeras opiniones censuris (id est, pœnis Ecclesiasticis) damnant, quamvis probabiles reputentur ob plurium Doctorum patrocinium.]

172 Quare secundùm Caramuelem certum est, *& super probabilioritatis aleam positum*, quòd Pontifices possunt obligare, & subditi tenentur obedire in materia probabili, & specialiter id est certum in materia probabili, immunitatis Ecclesiasticæ: ergo certum est, quòd omnes Reges Catholici, utpote subditi Pontificum Romanorum, tenentur obedire sacris canonibus Pontificum in prædicta materia immunitatis; atque adeò quòd tenentur ad non faciendum statutum prohibens Ecclesiæ acquisitionem bonorum stabilium, vel præcipiens, quòd intra tantum tempus extra manum suam ponant, & ad non subiiciendum sibi quovis modo bona acquisita ab Ecclesia, vel deinceps acquirenda: ergo oppositum non est probabile. Implicat enim contradictionem ex duobus contradictoriis, unum esse certum, & alterum probabile. De quo vide *disp.* 4. *cap.* 1. Ergo non est probabilis sententia, quòd requiratur licentia Regis, ut bona immobilia fiant Ecclesiastica, neque quòd valeat statutum de ponendo bona immobilia extra manum Ecclesiæ infra annum, secluso privilegio: cùm talis sententia directè opponatur prædictis sacris canonibus.

CAPUT XIV.

Doctrina tradita uberius confirmatur ex eo, quòd secunda, & quarta conclusio sibi invicem repugnent.

SUMMARIUM.

An præscriptione possit fundus sæcularis fieri Ecclesiasticus? n. 173.
Licentia Regis non potest favere Ecclesiæ? n. 174.
Præscriptio, & licentia Regis, pro re præsenti, non differunt? n. 175.
An Rex possit concedere privilegium non subdito? n. 180.
Non valent leges in favorem Ecclesiæ, nisi approbentur? n. 183.

173 UT hoc argumentum rectè percalleas, relege conclusionem quartam Caramuelis propositam *cap.* 1. in qua asserit bona sæcularia non posse fieri Ecclesiastica ex præscriptione legibus introducta, & quod ad leges civiles, & regias attinet, rationem exhibet: [Quia legibus non debent judicari, qui non sunt subjecti: ergo sæcularis Principis lex non potest favere Pontifici, quoniam iste sæculari non subditur, nec venit sæculari jure judicandus.] Etenim cùm bona sæcularia fiunt Ecclesiastica, exeunt de dominio politico, & supremo Principis laici, & transeunt ad dominium politicum, & supremum Romani Pontificis: Cùm ergo Pontifex non sit subjectus legibus Principis laici, non potest ex lege hujus accipere Pontifex ejusmodi dominium.

174 Hinc contra secundam conclusionem ostendo, non valere licentiam Regis, ut fundus sæcularis fiat Ecclesiasticus. Quando fundus sæcularis fit Ecclesiasticus, exit de dominio politico, & supremo Regis, & transit sub dominium politicum, & supremum Pontificis: sed Pontifex non potest habere hoc dominium politicum, & supremum de licentia Regis: ergo fundus non potest fieri Ecclesiasticus de licentia Regis. Omnia patent præter minorem, quam sic ostendo. Pontifex non potest habere dominium politicum, & supremum ex lege Regis, eo quòd legibus Regis non subiicitur: sed prædicta licentia est lex Regis (lex privata, si datur ad unum casum particularem; lex communis, si licentia est generalis, qualem etiam admittit Caramuel in 3 conclusione) ergo Pontifex non potest habere prædictum dominium politicum, & supremum de licentia Regis.

175 Itaque secunda conclusio, quæ requirit licentiam Regis, ut fundus fiat Ecclesiasticus; & quarta conclusio, quæ non admittit præscriptionem legis regalis, ut fundus fiat Ecclesiasticus, invicem pugnant. Id quod evidentius fit, confirmando primo argumentum sic: Præscriptio legis regalis, quæ disponeret dari jus Pontifici in fundum legitimo tempore possessum, est licentia Regis, ut fundus transeat sub dominium Pontificis: sed non valet ea præscriptio, nec lex regalis de illa, ut fundus transeat sub dominium Pontificis: ergo neque ad id valet licentia Regis.

176 Confirmatur secundò. Inquiro enim, an ut fundus fiat Ecclesiasticus, prosit licentia Regis data sub conditione, quòd Ecclesia possederit talem fundum quadraginta annis cum bona fide, an non prosit? Si primum dicas, infero: ergo valet lex præscriptionis, ad id; nam quid est lex præscriptionis, nisi permissio, quòd quis acquirat hoc jus ex possessione tanti temporis cum bona fide; & cum cæteris conditionibus, si aliæ requirantur? Si secundum dicas, contra est: nam qui potest dare licentiam absolutam, potest dare licentiam sub aliqua conditione: & ubi prodest licentia absoluta, etiam prodest conditionata, videlicet cùm impletur conditio. Præterquam quòd licentia conditionata transit in absolutam, ubi purificatur conditio. Ergo licentia data sub conditione possessionis tanti temporis, & bona fide, purificata conditione, est licentia absoluta: ergo si non prodest ea licentia conditionata, ut fundus transeat sub dominium Pontificis, etiam postquam purificata est ea conditio, neque sufficiet licentia absoluta.

177 Confirmatur tertiò. Da, has duas leges esse à Rege Hispaniæ statutas. Primam. *Quoties Ecclesia possederit cum bona fide fundum quadraginta annis, licentiam concedo, ut Pontificis dominio subdatur.* Secundam. *Quoties Ecclesia possederit cum bona fide fundum quadraginta annis, præscribat possessio pro dominio Pontificis.* Et rogo, in quo differant illæ duæ leges? Utraque enim dat permissionem, ut fundus subdatur dominio Pontificis; & utraque disponit de præscriptione: prima enim, etsi non utatur vocabulo præscriptionis, utitur æquivalenti; cùm det dominium ratione possessionis quadraginta annorum, & bonæ fidei. Ergo si lex, quæ disponit de præscriptione, non valet, ut fundus subdatur Pontificio dominio: neque prima lex, quæ dat licentiam ad idem, prodest, ut fundus subdatur Pontificio dominio.

178 Respondebis, licentiam non esse legem, & ideò non valere paritatem à lege ad licentiam, aut è converso. Sed si sic respondes, non modicam reputabo vim argumenti, quòd te in eas angustias conjicit. Contra est primò, (Do, licentiam non esse legem.) Est evidens, quòd Pontifex non subdatur magis Principi laico, accipiendo dominium ab illo per legem, quàm per licentiam. Contra est secundò. Constat enim manifestè ex argumento facto, legem præscriptionis nihil differre à licentia data sub conditione possessionis quadraginta annorum, & bonæ fidei.

179 Et quidem si iste author assereret, non valere præscriptionem legis regalis, eo quòd lex præscriptionis non prævalet contra jus regium, consequenter procederet. Nam secundùm ejus doctrinam bona immobilia ab Ecclesia acquisita sine licentia Regis subjecta manent dominio Regis: asinnde verò lex regia præscriptionis expressè excipit jura regalia, ut non præscribatur contra illa; inde autem fit, quòd lex præscriptionis non prodesset Pontifici, ut Rex spoliaretur dominiu suo politico, & supremo, & ut hoc transiret ad Pontificem, Caramuel autem non progreditur hoc tramite: asserit enim, impossibile esse, quòd lex præscriptionis faveat Pontifici ut pote non subdito. Quæ ratio vim habet, etiam si ipsa lex expressè concedat præscriptionem Ecclesiæ contra jura regalia.

180 Rogabis, quid dicendum sit de ea quæstione, An possit Rex concedere privilegium non subdito; vel an lex possit favere non subdito? Vidimus Caramuelem sibi contradicere, dum ex una parte negat; ex alia verò asserit conclusione tertia, Constantinum, & alios Principes sæculares concessisse licentiam generalem, ut bona immobilia sæcularia fierent Ecclesiastica; & consequenter ea generali lege concessisse, quòd talia bona immobilia subiicerentur dominio Pontificio; atque adeò ea lege favisse non subdito.

181 Dicendum tamen est, id principium, quod assumit, esse certo falsum. Etenim potest Rex Hispaniæ condere legem prohibentem extrahere è suo regno aurum, argentum, frumentum, nisi in commodum Regis Galliæ: in hoc autem casu lex favet non subdito: potest ergo lex favere non subdito. Ergo lex Hispaniæ potest favere non subdito.

182 De-

182 Deinde: Homo non solùm dat alteri aurum, argentum, triticum, sed etiam dat jus ad aliquid: atqui ut det alteri, sive pecunias, sive jus ad aliquid, non est necesse, quòd det subdito: ergo poterit Rex dare Pontifici, sicut aurum, vel argentum, ita jus præscriptionis, quamvis non det subdito. Quòd autem det per legem, vel extra legem, nihil interest discriminis. Si enim dando jus per legem, imponeret illi aliquam obligationem, utique non posset dare per legem: quia evidens est, Regem non posse imponere obligationem non subdito. Potest tamen dare per legem non subdito, nullam illi obligationem imponens; ut fieret, quando daret Pontifici jus præscriptionis in dominio supremo, vel politico in fundum sæcularem quadraginta annis possessum cum bona fide: in eo enim casu ad nihil obligaretur Pontifex: quòd eodem modo fieret in casu, quo Rex Hispaniæ præciperet non extrahi aurum, argentum, triticum, nisi in favorem Regis Galliæ; tunc enim lex faveret non subdito, nullam illi obligationem imponens.

183 Aliud est, quòd non possit Rex concedere privilegium non subdito dispensando propriè, & strictè cum illo in aliqua lege. Hoc enim verum est, & in hoc sensu affirmant Doctores, quòd non potest Rex dare privilegium non subdito. Nam licèt dispenset in lege, v. g. extrahendi triticum, aut simili, in favorem non subditi; hic non dispensat propriè cum non subdito: dispensare enim cum aliquo est eximere eum ab obligatione, cui subest: obligatio autem non extrahendi triticum non residet in alienigena, nisi forte ratione territorii, vel domicilii. Quando autem obligatur lege, tunc verificabitur, quòd dispensatur cum eo. Et quamvis hæc ita sint, adhuc tamen stando juri canonico, leges Principum sæcularium latæ in favorem Ecclesiæ non valent, nisi ab Ecclesia approbentur: ita disponente jure canonico *in cap. Ecclesia Sancta Mariæ, de constit.* An autem hoc intelligatur de lege universali præscriptionis, quæ communis est tam laicis, quam Ecclesiasticis, ita ut debeat approbari ab Ecclesia, ut Ecclesiæ prosit, modò non definio.

184 Hinc autem sumo argumentum contra eos omnes, qui defendere conantur, requisitam esse licentiam Regis, ut Ecclesia admittat bona immobilia, vel ut ea fiant Ecclesiastica. Etenim lex Principis laici, lata etiam in favorem Ecclesiæ, non valet, nisi fuerit à Romano Pontifice approbata. Dicitur enim in prædicto *cap. Ecclesia Sancta Maria. A quibus* (scilicet laicis) *si quid motu proprio statutum fuerit, quòd Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Rationem reddit: *Quia eis super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi.* Atqui facultas Principis laici, ut Ecclesia acquirat bona immobilia, est quædam lex lata in favorem Ecclesiæ, & in favorem dominii Pontificii, ea autem non approbatur ab Ecclesia: nunquam enim agnovit Ecclesia, se tali facultate indigere, quin potius persistit in eadem sententia, quòd *super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas*: ergo ea facultas data Ecclesiæ à Principe laico, ut acquirat bona immobilia, vel ut subdantur dominio Pontificio, nihil valet.

185 Neque obstat, si dicas primò, eam non esse legem præcipientem, sed potius licentiam concedentem, vel permittentem. Contra enim est primò: quia etiam lex Principis laici disponens in favorem Ecclesiæ, de qua loquitur illud *cap. Ecclesia Sancta Maria.* est quædam licentia, ut utatur jure suo; & tamen annullatur, quia non est approbata ab Ecclesia. Contra est secundo: quia facultas Principis laici, ut Ecclesia acquirat bona immobilia, etiam disponit de subjectione eorum bonorum respectu Pontificis: item disponit de annullatione dominii potentialis civium, ergo non est solùm licentia, sed lex dispositiva. Contra est tertiò: quia ea licentia est actus imperantis, qui eo capite reprobatur iis verbis: *Quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi.*

186 Dices secundò. Ut non valeat lex lata à Principe laico in favorem Ecclesiæ, debere esse motu proprio latam: ut dicitur in prædicto cap. at licentia data, ut Ecclesia acquirat fundum aliquem, numquam datur à Principe laico motu proprio, sed ad instantiam partis licentiam postulantis.

187 Contra est. Nam eodem sensu, quo dixit, tale statutum laici, ut valeat, debere approbari ab Ecclesia; eodem, inquam, intelligendum est, si sit motu proprio, non valere: id est. Si non sit ad instantiam Ecclesiæ. Nomine autem Ecclesiæ, quæ approbare debet tale statutum, ut valeat, esse debere Ecclesiam Romanam, & ejus Pontificem, constat ex contextu illis verbis: *Illa reprobatum fuit potissima ratione, quòd authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum.* Unde quòd statutum fiat à laico, motu proprio, est, quòd fiat sine authoritate, aut instantia Ecclesiæ Romanæ, aut instantia Ecclesiæ particularis ab Ecclesia Romana approbata. Secluso autem privilegio, Ecclesia Romana id non approbat, quia talem potestatem dandi ejusmodi licentiam, Ecclesia Romana non agnoscit, nisi ubi ejus privilegium intervenit, si forte tale privilegium aliquando dedit.

188 Scio, Caramuelem materiam hujus argumenti non admittere, qui ut constat ex prædicta conclusione sua secunda, defendere conatur, in hoc disponere non posse Ecclesiam. Cæterùm hæc evasio inanis est, cùm manifestè ostensum sit ex duobus capitibus præcedentibus, hanc materiam ad Ecclesiam, & ad jus canonicum pertinere, & toto disputationis decursu, eam non pertinere ad Principes laicos, ut pote nullum jus habentes, vel ex parte sui, vel ex parte juris potentialis suorum subditorum, super bona ab Ecclesia dominio proprietatis acquisita.

CAPUT XV.

Impugnatur specialiter doctrina Caramuelis circà domum Deo donatam ad sacrificia peragenda.

SUMMARIUM.

Domus Deo donata ad sacrificia non remanet sub dominio Regis. n. 189.
Ex eo quòd cives non habeant dominium potentiale in illam domum, colligitur illam non manere subjectam dominio Regis. n. 190.
Quæ sunt sub proprietate Christi, non subduntur Regibus n. 193.
Domus Christo donata ad sacrificia, non potest manere subjecta gabellis. n. 194.
Christus non potuit esse tributarius. n. 195.
Idem dicendum de domo Christo donata, ac de vestibus, quibus utebatur. n. 197.
Ex indecentia vitanda in ea domo, eadem conclusio confirmatur. nn. 198.
Dominium Regis non extenditur ad ea, quæ statum cujusque dedecent. num. 199.
Idem confirmatur ex Epistola prima ad Corinthios cap. 11. & ex D. Thoma, & ex Sanctis Anselmo, Hieronymo, Chrysostomo. num. 200
Aliæ confirmationes. nn. 201. & seq.

189 PRecor lectorem, ut antequam legat hoc caput, relegat doctrinam Caramuelis relatam *cap. 1. à num. 11.* Nam qua parte asserit, domum absque licentia Regis Deo donatam ad sacrificia celebranda pertinere ad dominium speciale, & particulare proprietatis Christi, verum asserit. Sed qua parte affirmat, illam manere sub dominio politico, & supremæ jurisdictionis regio, huc venit impugnanda. Et quidem ferè omnes demonstrationes hucusque fulminatæ militant contra hanc doctrinam. Si enim probant, numquam Principem laicum habuisse dominium supra bona aliqua, nisi sub conditione, quòd non ingrederentur in dominium proprietatis Ecclesiæ: à fortiori id convincent, quando domus subiicitur speciali dominio proprietatis Christi D. Producam ergo denuo argumenta, quæ specialiter militant contra hanc doctrinam.

190 Primum est. Stat quòd in domum Deo dedicatam ad sacrificia sine licentia Regis, amittant cives dominium potentiale, quale anteà habebant: ergo stat, quòd in domum illam amittat Rex dominium, quale anteà habebat. Consequentia patet. Ideò enim secundùm Caramuelem, permanet dominium Regis in illam domum, quia Petrus, qui donavit Deo illam domum, non potuit transferre in Christum, nisi solum suum dominium proprietatis, non vero dominium Regis: sed neque Petrus potuit transferre in Christum dominium potentiale civium: & isti manent sine dominio potentiali, quod anteà habebant: ergo sicut potest intelligi, quòd non transferente Petro in Christum dominium potentiale, cives maneant absque eo dominio potentiali, quod anteà habebant; ita poterit intelligi, quòd non transferente Petro dominium regium in Christum, adhuc Rex maneat absque suo regio dominio in illam domum.

191 Antecedens autem primi enthimematis manifestum est in doctrina Caramuelis, juxta quam illa domus manet inalienabilis, etiam à Summo Pontifice, *ni detur causa, ex qua probabiliter colligatur, Christum D. si inter nos degeret, illam alienaturum esse.* Quæ sunt formalia ejus verba. Et ita manent cives cum dominio potentiali ad illam acquirendam solùm in eo casu rarissimo: cùm ante dedicationem ejus domus Christo datæ haberent dominium potentiale ad emendum, vel accipiendum gratis eam domum, non solùm pro casu rarissimo, sed pro casibus communiter contingentibus: ergo donata Christo ea domo, non manet in civibus dominium potentiale, quale anteà habebant.

192 Et quidem supra *nu. 72.* diximus, id jus potentiale dupliciter affirmari posse, vel conditionatum, scilicet, si fuerit occasio venditionis, vel donationis; qua ratione, & sub qua conditione semper manet, sive res sit alienabilis, sive inalienabilis: vel absolutum, exigens, quòd res maneat inalienabilis. Quem primum modum Caramuel non potest admittere, quia sic nulla injuria fieret juri potentiali, quamvis res fieret Ecclesiastica. Unde secundo modo debet illud necessariò defendere. Hinc fit, quòd dominium potentiale in domum Petri, antequam dedicaretur Christo, exigebat, talem domum manere alienabilem: atqui inalienabilis manet eodem modo, ac cætera bona Ecclesiastica, quæ solùm in casu rarissimo alienari possunt: ergo in civibus non manet illud dominium potentiale, quale erat, antequam domus donaretur Christo.

193 Secundum argumentum est. Dominium politicum Principis laici est potestas disponendi de bonis subditorum, etiam ipsis invitis, quando id exigat utilitas publica: hoc non potest ex-

tendi ad bona, quæ speciali titulo pertinent ad dominium proprietatis particularis Christi : ergo domus Christo donata, quæ pertinet ad dominium prurprietatis particularis Christi, non subiicitur dominio politico Principis laici. Consequentia patet. Major est Caramuelis, & omnium. Minor ostenditur. Non est possibilis utilitas publica in eo, quòd disponatur de re aliqua pertinente specialiter ad dominium proprietatis Christi; nisi præcognita Christi vuluntate : item nulla est potestas humana, quæ possit tollere à Christo nolente, rem pertinentem ad dominium proprietatis ipsius : ergo dominium politicum Principis laici, respectu rei pertinentis ad dominium proprietatis Christi, nullum est. Consequentia patet : & utraque pars antecedentis est ex terminis nota. Secunda quidem : quia quæ Christus dominio proprietatis particularis possidet, utique possidet independenter à qualibet humana potestate; alioqui esset subditus illi : si enim exigeret Princeps laicus à Christo rem illam in casu illo publicæ utilitatis, deberet Christus subdi humanæ potestati, & illam Principi postulanti dare, quod est plusquam absurdum. Et prima etiam pars nota est : omnis enim publica utilitas cedit dominio Christi. Dicendum ergo est, dominium publicum Principis laici terminari ad bona mobilia, vel immobilia subditorum sub ea conditione, si non transierunt ad dominium proprietatis Christi.

194 Tertium argumentum est. Si jus dominii politici maneret Principi laico in eam domum Christo donatam, & cujus Christus habet speciale dominium proprietatis, ea domus maneret subjecta gabellis; nam ratione dominii politici potest Princeps laicus imponere gabellas super bona subditorum : unde ulterius fieret, quòd Christus maneret tributarius Principi laico; atqui Christus esse non potest tributarius Principi laico : ergo ea domus Christo donata non manet sub dominiu politico Principis laici. Consequentia legitima est. Majorem si neges quo ad priorem partem, infero : ergo cùm ante donationem domus Christo factam dominium politicum Principis laici extenderetur ad exigendum gabellas ex ea domo, ex donatione Christo facta, cessavit ejusmodi dominium politicum ad tales gabellas exigendas : ergo facta Christo ea donatione, amittitur ejusmodi dominium Regis politicum. Cujus oppositum contradictorium asserit Caramuel. Secunda verò pars majoris manifestè deducitur ea prima. Nam quando bona alicujus obligata sunt extra hypothecam alicui tributo, Princeps non postulat tributum ab ipsis bonis, nec ipsa bona solvunt illud; sed dominus bonorum solvit tributum, & ille est tributarius : unde si domus pertinens specialiter ad dominium proprietatis Christi obligaretur ad tributum, Christus solvere deberet, tamquam dominus ejus domus.

195 Id tamen esse absurdum, quæ erat minor primi syllogismi, manifestè probatur ex Evangelio Matthæi 17. 25. Ubi cùm à Christo exigeretur tributum, dixit Petro. *Ergo liberi sunt filii :* ubi, ut omnes Doctores interpretantur, dixit Christus se filium Regis universalis, & ideò liberum esse à tributo. Quare Abulensis *tom.* 10. *in cap.* 17 *Matth. qu.* 191. ait : [Dicendum ergo, quòd accipienda sunt verba Christi sic, quòd filii Regum non solvunt tributa in regnis patrum suorum; & tamen ipse erat in regno Patris sui : nam licèt Octavianus temporaliter præesset regno Judæorum, Deus tamen verè erat Rex hujus regni, & omnium regnorum terræ.]

196 Et licèt non defuerint aliqui, ut refert P. Maldonado in hunc locum, qui dixerint Christum, dum viveret in statu mortali, fuisse tributarium, quia sponte voluit se subiicere huic oneri, sicut & aliis humanis infirmitatibus : in statu tamen immortalitatis tributarium esse posse humanis potestatibus, nullus dixit, nec dicere potuit. Præter quam quod illi, qui dixerunt, Christum sponte voluisse se subiicere tributorum solutioni, si nullam obligationem in Christo solvendi tributa agnoverunt, veram assertionem statuunt; voluit enim sponte solvere didracma, ne scandalizarentur Judæi, ut ipse Christus dixit Petro : si verò aliquam obligationem in Christo agnoscant solvendi tributum, contra ipsa Christi verba procedunt; cùm dixerit, se liberum esse à tributo, quia filius Regis.

197 Confirmatur. Inquiro enim, an vestes, quas Christus habuit (idem esto de domo propria, si quam habuisset) essent sub dominio politico Octaviani Augusti, an non? Si secundum dicas, assigna discrimen inter vestes Christi, & domum illam Christo donatam à Petro ad sacrificia. Et dum discrimen cogitas, infero : ergo cùm vestes illæ, antequam transirent ad dominium proprietatis Christi, essent sub dominio politico Octaviani; ut transierunt ad dominium proprietatis Christi, exierunt à dominio politico Octaviani : ergo stat, quòd sit dominium politicum rei apud Principem laicum, & quòd, ubi res transit ad dominium proprietatis Christi, cesset dominium politicum Principis laici. Si verò primum dicas, contra est; nam (seclusa spontanea subjectione Christi sine ulla obligatione) indecens est, filium Regis universalis Christum subdi Principi terreno, quoad vestes suas; ita ut Princeps terrenus in aliquo casu haberet jus illas exigendi à Christo, aut ratione illarum gabellas imponere. At nunquam Principes terreni ullum habuere dominium contra decentiam, & observantiam summam Christo debitam.

198 Quartum argumentum. Interrogo Caramuelem, an in ea domo Christo donata à Petro, & destinata ad sacrificia celebranda liceat Principi laico erigere carnificinam, & ibi strangulare reum? An liceat Principi intra eam spectacula edere agitando tauros, ludendo hastis, cursus equitum producendo, si fortè ob amplitudinem eorum sit capax ejus ædis spatium? An liceat Principi intra eam domum hospitare equos, qui deferuntur ad bellum, sicut in reliquis domibus civium? An liceat Principi scorta lupanaris illic collocare in eo eventu, in quo ad tempus posset domum alterius civis ad id assumere? An eidem liceat ibi sententiam sanguinis decernere contra ea, quæ statuuntur in *cap. Ecclesia. de immun. Eccles.* An publicas nundinas illic collocare? An nuptiale Regis convivium apparare? Et quidem nullus sanæ mentis talia concedet. Et ratio firma negandi est, quia nullus Princeps laicus habet dominium, aut potestatem ea faciendi, quæ locum sacrificiis sanctum dedeceant. Præterea dominium politicum regale est in ordine ad disponendum de bonis civium in ordine ad utilitatem publicam : nulla autem utilitas publica potest inveniri in actionibus, quibus conculcentur sancta; quibus vilipendatur locus ad sacratissima destinatus.

199 Tertio. Nam, ut diximus *nu.* 33. non extenditur dominium regale ad ea, quæ statum uniuscujusque dedecent. Ideo Princeps, licèt habeat dominium supremum in viros nobiles, non potest illis præcipere, ut gerant munus agasonis, aut mulionis; neque fœminæ ingenuæ, ut munus agat tabernariæ; neque sacerdoti, ut ligna super humeros deferat, neque Dynastæ, ut agat munus sutoris. Item licèt possit præcipere homini vulgari, ut agat munus fabri ferrarii, aut lignarii; si tamen homo ille vulgaris transeat ad dignitatem judicis, Ducis militum, Prætoris, &c. non potest jam illud munus illi injungere : non quia Rex amittat potestatem, quam anteà habebat; sed quia nunquam habuit potestatem ad injungendum munus, quod dedecet statum; & quam potestatem habebat injungendi illi munus vile, quando habet ille statum vilem, & vulgarem, ea erat conditionata scilicet sub ea conditione, si permaneret in eo statu. Atqui domus illa à Petro donata Christo, & destinata perpetuò ad sacrificia, mutavit statum, cùm profanis jam, & vilibus usibus deservire non possit : ergo licèt Princeps posset anteà uti illa domo ad eos novem usus profanos, tamen postquam ad usus sacros destinata est, jam ad eos profanos usus ea abuti non potest : non quia Rex amiserit potestatem aliquam, sed quia nunquam habuit potestatem utendi illa domo ad usus profanos, nisi sub ea conditione, si manserit in statu vulgari, scilicet si non fuerit donata Christo, nec destinata ad sacratissimos sacrificii ritus.

200 Quòd si Regi concederes potestatem ad usus profanos, clamaret contra te Paulus ad Corint. 11. *Numquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Ideo D. Thomas in eum locum *quæst.* 4. ait : *Non enim est licitum domum Dei, quæ deputata est pro sacris usibus, communibus usibus applicare. Unde & Dominus Joan.* 2. *ejecit vendentes, & ementes de templo, dicens : Domus mea domus orationis vocabitur.* Et Anselmus ad eum Apostoli locum inquiens : *Ecclesiam Dei ad orationem, & ad percipienda Sacramenta consecratam contemni, dum in ea irreverenter carnales cibi sumuntur.* Et Hieron. ad ea verba : *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Subjungens : *Facientes eam triclinium epularum.* Et Chrysost. hom. 21. in eam Pauli Epistolam. *Non solùm pauperes, sed Ecclesia afficitur contumelia : sicut enim Dominicam cœnam facis privatam, etiam rursus locum, utens Ecclesia tanquam domo.* Si ergo contemnit domum orationis, qui facit illam domum convivii; quid de cæteris usibus supra enumeratis diceret Paulus, & coassererent Patres? Immò & Christus querelas effunderet dicens : [Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam scortatorum, carnificinam reorum, theatrum spectaculorum, &c.]

201 Debes ergo negare, quod maneat in Rege potestas ad utendum illa domo ad eos novem usus profanos. Tum sic infero primò. Ergo stat, quòd Princeps habeat dominium anteà in illam domum ad eos usus profanos; & quòd post donationem Christo factam ad sacrificia, non maneat in Rege dominium ad tales usus profanos. Infero secundò : ergo post donationem domus Christo factam, non manet in Principe idem dominium, quod illi erat ante talem donationem. Ambæ consequentiæ patent. Prima, quia est synonyma cum antecedente. Secunda, quia anteà erat Regi dominium in domum ad eos novem usus profanos; & post donationem Christo factam, jam non habet dominium ad eos novem usus profanos : ergo non manet in Principe idem dominium, quod antea; non quia defecerit in Rege potestas, quæ antea erat, sed quia defecit circunstantia, sub qua ejus potestas extendebatur ad eam domum; scilicet sub conditione, si domus non esset donata Christo, neque ad usus sacratissimos destinata.

202 Ergo dicendum est, quòd ubi domus est donata Christo, & destinata ad sacrificia, non extenditur ad illam dominium politicum Principis, nec dominium supremæ jurisdictionis. Probatur consequentia primò. Ideo permanere deberet ejusmodi dominium Principis in eam domum Christo donatam, quia Petrus solùm potuit donare jus proprietatis, quod ipse habebat, non autem potuit donare dominium regale : atqui licèt Petrus non potuit donare Christo ullum jus regium; istud non manet in illam

domum

domum ad illos novem usus profanos: ergo licèt Petrus non potuerit donare dominium politicum, & supremum Regium, hoc potest deficere respectu domus jam Christo donatæ.

203 Probatur consequentia secundò. Ideò non manet in Principe potestas in illam domum ad eos novem usus profanos, post donationem Christo factam, quia dedecet domum Christi ad eos usus devolvi: sed etiam dedecet domum Christi, quòd in ea Princeps laicus exerceat jurisdictionem laicam, aut quòd possit disponere de illa, ratione dominii politici; præcipuè cum hæc extrinseca reverentia determinata sit à Summo Pontifice, ut dictum est *cap.12.* Ergo ob eandem rationem, non habet Princeps laicus dominium jurisdictionis, nec politicum in talem domum post donationem Christo factam.

CAPUT XVI.

Alia absurda ex opposita doctrina effodiuntur, & dissipantur: illud præcipuè circà extractionem reorum ab Ecclesiis sine licentia Regis erectis.

SUMMARIUM.

An ædes sacræ sine licentia Regis erectæ sint templa? negat Caramuel, & ait, ab illis reos extrahi posse. n.204.
Absurda, quæ ex ea conclusione inferuntur. n.206. & seq.
Sacri canones prohibent reos extrahi ab Ecclesia. n.209.
Erroneum est dicere, quòd Pontifex loquens Ecclesiæ proponit illi ut illicitum, quod est bonum. n.211.
Pontifices declararunt, esse sacrilegium extractionem reorum ab Ecclesia. n.212.

204 HUcusque certum erat in Ecclesia Dei, ædes omnes ad sacrosanctum Missæ sacrificium destinatas, authoritate Ecclesiæ erectas, consecratas, sive benedictas, esse templa, & loca absolutè sacra. Caramuel autem ausus est dicere, illas esse posse, *secundùm quid sacras, & non totaliter:* item non esse templa Dei; illas scilicet, quæ sine licentia Regia eriguntur. Ex quo ulterius ad laxiora progrediens, & moros tantæ certitudinis arietans, affirmare aggressus est, in eas ædes Dei etiam consecratas, tantum sibi dominium jurisdictionis vindicare Principes laicos, ut reos quoscumque ab illis extrahere possint. Ista autem machina, quia immunitatem harum ædium Deo sacrarum arietat, ea est, quòd Petrus, donans ædes Christo, non potuit illi donare dominium jurisdictionis regiæ: quasi dominium Regis deberet extendi ad ædes tam nova circunstantiarum serie immutatas.

205 Contra quem dicendi modum militant primò omnes demonstrationes, quibus hucusque ostendimus, nunquam Principibus laicis tale dominium inhæsisse. Quibus speciales alias adiungo.

206 Prima est. Nam ex hac doctrina, lata porta, & spatiosa via aperitur, ut in multis regnis Judices sæculares, ex quibuscumque Ecclesiis (sive ædes Christi appelles, sive quo malueris nomine) quoscumque reos indiscriminatim extrahant. Etenim, secundùm Caramuelem, Principes laici possunt extrahere reos ab illis Christi ædibus, quæ non sunt erectæ de licentia eorum Principum: atqui multa sunt regna, inter quę est Hispaniæ Principatus (vide *lib.1.* novæ compilationis *tit.2.* ubi agitur de sacrosanctis Ecclesiis, & nihil tale dicitur de licentia ad eas extruendas,) in quibus sine licentia Regis erectæ sunt Ecclesiæ, sive ædes Christi: ergo in multis regnis poterunt extrahere reos à quibuscumque Ecclesiis. Si autem hoc admittatur, quanta (bone Deus!) confusio Reipublicæ Christianæ! Quanta tribunalium turbatio! Cùm Antistites Ecclesiastici sacris canonibus, & pacifica, præscriptaque possessione nisi conabuntur Ecclesiarum jura defendere, sæcularibus Principibus frivola Caramuelis ratione deceptis in contrarium renitentibus: præcipuè cum Caramuel ex tam levi fundamento velit nobis obtrudere, secunda, & quarta conclusione relatis capite primo, nec sacros canones, nec præscriptionem posse in hac materia prævalere.

207 Secunda est. Nam asserere, ædem Christi esse absolutè consecratam, & secundum quid sacram, est ludere terminis. Nam quamvis non omnis res sacra sit consecrata; at è converso omnis consecrata est sacra; unde arguendo ab opposito contradictorio consequentis; si non est sacra absolutè, non est consecrata absolutè, & si solùm secundùm quid est sacra, etiam secundùm quid erit consecrata.

208 Itaque nullum principium evidentius est, quam quod voces significant id, ad quod communi hominum acceptione usurpantur: *sed res consecrata* ex communi hominum acceptione usurpatur ad denotandum rem factam sacram specialissimo modo: ergo ædes Christi consecrata, quæcumque illa sit, est specialissimo modo sacra, & non secundùm quid: corripiendus est ergo author ejus doctrinæ, vel eo solo nomine, quod in re tam gravi novam velit significationem dare vocabulis, ad infringendam ædium Christi immunitatem.

209 Tertia est. Nam vel talis Christi ædis est Ecclesia, vel non? Non esse sacram totaliter, & absolutè, sed solùm secundùm quid, & non esse templum, asserit: de nomine Ecclesiæ nihil dixit: debet autem unum ex his duobus contradictoriis admittere. Si concedat, illam absolutè esse Ecclesiam, infertur, non posse Principem laicum reos ex illa extrahere. Nam sacri canones, qui prohibent extractionem reorum, sub nomine Ecclesiæ plerumque prohibent. Ut patet ex *cap. Inter alias.* de immun. Eccl. iis verbis; *Non est violenter ab Ecclesia extrahendus.* Et c. *Id statuimus.17. quæst. 4. Servus etiam, qui ad Ecclesiam confugerit.* Et c. *Cùm Ecclesia.* de immun. Eccles. *Cùm Ecclesia Dei secundùm Evangelicam veritatem domus orationis esse debeat,* ∴ *ubi est tutela refugii constituta.* Et multis aliis textibus.

210 Respondet Caramuel, non posse sacros canones disponere contra jus Principum laicorum extrahendi reos ab Ecclesia, quæ sine licentia Principis erigitur; quia sacri canones non possunt tollere à Principe laico suum dominium jurisdictionis. Sed cùm tam manifestè ostensum fuerit, nullum remanere in Principe dominium in Ecclesiã, & in bona Ecclesiastica; ruit omninò ea responsio.

211 Specialiter tamen convincitur falsitatis. Erroneum est dicere, quòd Romanus Pontifex, loquens Ecclesiæ, proponit illi ut malum culpæ, & illicitum id, quòd est bonum; ut patet ex *disp.9. cap.6.* sed Romanus Pontifex in sacris canonibus proponit Ecclesiæ, ut sacrilegum, & peccatum contra religionem, extrahere reos ab Ecclesia: ergo certum est, quòd ex dispositione sacrorum canonum id est illicitum: ergo certum est, quòd sacri canones possunt in hac materia disponere.

212 Probatur minor. Nam Gelasius Papa *in cap. Frater.17. qu.4.* ait, de quibusdam, qui reum ab Ecclesia extraxerunt: *Nec enim jure ad supplicandum debet admitti, qui admittere sacrilegium non dubitavit.* Et paulò ante dixit, eam fuisse contumeliam Religionis, & magnam contumaciam, & temerariam irruptionem: *Municipes civitatis in contumeliam religionis acerba nimis, & plectibili contumacia prosiluisse: qui confugientem ad Ecclesiæ septa* ∴ *ausi irruptione temerariæ mentis admittere, quod nec Potestatibus quidem, vel Principibus unquam licuit perpetrare.* Ubi etiam notabis, declarare Pontificem in his ultimis verbis, quòd non licet Principibus extrahere reos ab Ecclesia. Absurdissimum ergo erit dicere, id esse licitum, quod Romanus Pontifex loquens Ecclesiæ declarat esse illicitum. Et paulò inferius asserit, id factum esse in injuriam sanctorum locorum: *Ut non solùm hi, qui in injuriam sanctorum locorum prosiluisse probantur.* Et Ioannes Papa c. *Quisquis.17. qu.4. Sacrilegium committitur, si quis infregerit Ecclesiam, vel triginta Ecclesiasticos passus.* Dicitur autem infringere Ecclesiam, qui ab ea reum, vel rem Ecclesiæ violenter extrahit. Et ideò Glossa in c. *Sicut antiquitus* 17. *qu.4.* ad ea verba: *Qui autem confinia earum confringere tentaverit.* ait: *Si quis violentiam fecerit.* Et Ioannes VIII. *cap. quisquis.17.qu.4. Si quis monasteria, & loca Deo dicata, & Ecclesias infringunt* ∴ *velut sacrilegi canonica sententiæ subigantur.* Vide etiam supra *n.161.* quomodo Concilium Tridentinum declaret, omnes Fideles teneri ad observandos sacros canones circà immunitatem Ecclesiasticam. Si verò dicat, eas Christi ædes publica authoritate destinatas ad sacrificia, & consecratas, vel benedictas, non esse Ecclesias, defectu licentiæ Principis laici ad id requisitæ; impugnatur primò: quia in usu nominum, & in re tam gravi à communi omnium Fidelium acceptione discedit: cùm nomina nullam aliam significationem habeant, nisi quam communis acceptio illis præstat, ut evidentissimum est. Immò expressè est contra acceptionem in sacris canonibus, & Sanctis Patribus usurpatam. De quo vide P. Suar. *tom.3. in 3. part. disp.81 sect.1. concl.1.*

213 Impugnatur secundò. Hinc enim latissima porta aperitur, ut novitatum amatores asserant, has ædes Christi etiam consecratas, in Hispania, & aliis regnis, ubi ad earum erectionem non petitur licentia à Rege, non violari homicidio, nec sanguinis, nec seminis effusione, item nec excommunicati, nec Pagani sepultura; præterea posse in ejusmodi ædibus consecratis exerceri forensia omnia, etiam sententiam in causa sanguinis, & item mercatum publicum in Ecclesiis fieri prohibitum: subinde non esse sacrilegium res earum ædium auferri. Dicent enim, quoties sacri canones hæc omnia prohibent, loqui de Ecclesia, & templo; has autem ædes licèt consecratas, non esse Ecclesias, nec templa, nec loca sacra, nisi secundùm quid.

214 Nec satisfacies, si dicas, eas actiones prohibitas, non esse contra jus Principis laici, nec subditorum ejus, atque adeò prohiberi posse ab Ecclesiastico Principe. Contra enim est. Nam cùm sacri canones eas actiones prohibeant fieri in Ecclesiis, & templis, & locis sacris; si semel statuatur, eas ædes Christi etiam consecratas non esse Ecclesias, nec templa, nec loca sacra, nisi solùm secundùm quid, dicent, in illis ædibus tales actiones non prohiberi. Quod quàm absurdum sit, nemo est, qui non videat.

CAPUT XVII.

Ex reverentia locis ad sacrificia dedicatis debita demonstratur, illicitum esse extrahere reos ab Ecclesiis, etiam sine licentia Regis erectis.

SUMMARIUM.

Nullum jus, vel dominium habet Rex contra reverentiam Ecclesiæ debitam. nu.216.

Pon-

Pontifices prohibuerant extractionem reorum ab Ecclesia propter reverentiam loci ad sacrificia destinati. n.217.
Reverentia Ecclesiæ potior est jure Regis; ideòque prævalere debet. num.222. & seq.
A paritate diei festi idem confirmatur. n.225.
Ad Principem Ecclesiasticum spectat determinare, quæ actio sit reverentia Ecclesiæ debita, & quæ irreverentia. n.216.
Solvitur objectio. n.227.

215 QVarta est. Non minor reverentia debetur ædibus Christi destinatis ab Ecclesia ad sacrificia, saltem consecratis, vel benedictis, erectis sine licentia Regis, quàm erectis cum licentia illius: sed propter reverentiam illis ædibus debitam prohibentur Reges extrahere reos ab illis, saltem quando erectæ sunt de licentia Regis: ergo propter eandem reverentiam illis ædibus debitam prohibentur Reges extrahere reos ab illis, quando non sunt erectæ de licentia Regis.

216 Vel sic: Nunquam habuit Rex jurisdictionem ad eas actiones, quæ sunt contra reverentiam debitam ejusmodi ædibus Christi: sed extrahere reos ab ejusmodi ædibus, est contra reverentiam debitam ędibus Christi destinatis ab Ecclesia ad sacrificia, non minus debitam prædictis ædibus, quando eriguntur sine licentia Regis, quàm cùm eriguntur cum illa: ergo nunquam Rex habuit jurisdictionem ad extrahendum reos ab illis ædibus, quamvis sine licentia illius erectæ sint. Hujus syllogismi major est evidens, quia jurisdictio Regis non est in contemptum Christi, aut Ecclesię. Et minor quoad secundam partem, quæ est major primi syllogismi, per se nota videtur, & certa, si penetrentur termini. Cùm enim tota reverentia debeatur, quia est locus publicè destinatus ad orationem publicam, & sacrificia; non minuit reverentiam sibi debitam, quòd sine licentia Principis laici erectus sit. Quòd præcipuè sumit vires ex eo, quòd (ut dixi *cap.* 12.) ad Romanum Pontificem spectat determinare cultum, & reverentiam exteriorem, quo colenda sit Ecclesia.

217 Quòd verò prohibita sit à Romanis Pontificibus extractio reorum ab Ecclesia, propter reverentiam loci ad sacrificia destinati, tradunt expressè sacri canones. Ita in cap. *Ecclesia*. de immunit. Eccl. ubi ait: S. Gregor. *Ecclesia, in qua divina mysteria celebrantur, licèt adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis admittur: quia obsequiis divinis dedicata nullius est temerariis ausibus profananda.* Conceditur ergo illi hæc immunitas, propter reverentiam divinorum obsequiorum, ad quæ est dedicata, quę aliàs profanaretur. Et Gelasius Papa in *cap. Frater.* 17. *qu.* 4. verbis relatis supra *nu.* 209. extractionem rei ab Ecclesia dicit esse *in contumeliam Religionis*; item esse *sacrilegium*; item *injuriam sanctorum locorum*; quæ irreverentiam contra sanctitatem loci sacri manifestè designant. Et in *cap. Nullus*. eod. de eo, qui hominem extraxerit ab Ecclesia, dicitur. *Quod si fecerit; donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur.* Prohibetur ergo extractio propter honorem loci. Et *cap. Si quis contumax.* eod. de extrahente servum, vel alium ab Ecclesia, dicitur, *reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit*. Et cap. *Definivit* eod. *In quibus triginta passibus uniuscujusque Ecclesiæ reverentia defendatur*. Et in cap. *Miror.* eod. Ubi S. Augustinus ait: *Noui enim, qua religione semper sic Ecclesiam Dei veneratus. Quo instigante facere ausus es? Hominem de Ecclesia rapuisti?* Ubi Augustinus manifestè significat, illum contra Religionem, & venerationem Ecclesiæ egisse. Et inferius: *Ecclesiæ igitur illæsum revoca, quem ut religiosissimus rapuisti*. Ibi autem *religiosissimus* sumitur in malam partem, & significat idem, quòd *irreligiosissimus*. Idem constat ex cap. *Id constituimus*. & aliis textibus.

218 Confirmatur argumentum ex verbis S. Gregorii proximè citatis in *cap. Ecclesia*. de immun. Eccles. Ex quibus apertè constat, quòd ut nullius temerariis ausibus profanetur, tota ratio est, quia *est divinis obsequiis dedicata*; & ob reverentiam loco sic dedicato debitam: sed ædes illa dedicata ad sacrificia, & erecta sine licentia Principis laici est divinis obsequiis dedicata: ergo habet in se totam rationem reverentiæ debitæ, ob quam non sit profananda temerariis ausibus extractionis reorum ab Ecclesia. Sed dominium Regis laici non extenditur ad profanandum locum divinis obsequiis dedicatum: ergo non habet jurisdictionem extrahendi reos à tali loco.

219 Idem supponunt omnes authores agentes de immun. Thomas del Bene de immun. *cap.* 16. *dub.* 2. *num.* 13 [Si Reipublicæ interest, quòd delicta non remaneant impunita; Reipublicæ etiam interest, quòd Ecclesiæ sint refugium confugientibus ad ipsas, *ob honorem, & reverentiam* debitam Deo; quod est bonum maius, & in ordine superiori.]

220 Respondebis, eam reverentiam esse debitam, quia Præceptam. At respectu illius Ecclesiæ erectæ sine licentia Regis non valet præceptum etiam sacrorum canonum, quia est contra jus Regis; non ergo est debita reverentia tali loco.

221 Contra est primò. Nam ut constat ex supradictis *num.* 208. & 209. declarat Romanus Pontifex, id esse in contumeliam Religionis, esse illicitum, esse sacrilegium: atqui erroneum est dicere, quòd Romanus Pontifex errat in materia morum proponendo ut peccatum, quod justum est, & licitum.

222 Contra est secundò (quòd attentè perpendendum est) nam punctum hujus litis devolvitur ad hanc quæstionem; quænam prævalere debeat ex his duabus propositionibus: hæc pro Caramuele; *Hæc reverentia* (non extrahendi reos) *non est debita, quia contra jus Regis*. Hæc pro nobis: *Nullum est jus Regis* (ad extrahendum reos) *quia contra reverentiam loci destinati ad divina*. Videamus ergo, quænam ex his prævalere debeat.

223 Assero ergo, prævalere secundam propter duo. Primum, quia antè prohibitionem sacrorum canonem circà extractionem reorum ab Ecclesia, Principes laici jus habebant extrahendi reos à templis: quæ verè, & propriè talia sint. Posita autem Ecclesiæ prohibitione, cessavit illud jus Principis laici; non aliam ob causam, nisi quia ubi Ecclesia aliquam actionem destinavit in reverentiam sacrorum mysteriorum, opposita actio est irreverentia: nullus autem Princeps jus habet ad actiones, quæ divinis mysteriis, aut locis ad ea destinatis, irreverentes sunt: ergo si jus certissimum, quod habebant extrahendi reos ab Ecclesia adæquatè, & totaliter sacra, cessavit propter reverentiam erga loca sacra; à fortiori cessabit istud jus imaginarium, quod contendit intrudere Caramuel pro Principibus laicis contra reverentiam erga loca sacrificiis dedicata.

224 Et supponit argumentum, licèt Principes laici consenserint, aut concesserint talem immunitatem, posse Pontificem Romanum, independenter ab illis eam immunitatem præcipere, & prohibere extractionem reorum à loco publico ad sacrificia dedicato: ut manifestè colligitur ex Concil. Trid. verbis infra *cit. num.* 236. *Immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam*. Item ex eo, quòd ad Romanum Pontificem spectat determinare actiones, quibus colendus est status Ecclesiasticus. Relege dicta *c.* 12.

225 Secundum fundamentum, ob quod prævalere debeat secunda propositio, est: quia olim Principes laici habebant jus condemnandi, & absolvendi in quolibet tempore tam in civilibus, quàm in criminalibus At ubi accessit prohibitio Ecclesiæ exercendi forensia in diebus festis cessavit illud jus Principum. Nam cùm id prohibuerit Ecclesia ob reverentiam dierum festorum, & ad augumentum religionis; actio opposita prohibitioni, est irreverentia. Cessavit ergo id jus Principum sæcularium exercendi forensia in diebus festis, quia nunquam habuerunt jus ad exercenda ea, quæ cedunt in irreverentiam dierum sacrorum: ergo nullum erit jus Principum sæcularium extrahendi reos à loco sacrificiis dedicato, quia id cedit in irreverentiam talis loci.

226 Confirmatur ex dictis *cap.* 12. Nam ad Principem Ecclesiasticum spectat determinare; an sit reverentia templo exhibenda, actio negativa, non extrahendi ab illo reos; an sit irreverentia, actio positiva extrahendi? Sed Princeps Ecclesiasticus determinauit, esse reverentiam templo debitam, actionem negativam non extrahendi reos ab illo, & esse irreverentiam, & contumeliam Religionis extrahere, ut patet ex *num.* 209. Et hanc irreverentiam prohibuit, & illam reverentiam præcepit, ut constat ex eod num. Ergo verè est irreverentia templi, & *contumelia Religionis*, ut loquuntur sacri canones, extrahere reos à templo. Sed Principes laici non habent jurisdictionem contra reverentiam debitam rebus sacris, neque in contumeliam Religionis: ergo licèt ante horum canonum sanctionem haberent jus ad extrahendos reos à templo, post ejusmodi sanctionem, nullum habent jus ad id. Sed eadem reverentia injungitur in sacris canonibus respectu cuiuslibet loci divinis obsequiis sacrificiorum destinati; ut patet ex *cap. Ecclesiæ*. de immun. Eccles. *cit. num.* 214. *Quia obsequiis divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda*: ergo Principes laici nullum jus habent ad extrahendum reos à locis ad sacrificia publicè dedicatis, quamtumvis sine licentia Regis erecta sint: cùm nullum jus habeant ad actiones, quæ ex determinatione Ecclesiæ sunt irreverentes, & contumeliosæ ejusmodi locis.

227 Nec est alicujus momenti objectio, qua quis posset dictis refragari: videlicet posse extrahi reos ab oratorio domus privatę, cum tamen sit locus sacrificiis divinis deputatus. Quia id oratorium quasi accidentaliter est deputatum ad sacrificia, cùm dominus domus possit eum locum ad usus profanos convertere, mutando oratorium in locum profanum; Ecclesia verò, quæcumque sit, est perpetuò destinata ad sacrificia. Præcipuè cum id genus reverentiæ non destinaverint Ecclesiæ Principes pro oratoriis privatis, sed pro locis publicis ad sacrificia destinatis authoritate ipsius Ecclesiæ.

CAPUT XVIII.

Argumentum pro prima conclusione Caramuelis evertitur.

SUMMARIUM.

Absurda illata ex opposita sententia. n.228.
Fictitium est dominium potentiale, nisi sit condicionatum. n.230.
Dominium Regis potest multipliciter deficere. n.233.
Quo modo verum sit, ædem sacram non esse in mundo? n.235.
Nunquam Rex habuit dominium pro his circunstantiis. n.236.

228 EX hucusque dictis facillimum manet satisfacere clarissimè argumentis, quæ pro suis conclusionibus proponit Cara-

Caramuel, ut retuli capite primo. Ad argumentum primæ conclusionis, quòd esse evidens, ait Caramuel, dicendum est primo, illud esse tam longè ab evidentia, ut pugnet contra quamplurima evidentia, ab ipso Caramuele necessariò admittenda. Nam si quid probat id argumentum, probat etiam, neminem fieri posse clericum, vel Religiosum sine licentia Regis, quòd si ad clericatum transeat, vel ad Religionem, manere omninò sicut anteà sub jurisdictione regia. Probat deinde, Hispanum transferentem domicilium in Galliam, manere adhuc sub Regis Hispaniæ supremo dominio. Probat tertiò, non licere occidere armenta etiam ad propriam sustentationem. Et multa alia his similia; ut constat ex *cap.* 2. & 3.

229 Etenim forma arguendi (relege primam conclusionem *nu.* 6. relatam) desumitur ex eo, quòd Petrus, quamvis donet Ecclesiæ dominium proprietatis, quòd ipse habet in fundum, non potest donare Ecclesiæ dominium Regis politicum, & supremum, nec jus potentiale universorum: & inde infert, quòd remanet in Rege dominium politicum, & supremum. & in universis dominium potentiale, sicut ante donationem. Hinc eadem evidentia probabis primum: potest enim, qui transit ad clericatum, vel Religionem, dare se ipsum Ecclesiæ, & libertatem suam Prælatis: dominium autem supremum, quòd Rea habebat in ipsum, non potest dare Ecclesiæ, aut Prælatis ejus: manebit ergo Rex cum eodem dominio supro clericum. Vide à *numer.* 24. Similiter probabis secundum. Hispanus mutans domicilium in Galliam, potest dare subjectionem suam Regi Galliæ; dominium autem supremum, quod in ipsum habebat Rex Hispaniæ, non potest dare Regi Galliæ: manebit ergo Rea Hispaniæ cum eodem dominio supra ipsum, qui mutavit domicilium. Vide à *nu.* 33. Eodem modo probabis tertium. Potest enim Petrus destruere dominium proprietatis, quod habet in armenta; dominium autem politicum, & supremum, quod Rex in illa habet, non licet Petro destruere: non ergo licèt Petro, occidere armenta sua.

230 Respondetur secundò, falsum, & fictitium esse jus potentiale universorum, nisi fortè conditionatum, scilicet sub ea conditione, si data fuerit occasio alienationis. Quo pacto semper stat, sive fundus maneat alienabilis, sive inalienabilis: quia conditio nihil ponit in esse. Et ideò licèt fundus sit inalienabilis, semper erit verum, quòd manet illæsum jus potentiale ad emendum; quia semper erit verum, quòd possum emere, si data fuerit occasio alienationis. Vide, quæ supra dicta sunt de dominio potentiali.

231 Nec valet, si dicas, in jure, aut in moralibus, conditionem impossibilem haberi pro non adjecta. Id enim intelligitur in decisionibus, aut dispositionibus, non verò in naturis intrinsecis rerum. Illud enim jus poteotiale, si datur, habet ab intrinseco talem conditionem. Vel si illam non habet, tale jus potentiale non datur.

232 Respondetur tertiò, omittendo id jus potentiale, & concedendo verum esse, quòd Petrus solùm donat dominium proprietatis suum, non verò dominium potentiale universorum, nec dominium politicum, aut supremum Regis. Negn tamen, quòd proptereà perseverare debeat ejusmodi dominium in Rege, aut potentiale in civibus.

233 Pro quo adverte, dominium Regis in rem aliquam multis modis posse deficere. Primò per defectum ipsius rei. Habet enim Rex dominium in subditos, dum viuunt; id autem dominium non transilit metas vitæ. Secundò per transitum habitualem ad territorium alterius Principis supremi; quia dominium Regis limitatum est, & non prætergreditur metas regni sui. Tertiò per transitum ad diversum statum. Qua ratione cùm Rex habeat plenum dominium jurisdictionis in hominem, statim ac iste transit ad Religionem, vel clericatum, non manet in ipso id plenæ jurisdictionis dominium. Quartò per mutationem circunstantiæ, sub qua intelligebatur esse tale dominium. Sic enim licèt habeat Rea supremam jurisdictionem in homioem, ratione cujus potest imponere illi onera personalia; si tamen iste corripiatur infirmitate perpetua, cessat in Rege ea potestas, quæ respicit sanitatem, & vires hominis; sub qua conditione habet potestatem ejusmodi onera personalia imponendi.

234 Ad argumentum ergo dices, licèt Petrus donans fundum Ecclesiæ, non possit donare illi dominium regium politicum, aut supremum, non inde argui, quòd remaneat in Rege tale dominium politicum, & supremum supra fundum Ecclesiæ donatum: quia posita donatione, deficiunt circunstantiæ requisitæ ad permanentiam ejus dominii. Moritur enim fundus ciuiliter, per hoc quòd transeat ad manum alienandi impotem. Vel dic, quòd fundus commutat statum boni sæcularis in bonum Ecclesiasticum. Vel dic, quòd deficit dominium illud defectu circunstantiæ ad ejus permanentiam requisitæ, qualis est transitus ad proprietatem Ecclesiæ.

235 Et quo ad Ecclesias sine licentia Regis erectas, uti potes doctrina Caramuelis, qua docet, templum non esse in mundo, quia nemini subest. Cùm ergo manifestè probatum fuerit, etiam Ecclesias sine licentia Regia erectas, nemini laico Principi subesse (immò neque Pontifici subsunt ut domino, sed ut prodomino) dicere potes, omnes ad unam Ecclesias, etiam sine licentia laici Principis erectas, non esse in mundo; eo ipso, quòd Christo dedicentur. Unde sicut Princeps laicus amittit dominium, quod habebat in rem, quæ periit; ita amittit dominium, quod habebat in domum, quæ Christo dedicatur, quia fit extra mundum; sphæra autem laici Principis non protrahitur ad ea, quæ sunt extra mundum.

236 Et nota, te melius locuturum esse, cùm dixeris, non deficere dominium politicum, & supremum Regis in eo eventu; sed nunquam dari in Rege dominium politicum, & supremum in bona ab Ecclesia acquisita. Quod patet ex dictis in tota hac disp. Et idem proportione servata dicendum est de jure potentiali universorum. Et eodem modo solvendum est argumentum, quod proponit circà domum Christo donatam, & sacrificiis dedicatam, in quam vult Caramuel manere dominium in Rege.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum Caramuelis pro secunda conclusione.

SUMMARIUM.

Sacri canones non auferunt Regi jus suum, sed mutant circunstantias. nu. 237. & seq.
Iudex nequit jus dicere in causa sanguinis intra Ecclesiam. num 238.
Idem confirmatur aliis exemplis. num. 239.
Quidquid sacri canones præscribunt circà immunitatem, præscribunt titulo religionis. nu. 240.
A paritate idem confirmatur. nu. 242.
Objectio solvitur. nu. 245. & seq.
Responsio ad argumentum præcipuum. nu. 248.

237 AD argumentum pro secunda conclusione respondeo, concedendo, quòd nec de licentia, aut jussione sacrorum canonum licèt aliena rapere, nec tollere Regi dominium suum supremum, nec politicum. Sed aliud est, quòd ea præscripto sacrorum canonum tollatur Regi jus suum; & aliud est, quòd ea præscripto sacrorum canonum mutentur circunstantiæ; scilicet adveniente circunstantia reverentiæ debitæ statui Ecclesiastico taliter, quòd cesset dominium regium, eo quòd istud non subsistat sub talibus circunstantiis. Istud enim certissimum est, quamvis primum sit falsum. Quòd ea allatis exemplis certissimè constat. Primò. Reges enim habebant jus ferendi sententiam in quolibet tempore: adveniente autem dispositione sacrorum canonum prohibentium ferre sententiam, sive jus dicere in diebus festis, cessavit jus illud regium juris dicendi in illis diebus: nec proptereà Ecclesia rapuit Principibus jus eorum; sed posuit circunstantiam reverentiæ diebus sacris exhibendæ, sub qua nunquam Principes habuerunt jus.

238 Secundò. Idem cootingit circà præceptum sacrorum canonum, ne quis jus dicat in causa sanguinis intra Ecclesiam, *cap. Cum Ecclesia*, de immun. Eccles. Anteà enim habebant Principes potestatem diceodi jus in qualibet causa intra Ecclesiam (si fortè hoc non repugnat juri diuino) accedente autem eo præcepto sacrorum canonum, isti non rapuerunt Regi jus suum; sed ex eorum dispositione ea dictio juris maosit cum circunstantia irreverentiæ, & irreligiositatis. Sub ea autem circunstantia nunquam subsistit jurisdictin regia. Similiter habebant Principes laici (antè prohibitionem sacrorum canonum) jus ferendi sententiam criminalem in templis (si fortè non obstat jus divioom.) Et tamen in *cap. Decet*. de immun. Eccl. in 6. annullantur tales sententiæ ob specialem reverentiam nominis Iesu, qui ibi adoratur. Vode ex dispositione Concilii Generalis Lugdunensis in eo *cap. Decet*. posita est circunstantia irreverentiæ, sub qua disparuit tale jus.

239 Tertiò patet in exemplo posito supra circà extractionem reorum ab Ecclesia. Cùm enim sacri canones determinaverint, esse irrevorentiam loco sacrificiis destinato, extrahere reos ab Ecclesia; cessavit illud jus, quod prius habebant Principes laici extrahendi eos ab Ecclesia: quia nunquam habuerunt jus ad extrahendum sub circunstantia irreverentiæ. Relege dicta circà hoc punctum *cap.* 12. & 17.

240 Quartò patet in exemptione Clericorum, & Religiosorum à potestate regia. Nam vbi sic sacri canones præcipiunt ejusmodi exemptionem, is, qui à sæculo transit ad religionem, non rapit à Principe laico dominium jurisdictionis, quod in illud habebat; sed sub iis circunstautiis cessat dominium regium Nam sacri canones statuerunt hoc in reverentiam status Ecclesiastici (inter alia motiva) atqui sub circunstantia irreverentiæ erga statum, non est jus in Principe laico ad usum sui dominii. Et hanc rationem immunitatis exhibuit Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 20. de Reform illis verbis: *Sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & superiores Ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut officiales, aut inferiores Magistratus Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum immunitatem . . . violent.*

241 Unde ulterius colliges, quidquid sacri canones præscribunt circà immunitatem Ecclesiarum, status Ecclesiastici, aut bonorum ejus, præscripsisse in reverentiam Ecclesiæ, & status Eccle-

Ecclesiastici, & titulo Religionis, contra quam peccant, quoties violant immunitatem. Cùm ergo pertineat ad Principem Ecclesiasticum determinare cultum exteriorem, & reverentiam exhibendam prædicto statui Ecclesiastico (sub quo nomine intellige etiam personas, loca sacris destinata, & bona) ut ea Caramuele diximus *cap.12.* & Romanus Pontifex ex potestate sibi à Christo tradita determinaverit ea omnia (quæ titulo immunitatis præcipit) in reverentiam status Ecclesiastici, fit irreverentiam intervenire, quoties Principes deficiunt ab illis actionibus titulo immunitatis injunctis; ut & ipsi sacri canones supra citati planè testantur, dum dicunt, violationem eorum canonum esse in contumeliam Religionis; & ea à sacris canonibus disponi in reverentiam Ecclesiæ. Atqui nunquam habuerunt Principes laici jus, vel dominium aliquod cedens in contumeliam Religionis, vel contra reverentiam Ecclesiæ debitam: ergo cum ratione immunitatis præcipiunt aliquid sacri canones, non tollunt jus aliquod, vel dominium regium; sed ponunt circunstantiam reverentiæ exhibendæ, sub qua Principes laici nunquam habent jus aliquod, vel dominium.

242 Hinc evidens est, quòd sacri canones prohibentes extractionem reorum à quolibet loco sacris dedicato, aut præcipientes quodlibet aliud in materia immunitatis, non directè auferunt à Principe laico jus, vel dominium ejus: sed solùm ponunt circunstantiam reverentiæ debitæ (quam determinare spectat ad Principem Ecclesiasticum, ut ex Caram. dictum est supra) sub qua nullum habet, nec habere potest dominium laicus Princeps.

243 Deinde alio modo intelligitur cessare in hoc casu dominium politicum, quod habebat Rex in fundum donatum posteà Ecclesiæ. Sicut enim cessat dominium politicum Regis in armenta, quando ista occiduntur; & dominium, quòd habebat in tales merces, quando in aliud regnum transferuntur; ita cessat dominium politicum in fundum, quando dominium proprietatis fundi transit ad manum impotem alienandi; & ad dominum, qui collectis nequit gravari; quia hoc modo fundus civiliter moritur, & est quasi merces, quæ in Rempublicam Ecclesiasticam transfertur. Dominium autem politicum Regis in bona stabilia est sub conditione, quòd non cadat in manum impotem alienandi, & incapacem collectarum, seu vectigalium. Quòd satis probatum manet *cap.2.* argumento primò, & secundò, *& c.4. demonstr.5*

244 Et ratio hujus ex dictis est: quia duplex est usus istius dominii politici: alter, quo Princeps politicus disponit de fundo sæculari per alienationem, quando utilitas publica id exigit; alter, quo disponit ad utilitatem publicam, imponendo collectas, seu vectigalia supra fundum. Uterque autem usus cessat, quando fundus intrat sub dominium proprietatis Ecclesiæ. Nam cum ad conservationem status Ecclesiastici necessaria sit inalienabilitas bonorum stabilium, ut constat ex *num.40.* & propter hanc utilitatem, & necessitatem justissimè prohibita sit alienatio; sub hac circunstantia inalienabilitatis fundi non extenditur dominium politicum Principis ad usum alienationis. Item in eodem casu, quo fundus intrat sub dominium proprietatis Ecclesiæ, cùm persona, vel communitas, cui incipit inesse tale dominium, sit incapax subeundi impositionem collectarum; & imposita collecta super fundum, dominus fundi solvat illam, & à domino fundi exigatur; fit, quòd jam Princeps laicus non possit super fundum illum imponere deinceps collectam: quia nunquam habuit jus ad exigendam collectam, sub hac circunstantia, scilicet intrante fundo sub dominium ejus, qui incapax est collectæ.

245 Dices, quando fundus intrat sub dominium Ecclesiæ cum onere reali census, feudi, vel hypothecæ, Ecclesia tenetur solvere illud onus, non alia ratione, nisi quia antecedenter ille fundus erat realiter obligatus ad onus: sed similiter fundus, cujus dominium politicum erat in Rege, erat obligatus ad collectas impositas titulo ejus dominii politici: ergo similiter manebit obligatus ad collectas. Et confirmatur: nam fortassè erit aliquis jurisperitus, qui velit dare probabilitatem sententiæ, quæ asserat, collectam, vel tributum impositum fundo, esse onus reale inhærens fundo; maximè si leges Regni dicant, imponi id tributum tanquam onus reale in fundos sæculares.

246 Pro solutione nota, Ecclesiam non prohibuisse titulo immunitatis, nec alio titulo, bona Ecclesiastica esse antecedenter obligata simili onere reali; at verò titulo immunitatis, & reverentiæ debitæ statui Ecclesiastico, prohibuisse impositionem collectarum, seu gabellarum super bona, aut personas Ecclesiæ. Unde status Ecclesiasticus capax est ejusmodi onerum antecedentium census, hypothecæ, &c. incapax verè gabellarum, collectarum, seu tributorum. Et inde constat evidens disparitas. Neque urget confirmatio. Nam lex Regni, quæ imponeret tributa super fundum sæcularem tanquam onera realia, si illa tributa essent propriæ gabellæ, vel collectæ, intelligenda esset sub conditione, si non intraret sub dominium ejus, qui esset incapax gabellæ, vel collectæ.

247 Et hinc patet, quomodo sacri canones non rapiant à Principe sæculari dominium politicum, quòd habebat in fundum; sed ponant circunstantiam, sub qua nunquam Reges habuerunt id dominium politicum. Nam dum sacri canones præscribunt inalienabilitatem fundi intrantis sub dominium Ecclesiæ ut necessariam ad conservationem status Ecclesiastici; & dum statum Ecclesiasticum reddunt incapacem subeundi gabellas, & tributa, nisi de licentia Romani Pontificis; circunstantias ponunt, sub quibus nunquam dominium politicum extenditur ad fundos sub Ecclesiæ dominium proprietatis intrantes.

248 Ad argumentum verò pro quarta conclusione patet ex *capite 11.* distinguendum esse antecedens: legibus non debent judicari [quo ad obligationem inducendam, vel inductam,] qui ipsis non sunt subjecti, concedo; [quo ad donationem rei, vel juris lege factam] nego. Quæ distinctio patet ex *num.170. & seq.*

C A P U T XX.

Quanta, & quotuplici inconsequentia laboret ea doctrina adversaria immunitati.

S U M M A R I U M.

249 Doctrinæ inconstantia maximum præbet falsitatis sibi imbibitæ argumentum. Sicut enim stare non potest murus, cujus lapides non compaginantur, ita deficiente consequentia, quæ doctrinæ partes conglutinat, doctrinam dissipari, necesse est. Et quamvis hæc inconsequentiæ vitia, suis quæque locis ostenderim; expedit tamen illa seorsim per compendium enumerare, in argumentum evidentius falsitatis ejus doctrinæ.

250 Prima inconsequentia, quæ manifestam involvit contradictionem, est, qua sibi invicem repugnant secunda, & quarta conclusio Caramuelis. Cùm enim in quarta conclusione doceat, præscriptionem lege civili Regis introductam non posse suffragari Ecclesiæ, nec Romano Pontifici, utpotè non subdito, ad hoc ut fundus aliquis sæcularis fiat Ecclesiasticus; in secunda conclusione docet, licentiam Regis, ut fundus aliquis sæcularis fiat Ecclesiasticus, non solùm posse suffragari Ecclesiæ, & Romano Pontifici, sed illam omninò necessariam esse; quam esse evidentem inconsequentiam constat ex *cap.14.*

251 Secunda inconsequentia est in doctrina, quam retuli *cap.1. num.11. & 13.* ibi enim asserit, quando Petrus donat Christo domum ad sacrificia sine licentia Regis, manere dominium politicum, & supremum Regis in illam domum etiam consecratam; eo quòd Petrus non potuit transferre in Christum, nisi solum suum dominium proprietatis, non verò dominium regium, cùm istud ad Petrum non spectet. Et simul docet in tali hypothesi non posse Romanum Pontificem alienare domum illam, nisi in casu rarissimo, quo Christus eam alienaret, si in terris degeret; item manere in universis dominium potentiale ad acquirendum eam domum pro illo casu rarissimo. Unde fit, non manere in illis dominium potentiale in ea amplitudine, quam anteà habebant, scilicet ad quoslibet casus, neque exigens, sicut anteà, quòd domus remaneret alienabilis.

252 Nam vel debet dicere, quòd sicut deficit in hoc casu dominium potentiale cum tanta amplitudine, quantam habebat antè donationem Christo factam; eo quòd Petrus non potuit transferre in Christum illud dominium potentiale amplum, exigens alienabilitatem domus; ita etiam poterit deficere quodlibet aliud genus dominii potentialis, vel regalis. Vel, si hæc ratio non impedit, quo minus tollatur dominium potentiale amplum, quod anteà erat; neque impediet, quo minus tollatur dominium politicum, & supremum regium. Cujus argumenti vires vide *cap.5. & cap.19.*

253 In hoc autem duplex inconsequentiæ vitium committitur. Primum est. Quòd ratio allata non stat cum assertione de jure potentiali non remanente in sua amplitudine, quam ante donationem habebant universi. Juxta quam rationem à Caramuele allatam, post donationem domus Christo datæ, totum id dominium aliorum remanet in illam, quòd donator non potuit transferre, & cùm antè eam donationem esset in universis dominium potentiale ad eam domum, non solùm pro casu rarissimo, sed pro omnibus communibus, & cùm jure ad omnes casus communes, illud quidem in ea amplitudine non remansit, quamvis illud Petrus transferre non potuerit. Vide in prædicto *cap.5.*

254 Secundum inconsequentiæ vitium, in eo discursu contentum est, quòd quando domus donatur Christo, deficit illud dominium potentiale universorum in ea amplitudine, qua antè donationem erat; & non deficit, sed permanet, dominium politicum, & supremum Principis sæcularis in eam domum; cum tamen Petrus neutrum dominium potuerit transferre in Christum. Vide *cap.15. num.187.*

255 Quar-

255 Quarta inconsequentia est, quòd *num.*826. §. *Dominium*, docet, componi dominium potentiale ad emendum fundum cum hoc, quòd fundus sit invendibilis: cùm tamen inferius requirat, ad hoc ut fundus sæcularis maneat inalienabilis, & Ecclesiasticus, quòd Rex amortizet dominium potentiale universorum. Etenim ideò deberet amortizare jus potentiale universorum, ne possent emere fundum, & ita fundus fiat invendibilis: sed juxta Caramuelem stat, quòd ipsi possint emere fundum, & quòd fundus sit invendibilis: ergo non est necesse, quòd deficiat, aut amortizetur id jus potentiale. Vide *cap.*5.

256 Quinta inconsequentia est, quòd *num.*827. concedit, per meram donationem Petri, qua donat Christo domum ad sacrificia, illam domum manere sub dominio proprietatis Christi, & Romani Pontificis tanquam ejus Vicarii; & hoc benè componi cum eo, quòd maneat etiam dominium Principis politicum, & supremum in illam domum, sicut & dominium potentiale universorum. Deinde verò *num.*828. conclusione 3. asserit, posse prohiberi, quòd Ecclesia acquirat bona stabilia, idque statutum Lusitaniæ, & Galliæ, secluso privilegio, esse justum. Nam si acquisitio Christi, vel Ecclesiæ irrogat injuriam dominio regio, aut potentiali universorum; non poterit Petrus donare domum Christo; si autem ea acquisitio Christi, vel Ecclesiæ non irrogat injuriam dominio regio, aut potentiali universorum; non poterit ea acquisitio Ecclesiæ prohiberi prædicto statuto, Galliæ, & Lusitaniæ; cùm solùm prohiberi dicatur, ne inferat injuriam prædictis dominiis. Vide hæc latius *cap.*8.

257 Sexta inconsequentia est, quam proposuimus *cap.*13. Asserit enim Caramuel, esse sententiam omninò certam, & supra quemlibet probabilitatis gradum constitutam, quòd subditus tenetur obedire Prælato præcipienti secundùm opinionem probabilem; & cùm probabile sit id (est omninò certum) quòd sacri canones præscribunt de immunitate bonorum, quæ Ecclesia acquirit; vult esse probabile, quòd non teneantur Principes sæculares obedire iis sacris canonibus, immò quòd isti canones non possint id præcipere.

258 Septima inconsequentia est. Nam cùm in Theologia fundamentali *fund.*67. *num.*2006. asserat, ad Romanum Pontificem pertinere, determinare modum reverentiæ exterioris, quo Ecclesia, & Ecclesiastici colendi sunt; nihilominus in conclusione secunda citata *cap.*1. hujus disputationis asserit, esse extra sphæram Romani Pontificis determinare exemptionem Ecclesiæ à jurisdictione Principum sæcularium in materia hujus disputationis; cùm ejusmodi exemptio Ecclesiæ sit extrinseca reverentia, qua colenda est Ecclesia. In quo evidentissima est inconsequentia, de quo vide *cap.*12.

CAPUT XXI.

Quot modis offendat ea doctrina immunitatem Ecclesiasticam?

SUMMARIUM.

Non licet Principi laico imponere gabellas Ecclesiæ. n.259.
Non licet statutum, quòd Ecclesia non acquirat bona stabilia, sine licentia Regis. n.261.
Non licet judici laico extrahere reos ab æde sacra. n.262.
Quævis ædis sacra est templum. n.263.
Sacri canones possunt disponere in hac materia. n.264.

259 Licèt hujus quæstionis decisio colligi possit ex hucusque dictis, placuit tamen id ad compendium redigere in hoc capite, ut cognoscatur, quam noxia, & fugienda sit ea doctrina. Primus ergo modus, quo immunitatem Ecclesiasticam offendit, est, dum hæc doctrina permittit, posse Principem laicum imponere gabellas, & collectas super ea bona stabilia, quæ Ecclesia acquirit sine licentia illius. Nam quamvis Caramuel non descenderit ad expressionem hujus conclusionis, eam non potest negare, dum admittit super ejusmodi bona manere dominium Principis politicum, ratione cujus, ut ipse ait, potest Princeps laicus disponere de bonis subditorum, cùm expedit ad utilitatem publicam. Unde cùm ratione ejus dominii politici possit Princeps laicus imponere prædictas gabellas (concurrentibus cæteris circunstantiis, quæ eas justas reddunt) admisso eo dominio politico, admittitur jus in Principe laico imponendi prædictas gabellas.

260 Et quidem cum Ecclesia acquirit fundum sine licentia Principis laici, vel manet in Principe potestas imponendi gabellas super eum fundum, vel non manet? Si primum dicat Caramuel; hoc est, in quo offendit immunitatem Ecclesiasticam. Si non manet: ergo per donationem, qua Petrus dedit Ecclesiæ fundum, amisit Princeps laicus potestatem imponendi gabellas, quam habebat ante donationem super illum fundum. Hoc autem non concedet Caramuel, qui ex eo, quòd donator non potest transferre in donatarium Ecclesiasticum potestatem regiam, infert, permanere in Principe talem potestatem. Id autem esse contra sacros canones Immunitatem Ecclesiasticam statuentes, constat ex capite. *Quia nonnulli*. de immun. Eccles. in 6. & *cap. Clericus*. eodem. & *cap. Quamquam*. de censibus in 6. Vide supra *cap.*11.

261 Secundus modus, quo offendit immunitatem Ecclesiasticam, est, quatenus approbat statuta aliquorum regnorum, quibus statuitur, ne possint Ecclesiæ acquirere bona stabilia sine licentia Regis; idque secluso privilegio Pontificio. Quòd apertè esse contra sacros canones, patet ex *cap. Quia nonnulli*. de immun. Eccles. in 6. & *cap. final. eod. & cap. Cum laicus*, de rebus Ecclesiæ non alien.

262 Tertius modus est, quatenus asserit, ab Ecclesia erecta sine licentia Principis laici, etiam benedicta, vel consecrata, posse eum Principem extrahere quoscumque reos. In quo evidenter repugnat sacris canonibus. In quibus tota ratio prohibendi extractionem, est reverentia debita locis Deo dedicatis ad sacrificia, ut expressit S. Gregor. in *cap. Ecclesia*. de immun. Eccles. *Quia obsequiis divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda*. Vide *cap. Frater*. 17. *qu.*4. *& cap. Nullus*. eod. & *cap. Si quis contumax*. eod. & *cap. Diffinivit*. eod. & *cap. Miror*, eod. de quo vide, quæ dixi supra *cap.*17.

263 Quartus modus offendendi sacram immunitatem est, quatenus asserit, Ecclesias erectas sine licentia Regis non esse templa, *nec loca totaliter sacra*, sed solùm *sacra secundùm quid*. Quod si semel tanquam probabile statuatur, omnia privilegia immunitatis, quæ concessa sunt locis sacris, uno ictu resecantur, & pereunt, respectu earum Ecclesiarum, quæ sine licentia Regis erectæ sunt. Quare in illis licebit jus dicere, etiam in causa sanguinis, poterit Princeps præcipere, ut in ea sepeliatur Paganus, vel excommunicatus denunciatus, &c. illa autem privilegia concessa esse omnibus locis, quæ sunt divinis obsequiis dedicata, constat ex supra citato *cap. Ecclesiæ*, de immun. Eccles. Vide *cap.*16.

264 Quinto modo offendit immunitatem Ecclesiasticam, quatenus coarctat potestatem Romani Pontificis, ne possit præcipere in materia immunitatis omnia ea, quorum mentionem fecimus; cùm revera pluribus titulis possit, ut satis evidenter ostensum est in decursu totius disputationis, præcipuè *cap.*11. & 12. maximè cùm dicat Caramuel, sacros canones in hac materia nihil posse disponere, quia non possunt disponere, quòd subripiamus Regi, quod suum est; cui propositioni si minorem addamus ad conficiendum syllogismum: *Sed sacri canones in hac materia de facto disponunt*: procedit consequentia impia: ergo sacri canones disponunt, quòd subripiamus Regi, quod suum est. Vide *cap.*17.

CAPUT XXII.

Quot assertiones contineantur in ea sententia contra doctrinam ab Ecclesia propositam ut certam.

SUMMARIUM.

Pontifices declararunt illicitum esse statutum, quòd Ecclesia non possit acquirere stabilia sine licentia Regis. nn.266.
Ecclesia declaravit illicitum esse imponere gabellas statui Ecclesiastico. n.267.
Declararunt Pontifices illicitam esse extractionem reorum ab Ecclesia. n.268.
Tridentinum declaravit omnes sacros canones de immunitate observari debere. n.269.

265 Ut clarius constet certitudo propositæ doctrinæ, oportet hunc parallelismum conficere assertionum contentarum in opposita doctrina, & assertionum, quas Romani Pontifices in materia morum toti Ecclesiæ proposuerunt. Cùm enim sit indubitabile, Romanum Pontificem errare non posse in materia morum; & ex promissa assistentia Spiritus Sancti non posse decipi, nec decipere Ecclesiam, docendo esse peccatum id, quòd est licitum, aut è converso: & in hac materia immunitatis docuerit, esse peccata multa, quæ Caramuel vult esse probabilia, oportet per compendium ostendere, quæ illa sint, ut clariùs veritas pateat; & quam fugienda sit ea doctrina, quæ indubitabili veritati contradicit.

266 Primò docuit Ecclesia, illicitum esse statutum obligans Ecclesias ad non acquirendum bona immobilia, vel ad ponendum extra manum suam, quæ acquisierint. Ita *cap. Quia nonnulli*. de immun. Eccles. in 6. præcipuè his verbis: *Authoritate Apostolica decernimus non licere*. Et illis: *Detestabilis malignorum audacia, & insolentium nefaria temeritas*. Et in Concil. Lateran. c. *Cùm laicis*, de rebus Eccl. non alien. ubi expressè dicit *illicitum*, præter multa alia verba ad idem concernentia, quæ latè proposui *cap.*11. Caramuel autem docet conclusione tertia *cit.* esse licitum Regibus, id statutum facere.

267 Secundò docuit Ecclesia, non esse licitum imponere gabellas, aut collectas super fundos ab Ecclesia acquisitos, aut in posterum acquirendos. Ita expressè in *cit. cap. Quamquam*. de Censibus. in 6. & *cap. Clericus* de immun. Eccl. in 6. ubi Bonifacius asserit, id esse *Vetitum, illicitum, actionem iniquam, horrendum sæcularium potestatum abusum, offensam Majestatis æternæ*. Oppositum continetur in hac doctrina Caramuelis asserentis, super

per fundos ab Ecclesia acquisitos sine licentia Principis sæcularis, retinere cum Principem dominium politicum; declarat autem Caramuel, id dominium politicum esse potestatem disponendi de bonis particularium ad utilitatem publicam: cujus usus præcipuus est disponere de bonis particularium per impositionem vectigalium, sive gabellarum. Cùm ergo juxta doctrinam Caramuelis sit licitum imponere gabellas super ejusmodi fundos; & Romanus Pontifex declaraverit, talem gabellarum impositionem esse illicitam, iniquam, horrendum abusum, &c. convincitur evidenter, doctrinam esse contradictoriam doctrinæ, quam Ecclesia nobis, ut certam proposuit.

268 Tertiò docet Ecclesia Romana, quamlibet Ecclesiam eo ipso, quòd sit obsequiis divinis dedicata, gaudere privilegio immunitatis quoad tuitionem reorum, & hujus violationem, esse temerariam profanationem. Ita in *cap. Ecclesiæ*. de immunit. Eccles. ut latè videbis *cap. 17.* Item *cap. Frater. 17. qu. 4.* extractionem reorum ab Ecclesia, esse *sacrilegium, & contumeliam Religionis, & temerariam irruptionem, & injuriam sanctorum locorum*. Item ibidem declarat, *Nunquam licuisse* Principibus sæcularibus eam reorum extractionem. Vide hos, & alios textus *cap. 16. num. 209.* Caramuel autem asserit, licitum esse Principi sæculari extrahere reos ab Ecclesia, quæ non est erecta de licentia Principis sæcularis: quòd manifestè contradicere videtur doctrinæ, quam Ecclesia Romana ut certam declaravit.

269 Quartò. Concilium Tridentinum declarat, *Exactè ab omnibus observari debere* omnes sacros canones disponentes in materia immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, quos eo decreto innovat: ut videbis supra *cap. 11. num. 152.* Caramuel autem docet, sacros canones disponere non posse, quòd fundus sæcularis fiat Ecclesiasticus sine licentia Regis, neque quòd Ecclesia erecta sine licentia Regis gaudeat privilegio immunitatis; atque adeò docet sacros canones, qui de his disponunt, non esse observandos. Quæ propositio est contradictoria declarationi Synodi Tridentinæ.

270 Ex his colligi videtur, eas assertiones in hoc capite relatas, damnatas esse ab Ecclesia. Quod videtur sic efficaciter suaderi. Illa propositio damnata est ab Ecclesia, quæ opponitur contradictoriè doctrinæ, quam Ecclesia declaravit ut certam: sed prædictæ assertiones opponuntur contradictoriè doctrinæ, quam Ecclesia declaravit ut certam; ut ex discursu hujus capitis, & ex locis hujus disputationis in eo citatis constat: ergo prædictæ assertiones dicendæ sunt esse ab Ecclesia damnatæ. Quòd autem dicantur virtualiter damnatæ, aut expressè damnatæ, non multùm contendam, quia quæstio est de voce: & quo ad certitudinem de falsitate illarum, idem est, quòd virtualiter, atque quòd expressè damnatæ sint.

CAPUT XXIII.

Quid sentiendum sit de sententia Navarri asserentis, bona Ecclesiæ pertinere duntaxat ad dominium proprietatis Christi D.?

SUMMARIUM.

Censet Caramuel non esse probabilem sententiam Navarri, quòd bona Ecclesiæ sint solùm sub dominio proprietatis Christi. n. 272.

P. Suarez asserit illam probabilem. n. 273.

An eleemosyna pauperi data intret in dominium proprietatis Christi? n. 274.

Dominium adæquatum rei potest esse penes duos pro uno instanti. num. 274.

Dici potest, eleemosynam datam pauperi, non intrare dominium proprietatis Christi. n. 276.

An communitas religiosa habeat dominium bonorum Ecclesiasticorum? num. 278.

Nemo est capax dominii rei alienæ, in sensu composito. n. 279.

Qua ratione Religiosus sit incapax dominii proprietatis? n. 281.

271 Caramuel ea *disp. 75. cit. num. 810.* refert Navarrum in comment. 2. de Regular. *num. 13. & 34. & in Apol. qu. 1.* monitu 34. asserentem, bona Ecclesiastica esse sub dominio proprietatis particularis Christi D. ita ut nullus homo, & nulla communitas habeat verum, & proprium dominium particulare proprietatis in ipsa. Doctoris autem Navarri fundamentum præcipuum est, quòd ea bona in sacris canonibus dicantur esse patrimonium Christi, & ad Christum pertinere.

272 Hanc sententiam censet Caramuel non esse probabilem, quatenus ait, illam procedere ex motivo valdè levi: nam cùm ad probabilitatem sententiæ requiratur, quòd ea fulciatur fundamento gravi, ipso etiam Caramuele sæpius attestante; idem est dicere, opinionem non esse probabilem: sicut idem est dicere, aliquem esse animal irrationale, ac non esse hominem.

273 E contra P. Suarez *lib. 4.* contra Regem Angliæ *cap. 18 nu. 7.* & 8. illam Navarri sententiam referens, ait: *Est quo hæc opinio satis pia, & probabilis*. Quam nova ibidem ratione fulcit, desumpta ex eo, quòd neque Communitas Ecclesiastica, neque ipse Summus Pontifex disponit de bonis Ecclesiæ tanquam dominus sed tanquam administrator, impendendo solùm ad eos usus, qui utilitati Ecclesiæ expediunt. Et supposito, quòd ipse Caramuel admittat, Ecclesias Christo dedicatas pertinere ad dominium proprietatis particularis Christi, non est, unde dissonet rationi, quòd etiam bona Ecclesiastica pertineant ad simile dominium proprietatis particularis Christi. Et præterea hæc opinio est valdè congruens ad explicandum facilius multa ad immunitatem Ecclesiasticam pertinentia. Inde enim rectè explicatur, qua ratione bona acquisita ab Ecclesia incapacia sint gabellarum; nam cùm gabellas super fundum impositas solvat dominus fundi; Christus autem utpotè filius Regis æterni liber sit à solvendo gabellas; ex hoc etiam capite rectè intelligitur, quomodo bona Ecclesiastica à gabellis ex naturâ rei immunia sint. Similiter intelligitur, quomodo bona ab Ecclesia acquisita, etiam sine licentia Principis exempta sint à dominio hujus, propter magnam circunstantiæ mutationem, & sic de aliis ad immunitatem bonorum Ecclesiæ pertinentibus.

274 Duo sunt, quæ opponit Caramuel huic sententiæ, & illa quidem levia. Primum contra fundamentum, quo nititur Navarrus, quòd in jure bona Ecclesiæ dicantur patrimonium Christi. Etiam quæ dantur pauperibus non Religiosis, dicuntur dari Christo; & nihilominus ea pertinent ad dominium proprietatis pauperum: ergo quamvis bona Ecclesiæ dicantur donari Christo, etiam pertinent ad dominium proprietatis Ecclesiæ. Et ad probationem majoris, affert S. Chrysostomum, & Salvianum, & potest afferre omnes Patres, & Evangelium ipsum.

275 Respondere aliquis posset, etiam eleemosynam datam pauperi intrare sub dominium proprietatis Christi, & Christum transferre id dominium in pauperem; eo modo, quo in sententia Navarri, cùm ex bonis Ecclesiæ datur eleemosyna pauperi, Christus transfert dominium proprietatis in pauperem. Pro quo advertendum est id, quod notavit P. Hurt. de Incarnatione *disp. 12. sect. 5.* pro unico instanti esse posse dominium adæquatum penes duos. Probatur. In unico instanti Petrus donat Ioanni, & Ioannes acceptat: sed in eo instanti, quo Petrus donat, est dominus rei, quæ donatur; donatio enim est actus dominii; & repugnat actus dominii pro eo instanti, in quo non est dominium: deinde in eo instanti, in quo Ioannes acceptat, est dominus rei, quæ acceptatur; nam per acceptationem fit dominus; unde quando fit acceptatio, accipitur dominium: ergo in eodem instanti est dominium penes Petrum, & Ioannem simul. Addo insuper, non solùm penes duos, sed penes tres, aut plures esse posse. Nam in eo instanti, in quo aliquis acceptat, potest donare: quare inter Angelos, qui instantaneè operantur, nec ad donandum indigent successione verborum, posset dominium adæquatum penes plures existere pro unico instanti.

276 Hinc fieri potest, quòd cùm Petrus dat eleemosynam, in eodem instanti Christus acceptat dominium proprietatis rei, & simul transfert illud in pauperem. Nec est inconveniens, quòd pro uno instanti dominium adæquatum proprietatis sit simul in Petro, in Christo, & in paupere, propter dicta.

277 Potest responderi secundò, non ingredi dominium Christi nisi in ea bona, quæ fiunt Ecclesiæ: quia cum Christus non acceptet per seipsum donata, sed per suos Ministros; Ministri autem sint Ecclesiæ, seu Ecclesiarum Prælati, & Rectores; fit eleemosynam datam pauperi non acceptari à Christo in ordine ad dominium proprietatis, dum ea eleemosyna non datur Ecclesiarum Rectoribus. Itaque ex eo, quòd bona Ecclesiastica sint patrimonium Christi acceptatum à Christo per suos Ministros, colligitur, ea intrare in dominium proprietatis Christi: eleemosyna autem, quæ erogatur pauperi, licèt donetur Christo, non intrat dominium proprietatis Christi, quia neque per se, neque per suos Ministros ea donatio acceptatur.

278 Secundum argumentum, quod Caramuel opponit Navarro, in eum finem destinat, ut probet, Communitates Religiosas capere dominium suorum bonorum etiam stabilium, & habere dominium eorum in communi. Quod sic producit: [Si Monasticæ Congregationes sunt dominii incapaces: ergo vel ratione voti paupertatis, vel ratione alicujus legis eas reddentis inhabiles ad dominium. Non ratione legis alicujus: ergo ratione voti. Atqui votum paupertatis non obligat Congregationem, sed solummodo particulares: ergo. Minorem probo. Hujuscemodi votum solùm obstringit emittentem: sed id non emisit Communitas: ergo non obligat Communitatem. Minorem demonstro. Quoniam nulla est Benedictorum, aut ipsis similis, Congregatio, quæ per modum Communitatis paupertatem promiserit.]

279 Sed neque hoc argumentum urget. Pro quo supponendum est, neminem esse capacem dominii rei alienæ in sensu composito. Patet assertum: quia cùm dominium adæquatum non possit esse simul penes duos (nisi pro uno instanti, de quo supra *num.* 272.) si supponitur esse res sub meo dominio adæquato proprietatis, dum ita sub me manet, nullus est capax habendi mecum dominium proprietatis.

280 Hinc solvitur argumentum. Etenim fundus Ecclesiasticus est sub dominio adæquato proprietatis Christi: nulla ergo communitas est capax habendi idem omninò dominium adæquatum; cùm nulla sit capax habendi dominium rei alienæ in sensu composito, sive ex suppositione, quòd aliena sit. Neque negatur, communi-

munitates esse capaces aliorum bonorum, quæ non sint Ecclesiastica, puta si Petrus donaret communitati bona, quæ expressa voluntate donaret, ut insumerentur in usus profanos, id est, non Ecclesiasticos, maximè accedente lege Pontificia, quæ statueret, ea bona non esse Ecclesiastica. Et ideò negari potest primum antecedens argumenti.

28 Deinde quæ Caramuel addit in argumento, non parva scatent difficultate. In primis enim neque particularis Religiosus præcisè vi voti paupertatis reddit se incapacem dominii, sed vi solemnitatis repertæ in voto, quæ jure positivo humano introducta est. Ut patet in Religiosis Societatis, qui emittunt post biennium probationis vota simplicia: hi enim capaces dominii remanent defectu solemnitatis. Deinde potest communitas, ut talis, obstringi voto paupertatis, si omnes ad unum, cùm seorsim profitentur, promittant non exercituros actum dominii, sive operentur ut singulares, sive operentur in corpore communitatis congregati. Nam hoc pacto si in congregatione convenirent, neque particulares, neque congregatio possent exercere actum dominii. Et peccaret congregatio, si omnes simul exercerent actum dominii. Sicut si singuli jurarent, se in congregatione electuros esse digniorem; peccaret congregatio, si eligeret aliquem evidenter indignum, aut minus dignum. Sicut enim verti tur laudi congregationi, quòd dignissimum elegerit; ita vituperio, cùm indignum. Si ergo congregationi potest verti vitio electio indigni, quando singuli obligantur ad eligendum in congregatione dignum: ita verteretur vitio congregationi, si omnes exercerent actum dominii, quando singuli tenerentur non exercere illum etiam in congregatione. Ex omnibus enim votis particularium simul, emissis cum relatione ad congregationem, resultat obligatio congregationis.

DISPUTATIO LXII.

An cessante in particulari fine legis humanæ statuentis impedimentum dirimens, cesset lex in particulari; & liceat in eo casu contrahi matrimonium absque dispensatione?

CAPUT PRIMUM.

Mens Caramuelis inquiritur.

SUMMARIUM.

An Caramuel ostium aperiat opinioni, quòd cessante fine legis humanæ de impedimento dirimenti, non est necessaria dispensatio? num. 1. & seq.

An discursum reformet in editione Lugdunensi? nu. 5. & seq.

An Caramuel censeat certam opinionem, quòd cessante fine legis in particulari, cesset lex? nu. 8.

An cesset finis legis in particulari, quando contrahentes sunt pauperes? num. 10. & seq.

An in his benignè interpretandus sit Caramuel? nu. 19.

1 Hucusque in orbe Theologico, & Canonico inauditum erat, posse contingere casum, in quo quis cum impedimento dirimenti contrahens matrimonium absque legitima dispensatione, validè contrahat. Caramuel tamen videtur ostium aperire non modò quæstioni, sed etiam affirmativæ conclusioni. Dixi *ostium aperire*, quia licèt mentem ejus benignè sim explicaturus; timendum tamen est, ne alii aliter explicantes incidant in opinionem absurdam, ut mox dicam.

2 Nam in Theologia *fundam. 2a. 584. fund 13. in edit. ann. 1657.* sic discurrit. [Dico quarto. Ubi hujus legis impedimenta imponentis adæquatus finis cesset in particulari; probabile est, esse necessariam Pontificis dispensationem; nam datur consuetudo de facto petendi talem dispensationem, quæ consuetudo legitimè introducta est: *et probabilius, non esse necessariam.* Prima pars ostenditur. Quia probabile est, legem Pontificiam non cessare, tametsi finis adæquatus cesset in particulari.·. Habet tot Patronos prose, ut non possit non vocari probabilis.·. Unde probabilitate hujus opinionis supposita, discurro sic. Probabile est, non cessare legem, cùm finis adæquatus cessat in particulari: ergo cùm sanctio impedimenta matrimonio apponens sit lex, non cessabit, etsi finis adæquatus cesset in particulari.

3 Secunda pars etiam ostenditur. Probabilius enim est, legem in particulari cessare, ubi cessat finis adæquatus in particulari: ergo idem est omninò dicendum de præsenti lege. Atqui ubi cessat lex, non est necessaria dispensatio: ergo] Hucusque Caramuel.

4 Juxta quem discursum, si cessat in casu singulari finis, ob quem lata est lex, quæ consanguineos in secundo gradu inhabiles reddit ad contrahendum; lex cessabit: atque adeò consanguinei in secundo gradu validè contrahent; cùm cessante lege, cesset impedimentum lege statutum; & ubi deficit impedimentum, dispensatio non requiritur. Quem discursum etiam tradiderat in edit. Francofurtensi *an. 1652. num. 342.*

5 Sed in edit. *an. 1657.* videtur reformare discursum quo ad praxim. Nam immediatè post relatam periodum, subjungit. [Hucusque discursus à ratione deductus: contra quam tamen militat consuetudo petendi dispensationem in materia probabili (Nota *in materia probabili:*) De qua (consuetudine) dicendum est primò, non esse per errorem, & ex ingnorantia introductam: secundò, jam esse obligatoriam:]

6 Itaque petendam ex obligatione, ait, dispensationem, etiam in casu, quo cesset finis legis statuentis impedimentum dirimens. Etenim datur consuetudo obligatoria petendi dispensationem in impedimento probabili: sed dum cessat in particulari finis legis statuentis impedimentum dirimens, datur impedimentum probabile: (nempe propter opinionem probabilem, quæ ait, cessante fine legis in particulari, obligare adhuc legem in particulari:) ergo datur obligatio petendi dispensationem in eo impedimento probabili.

7 Sed quid, si aliquis negaret minorem, & assereret, non esse probabilem opinionem, quæ ait, cessante fine legis in particulari, legem in particulari non cessare; sed esse omninò certum, eam legem esse invalidam in eo casu particulari? Si ita esset, impedimentum pro eo casu esset certò nullum; & consequenter cessaret obligatio petendi dispensationem.

8 Atqui Caramuel eam minorem negat, asseritque non esse probabilem opinionem, quæ tuetur, cessante fine adæquato legis in particulari, valere adhuc legem in eo casu particulari; & opinionem oppositam esse omninò certam. Ita in eadem *Theol. fundam. an. 1657. num. 636. fund. 17.* ubi eam quæstionem universalem ex professo discutit, [An cessante fine adæquato legis humanæ in casu aliquo particulari, cesset etiam ejusdem legis obligatio quo ad illum particularem?] Is enim est tenor inscriptionis, quam ei quæstioni præfigit. Et ubi in margine, notationis causa, posuit *Conclusio:* in textu sic ait: [Ponamus igitur, esse veram, & si liceat sic loqui, *demonstratam* sententiam, quæ legem in tali casu cessare asserit. Sed ais, me temerè vocare *demonstratam* sententiam, quam tot illustres scriptores reiiciunt.]

9 Et postquam triginta scriptores enumerat pro opinione opposita, subjungit. [His tamen non obstantibus, iterùm dico, *certum esse*, legem cessare in particulari, quando finis adæquatus legis cessat in particulari.] Est ergo certa Caramueli à principiis intrinsecis sententia, quæ ait, legem cessare in eo casu particulari: & consequenter illi est certa sententia, quæ ait, cessante fine legis statuentis impedimentum dirimens, in casu particulari, cessare in eo casu prædictam legem; atque adeò illi est certum, non debere peti dispensationem in eo casu. Ecce quomodo Caramuel stat pro sententia, quæ negat obligationem petendi dispensationem in eo casu particulari, in quo cessat finis legis statuentis impedimentum dirimens.

10 Sed quis est iste casus particularis, in quo cessat finis legis imponentis impedimentum dirimens? In edit. Francofurt. *ann. 1652. num. 341.* post tertiam conclusionem sic ait: [Hinc infero eos, qui dixerint, totum finem legis impedimenta matrimonialia imponentis cessare, quando contrahentes pauperes sunt, dicturos etiam, legem ipsam in eodem casu cessaturam. Sed an totus, & adæquatus finis cessare ob paupertatem dicendus sit, viderint alii: ego enim cautus sum omninò nolle nimis curiosè hæc examinare. Scio enim, dari sæpè fines diversos (nimirum legis, legislatoris, subditi) sed si legis adæquatus finis cessasse diceretur, nec legislatoris, nec acceptatoris privatos fines, & speciales utilitates, in resolvendo, aut in operando respicerem.] Hæc Caramuel.

11 In qua periodo, licèt non affirmet, finem adæquatum legis imponentis impedimentum dirimens cessare, quando contrahentes sunt pauperes; id tamen relinquit sub dubio; quòd aliorum judicio decidendum relinquit. Quod dubium satis declarat, dum ait, nolle se nimis curiosè hæc examinare: quasi nimia ejus curiositas aliquid esset allatura pro parte affirmativa. In quo sanè perperam agit dubitando: neque enim minor est injuria veritatis, certa vertere in dubium, quàm dare falsa pro veris. Debuit autem tanquam omninò certum asserere, tunc non cessare finem adæquatum legis, atque adeò nec legem.

12 Patet primò. Quia si ea lex cessaret, quando contrahentes sunt pauperes; fieret, quòd nullum esset impedimentum jure humano dirimens respectu pauperum; & quòd omnes pauperes in toto orbe Christiano possent absque dispensatione contrahere cum consanguineis, cum affinibus, cum iis, qui cognatione spirituali conjuncti sunt, &c. Quòd si aliquis id concedat, ex dicendis de falsitate convincitur.

13 Patet secundò. Quia cùm lex imponens impedimentum dirimens inter consanguineos, intendat, quòd consanguinei erga consanguineos exerceant id genus observantiæ, quæ consistit in eo, quòd non committeantur carnaliter; id non potest cessare per solam paupertatem: hac enim persistente adhuc viget ratio legis, nempe debitum observantiæ erga consanguineos. Hæc enim est virtus, quæ decet etiam pauperes, utpotè fundata in debito naturali observandi consanguineos: & quam ipsa lex intendit, dum omnes consanguineos Fideles reddit inhabiles ad contrahendum.

14 Quòd autem addit Caramuel de finibus privatis legislatoris, & acceptatoris, non est ad rem. Ideò benè asserit, solùm esse attendendum ad finem adæquatum legis; id est, ad finem, quem legis-

legislator sibi præfigit ad legem ferendam; sive pro quo consequendo assumit legem ut medium.

15 Illam tamen periodum, quam dedit in edit. Francofort. abstulit in edit. Lugdun. an. 1657. & pro illa hanc supposuit. [Supponis, cessare omninò legem, quando finis adæquatus ejusdem legis cessat; & infers certam utique legem imponentem impedimenta matrimonialia, si cessaret totus finis legis, quando contrahentes sunt pauperes. At tunc finis non cessat: quia etiam pauperibus Pontificia providentia succurritur, & sine expensis convenientes favores indulgentur. Et illi summa benignitate. In Bohemia dum Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach Archiepiscopi Pragensi vices gererem, hos præscriptos in Consistorio mores reperi. Cùm pauperes impediti volunt contrahere, recurrunt ad Parochum, qui eos esse verè pauperes litteris subscriptione, & sigillo affirmatis testatur. Credit illi Officialis, & suum testimonium adjungit. Romæ creditur Officiali, & cum dispensatio conceditur, litteræ expediuntur gratis.] Hæc Caramuel in editione emendata.

16 Sed adhuc exorbitare videtur hæc periodus. Nam in practicis propositio conditionalis non speculativè sumitur, sed practicè. Speculativè sumitur conditionalis, cùm fert hunc sensum: [Si per possibile, vel impossibile ita fieret, &c.] Cùm autem sumitur conditionalis practicè, conditio est practicabilis, & quæ aliquando solet usu venire. Iam verò cum ad praxim ponatur ea propositio conditionalis in relata periodo, nempe [Cessaturam fuisse legem imponentem impedimenta matrimonialia, si cessaret totus finis legis, quando contrahentes sunt pauperes;] debet conditio intelligi, non speculativè, sed practicè; atque adeò tanquam re ipsa possibilis & contingens. Illam autem conditionem esse impossibilem, ex supradictis constat, cùm certum sit, ex solo titulo paupertatis non posse cessare totum finem legis statuentis matrimonialia impedimenta.

17 Ex quibus omnibus resultant istæ propositiones. Prima. *Cessante fine adæquato legis imponentis impedimentum diriment, in casu singulari, probabile est, quòd cessat lex, & quòd non datur impedimentum in eo casu singulari*. Secunda. *In eo casu singulari, in quo cessat lex & impedimentum probabiliter, sola consuetudine, eaque obligatoria, tenemur petere dispensationem*. Tertia. *Certa, & demonstrata sententia est, qua docet, cessante fine ejus legis in casu singulari, cessare in eo casu legem, atque adeò nullum esse impedimentum.*

18 Ex his infertur, quando cessat in casu singulari finis adæquatus legis imponentis impedimentum dirimens, non esse obligationem petendi dispensationem, sine qua validum erit matrimonium. Nam petendam esse ex consuetudine obligatoria, solùm admittit in materia probabili, quando probabile est, quòd non cessat finis legis. Cùm ergo alibi doceat, non probabile, sed certum esse, quòd in eo casu cessat lex, atque adeò impedimentum; infertur, nullam esse obligationem petendi dispensationem, sine qua matrimonium erit validum.

19 Adhuc tamen benignè interpretandus est Caramuel, cùm dicit, eam sententiam esse certam, & demonstratam, ita ut id ita dictum intelligatur quasi per exaggerationem, non verò quia oppositam sententiam censeat certò falsam. Sed quia timendum est, ne lectores Caramuelis audaciores sint, & velint ad illam consequentiam procedere, quòd sine dispensatione erit validum matrimonium; ideò hæc res accuratè discutienda est.

C A P U T II.

Promittitur ea quæstio universalis; An cessante fine adæquata legis humanæ in casu aliquo particulari, cesset etiam ejusdem legis obligatio quo ad illum particularem?

A R T I C U L U S I.

An sit evidens, cessare legem in prædicto casu particulari?

S U M M A R I U M.

An sit probabilis opinio negativa? n. 21.
An omnis lex humana habeat pro fine uniformitatem operandi? Et an hic finis cessare possit aliquando? n. 22. & seq.

20 Vidimus *cap. præced. num. 8.* non modò Caramuelem stare pro opinione affirmativa in hac quæstione, sed & asseruisse, suam opinionem esse certam, & demonstratam; & opinionem, quæ negat, cessare legem in eo casu particulari, non esse probabilem à principiis intrinsecis.

21 Assero, hanc opinionem negativam esse verè probabilem non solum ab authoritate triginta Theologorum, quos Caramuel enumerat *num. 636.* sed etiam à principio intrinseco.

22 Pro cujus evidentia suppono, P. Suarium *lib. 6. de legib. cap. 9. num. 16. & cap. 7. num. 5.* & cum eo multos alios designare pro fine omnis legis humanæ uniformitatem operandi in hac materia, quam lex præscribit. Porrò si iste sit verus finis legis humanæ, manifestum est, nunquam posse cessare finem legis humanæ: quia quamtumvis omnis alia ratio legis humanæ cesset, numquam verificatur, quòd cesset ratio uniformitatis operandi. Nam in quocumque casu omittatur materia legis præcepta, receditur ab eo fine consequendo. Non enim servatur uniformitas operandi, si cùm cæteri ponunt materiam lege præscriptam, tu illam omittis, difformans te à reliquis in eo ipso, quod omittis, & quòd cæteri observant.

23 Iam verò interrogo, an sit probabile, omnem legem humanam habere pro fine uniformitatem operandi? Et quidem ad probabilitatem duo requiruntur (ut constet ex 1. *part. Crit. Theol. disput. 1.*) & quòd objectum sit incertum; id est, quòd neutra pars contradictionis sit certa; & quòd hæc pars, quæ probabilis dicitur, nitatur fundamento gravi.

24 Quòd attinet ad primum, non est certum, legem humanam carere eo fine: vel producat Caramuel demonstrationem, ex qua id indubitabiliter constet: quam quidem non dum produxit. Quod attinet ad secundum, ait optimè (id est, valde probabiliter) P. Suarez eo *cap. 7. num. 5.* [Licèt ratio legis in particulari cesset negativè, semper manet aliqua universalior ratio, ob quam expedit etiam observari legem. . quia *per se est honesta ratio servandi legem, uniformitas partium cum toto*, ubi sine incommodo servari potest.] Quæ ratio cuilibet prudenti judicio satisfacit ad probabilitatem. Nec parvum fundamentum probabilitatis desumitur ex variis inconvenientibus, quæ ibidem recenset P. Suarez, quæ consequuntur ex defectu uniformitatis subditorum operantium: inconvenientia autem in operando semper leges humanæ vitare intendunt.

25 Præterea. Nam utile est bono publico, ne unus se eximat à lege, quam cæteri observant; quia exemplo ejus cæteri volunt se eximere. Leges autem humanæ bonum publicum præcipuè respiciunt. Nec satisfaciet, qui dicat, id cessare in eo, qui operatur clam. Nam etiam ea operatio arcano modo facta scibilis est: cùm operans possit, & soleat operationes suas amicis propalare.

26 Et sanè miror, quòd Caramuel, qui tam ex professo materiam hanc suscepit tractandam, non meminerit hujus rationis, & hujus finis legis allati à P. Suarez. Nec satisfaciet, si dicat, non vidisse quæ circa hoc punctum scribit Suarius. Quis enim est, qui scribit ad lucem publicam in materia à Suario tractata, qui non videat, quæ Suarius tradidit, si non ut ducatur, saltem ut ejus objectionibus satisfaciat? Vel quam fidem faciet, si objectionibus Suarii non satisfaciat.

A R T I C U L U S II.

Doctrina Caramuelis; & quomodo non satisfaciat quæstioni?

S U M M A R I U M.

An bonum publicum, quod est finis legis possit cessare in uno individuo? nu. 27. & seq.
An si bonum publicum, intentum à lege, sit divisibile, possit cessare in uno individuo? nu. 30.
An aliquæ leges vetent actionem, ut noxiam operatori, non aliis? n. 32.
An aliæ leges prohibeant actionem ut nocituram aliis? Et an possit cessare finis earum in uno individuo? n. 33. & seq.
An possit dari casus, in quo cesset finis legis statuentis impedimenta dirimentia? n. 37.
An in legibus de auditione missæ, jejunio, &c. possit cessare finis earum in casu particulari? nu. 38.

27 Caramuel in Theol. fundam. editionis correctæ à *num. 636. fund. 17.* corripit Authores partis negativæ, quòd malè proponant, & malè probent conclusionem suam. Dicunt enim, cessante fine adæquato legis in aliquo casu particulari, non ideò cessare legem in eo casu. Et probant: quia finis legis est bonum publicum; bonum autem publicum in uno particulari cessare non potest. Eos autem increpat, quia supponunt in conclusione, posse cessare finem legis in aliquo particulari; cùm in probatione asserant, bonum publicum, qui est finis legis, cessare non posse in uno particulari: eo quo planè sibi ipsis adversantur.

28 Et quidem Authores, qui sic loquuntur, meritò increpantur, cum evidenter adversantia tradant. Omnes autem ejus sententiæ Authores sic damnare, nefas est, cùm præcipui eorum nihil tale tradiderint. Vide P. Suarez citatum *cap. præced.* & Thomam Sanchez *lib. 4. sum. cap. 15. num. 37.* P. Vasquez *opusc. de Redditib. cap. 2. § 2. dub. 14. num. 31.*

29 Deinde quia Diana putavit, id argumentum partis negativæ à se facilè solvi, dicendo, quòd quamvis leges ferantur propter bonum publicum: at in singulis habere vim eam rationem finalem, propter quam feruntur; quæ ratio finalis si cesset in uno, cessat obligatio legis: Caramuel ait, Dianam non satisfacere. Nam si ratio finalis legis est bonum publicum; & hæc habet locum in singulis; utique in singulis est ratio boni publici, bonum autem publicum cessare non potest in uno individuo: ergo neque ratio finalis legis in uno individuo cessare potest.

30 Fortè satisfaceret Diana, si rem ampliùs explicaret, & diceret, bonum publicum esse divisibile, & compositum ex pluribus commodis privatis: Ita ut quòd in communi est bonum publicum, in sin-

in singulis dicatur esse bonum privatum: & hoc pacto posse cessare in uno individuo bonum publicum, id est illud, quòd consideratum in communi est bonum publicum. Sed licèt prima specie sic satisfiat ei argumento: illud tamen eget majori indagine. Sunt enim plurimi casus, in quibus bonum publicum non est sic divisibile in commoda privata; atque adeò quòd ea ratione cessare non possit in uno individuo.

31 Et quidem si sermo sit de eo fine, quem statuit P. Suarez, ut retuli cap. præced. nempe de uniformitate operandi, constat, hunc finem in nullo individuo cessare: nam eo ipso, quòd unus non ponat materiam lege præscriptam, non servatur uniformitas operandi intenta à lege.

32 Ideò Caramuel *ibid. num.* 637. (omittens eam rationem desumptam ab uniformitate operandi, quam intendat lex) ut componat, quo modo possit cessare in uno individuo finis adæquatus legis; cùm hæc respiciat pro fine bonum publicum; distinguit duplex legum genus. Aliæ enim vetant actionem ut noxiam operaturo, non aliis: quæ quidem eatenus respiciunt bonum publicum; quatenus ex bonis privatis individuorum componitur bonum commune. In quibus nihil aliud est respicere bonum publicum, quàm respicere commoda privata omnium. Et ita lex, quæ in sua universalitate respicit commoda omnium; si consideretur præscisse ut directa ad hoc individuum, respicit dumtaxat bonum privatum hujus individui. Ita lex, quæ prohibet natationem in tali periculoso freto, si consideretur ut intendens vitare damnum, & periculum omnium, respicit bonum privatum. Et has quidem leges, ait satis probabiliter, cessare in illo individuo, in quo omnino cessat privatum ejus periculum; cùm lex respectu illius non intendat aliud, quàm vitare ejus periculum privatum.

33 Aliæ verò sunt leges, quæ prohibent actionem, ut nocituram aliis. Quæ actio quia semper affert periculum nocumenti aliis, non cessat finis, quamvis non sit nocitura operaturo. Ita lex, quæ prohibet, ne accedas ægroto peste infecto; quamvis theriaca securissima præmuniaris, non cessat: quia & si ejus contagio tibi nocitura non sit, potest tamen nocere aliis, ad quos accesseris. Quam doctrinam multis aliis exemplis illustrat, & confirmat in loco cit. In his ergo & similibus cessare non potest finis legis, quamvis absit omne periculum ab operaturo.

34 Sed neque sic satisfacit Caramuel quæstioni. Falsum enim est, quòd ratio boni publici intenta à lege non possit cessare in uno individuo. Primò. Quia lex quæ prohibet actionem ut nocituram bono publico, utique respicit bonum publicum: & tamen potest contingere casus, in quo actio Petri non noceat bono publico: potest ergo dari casus in quo cesset ea ratio boni publici intenta à lege; cesset, inquam, in uno individuo particulari. Fert Imperator exercitus legem, ne custodes deserant vigilias noctis, ne repentè invadantur ab hostibus proximis. Unus custodum arcanissima via evidenter novit, hostem longius recessisse, adeòque nullum invasionis periculum impendere: Quis dubitet, in hoc casu, & in hoc individuo cessasse periculum publicum pro ea nocte; atque adeò rationem finalem legis pro tunc cessasse in eo individuo; & non in cæteris, qui fugam hostis ignorabant.

35 Secundò. Quia licèt ratio boni publici intenta à lege talis sit, ut non possit cessare in uno individuo humano, potest tamen cessare in uno casu particulari. Ita si lex prohibeat aliquam actionem ratione scandali imminentis, & Petrus illam operetur coram viris Religiosis, quos sciat nullo modo passuros esse scandalum; tunc ratio finalis legis, quæ respicit bonum publicum, non cessat immediatè in Petro, sed in illa communitate Religiosa; cessat tamen in hoc casu singulari. Ergo quantumvis loquamur de legibus, quarum finis non potest cessare in uno individuo humano; illæ quidem poterunt cessare in uno casu singulari. Ergo etiam in illo genere legum locum habet quæstio, [An cessante fine legis in uno casu singulari, cesset in illo casu obligatio legis?] Ergo non satisfacit Caramuel quæstioni, dum dicit in eo genere legum non posse cessare finem legis, quæ respicit bonum publicum, in uno singulari homine.

36 Sed cùm Caramuel cœperit versare eam quæstionem, [An dentur legum fines, qui non possint cessare in aliquo particulari?] Sane difficultatem non exhaurit; immò limitatè quæstionem tractat; cùm eam solùm protendat ad ea legum genera, quæ prohibent actiones, quæ nocituræ operaturo, vel etiam aliis: cùm tamen constet, esse multas alias leges, quæ eum finem nocumenti, vel periculi non attendant.

37 Nam, ut viam sternere incipiamus præcipuo scopo hujus disputationis, potest primò inquiri, [An in aliquo casu particulari, possit cessare finis adæquatus legis statuentis impedimenta matrimonialia?] Si enim potest; debuit casum ostendere Caramuel, dum rem novam, & inauditam voluit in Theologiam intrudere. Si autem non potest; quare inquirit, [An cessante fine adæquato ejus legis in aliquo casu particulari, cesset lex, nec dispensatione indigeat?] Hæc enim quæstio supponit, posse in aliquo casu particulari eum finem cessare. Quare ergo turbat pacificam possessionem praxis Ecclesiasticæ petendi in omnibus impedimentis dirimentibus dispensationem, sine attentione ad cessationem finis?

38 Secundò. Cùm leges de auditione Missæ, Jejunio, Communione annua, &c. non sint de eo genere legum, quæ interdicunt actionem, qua nocituram aliis; potest secundò inquiri, [An in illis possit in casu particulari cessare finis adæquatus legis?] Nam cùm finis audiendi Sacrum in die festo sit propter exercitium virtutis Religionis, videbitur alicui cessare is finis, si in eo die in aliis operibus Religionis se exercuerit. Et cùm finis legis de jejunio servando sit mortificatio corporis; qui in aliis mortificationibus se exercuerit, fortè putabit, in se cessasse finem ejus præcepti.

ARTICULUS III.

Statuitur, & probatur prima conclusio.

SUMMARIUM.

39 Igitur duæ quæstiones sub hac una continentur, altera conditionalis, & altera absoluta. Conditionalis est: An si in uno casu singulari cesset finis legis, cesset ejus obligatio in eo casu singulari? Quæstio absoluta est: An in nullo casu singulari possit cessare finis adæquatus legis; an potius dentur leges, in quibus ratio finalis adæquata earum possit cessare; & aliæ leges, in quibus non possit cessare in uno casu singulari? Et quod attinet ad quæstionem conditionalem.

40 Sit prima conclusio. Si finis adæquatus legis humanæ cesset in casu singulari, in eo cessat obligatio legis. Hanc tradit ex professo P. Granado 1 a. *controv. 7. tract. 3. par. 2 disp. 15. sect.* 2. & apud ipsum Navarrus, Cajetanus P. Valencia, P. Enriquez, Castro, Sosa, Gerson, Tiraquellus. Item P. Petrus Hurtado 2. 2. *disp.* 74. § 24. & alii apud ipsum, & apud Caramuelem cit.

41 Et, si quidem loquamur de legibus, quæ præscribunt materiam ex se indifferentem propter finem aliquem honestum, clarius probatur conclusio. Etenim lex non obligat, quando objectum legis hic & nunc exercendum non est honestum: sed quando objectum legis ex se est indifferens, & solùm est honestum ratione finis; si hic & nunc cessat finis, objectum legis non manet honestum: ergo quando objectum legis ex se est indifferens, & cessat finis hic & nunc, cessat etiam obligatio legis. Minor patet. Quia objectum, quòd ex se est indifferens, non potest esse honestum, nisi dum ordinatur ad finem honestum: ergo si hic & nunc non ordinatur ad finem honestum, ipsum objectum non est honestum hic & nunc. Atqui non ordinatur hic & nunc ad finem honestum, quando hic & nunc deficit talis finis honestus.

42 Ambulare noctu per urbem, actio indifferens est. In aliquibus diœcesibus interdicitur ea ambulatio in nocte feriæ quintæ majoris hebdomadæ, ut vitentur peccata, quæ ex concursu solent oriri. Petrus devotionis causa vult domo egredi, ut tota nocte maneat in Ecclesia. Sanè in eo cessat finis legis; cum ex eo itinere, quod assumit versùs Ecclesiam, nullum sit peccatum oriturum: ergo hic & nunc omissio ejus ambulationis per urbem versùs Ecclesiam, non est honesta: cùm actio (sive positiva, sive negativa) quæ de se est indifferens, non possit fieri honesta, nisi quà ordinata ad finem honestum; & non potest ordinari hic & nunc ad finem honestum, si omnino cessat hic & nunc finis honestus, ad quem ordinetur.

43 Loquendo tamen universalius, non solùm de iis legibus, quæ præscribunt materiam indifferentem propter finem honestum; sed etiam de iis, quæ præscribunt materiam honestam propter alium finem honestum; etiam probatur conclusio. Etenim tunc non obligat lex, quando actio hic & nunc non est in ea specie virtutis, in qua lex illam constituit: sed cùm deficit in casu singulari finis intentus à lege, actio hic & nunc elicienda, non est in ea specie virtutis, in qua lex ejusmodi actionem constituit; ergo in eo casu singulari lex non obligat.

44 Minor patet. Nam lex constituit actiones præceptas in ea specie virtutis, ad quam pertinet relatio ad talem finem, ut constat ex 2 *part. Cris. Theol. disp.* 40. ergo si hic & nunc deficit ille finis, deficit relatio ad finem; atque adeò actio non potest esse in ea specie virtutis, ad quam pertinet illa relatio ad finem.

45 Major etiam omnino admittenda videtur. Non enim est lex valida, nisi quæ res honestas præscribit: deinde talis determinata lex non obligat ad qualemcumque honestatem, sed ad eam

specialem, quam lex statuit : ergo solùm obligat ad illam speciem honesti, in qua lex actiones constituit.

46 Probatur secundò conclusio. Quando lex præscribit actionem sub tali circunstantia, temporis, loci, occasionis, &c. deficiente ea circunstantia (etiam in casu raro, & singulari) non obligat lex : sed relatio ad talem finem honestum, est circunstantia, sub qua obligat lex : ergo si deficiat talis finis honestus (etiam si deficiat in casu singulari) lex non obligat. Major patet. Et minor probatur. Nam, ut optimè ait P. Granado *loco cit. nu.* 15. [Nulla melior circunstantia designari potest, in qua non obligant, quàm illa, in qua cessat ratio adæquata.] Et licèt loqui videatur de legibus affirmativis, quæ non obligant semper & pro semper, ut leges negativæ; adhuc ad has etiam ea doctrina extendi potest : nam etiam leges negativæ habere solent circunstantias], in quibus non obligant. Ita præceptum negativum non retinendi rem alienam dicitur obligare semper & pro semper; non obstante quòd in circunstantia extremæ indigentiæ, non obligat etiam in sententia eorum, qui in extremè indigente non agnoscunt verum jus justitiæ.

47 Probatur tertiò. Lex non obligat, quando ratio legis cessat in communi, quamvis non cesset in tota universalitate legis; ut videntur admittere adversarii. Ita lex, quæ Clericis prohibet negotiationem propter indecentiam status Ecclesiastici, non obligat eos, qui negotiantur, non per se ipsos, sed per interpositas personas; quia in his cessat ratio finalis legis, utique in communi, ut tradunt multi. De quo vide P. Salas *opusc. de Contractibus, tract. de Emptione, & vendit. dub. 2. num.* 8. & apud ipsum, id affirmantes Zerollam, Tabienam, Armillam, Vegam, Rodriguez, Salcedum, Aragon, Salon, Medinam, P. Molinam, P. Lessium, P. Rebellum, P. Sa. Ita etiam lex, quæ ratione scandali prohibet aliquam actionem, non extenditur ad eas circunstantias, in quibus omnino cessat ratio scandali. Tunc enim cessat ratio finalis in communi, quamvis non in tota universalitate legis.

48 Atqui cum in uno casu singulari ratione specialis circunstantiæ cessat causa finalis legis, hæc cessat in communi, quamvis non cesset in tota universalitate legis : ergo in eo casu singulari cessat legis obligatio.

49 Hæc minor probatur. Nam cùm finalis ratio legis cessat in uno casu singulari, casus ille singularis potest habere multos alios similes; quod enim semel accidit, potest sæpe contingere : ergo ab his casibus singularibus potest abstrahi ratio communis. Ergo cùm finalis ratio deficit in uno casu singulari, defectibilis est in pluribus casibus singularibus, atque adeò defectibilis est in communi, & non solùm in uno singulari.

50 Probatur quartò. Lex, quæ injungit materiam aliquam tamquam medium ad finem consequendum, non obligat, quoties medium est inutile ad consequendum illum : sed cùm ratio finalis cessat in casu singulari, materia injuncta à lege est inutilis ad finem consequendum : ergo cùm ratio finalis cessat in casu singulari, lex non obligat. Consequentia est inevitabilis.

51 Minor patet. Nam cùm finis non est consequibilis, medium est inutile ad illum consequendum : sed cùm cessat finis in casu singulari, finis in eo casu non est consequibilis : ergo cùm cessat finis in eo casu singulari, id medium materiæ injunctæ à lege est inutile ad finem consequendum.

52 Major verò prioris syllogismi probatur. Nam lex, quæ injungit materiam tamquam medium ad aliquem finem consequendum, eatenus obligat, quatenus cogit ad ponendum medium utile ad consecutionem illius finis : sed quoties medium est inutile ad consecutionem finis, non potest lex cogere ad ponendum medium utile ad consequendum illum : ergo quoties medium est inutile ad consequendum finem, ea lex non obligat.

53 Dices, aliquas ex rationibus præjactis videri evidentes, saltem moraliter. Quomodo ergo diximus artic. 1. contra Caramuelem, hanc sententiam non esse evidentem, aut demonstratam?

54 Respondeo, in præsenti, ut supra notavi, esse duas quæstiones, alteram conditionalem, & alteram absolutam. Quando ergo diximus, eam sententiam non esse evidentem, locuti sumus non de assertione conditionali, quæ affirmat, si cesset finis adæquatus legis in casu singulari, cessare in eo obligationem legis; sed de assertione absoluta, quæ supponit, vel affirmat posse re ipsa cessare in casu singulari finem adæquatum legis. Hæc autem non est evidens : nam probabile est, finem partialem legis humanæ esse uniformitatem operandi : qui finis, si verus est, numquam cessat. Et ita licèt assertio conditionalis, certa, & demonstrata sit; juxta eum dicendi modum de uniformitate intenta à lege, assertio absoluta est falsa.

ARTICULUS IV.

Ad decisionem quæstionis absolutæ præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

An si uniformitas operandi sit partialiter finis legis, sit certum, numquam posse cessare legem? nu. 55.
An finis legis cesset dupliciter contrariè, & negativè? n. 56. & seq.
An materia legis alia sit indifferens, & alia honesta? n. 60.
An aliquando finis legis identificetur realiter cum materia legis? nu. 61.
An tunc legislator operetur propter finem? n. 62.
An sint aliquæ leges, quæ præscribant aliquas circunstantias arbitrarias? n. 64.

55 PRæmitto primò, si vera sit sententia P. Suarii, quòd uniformitas operantium sit finis partialis intentus à lege humana; actum omnino esse de quæstione. Nam juxta eam dicendum est, numquam cessare, semper manere eum finem legis. Sed quia Doctores oppositæ sententiæ id non admittunt, dicendum est, id quidem esse probabile, non tamen omnino certum in omni lege humana. Et notanter dixi *in omni* : nam in aliquibus eum finem admittendum esse, quas posteà explicabo, mihi certum est.

56 Præmitto secundò, dupliciter cessare posse finem legis, contrariè, & negativè. Contrariè (sive, ut loquitur Caramuel, contradictoriè) cessat finis legis, cùm redditur illicitus, turpis, aut impossibilis. Ut si injungatur gabella propter structuram pontis necessarii; & constet, hanc esse omnino impossibilem; finis ejus legis cessat contrariè.

57 Finis legis cessat negativè, quando, licèt is finis non reddatur illicitus, aut impossibilis, adhuc per observationem legis non obtinetur finis intentus à lege. Ut cùm prohibetur actio propter vitandam indecentiam status Ecclesiastici, si re ipsa in talibus circunstantiis non detur ea ratio indecentiæ; etiam si vitetur ea actio, non obtinetur finis legis; atque adeò cessat negativè talis finis.

58 Ubi notandum est, P. Suarez *lib. 6. de legib. cap. 9. numer.* 2. dixisse, legem cessare contrariè, quando objectum legis fit inutile. Nos autem non dicimus cessare contrariè finem legis, quando objectum legis fit inutile; quia quoties finis legis cessat negativè, verificatur, quòd objectum legis fit inutile. Tunc enim medium redditur inutile, quando per illud non obtinetur finis, etiam si ponatur medium : sed quando cessat finis negativè, tunc non obtinetur finis, etiam si ponatur medium : ergo quando cessat finis negativè, medium (id est, objectum legis) redditur inutile.

59 Potest autem finis dici cessans contrariè, quando ipse finis intentus à lege redditur inutilis bono publico. Ut si injungatur gabella propter structuram pontis necessarii ad bonum publicum; & posteà fluminis alveus per alium tramitem aperiatur, ita ut pons construendus in sicco remaneat; jam finis ejus legis factus est inutilis publico bono; & hoc modo cessat contrariè.

60 Præmitto tertiò cum P. Suar. *lib. 6. de legib. cap. 9. num* 8. materiam legis esse duplicem. Alia enim ex se, & intrinsecè est honesta, & actus virtutis, ut jejunare, audire sacrum, &c. Alia ex se est indifferens, ut non portare arma, non extrahere has, vel illas merces, &c. Et in primo quidem genere continetur actus virtutis sufficiens ad valorem legis. In secundo autem genere non continetur actus virtutis sufficiens ad valorem legis, nisi ordinetur tamquam medium ad aliquem finem utilem bono publico. Quia cùm ea materia ex se sit indifferens, solùm constituitur in esse boni honesti per relationem extrinsecam ad finem, ad quem lex illam ordinat.

61 Præmitto quartò, aliquando finem legis non distingui realiter ab ipsa materia legis; & aliquando esse realiter distinctum ab illa. Prioris generis sunt leges, quæ injungunt aliquod opus intrinsecum virtutis, ut quæ præscribit jejunium, auditionem Sacri, Communionem Eucharistię, &c. Nam lex jejunii non illud præscribit propter qualemcumque mortificationem, sed propter eam specialem mortificationem, quæ relucet in ipso actu jejunandi : hæc autem mortificatio intenta à lege non distinguitur realiter ab ipso jejunio. Similiter lex de auditione Missæ in die festo non eam præscribit propter cultum Dei qualemcumque, sed propter eum cultum specialem, qui relucet in ipsa auditione Missæ; ideòque is specialis cultus Dei non distinguitur realiter ab ipsa auditione Missæ.

62 Ubi notandum est, in his, & similibus casibus legislatorem non operari propter finem, nec in illis inveniri intentionem finis, & electionem mediorum. Quia ubi non est medium distinctum realiter à fine, non est propriè causa finalis; cùm causa sit ad effectum realiter distinctum. Ubi autem non est causa finalis, homo non dicitur operari propter finem; neque electio medii esse effectus finis.

63 Posterioris generis sunt leges, quæ aliquid injungunt propter aliquid aliud, quod est utile bono publico. V. g. lex, quæ prohibet deferre secum arma nocturno tempore. Nam omissio portationis armorum aliquid realiter distinctum est à vitatione rixarum.

64 Præmitto quintò, esse aliquas leges, quæ præscribunt aliquas circunstantias temporis, loci, solemnitatis, quæ quidem circunstantiæ sunt omnino arbitrariæ, & oportuit eas circunstantias à legibus determinari. Quòd non initientur Ordine Presbyteratus, nisi anno vigesimo quinto, arbitrarium est : potuit enim hæc circunstantia determinari, ut initiarentur anno trigesimo, vel

vigesi-

vigesimo tertiò, &c. Quod autem sic erat arbitrarium, determinavit lex ad annum vigesimum quintum. Sic etiam erat arbitrarium, quod novitiatus, ad experiendos labores Religionis, duraret octo mensibus, vel decem, vel duodecim, &c. Determinavit autem Ecclesia hanc durationem arbitrariam ad annum completum; & in Societate Jesu ad biennium, similiter arbitrarium erat, quòd ad solemnitatem testamenti concurrant duo testes, tres, quatuor, &c. & hanc arbitrariam solemnitatem testamenti, leges Canonicæ in materia canonica determinarunt ad duos testes; leges vero civiles ad plures.

ARTICULUS V.

Decidistur quæstio absoluta.

SUMMARIUM.

An non possit cessare finis legis, quando finis identificatur cum materia præcepta? n. 65 & seq.

An leges, quæ præscribunt circumstantias arbitrarias, habeant pro fine uniformitatem operandi? nu. 69 & seq.

An quando finis legis non identificatur cum materia legis, neque sit determinatio circumstantiæ arbitrariæ, soleat cessare in singulari? nu. 74.

65 SIt secunda conclusio. In illis legibus, in quibus finis non distinguitur realiter à materia præcepta, non potest cessare finis legis contrariè, aut negativè. Non contrariè: nam vel tunc materia legis fit impossibilis, aut injusta, vel non fit? Si dicatur primum; jam hæc res egreditur fines hujus quæstionis, in qua inquirimus, an persistente materia legis, possit cessare finis intentus à lege? Si verò dicatur secundum, quòd materia non cessat contrariè, neque redditur impossibilis, aut injusta; implicat quòd finis cesset contrariè, cùm supponamus, finem esse realiter identificatum cum materia legis: & ex duobus prædicatis identificatis, quidquid uni convenit, alteri etiam debet convenire.

66 Exemplo res fiet illustrior. Lex jejunii Quadragesimalis est ex illis, in quibus finis intentus à lege, realiter identificatur cum materia legis. In muliere prægnante, cujus fœtui nocet maximè jejunium, cessat contrariè lex: quia jejunium in talibus circunstantiis est illicitum. Si dicas, in eo casu cessare contrariè finem legis, interrogo; an materia legis, id est ipsum jejunium, fiat illicita; an potius maneat licita, & possibilis? Si primum; non est ad rem præsentis quæstionis: in qua non inquirimus, an possit cessare contrariè finis legis propter impossibilitatem, aut vitium ipsius materiæ legis? Sed an possit cessare per se, & seorsim à materia legis? Si vero dicas, materiam legis, id est jejunium prægnantis, manere possibilem, & licitam, & non cessare contrariè; implicat, quòd finis legis cesset contrariè; cùm finis legis jejunii identificetur realiter cum ipso jejunio, ut constat ex *art. præced. Præmiss.* 4.

67 Et eodem modo patet, in eodem genere legum non posse finem cessare negativè. Nam vel materia ejus legis manet licita, possibilis, & utilis; vel non manet? Si primum; implicat, quod finis non maneat etiam licitus, possibilis, & utilis: cùm finis identificetur realiter cum materia legis, ut supponimus. Est enim impossibile, quòd deficiat finis persistente materia, cum qua identificatur realiter talis finis. Si verò dicatur secundum, quòd deficit etiam materia legis; jam egredimur metas quæstionis hujus, quæ solùm inquirit de defectu finis perseverante possibilitate, & honestate materiæ.

68 Et confirmatur. Tunc enim cessat negativè finis legis, quando, licèt is finis non reddatur illicitus, aut impossibilis, adhuc per observationem legis non obtinetur finis intentus à lege; ut constat ex *art. præced.* Sed quando finis identificatur realiter cum materia legis, impossibile est, quod per observationem legis non obtineatur finis legis; sicut impossibile est, quòd posita materia legis, non ponatur totum id, quòd identificatur realiter cum tali materia: ergo quando finis identificatur realiter cum materia legis, impossibile est, quòd cesset negativè finis legis.

69 Sit tertia conclusio. Leges, quæ præscribunt circunstantias, quarum determinatio est arbitraria, habent pro fine uniformitatem operandi: ideòque finis talium legum numquam cessare potest, nisi quando ipsa materia legum reddita fuerit impossibilis, aut illicita. Pro hac conclusione stat expressè P. Granado *disp.* 15. *cit. nu* 20. Eamque judico esse certam, & ab omnibus admittendam de re, quamvis sub his terminis eam non tradiderint.

70 Etenim nemo hucusque ausus est asserere, licitum esse, initiari quem Ordine Presbyteratus ante vigesimum quintum annum inceptum; quamvis ille præditus sit scientia, & prudentia; quæ qualitates videri possent supplere ætatem: neque voluit Ecclesiæ Princeps, id relinqui privato cujusque judicio, immò neque publico Episcopi. Non alia ratione, nisi quia in re tam gravi oportebat ad bonum commune servari uniformitatem in ætate ordinandorum. Habuit ergo legislator pro fine ejus legis uniformitatem in ætate. Qui finis numquam cessat: nam etiam si dicas in viro, qui implevit viginti duos annos, sapiente & prudente (immò & sapientiore, & prudentiore, aliis Sacerdotibus tricenariis) cessare eum finem legis, scilicet, quòd ii qui ordinem Sacerdotii accipiunt, habeant eam scientiam & prudentiam, quæ communiter esse solet in viris viginti quinque annorum: non cessat alter finis, quem intendit lex, nempe uniformitas ætatis in ordinandis; quia sic expedit bono publico.

71 Similiter cùm fuerit arbitrarium designare pro experiendis laboribus Religionis octo, decem, aut duodecim menses; expediebat bono publico in hoc uniformitatem servari: & ideò dum lex tempus uniforme designat, intendit uniformitatem unius anni integri servari in cæteris Religionibus; in Societate vero Jesu biennium completum. Qui finis numquam cessat, ut constat ex dictis *artic.* 1.

72 Eodem modo, cùm fuerit arbitrarium pro solemnitate testamenti designare duos, tres, vel plures testes; Jus Castellæ pro solemnitate testamenti nuncupatorii præter fidem Tabellionis designavit tres; & pro solemnitate testamenti in scriptis, præter fidem Tabellionis designavit septem testes. Censuit enim legislator, boni publici interesse, hanc uniformitatem servari; & ideò illam pro fine hujus arbitrariæ circunstantiæ intendit. Quæ uniformitas sic intenta à lege pro ejusdem solemnitate, numquam cessat, ut constat ex dictis.

73 Nec dicas, esse probabile, aut, si mavis, certum, testamentum minus solemne esse validum, si aliàs constet de ultima voluntate Testatoris. Id enim non est ad rem. Quia notanter dixi, eam uniformitatem quoad numerum testium intendi à legislatore pro solemnitate testamenti. Quamvis enim id testamentum valeat, non tamen habet solemnitatem: quia legislator (juxta eam opinionem) non intendit uniformitatem ad valorem testamenti, sed ad solemnitatem illius. Et, si constaret, legislatorem intendere eam uniformitatem numeri testium ad valorem testamenti, constaret etiam testamentum esse invalidum.

74 Sit quarta conclusio. In quamplurimis legibus, in quibus nec finis intentus identificatur cum materia præcepta, nec sit determinatio circunstantiæ arbitrariæ, solet plerumque cessare in casu singulari finis adæquatus legis. Ita authores supra relati; qui probabiliter supponunt, non omnes leges humanas habere pro fine adæquato uniformitatem operandi. Et ita lex, quæ prohibet natationem in tali freto propter vitandum periculum nantium; cessante omnino in Petro hoc periculo, cessat in illo legis obligatio. Et ita dici potest, ejusmodi leges ita esse interpretandas, ut mens illarum sit, obligare in illis omnibus casibus, in quibus habet locum finis adæquatus à legislatore formaliter intentus; & non obligare in iis circunstantiis, in quibus is finis omnino deficiat.

CAPUT III.

An in impedimentis dirimentibus juris humani possit in casu particulari deficere finis adæquatus legis.

SUMMARIUM.

Quæstio procedit de sola circunstantia finis. n. 75.

Quæstio procedit solùm de impedimentis juris humani. n. 76.

Impedimenta juris humani ad quatuor classes reducuntur. Et ad primam ea, quæ sunt propter observantiam personis debitam n. 77.

Ad secundam, quæ sunt ob defectum solemnitatis in contractu. n. 78.

Ad tertiam, quæ sunt propter servandam perfectam libertatem matrimonii. n. 79.

Ad quartam, impedimenta in pœnam delictorum. n. 80.

An in spectantibus ad primam classem unquam deficiat finis legis? n. 81. & seq.

An finis harum legum identificetur cum objecto illarum? n. 84. & seq.

An istæ leges præscribant exercitium virtutis; & quomodo? n. 88. & seq.

Quomodo identificetur finis earum legis cum objecto earum? n. 90. & seq.

75 SUppono primò, quæstionem non procedere de cessatione legis ob variatas circunstantias, quas exprimit, aut subintelligit (certò, aut probabiliter) lex; sed inquirere, an cesset lex propter solam circunstantiam rationis finalis cessantem, reliquis aliis circunstantiis invariatis: sive inquirere, an possit cessare ratio finalis legis statuentis impedimentum dirimens, permanentibus cæteris omnibus circunstantiis, sub quibus censetur procedere lex. Exemplum sit in impedimento Raptus: circà quod probabilis sententia docet, non adesse impedimentum dirimens in circunstantiis, in quibus fœmina rapta est invitis parentibus, ipsa tamen sponte consentiens. In quo casu si quis diceret, rationem finalem legis cessare in particulari, atque adeò cessare impedimentum dirimens; malè assereret. Quia quæstio præsens non inquirit, an ratione aliarum circunstantiarum, sub quibus loquitur lex, possit deficere finis legis? Sed inquirit, an stantibus omnibus circunstantiis, sub quibus censetur loqui lex, sola ratio finalis (invariatis cæteris circunstantiis) possit cessare? Et in exemplo posito inquirit, an in circunstantia, in qua ipsa fœmina rapitur invita, possit cessare ratio finalis ejus legis in aliquo casu particulari?

76 Suppono secundò, non esse quæstionem in præsenti de impedimen-

pedimentis dirimentibus matrimonium jure naturali, vel positivo Divino; quia solùm loquimur de impedimentis jure humano introductis. Et ita ab hac quæstione excludimus impedimentum erroris personæ, ligaminis, disparis cultus, & impotentiæ naturalis: quia antecedenter ad quamlibet humanam dispositionem matrimonium dirimunt. Quod siqua sunt alia impedimenta, quæ ex Jure Divino vim habeant certò, aut probabiliter, ab hac etiam quæstione removenda sunt.

77 Suppono tertiò, cætera impedimenta jure humano statuta, à me distribui in quatuor classes, nempe per ordinem ad quatuor genera rationum finalium, quæ circà ea intenduntur à legibus impedimenta statuentibus. Ad primam classem revoco ea impedimenta, quæ statuuntur, propter observantiam, aut reverentiam talibus, aut talibus personis congruenter debitam. Et in hac classe constituo impedimentum consanguinitatis, cognationis legalis, cognationis spiritualis, affinitatis, publicæ honestatis. Expedit enim bono publico, quòd personæ sanguine, aut alio simili titulo propinquæ observentur, & colantur. In eadem classe constituo impedimenta Professionis, & ordinis Sacri: quæ impedimenta constituuntur à legibus propter reverentiam debitam statui Professorum, & initiatorum ordine sacro: quidquid sit, an etiam propter alios fines partiales sint instituta.

78 Ad secundam classem revoco, siqua sunt impedimenta dirimentia, quæ defectu solemnitatis in contractu, reddunt invalidum ipsum contractum matrimonii, de quorum fine intento à lege postea consulet. Et in hac classe constituo defectum Parochi, & duorum testium: qua solemnitate deficiente nullus est contractus; ut decernit Tridentinum *sess. 24 cap. 1. de Reformat. matrimon.*

79 Ad tertiam revoco impedimenta, quæ statuuntur, propter servandam perfectam libertatem, quam in matrimonio desiderat Ecclesia. Et in hac constituo vim, raptum, & servitutem ignoratam. Violentia enim minuit libertatem: & raptus supponit fœminam invitam. Servitus autem ignorata ideò ponitur dirimere matrimonium, ne conjux liber patiatur invitus ea incommoda, quæ ex servitute, & subjectione alienæ voluntatis oriuntur.

80 Ad quartam revoco impedimenta pœnalia; quæ statuta sunt in pœnam quorundam delictorum, quæ circà ineundum matrimonium committuntur. Et ita in hac classe constituo impedimentum criminis, sub quo constituuntur quædam crimina, vel promissionis matrimonii data conjugi, vel à conjuge, adulterio interveniente; vel machinationis mortis alterius conjugis, sub quibusdam circunstantiis. De quo vide P. Thomam Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 78. & 79.*

81 Sit prima conclusio, eaque mihi omnino indubitabilis. In impedimentis dirimentibus spectantibus ad primam classem, numquam potest deficere finis adæquatus legis ea statuentis. Ab hac nemo Theologorum, aut Canonistarum discrepat: omnes enim supponunt, in his omnibus impedimentis semper petendam esse dispensationem à legitimo Superiore, neque aliter matrimonium fore validum: etiam illi, qui dicunt, cessante fine legis in particulari, etiam in particulari cessare obligationem legis.

82 Patet conclusio ea dictis *art. præced. concl. 2.* Etenim hæ leges inhabilitant Fideles ad matrimonium ineundum, vel cum iis personis propinquis propter observantiam illis congruè debitam, vel cum personis Deo, aut Divinis ministeriis dedicatis, propter reverentiam illis debitam. In quibus finis intentus à lege est Observantia, aut Reverentia illis congruè debita; non quidem Observantia, aut Reverentia qualiscunque, & in quocumque genere; sed observantia, & reverentia, quæ consistit in eo, quòd non copulentur carnaliter: atqui iste finis numquam cessare potest, vel negativè, vel contrariè: ergo finis ejusmodi legum numquam, & nullo modo cessare potest.

83 Consequentia obligat: major est evidens. Cùm lex dirimens matrimonium inter consanguineos, non eò respiciat, ut illos colas, & observes, assurgendo illis, aperiendo caput ad adventum illorum, loquendo illis verbis mitibus, & humanis; sed solùm intendat, ut illos observes in iis, quæ ad matrimonium, & copulam matrimonialem spectant.

84 Minor verò etiam patet. Nam iste finis identificatur realiter cum carentia matrimonii, & cupulæ conjugalis; in hoc enim consistit, ut dixi, prædicta observantia: ergo dum materia hujus legis persistit, nempe dum est licita, possibilis, & utilis; impossibile est, quòd non persistat finis, utpote identificatus realiter cum ipsa materia legis.

85 Confirmatur primò. Nam si dicas, in his legibus deficere quandoque finem adæquatum legis, interrogo: vel persistit materia legis formaliter ut talis, nempe in esse licitæ, possibilis, & utilis; vel non persistit? Si primum; impossibile est, quòd persistente materia non persistat finis, utpote identificatus cùm tali materia. Si vero secundum dicas, egrederis fines quæstionis; cùm dicas deficere finem, non ratione sui, sed ad defectum materiæ legis. Vide hæc uberius perpensa *art. præced. concl. 2.*

86 Confirmatur secundo. In iis legibus, in quibus præscribitur aliquod exercitium virtutis, non ad aliquem finem extrinsecum obtinendum, sed in eum finem, ut Fideles in eo opere virtutis exerceantur; dum materia legis versatur in circunstantiis, in quibus ea est honesta & possibilis; numquam potest finis deficere, ut ostendi *art præced. conclus. 2.* Sed lex, quæ statuit impedimentum dirimens ratione consanguinitatis (idem est de cæteris legibus ad primam classem spectantibus) præscribit Fidelibus exercitium virtutis: ergo in ejusmodi lege numquam potest deficere finis adæquatus legis.

87 Minor ostenditur. Nam observare consanguineos, & affines, & alios legaliter atque spiritualiter propinquos est opus virtutis, & operatio honesta, ipso rationis lumine dictante: quod etiam dictat, observari propinquos per abstinentiam à copulatione carnali cum ipsis. Similiter revereri, & colere Professum Deo dicatum, & Sacerdotem sacris ministeriis solemniter dedicatum, etiam est actio honesta, & exercitium virtutis: & ex natura rei est reverentia ipsis congruè debita, non copulari carnaliter cum ipsis: ergo ejusmodi leges Fidelibus præscribunt exercitium virtutis.

88 Dices, non bene loqui nos, dum dicimus, eas leges præscribere exercitium virtutis: nam prædictæ leges statuentes ea impedimenta dirimentia, si formaliter loquendum est, non præcipiunt, coli propinquos eo genere observantiæ; sed reddit illos inhabiles ad eum actum, per quem tollitur prædicta observatio propinquorum. Constituere autem inhabilitatem ad vitium, non est præscribere exercitium virtutis.

89 Sed contra est. Nam pro re præsenti, parum interest, quòd lex præscribat formaliter, aut quòd præscribat radicaliter exercitium virtutis. Nam eundem finem, & eodem modo respicit lex, sive formaliter præscribat exercitium virtutis, sive radicaliter. Nam cùm lex ponit inhabilitatem ad contrahendum, radicaliter præscribit ipsum exercitium observantiæ congruenter debitæ personis propinquis.

90 Instabis. Materia legis est inhabilitas ad contrahendum; & finis legis est exercitium virtutis observantiæ erga propinquos: atqui ea inhabilitas, & ipsum exercitium observantiæ sunt realiter distincta; sicut distinguuntur realiter impotentia ad actum, & carentia actus: ergo in re præsenti finis legis est quid realiter distinctum à materia legis. Malè ergo diximus, finem legis esse quid realiter identificatum cum materia legis, in iis, quæ ad hanc classem spectant.

91 Respondeo, in bujusmodi legibus esse materiam immediatam, & materiam mediatam. Lex immediatè ponit inhabilitatem ad contrahendum cum propinquis; mediatè autem præscribit carentiam contractus, sive matrimonii cum propinquis, in qua carentia consistit observantiæ actus erga propinquos. Dum ergo lex præscribit materiam immediatam, id est, inhabilitatem ad contrahendum cum propinquis, habet pro fine ipsam impossibilitatem contrahendi cum illis, quæ impossibilitas identificatur realiter cum prædicta inhabilitate: & dum lex præscribit materiam mediatam, nempe carentiam contractus cum propinquis, habet pro fine id genus observantiæ erga propinquos, quæ consistit in ipsa actuali carentia contractus cum illis, & cum qua identificatur. Ecce quòmodo finis immediatus identificatur cum materia immediata, & finis mediatus cum materia mediata.

92 Insistes. Non est ratio, quare, dum lex statuit inhabilitatem ad contrahendum cum propinquis, non habeat pro fine ipsam actualem observantiam erga propinquos: præcipuè cùm semper assignandus sit finis realiter distinctus à medio, quoties commodè potest, ut sic assignetur cum majori proprietate causa finalis. Hoc ergo pacto finis realiter distinguetur à materia legis: contra id, quod asseruimus *num. 83.*

93 Respondeo primò, (abstrahendo ab eo, quòd is sit finis legis propriè, vel impropriè) intentum immediatum ejus legis, non esse solum, quòd Fideles observent in hoc genere propinquos suos; sed potius quòd Fideles inhabiles maneant ad non observandos eos in hoc genere. Et ideò hucusque dicta rectè procedunt.

94 Respondeo secundò, omittendo, quòd finis immediatus ejus legis inhabilitantis subditos ad contrahendum, sit ipsa actualis observantia erga propinquos, distincta realiter ab ea inhabilitate. Sed si ita fiat discursus, dicendum est, eam inhabilitatem ad contrahendum habere essentialem connexionem cum ea carentia contractus, in qua consistit actualis observantia erga propinquos. Posita autem ea essentiali connexione, æquè bene stat nostra conclusio. Sive enim materia legis identificetur cum fine, sive connectatur essentialiter, optimè salvatur, quòd stante materia legis, non potest finis legis deficere: cùm essentialis connexio importet indefectibilitatem termini, cum quo connectitur.

CAPUT IV.

Altera evasio præcluditur, & conclusio denuo roboratur.

SUMMARIUM.

An possit deficere finis legis ex defectu materiæ? n. 95.
Duplex casus, in quo materia legis reddi videtur impossibilis? num. 96. & seq.

An

An leges de impedimentis dirimentibus obligent cum periculo vitæ? nu. 99. & seq.
An metus gravis reddat habiles ad contrahendum eos, qui re ipsa sunt inhabiles? n. 100. & seq.
An metus gravis reddat validum actum jurisdictionis, quem excommunicatus exercet? n. 103.
An metus gravis reddat habilem ad beneficium, hominem defectu natalium laborantem? n. 104.
An ignorantia consanguinitatis reddat validum matrimonium inter consanguineos? Et quid inde pro nostra assertione? n. 105.
An lex de impedimento dirimenti, ex benigna interpretatione, excipiat periculum mortis? n. 106. & seq.
An lex, quæ Sacerdotem reddit inhabilem ad matrimonium, non excipiat periculum mortis? n. 107.
Et an id constet ex Tridentino? n. 108.
Et an id constet ex consuetudine universali? n. 109. & seq.
An communis sententia omnium interpretum circà intelligentiam legis, faciat evidentiam moralem? Et quid inde pro nostra assertione? n. 111.
An ejusmodi leges de impedimentis dirimentibus, non excipientes periculum mortis, sint injustæ? n. 112. & seq.
Solvitur objectio. n. 115.
Ulterior confirmatio assertionis cap. præced. propositæ. n. 116.

95 UT vim propositi argumenti eludat, fortè respondebit aliquis, quamvis finis ratione sui in prædictis legibus deficere non possit, posse tamen deficere ratione materiæ, quæ cum tali fine vel identificatur, vel connectitur, juxta supra dicta, nempe casu quo materia legis fiat illicita, vel impossibilis. Idque sive egrediamur metas hujus quæstionis, sive ingrediamur. Solùm enim videtur contendi, quòd possint dari casus, in quibus leges constituentes ejusmodi impedimenta dirimentia amittant vim suam obligandi, ita ut possint contrahentes validè inire matrimonium absque superiorum dispensatione.

96 Quod autem materia prędictarum legum possit fieri illicita, aut impossibilis, ex duplici casu convinci videtur. Primus est, si vir nobilis virgini nobili consanguineæ promiserit matrimonium, & sub ea spe illam defloraverit; & ex defectu ejus matrimonii ingentia sint oritura scandala, & superiores nolint dispensare. In quo casu videtur illicitum, quòd vir ille eam non ducat, quia lex charitatis fortius obligat ad vitanda scandala, & lex justitiæ ad vitandam infamiam virginis nobilis, quàm lex statuens impedimentum dirimens; cùm fortius vinculum sit lex charitatis & justitiæ, quàm lex præscribens observantiam consanguineorum; & fortius vinculum debiliori prævalere debeat.

97 Alter casus est, in quo Parentes Bertæ minitentur mortem Titio consanguineo, ut Bertam consanguineam ducat, & matrimonium cum illa consummet, non expectata dispensatione. Cùm enim leges Ecclesiæ non obligent ad id, quòd est impossibile moraliter, sane non obligant cum periculo vitæ. Quid enim magis impossibile moraliter, quàm quòd sine dispendio vitę fieri non potest.

98 Et quidem pro re præsenti, satis huic objectioni factum est; dum ostendimus (id quod ipsa objectio supponit) hunc dicendi modum transilire metas præsentis quæstionis; cùm recurrat non tam ad defectum finis; quàm ad defectum ipsius materiæ. Sed quia operæ pretium est huic ostio præcludere aditum; ut conclusio nostra majus robur comparet; oportet hanc rem penitius indagare.

99 Et ut à posteriori casu initium ducamus, P. Thomas Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 5. num.* 4. postquam dixit: [Nullo modo recedendum est à *certissima sententia* asserenti non reddi validum id matrimonium,] &c. ait: obligare has leges Ecclesiæ cum periculo vitæ; quia leges istæ sic expediunt ad bonum commune tuendum.

100 Sed melius P. Suarez *lib. 5. de legib. cap.* 22. *præcipuè à num.* 9. & cum eo P. Coninck *de Matrim. disp.* 30. *dub.* 2. *num.* 20. sic distinguunt. Aliud enim est, quòd metus gravis excuset ab observatione præcepti Ecclesiastici; & aliud, quòd metus gravis reddat habiles ad contrahendum eos, qui re ipsa sunt inhabiles. Primum enim est verum; & secundum falsum, quia non est intelligibilis modus, per quem metus gravis reddat me habilem ad id, ad quòd ineptus sum, & capacem ejus potestatis moralis, cujus revera sum incapax.

101 Probatur primò hic dicendi modus. Nam licèt minitatio mortis, seu quævis alia impossibilitas moralis excuset hominem ab obligatione non celebrandi externè matrimonium; ideòque in eo casu non peccet homo celebrando illud externè; at ea minitatio mortis, seu impossibilitas homines inhabiles ad matrimonium, non reddit habiles, & actus nullos non reddit validos: ergo in eo casu nihil prodest ea impossibilitas moralis, ut materia legis, & per illam finis legis reddatur impossibilis. Consequentia patet: cùm materia legis sit ipsa inhabilitas subditorum, quæ non tollitur per eam impossibilitatem moralem.

102 Antecedens verò ostenditur. Quia impossibilitas refertur ad subditum operaturum; quòd autem subditus inhabilis ad contrahendum reddatur habilis, non refertur ad subditum operaturum; quia non est aliquid faciendum à subdito, sed est aliquid vel factum à lege, vel faciendum à legislatore, aut ab alio superiore similis potestatis: ergo ea impossibilitas moralis nihil prodest, ut subditus inhabilis reddatur habilis; atque adeò nihil prodest, ut prædicta materia legis deficiat.

103 Confirmatur primò. Nam qui excommunicatus est, & non toleratus, si ei immineat periculum occisionis, licitè quidem potest exercere actum jurisdictionis externum; tamen metus occisionis, aut periculum ejus non reddit illum habilem ad actum validum jurisdictionis; neque eum actum jurisdictionis reddit validum. Et ratio est: quia quòd actus ille jurisdictionis non sit validus, non est aliquid faciendum à subdito, sed aliquid jam factum à lege. Ergo similiter si mortem miniteris Titio, ut ducat uxorem consanguineam, non propterea Titius validè contrahet; cùm valor contractus non sit aliquid faciendum à Titio, sed aliquid annullatum à lege, & validandum à legislatore, respectu cujus nullus urget metus, nullum impendet periculum.

104 Confirmatur secundò. Nam qui ratione illegitimitatis est incapax beneficii Ecclesiastici, non redditur habilis ad illud validè accipiendum, per hoc quòd cogatur illud acceptare cum minitatione occisionis: hoc enim periculum non reddit illum habilem: quamvis illum excuset à peccato, dum externè illud acceptat, quamvis invalide. Quia impossibilitas in hoc, & similibus casibus est impossibilitas operandi: impossibilitas autem operandi solùm refertur ad subditum operaturum, non autem ad legem constituentem inhabilitatem; neque ad superiorem potentem illam tollere.

105 Probatur secundò idem dicendi modus ex P. Suarez supra cit. Nam ignorantia consanguinitatis non reddit matrimonium validum; & ideò ea ignorantia deficiente separandi sunt consanguinei, vel petenda dispensatio: ergo neque metus mortis reddit validum matrimonium. Consequentia patet: quia magis involuntarium est id, cui dat causam ignorantia, quàm id, cui dat causam metus mortis; cùm interveniente metu verè adsit consensus physicè liber; in ignotum autem voluntas minimè feratur.

106 *Dices*, dari modum, quòd ea impossibilitas moralis reddat validum contractum matrimonii; non quidem ipsa per se, ut rectè probatum est in superioribus; sed quia videtur lex Ecclesiæ benignè interpretanda, ita ut sensus sit, [consanguineos reddi inhabiles ad contrahendum, adeoque ad consummandum matrimonium, excepto casu periculi mortis.] Idque, ne subditus ad tales angustias mortis redactus, moraliter compellatur ad fornicationem; quam vitabit, si animo non ficto contrahat, & ita licitè matrimonium consummet. In quo casu periculum, aut metus mortis non reddit subditum habilem ad contrahendum; sed lex ipsa, quæ pro talibus angustiis non vult subditum remanere inhabilem.

107 Sed licèt hæc instantia videatur ad speciem probabilitatis rectè composita, doctrina tamen, quam continet, est certissimè falsa, & omnino improbabilis, ut jam ostendo. Primo. Nam lex, quæ constituit Sacerdotem inhabilem ad contrahendum matrimonium, nullum casum excipit, etiam periculi mortis: ergo cæteræ leges, quæ Professos, consanguineos, affines, spiritualiter cognatos, &c. reddunt inhabiles ad contrahendum, nullum casum excipiunt, etiam periculi mortis. Consequentia patet. Nam si aperiretur ostium, ut hæ leges eam interpretationem subirent, nulla esset ratio, quæ prædictam interpretationem averteret à lege, quæ Sacerdotes inhabilitat ad matrimonium.

108 Antecedens verò ostenditur. Nam id constat ex Tridentina Synodo *sess.* 24. *can.* 9. *de Sacram. Matrim.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto .˙. anathema sit.* Quę definitio universalissima est, quam restringere nemini licet. Secundò. Quia si Sacerdos propter minitationem mortis duxisset uxorem, & consummasset matrimonium, velletque persistere in eo ut pote consummato; quantum scandalum excitaret in Ecclesia! Id autem est signum evidens, ita receptam esse à Fidelibus eam legem, ut pro nullo casu sacerdos reddatur habilis ad matrimonium contrahendum. Et quidem si ita interpretanda esset ea lex, quot Sacerdotes amarent id periculum, ut permitterentur persistere in conjugio!

109 Ostendo secundò improbabilitatem prædictæ interpretationis. Nam communis praxis, & consuetudo, sub qua recepta est lex, facit evidentem interpretationem legis, ut ostendi *2. par. Crit. Theolog. disp.* 23. *cap.* 4. Atqui communis praxis, & consuetudo Fidelium accipit eas leges inhabilitantes, in eo universalissimo sensu, qui nullum omnino casum excludat: ergo evidens est, eas leges ita esse interpretandas.

110 Minor patet. Nam praxis, & consuetudo est res facti; in re autem facti, communem omnium aut ferè omnium sententiam facere evidentiam moralem, constat ex 1. *part. Crit. Theolog. disput.* 12. *cap.* 5. sed hanc esse praxim omnium Fidelium circà has leges, omnes Authores testantur, & supponunt: ergo est moraliter evidens, hanc esse praxim, & consuetudinem omnium Fidelium. Ideo P. Thomas Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 5. num.* 4. has leges esse inhabilitantes ad contrahendum, etiam in

casu periculi mortis, numquam *certissimam* sententiam defendit, addens: *Ut usus Ecclesiæ testatur*.

111 Ostendo tertiò. Nam ut probavi in Additionibus *à num.* 31. (quas reperies in fine 2. *partis Crist. Theolog.*) communis sententia omnium aut fere omnium Doctorum, quando versatur circà intellectum, & sensum legis humanæ, habenda est pro lege; id est, facit plenam probationem, & evidentiam moralem de legitimo sensu ejus: atqui sententia communis omnium Authorum est, sic intelligendas esse eas leges inhabilitantes ad contrahendum: ergo moraliter evidens est, sic esse intelligendas.

112 Nec dicas, eas leges Ecclesiæ esse injustas, quia volunt extendere inhabilitatem contrahendi etiam ad casum ejus angustiæ, nempe periculi mortis.

113 Nam dum Tridentina Synodus definit universalissimè, & pro omni casu, matrimonium Sacerdotis esse invalidum; consequenter definit, leges id ita disponentes esse justas: cùm implicet esse invalidum, nisi virtute legis justæ.

114 Hæc dicta sunt de posteriori casu proposito supra initio hujus capitis. Et ex illis satisfit etiam priori casui ibidem proposito *num.* 96. cum ex dictis constet, leges Ecclesiæ intelligi universalissimè pro omni casu, etiam periculi mortis: dum modo versentur sub circumstantiis comprehensis à lege: neque obstare ullam impossibilitatem moralem, ut pote quæ solùm refertur ad operaturum, non autem ad legem, quæ statuit eam inhabilitatem.

115 Ad id, quòd ibid. obiicitur, respondeo concedendo majus esse vinculum charitatis, & obligationem vitandi scandala; sicut etiam vinculum justitię ad resarciendam infamiam virginis ingenuę corruptæ; quàm vinculum observantiæ. Id tamen intelligitur, dum est capacitas in subjecto, ut iis vinculis ligetur. Enim verò in eo casu vir ille, cùm quo nolunt dispensare Superiores, neque habet id vinculum charitatis, neque id vinculum justitiæ: quia nemo potest obligari vinculis, quorum non est capax. Nam sicut homo vinculis impeditus in sensu composito non est capax obligationis adeundi templum, audiendæ Missę causa, ita homo inhabilis ad matrimonium non est capax tollendi scandalum, & resarciendi injuriam, per celebrationem matrimonii. Et ita non potest dici in in eo homine esse fortius vinculum obligationem charitatis, & justitiæ in ordine ad matrimonium; quia nec fortius, nec minus fortiter ad id obligatur ob inhabilitatem, quam habet.

116 Ex dictis in hoc capite urgentius roboratur conclusio tradita cap. præced. scilicet cessare non posse finem earum legum statuentium impedimenta dirimentia, quæ pertinent ad primam classem. Etenim materia earum legum est inhabilitas ad contrahendum; & hæc identificatur, vel connectitur essentialiter cum fine earum legum, ut constat ex cap. præcedenti: sed hæc inhabilitas ad contrahendum deficere non potest, etiam in casu extremi periculi, ut constat ex supradictis in hoc capite: ergo neque finis deficere potest. Consequentia patet: quia stante identitate, vel connexione essentiali materiæ cum fine, implicat stare materiam, & cessare finem. Et ex dictis patet solutio ad argumentum initio hujus capitis propositum.

CAPUT V.

Secunda conclusio statuitur.

SUMMARIUM.

An in impedimento defectus Parochi, & testium possit cessare finis legis? n. 117.

An ea lex, eo quòd determinat circumstantiam arbitrariam, habeat pro fine uniformitatem operandi? n. 118. & seq.

Confirmatio ab exemplo, n. 124. & seq.

An Ecclesia possit præcipere aliquam circumstantiam absque ratione finali? n. 128.

Alia confirmatio ab Exemplis, n. 130.

117 Quod attinet ad secundam classem impedimentorum, sit secunda conclusio. In impedimento defectus Parochi, & duorum testium numquam potest cessare finis legis, neque contrariè, neque negativè. Pro hac conclusione stat expresse P. Granado *disp. illa* 15. *num.* 25. stat etiam P. Thomas Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 5. *num.* 4. quatenus ait, materiam hujus legis, nempe inhabilitatem contrahendi, numquam deficere posse etiam propter impossibilitatem moralem ortam ex minitatione mortis. Quod ampliùs urget in ipso fine legis. Nam reddito impossibili medio, redditur impossibilis consecutio finis. Si ergo propter impossibilitatem moralem medii, scilicet inhabilitatis contrahendi, non tollitur medium, sed persistit; etiam per impossibilitatem moralem finis, non deficiet, sed persistet finis. Verba P. Thomæ Sanch. sunt: [Nemo enim auderet dicere, validum effici copula matrimonium metu gravi (*minitationis mortis, de qua ibi loquitur*) initum, & consummatum absque Parocho, & testibus.] Et de re hic est sensus communis Doctorum.

118 Probatur conclusio ex dictis *cap.* 2. *art.* 4. *conclus.* 3. Leges illæ, quæ determinant aliquas circunstantias arbitrarias, habent pro fine uniformitatem operandi: sed lex, quæ statuit eam solemnitatem essentialem in contractu matrimoniali, determinat circunstantiam arbitrariam: ergo habet pro fine uniformitatem operandi. Atqui ubi uniformitas operandi est finis legis, numquam cessat finis, persistente materia legis in esse talis: ergo numquam cessat finis legis statuentis solemnitatem Parochi, & duorum testium pro contractu matrimoniali.

119 Relegamus singulas propositiones, in quibus stat tota vis argumenti demonstrantis conclusionem traditam. Major constat ex ea conclusione tertia citata. Minor etiam patet. Nam cùm bono publico expediret, aliquam solemnitatem essentialem imponere contractui matrimoniali, arbitrarium fuit, hac, vel illa solemnitate uti. Potuit enim statui præsentia duorū quorumlibet Sacerdotum, & trium testium; vel præsentia unius Beneficiarii & quatuor testium; vel præsentia quinque, aut decem testium laicorum, &c. fuit ergo arbitrarium hanc, vel illam solemnitatem statuere. Consequentia verò prioris syllogismi liquida est, ut pote tertii modi primæ figuræ.

120 Antecedens verò subjunctum, est manifestum *ex cap.* 2. *art.* 3. Nam dum lex intendit uniformitatem operandi, nulla hypothesis fingi potest, in qua qui omittat materiam legis, non recedat ab eo fine, qui propterea semper urget ad operationem legis. Nam si semel in quacumque circunstantia omittas materiam præscriptam, à cæteris te difformas; atque adeò contra prędictam uniformitatem à lege intentam militas.

121 Ex quibus omnibus postrema consequentia fit evidens: quia si finis legis statuentis eam solemnitatem respicit pro fine uniformitatem operandi; & hic finis numquam potest deficere; evidens est, quòd finis hujus legis numquam potest deficere.

122 Confirmatur primò. Nam si lex statueret pro contractu matrimonii aliquam solemnitatem vagè, quæ matrimonium redderet publicum, & notum Ecclesiæ; rectè posset designari pro ratione finali adæquata ejus legis, publicitas matrimonii, aut vitatio clandestinitatis, & inconvenientium, quæ ea hac oriuntur: at si inquiris, quare Ecclesia voluit potius hanc solemnitatem contractus, quàm aliam; non dabo rationem finalem adæquatam, si dicam, Ecclesiam elegisse potius istam solemnitatem, quàm aliam, quia voluit vitare inconvenientia clandestinitatis; cùm æquè bene vitentur ea inconvenientia per aliam solemnitatem, ac per hanc. Ergo ratio finalis adæquata hujus solemnitatis statutæ non est sola vitatio clandestinitatis, sed aliquid aliud.

123 Itaque ejusmodi legi, ut comparatur ad aliquam solemnitatem vagè statuendam, rectè accommodatur pro ratione finali adæquata vitatio clandestinitatis. Si tamen ea lex comparetur ad hanc solemnitatem determinatam, quam Ecclesia elegit præ alia; quia non voluit in re tam gravi, id relinqui arbitrio uniuscujusque; necessariò debet assignari pro fine partiali uniformitas operandi.

124 Confirmatur secundò. Nam si dentur viginti media, moraliter æqualia, & sufficientia singillatim ad consequendam Præturam; si interrogeris, quare assumis id genus medii, rectè assignabis pro ratione finali adæquata consecutionem Præturæ, quam intendis. Si verò interrogeris, quare assumis hoc numero medium, potius quam illud; non rectè assignabis pro ratione finali adæquata consecutionem Præturæ à te intentam; cùm æquè bene posses illam consequi, per aliud, ac per istud. Si ergo in hac arbitraria electione medii operaris propter finem, alia ratio finalis designanda est, propter quam hoc numero medium elegeris potius, quàm aliud.

125 Similiter ergo in præsenti, dum Ecclesia intelligitur aliquam solemnitatem publicitatis statuere in contractu matrimoniali; rectè assignatur pro ratione finali adæquata vitatio clandestinitatis, & inconvenientium ejus: & interroganti, quare Ecclesia vult statui solemnitatem publicitatis in eo contractu, rectè respondetur, ideò ita fieri, quia vult Ecclesia, clandestinitatem, & ejus inconvenientia vitari. Si autem interrogetur, quare Ecclesia vult potius hoc medium hujus solemnitatis assumere, quàm aliud æquè bonum, non satisfacies adæquatè interrogationi, si respondeas, id esse propter vitandam clandestinitatem, cùm æquè bene vitaretur per aliud, ac per istud: ergo cùm in omnibus, quæ præscribit Ecclesia, operetur propter finem, alia ratio finalis designanda est: quæ in usu arbitrario circunstantiarum non potest esse alia, quàm uniformitas operandi sic.

126 Dices Qui pro consecutione finis, v.g. Præturæ eligit unum ex multis mediis æqualibus, in ista electione non operatur propter novum finem; sed electio illa est merè arbitraria, nam sine fundamento dicetur, debere Petrum intendere alium novum finem pro eligendo isto medio præ aliis: ergo similiter dicendum est, cùm Ecclesia eligit istam solemnitatem præ alia, non intendere alium finem, quàm illum, quem intendit, dum decernit solemnizare contractum matrimonii. Ergo si adhoc sufficit pro ratione adæquata vitatio clandestinitatis, hic solus finis est, ad quem refertur electio istius determinati medii, & istius determinatæ solemnitatis, nempe assistentiæ Parochi, & duorum testium. Atqui vitatio clandestinitatis cessare potest in hominibus justis, & timoratis: potest ergo deficere ratio finalis adæquata hujus legis.

127 Sed

127 Sed hæc responsio magis urget pro conclusione nostra. Nam vel Ecclesia potest præcipere aliquas circunstantias absque ratione finali, vel non potest? Si primum; urgebit lex Ecclesiæ de ejusmodi impedimento, quamvis pro circunstantia talis determinatæ solemnitatis nullus specialis finis militet; & à fortiori, etiam deficiente fine subsistet lex. Nam præcipuus scopus nostræ conclusionis est indefectibilis subsistentia legis. Si verò dicas, nullam determinatam circunstantiam posse præscribi à lege, absque ratione finali, fiet, hanc determinatam solemnitatem ab Ecclesia indictam habere aliquam rationem finalem: quæ cùm non possit esse vitatio clandestinitatis propter dicta; nec restet alius finis præter uniformitatem operandi, hic finis necessariò retinendus est.

128 Sed quia dilemma non explicat, quæ pars vera sit, id oportet explicare. Dicendum itaque est, Ecclesiam non posse indicere ullam circunstantiam absque ratione finali, saltem identificata cum materia legis. Quæ enim nullam habent rationem finalem, inutilia sunt; neque Ecclesia potest inutilia indicere. De quo vide P. Suarium *lib. 1. de legibus cap. 7.* Lex ergo, quæ statuit hanc determinatam solemnitatem Parochi, & duorum testium, illam eligens præ aliis; quia expediebat bono publico, unam determinatam solemnitatem eligere ex pluribus arbitrariis, quæ non remaneret uniuscujusque arbitrio; ideo propter hanc uniformitatem in tali gravissima materia retinendam, eam determinavit propter prædictum finem uniformitatis, qui bono publico expediebat.

129 Et hinc cernitur disparitas, inter eum, qui in electione mediorum ex multis æqualibus ad Præturam pro mero libito suo eligit hoc potius, quàm illud, non proponendo sibi alium novum finem præter Præturam; & inter Ecclesiam, quæ ex multis solemnitatibus arbitrariis hanc determinatam eligit, non pro mero nutu. Nam Ecclesia non potest indicere circunstantias inutiles, quales sunt illæ, ad quas nulla ratio finalis movet: Petrus autem, dum ambit Præturam, quamvis inutile sit, hoc medium præferre illi, pro libito suo potest circà id operari. Quod si obligaretur reddere rationem ejus electionis unius medii præ alio, alius novus finis sibi præfigendus esset; cùm sola intentio Præturæ non sit sufficiens ratio, ut hoc medium potius, quàm illud eligatur inter media omnino æqualia.

130 Confirmatur tertiò præcipua probatio hujus secundæ conclusionis, ab exemplis supra positis in confirmationem illius tertiæ conclusionis propositæ *cap. 2. art. 4.* Nam in illis omnibus cernitur, in determinatione circunstantiarum, quæ arbitrariæ sunt, expediens fuisse bono publico, ne cujusque arbitrio relinqueretur ejusmodi determinatio circunstantiarum: cùm autem lex intendit, ne determinatio circunstantiarum uniuscujusque arbitrio relinquatur, utique uniformitatem omnium intendit: ergo cùm lex præscribens eam solemnitatem in contractu matrimonii, determinet eam solemnitatem, potius quam aliam, inter multas arbitrarias, quæ statui possent; utique uniformitatem intendit: qui finis, ut ex dictis constat, numquam cessat.

CAPUT VI.

Duæ aliæ conclusiones firmantur.

SUMMARIUM.

An in impedimentis, quæ respiciunt libertatem matrimonii, numquam cesset finis legis? n. 131. & seq.
An in impedimento servitutis ignoratæ possit cessare finis legis? n. 134.
Quid, quando ignorantia est crassissima? n. 135.
Quid de impedimento raptus? n. 137.
An in impedimentis pœnalibus numquam possit deficere in particulari? Et an raptus sit impedimentum pœnale? n. 138.
An ad hanc classem pertineant duo impedimenta criminis? n. 139.
An hæc impedimenta pœnalia non respiciant pro fine adæquato præcautionem delicti? n. 140.
An finis partialis harum legum sit, quòd punita maneant ea crimina hac pœna inhabilitatis? n. 141.
An in his legibus finis legis identificatur cum materia legis? n. 142.
An sit improbabilis opinio, quòd possit deficere in uno singulari finis legum constituentium ea impedimenta? n. 144.
An sit improbabile, quòd deficiat finis adæquatus legis, quando contrahentes sunt pauperes? n. 145.

131 AD tertiam impedimentorum classem accedendo, nempe quę constituta sunt ab Ecclesia propter servandam perfectam libertatem matrimonii: sit tertia conclusio. In his omnibus impedimentis numquam cessat finis legis in particulari.

132 Pro cujus conclusionis intelligentia moneo primò, in hac classe tria impedimenta sita esse, vim, & servitutem ignoratam, & ex parte raptum. Moneo secundò, juxta probabilem plurium sententiam vim dirimere jure naturę. Juxta quorum opinionem non habet locum quæstio præsens, quæ solùm instituitur de cessatione finis legis humanæ. Moneo tertiò, hanc quæstionem habere locum juxta sententiam oppositam, quam sequitur P. Thomas Sanch. *lib. 4. de Matrim. disput. 14. numer. 2.* & multi apud ipsum, nempe hoc impedimentum esse juris humani.

133 Cujus legis finem numquam cessare posse in particulari, clarè patet. Finis enim hujus legis est, ut servetur spontaneus consensus in matrimonium: at nulla hypothesis excogitari potest, in qua metus gravis injustè incutiatur ad extorquendum matrimonium; in qua etiam non insitet intentio Ecclesiæ, volentis, quòd matrimonium illud fiat spontaneè, & non coactè: nulla ergo est hypothesis, in qua possit in particulari cessare ejusmodi finis.

134 Quod attinet ad impedimentum servitutis ignoratæ, aliquorum opinio est, illud irritare jure naturæ. De quo vide P. Thomam Sanch. *lib. 7 de Matrim. disp. 19.* juxta quorum opinionem non procedit hæc quæstio, sed juxta communem, quæ asserit irritare solo jure Ecclesiastico. Deinde ex propugnatoribus hujus opinionis communis aliqui docent, si ignorantia sit crassissima, non irritare; apud P. Thomam Sanch. *tit. ibid. num.* 20 & id colligunt ex fine legis, ideò enim, inquiunt, Ecclesiam irritasse hoc matrimonium, ut resarciatur gravissima injuria irrogata conjugi ignoranti, quæ ratio videtur cessare, quando ignorantia servitutis est crassissima, & quam conjux sibi, & suæ stoliditati debet imputare, non alienæ injuriæ.

135 Et cùm hæc ita sint, in casu præsentis quæstionis non potest cessare finis legis in uno individuo. Nam in casu proximè relato cessat finis legis in communi, nempe in circunstantia communi ignorantiæ crassissimæ. Unde secundùm eam opinionem, lex non loquitur de ignorantia crassissima servitutis; & ut notavi initio capitis tertii, quæstio præsens procedit positis omnibus circunstantiis distinctis à fine, sub quibus loquitur.

136 Ratio autem assertionis est. Nam dum subsistit ea ignorantia servitutis, quam lex comprehendit; necessariò perseverat finis legis. Lex enim intendit, quod in celebratione hujus matrimonii detur consensus conjugis non solùm in personam, sed etiam in qualitatem servitutis. Qui consensus, posita ea ignorantia, numquam potest subsistere.

137 Lex de impedimento raptus, etsi habeat pro fine partiali arcere omnem vim, quæ summæ libertati matrimonii nocere possit; quia tamen respicit pœnam, & punitionem raptoris, explicanda est ad normam earum, quæ statuunt impedimenta dirimentia in pœnam criminum.

138 Sit quarta conclusio. In impedimentis dirimentibus pœnalibus numquam potest deficere in particulari finis legis. Pro cujus conclusionis claritate notandum est primò, raptum pertinere etiam ad hanc classem. Colligitur enim ex Tridentino *sess. 24. cap. 6. de Reformat. Matrim.* attenta dispositione juris antiqui, hoc impedimentum inductum esse à Tridentino in pœnam, & detestationem criminis raptus. Vide P. Thomam Sanch. *lib. 7. de Matrim. dispat. 13.*

139 Notandum est secundò, ad hanc etiam classem pertinere duo impedimenta criminis, tum machinationis mortis personæ conjugatæ, & alterius ambientis conjugium ejus; adversùs conjugem; vel saltem machinationem unius intercedente adulterio: tum etiam promissionis factæ de futuro conjugio post mortem alterius, interveniente adulterio. De quibus vide P. Thomam Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 78. & 79.*

140 Notandum est tertiò, licèt istæ leges respiciant pro fine præcavere delicta; ideò enim feruntur, ut homines ab ejusmodi delictis deterreantur; illas tamen non respicere eum finem tamquam adæquatum: quia non solùm intendunt præcavere delicta, antequam fiant; sed intendunt etiam punire illa, postquam perpetrata. Nam si præcautio delictorum esset finis adæquatus; statim atque illa commissa sunt, redderetur impossibilis finis; cùm impossibile sit, præcaveri delictum, postquam commissum est. Unde cum impossibilis redderetur finis legis perpetratione delicti, cessaret obligatio legis. Nec satisfacies, si dicas, punitionem unius esse præcautionem alterius: quia licèt ita partialiter intendatur à lege, at non totaliter: quia sæpe continget, ita arcanè fieri delictum, & incursionem pœnæ, ut non possit punitio deservire ad præcautionem alterius.

141 Itaque finis saltem partialis hujusmodi legum (ex quibus incurritur pœna ipso facto) est, quòd punita maneant ea crimina hac pœna inhabilitatis ad matrimonium, respectivè. Nam ut Ecclesia summo odio detestatur ejusmodi crimina, utpote maximè noxia matrimonio, pari conatu intendit, hujusmodi crimina non manere impunita, neque ab hac pœna inhabilitatis immunia.

142 Jam verò patet, quàm certa sit conclusio tradita. Primò, quia sic materia legis realiter identificatur cum fine legis saltem partiali: cùm materia legis sit inhabilitas ad matrimonium eorum sic delinquentium; finis autem legis sit, quòd illi inhabiles maneant ad matrimonium in pœnam eorum delictorum. Est autem impossibile, quòd stante materia legis, deficiat id, quòd identificatur realiter cum tali materia, nempe is finis. Materia verò legis perseverare intelligitur, dum est possibilis, licita, & utilis.

143 Secundò, quia dum ea delicta commissa sunt, habent condignitatem ad ejusmodi pœnam: ergo condignitas ejus pœnæ inseparabilis est à talibus delictis commissis. Ergo impossibile est, quòd ejusmodi delicta commissa non incurrant reatum talis pœnæ. Sed reatus talis pœnæ, nempe inhabilitatis ad matrimonium,

est finis ejus legis, ut constat ex dictis: ergo supposita ea lege, impossibile est, quòd ea delicta sint perpetrata, & quòd deficiat is finis puniendi ea delicta per eam inhabilitatem.

Synopsis totius disputationis.

144 EX dictis patet clarissimè, esse certò falsam, & improbabilem opinionem, quæ doceat, posse absolutè deficere in uno casu singulari causam finalem earum legum, quæ constituunt impedimenta dirimentia matrimonii. Illa enim opinio, quam improbabilem dico, militat manifestè contra principia certa, quæ in præcedentibus capitibus proposui; ut perpendenti constabit.

145 Hinc etiam infertur, quòd licèt Caramuel verterit in dubium, an totus finis legis impedimenta matrimonialia imponentis cesset omnino, quando contrahentes sunt pauperes, certum est, & indubitabile, causam finalem legis tunc non cessare; ut clarissimè ostensum est *cap. 1.*

DISPUTATIO LXIII.

An qui dedit pecunias mutuas, se obligans ad non repetendum intra annum; possit aliquid ultra sortem exigere?

CAPUT PRIMUM.

Sententia Caramuelis proponitur.

SUMMARIUM.

Quæ sit opinio damnata ab Alexandro VII. in hac materia? n. 1.
An Caramuel doceat eam opinionem, quam damnavit Alexander? nu. 2. & seq.
Quam litem aggrediatur Caramuel cum authoribus asserentibus, non posse in mutuo recipi aliquid ultra sortem ratione diuturni temporis? nu. 6. & seq.

1 ALexander VII damnavit, ut minimum, tamquam scandalosam hanc propositionem, quæ inter damnatas in posteriori decreto locum tenet quadragesimum secundum: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendum sortem usque ad certum tempus.* Et ea præfata damnatione Alexandri VII. manifestè eam propositionem improbabilem, & certò falsam, constat ex *1. part Crif. Theolog disput. 9. cap* 20.

2 Videtur Caramuel præfatam propositionem non docuisse: eo quod in *Theol. fundam. à num. 1780. fund.* 60 licèt doceat, posse mutuatorem exigere aliquid supra sortem, si se obliget ad non repetendum intra tantum tempus; declarat, id esse verum dumtaxat ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, vel periculi amittendi sortem. Et ita eo *num.* 1780. ait: [Pronuncio igitur, non posse recipi pretium pro mutuo: non posse pro tempore, & si longum sit: non posse pro obligatione non repetendi sortem intra tantum tempus, undè sumpta: posse tamen pro periculo perdendi sortem, pro damno emergente, pro lucro cessante: immò etiam pro obligatione, & gravamine non repetendi per tantum tempus, si inde aut damnum emergat, aut lucrum cesset, aut periculum perdendi capitale nascatur.]

3 Id repetit *num. 1782. §. Quarto.* in hæc verba: [Non poterit recipere aliquid ratione temporis præcisè, etsi longum id sit, nisi se obliget ad non repetendum. Et in hoc casu si quid postulet, non id ratione solius temporis, sed ratione periculi, aut perdendi capitalis, aut incurrendi damnum inopinatum, aut carendi lucro aliquo, quod posset haberi licitè, si adesset numerata pecunia]

4 Et *num. 1783. § Hanc sententiam.* cùm retulisset opinionem Petri de Ledesma aientis: [Obligationem non repetendi esse pretio æstimabilem, si sit pro longo tempore: & per consequens posse accipi pretium pro illa, quin committatur usura:] addit Caramuel: [Et hic obiter nota, illam pecuniam, quam supra sortem posse recipi Ledesma affirmat, reduci ad titulum damni emergentis, aut lucri cessantis, non autem ad durationem puram temporis. Si enim certum esset, toto illo tempore me non usurum illa pecunia, nec ob ejus carentiam incursurum esse damnum, aut perditurum lucrum, nihil possem supra sortem recipere.] Ea autem verba, *Me non usurum illa pecunia*, speciali notatione digna sunt, posteà proponenda.

5 Et *num. 1685. §. Sed ha*: id iterùm inculcat sic: [Si Ledesma ratione solius temporis aliquid admitti posse asseruit, meritò condemnatur ab aliis: at verò si asseruit (& hæc est Ledesmæ opinio) propter damnum emergens, lucrum cessans, & sortem perdendi periculum, quę tempus comitantur, posse aliquid supra sortem recipi, non est cur ab aliquo viro docto impugnetur.] Et idem repetit *num. 1795. & lib. 2. Theol. Intention. disp. 14. à num.* 764.

6 Nihilominus Caramuel in loco cit. Theologię fund. magnum aggreditur certamen cum PP. Molina, Lessio, Lugo, eo quòd condemnent opinionem Ledesmæ asserentis posse recipi aliquid ultra sortem in mutuo, si mutuator se obliget ad non repetendum sortem per longum tempus. Cùm tandem ipse Caramuel cum præfatis authoribus omnino consentiat.

7 Et quidem hæc materia de mutuo, & usura præscissiva est. Ideò qui dicit, posse in mutuo recipi aliquid ultra sortem, hunc titulum præscindit à reliquis. Et qui diceret, posse aliquid recipi ultra sortem ratione translationis dominii, intelligeretur loqui, præscissis reliquis titulis lucri cessantis, damni emergentis, &c. Nam si ad eam assertionem promovendam recurreret ad lucrum cessans, vel damnum emergens; argueretur de malè intellectis pręscissionibus hujus materiæ. Similiter ergo dum Ledesma dicit, ratione diuturni temporis posse exigi aliquod pretium ultra sortem, censendus est loqui præscissive, sive præscindendo à reliquis titulis lucri cessantis, damni emergentis, &c. vel censendus est, malè loqui, si cum eo titulo diuturnitatis temporis admisceat alios lucri cessantis, &c. maximè cùm explicuerit suã mentẽ quo ad hoc.

8 Eodem vitio laborat Caram. disputatio cum PP. Molina, Lessio, & Lugo, qui ut in materia præscissiva præscissivè loquuntur, asseruntque ratione temporis, & præscisso quovis alio titulo, non posse in mutuo exigi aliquid ultra sortem. Contra eos acriter insurgit Caramuel: & cùm deberet præscissivè loqui; non vult à reliquis titulis præscindere; ideòque oleum, & operam perdit.

CAPUT II.

Prima Caramuelis incompossibilitas cum sua ipsius sententia.

SUMMARIUM.

An multa doceat Caramuel illi sua sententia contraria? Et an mutuator possit exigere aliquid ultra sortem, cùm sibi gravamen imponit? num. 9.
An sit purum mutuum, in quo nullum gravamen subit mutuator? nu. 10.
An carere pecunia pro uno anno sit gravamen mutuatoris? n. 11.
An Caramuel faveat opinioni asserenti, posse exigi aliquid ultra sortem ex mutuo pro tempore determinato? n. 12. & seq.
An mutuare pro tempore determinato sit gravamen? n 16. & seq.
An purum mutuum excludat tempus determinatum? n. 19. & seq.
An purum mutuum sit indifferens, ut detur pro tempore determinato, vel indeterminato? nu. 22.

9 ET licèt tam clara videatur mens Caramuelis, tamen multa docet bis contraria, & incompossibilia, per quæ à recta semita, quam subierat, videtur deflectere. Pro quo notandum est, quòd & ipse Caramuel advertit, tunc mutuatorem posse exigere aliquid ultra sortem, cùm sibi ipsi gravamen imponit: quodlibet enim gravamen est pretio æstimabile. Cùm autem nullum subit gravamen, nihil potest ultra sortem exigere; quia si posset exigere pro commodo pecuniæ mutuatæ, nulla usura esset illicita.

10 Deinde notandum est, illud esse purum mutuum, in quo nullum gravamen subit mutuator; ratione cujus ingrediatur fines alterius contractus: nam si gravamen subit, contractus habet aliquid pretio æstimabile; quòd si nihil habet pretio æstimabile, nullum gravamen subit; & in puri mutui contractu relinquitur.

11 Hinc oritur ea quæstio, [An hoc, quòd est præscisè carere pecunia pro uno anno, aut simili tempore determinato, sit gravamen mutuatoris?] Qui dixerit, id esse gravamen, affirmabit, propter illud præscisè recipi posse aliquid ultra sortem; quæ est propositio damnata ab Alexandro. Et qui dixerit, id non esse gravamen, clarè negabit, posse recipi aliquid ultra sortem, etiam si se obliget ad non repetendum per tale tempus determinatum.

12 Igitur Caramuel videtur favere opinioni, quæ docet posse aliquid exigi ultra sortem pro obligatione præcisa non repetendi intra tale tempus determinatum. Primò. Nam in eo loco Theolog. fund. num. 1783. proponit tres formulas mutationis. Quarum prima est: [Do tibi quingentos aureos mutuos; cùm primùm indiguero, *autem etiam voluero*, recipiendos.] Secunda est: [Do eosdem tibi pro uno anno; recipiendos tamen ante præfixum tempus, si ante indigeam:] Tertiam statuit cum assignatione anni integri, etiam si mutuator gravissimè indigeat medio tempore. Et subdit Caramuel: [In prima, mutui puri essentiam cognosco, non in secunda, non in tertia. Qui juxta primam aliquid dederit, inibit contractum puri mutui, & nihil poterit recipere præter capitale. Qui juxta secundam contrahet, non purum mutuum contrahet, sed contractum compositum.]

13 Ad quorum intelligentiam adverte, has duas formulas esse longè diversas: primam, [Do tibi quingentos aureos; *cùm primùm indiguero*, recipiendos.] Secundam, [Do tibi quingentos aureos, cùm indiguero, *aut etiam voluero* recipiendos.] Differunt, quòd prima respicit indeterminatum tempus indigentię in mutuatores; secunda vero respicit tempus indeterminatum pro mero libito mutuatoris.

14 Utramque esse formulam puri mutui, asseruit Caramuel. Nam in loco citato Theologiæ fundamentalis posuit hanc secundam, pro formula puri mutui. Et *num. 1792.* eam proposuit, tamquam formulam puri mutui, his verbis: [Concedo tibi mille aureos; quos reddes mihi, *cùm petiero*.] At verò in *Theolog. intention lib. 2. disput. 14. num* 763 primam illam posuit tamquam formulam puri mutui his formalissimis verbis: [Do tibi quingentos aureos mutuos; *cùm primùm indiguero*, recipiendos.]

15 Vi-

15 Vidimus, penes Caramuelem non esse formulam puri mutui illam secundam ex tribus supra positis, nempè [Do tibi pro uno anno quingentos aureos; recipiendos tamen ante præfixum tempus, si anteà indiguero.] Sed quare hæc oon est formula puri mutui? Respondet in *Theolog. fund. num.* 1792. [At ego nego, obligationem illam non repetendi aliquo determinatu tempore esse de intrinseca ratione mutui: nego enim esse contractum puri mutui, *qui tale gravamen* complectitur.] Itaque hæc mutuationis formula, [Do tibi quingentos aureos mutuos pro uno anno; recipiendos tamen ante præfixum tempus, si anteà indiguero;] quamvis præcaveat damnum indigentiæ mutuatoris, secundùm Caramuelem includit gravamen, ex præcisa designatione unius anni: ergo ea præcisa designatione unius anni (etiam cum ea præcautione damni imminentis) potest pretio æstimare id gravamen; & propter illud, aliquid ultra sortem eaigere.

16 Deinde hæc eadem formula mutuationis respicit tempus indeterminatum; æquivalet enim huic disiunctivæ: [Do tibi quingentos aureos mutuos, vel pro tempore unius anni, vel pro tempore anteriori meæ indigentiæ.] Et adhuc penes Caramuelem non est pura mutuatio propter gravamen temporis designati, quamvis indeterminatè: ergo similiter illa formula, quæ ponitur tanquam formula puri mutui, nempe, [Do tibi quingentos aureos; *cùm primùm indiguero*, recipiendos;] includit simile gravamen, & à ratione puri mutui exulare debet. Probatur consequentia. Hæc enim posterior formula includit simile tempus indeterminatum indigentiæ; nam ea particula *cùm primùm* significat indeterminatè annum, vel semiannum, &c. Ita ut debeat accipere determinationem ab indigentia. Si ergo hæc formula mutuationis, [Do tibi quingentos aureos pro uno anno, recipiendos anteà, si anteà indiguero;] non est puri mutui propter gravamen assignati temporis, licèt indeterminatè assignetur; etiam hæc [Do tibi quingentos aureos; accipiendos cùm primùm indiguero;] non erit puri mutui, propter simile gravamen temporis indeterminati.

17 Præterea quare in priori illa formula puri mutui postulat Caramuel eam clausulam, *cùm voluero*, *aut petiero*, *recipiendos*; nisi quia ad purum mutuum requirit, quòd pecuniæ mutuæ possint pro libito repeti? Ergo penes Caramuelem non est purum mutuum, ubi designatur tempus determinatum, etiam si nullum damnum immineat motuatori: ergo præcisa designatio temporis est gravamen, atque adeò quid pretio æstimabile: ergo ubi tempus designatur in mutuatione, potest aliquid recipi ultra sortem, juxta positiones Caramuelis.

18 Itaque hæc doctrina, quòd ad purum mutuum requiritur hæc formula, [Do tibi quingentos aureos mutuos; cùm primum voluero, aut petiero, recipiendos,] non stat cum doctrina Caramuelis (vera illa quidem, & certissima:) quòd præcisa assignatio temporis determinati non affert gravamen pretio redimibile: Pro cujus majori explicatione hunc casum propono. Petrus opibus redundans, reposita in scrinio habet decem millia aureorum: & quia vir nobilis est, dedignatur mores, & lucra mercatorum; ideòque dedignatur ponere pecuniam suam ad negotiationem. Joannes postulat à Petro mutuos mille aureos pro uno anno; & Petrus sub hac formula dat: [Do tibi pro uno anno mille aureos mutuos; certus, quòd illis toto anno non indigebo.]

19 Rogo ergo, an hæc formula sit puri mutui? si concedis; infero; ergo malè exclusisti à formula puri mutui illam, quæ tempus determinat. Si verò neges, eam esse formulam puri mutui; non ob aliam rationem excludi ab ea potest, nisi quia superaddit gravamen temporis determinati; sive carentiæ pecuniæ pro tempore determinato: ergo præscissa carentia pecuniæ pro tempore determinato est gravamen; atque adeò pretio æstimabile. Ergo si hoc non est gravamen, non est ratio, cur excludatur à puro mutuo.

20 Concinit his Caramuel *in Theolog. fund. num.* 1792 hiis verbis: [Iam centies mutui puri formulam expressi, & iterùm proponere placet. *Concedo tibi mille aureos, quos reddes mihi, cùm petiero*: Est formula, qua mutuum, si sit purum, fundatur: & in illa nullum est verbum, quo tempus, aut aliquod gravamen denotetur. (*Nota id verbum*, aut aliud gravamen, *quo denotatur, tempus esse gravamen, propter quod formula non erit puri mutui.*) Quamobrem si præter mutuum, (*id est, præter relatam formulam mutui*) etiam nova gravamina imponere velit mutuatarius, quia illa ad mutui conceptum non spectant, debebunt novo admitti contractu: nimirum donationis, si acceptentur gratis, & venditionis, si acceptantur ob pretium.] Hucusque Caramuel. Penes quem si tempus determinatum designetur, puta unus annus, illud pertinet ad novum contractum: & erit donatio, si pro eo nihil exigat mutuator; & venditio, si pretium exigat pro carendo pecunia toto anno.

21 Confirmatur. Formula mutuationis, quæ ponit unum annum (secluso damno mutuatoris) non est pura mutuatio: ergo transit ad fines alterius contractus. Ad quem ergo contractum transit? certè ad eum, qui in proxima periodo Caramuelis ponitur, nempe donationis, si mutuator subit gratis eam carentiam pecuniæ pro tempore determinato! vel venditionis, si subit eam pro aliquo pretio: ergo carere pecunia pro eo tempore determinato est gravamen pretio æstimabile. Ut ergo dicatur, præcisam temporis determinati designationem non afferre gravamen pretio æstimabile; dicendum necessariò est, eam designationem non esse contra rationem puri mutui.

22 Dicendum ergo est, purum mutuum indifferens esse ad afferendum tempus, dummodo afferatur sine gravamine mutuatoris; & ad non afferendum illud. Et ita non solùm est puri mutui hæc formula, [Do tibi quingentos aureos mutuos; cùm primùm petiero, restituendos;] sed etiam hæc, [Do tibi pro uno anno quingentos aureos mutuos; certus, fore, ut illis non indigeam.] Quia sic nullum gravamen affert mutuatori. Quod ex ipsa assertione Caramuelis confirmatur. Omne enim gravamen mutuatoris reducitur ad periculum amittendæ sortis, ad lucrum cessans, & ad damnum emergens: sed potest fieri designatio temporis determinati in mutuo, sine periculo amittendæ sortis; ut per se patet; & sine lucro cessante, & damno emergente, ut in casu, quem proposui supra *num.* 18. ergo potest fieri in mutuo designatio temporis determinati, absque gravamine mutuatoris. Ergo fieri potest ea designatio temporis determinati in puro mutuo; cùm ex solo gravamine mutuum fiat non purum.

CAPUT III.

Altera ejusdem doctrina incompossibilis cum præfata sententia.

SUMMARIUM.

An sit gravamen mutuatoris privare se potestate lucrandi? n. 23.
Quid in ea quæstione censeat Caramuel? n. 24.
An ex ejus doctrina inferatur propositio damnata ab Alexandro VII.? oum. 25.
Conclusio negans, id esse gravamen. n. 27.
An privare se potentia, quæ erit otiosa, nihil habeat gravaminis? n. 28.

23 UT rem facilius penetres, hanc tibi quæstionem propono: [An sit gravamen mutuatoris, spoliare se potestate negotiandi per eam pecuniam, quam mutuo dat?] Pro cujus intelligentia pono casum, in quo Petrus, qui dedit mille aureos mutuos Joanni, non esset negotiaturus in eis, sed eos esset servaturus in scrinio. In eo casu quamvis re ipsa non esset negotiaturus cum ea pecunia; posset tamen negotiari cum illa: & ita quamvis in eo casu per mutuationem nullum amitteret lucrum; tamen privaret se potestate lucrandi. Quæritur ergo, an privare se ea potestate lucrandi, sit gravamen; adeòque pretio æstimabile; & consequenter an possit exigere aliquid ultra sortem, quia privat se potestate lucrandi, dum mutuo dat pecuniam suam, in qua non erat aliàs lucraturus?

24 In hac quæstione Caramuel *lib.* 2. *Theolog. intention. num.* 753. sic ait: [Peto hic obiter, An non posse lucrari, sit gravamen? Et an hoc ipsum gravamen aliquis teneatur gratis, & sine ulla compensatione subire?] Et ibi non respondet quæstioni propositæ; quin potius, ut aliàs solet, interrogando affirmat, ut ipse deinde notavit. Et posteà *num.* 754. hæc verba habet. [Petrus non erat negotiaturus sua pecunia; poterat tamen: dedit illam mutuam Antunio pro anni tempore: & inquirit, Ao possit aliquid exigere pro lucro cessante? Respondeo, nullum cessare lucrum, ubi nullum est; nullum cessaturum, ubi nullum futurum est: adeòque hoc titulo non posse. Cæterùm, ut paulò antè dicebatur (*id est, in interrogatione supra posita*) non posse negotiari, gravamen est, & posse, est pretio æstimabile: & nescio, cur deberet Petrus illud subire gravamen, hancque immunitatem pretio æstimabilem perdere gratis.] Ubi vides, asseruisse Caramuelem, non posse Petrum aliquid exigere ultra sortem ratione lucri cessantis, quia non cessat lucrum, ubi Petrus non esset negotiaturus; posse tamen aliquid exigere ultra sortem, quia mutuando pecuniam, privat se potestate lucrandi in ea.

25 Ex hac doctrina evidenter infertur ex propositio damnata ab Alexandro; ita ut quoties quis dat pecunias mutuas obligans se ad non repetendum pro tempore determinato, possit exigere aliquid ultra sortem. Nam quoties quis se obligat ad non repetendum pecunias mutuas pro tempore unius anni, privat se ea potestate lucrandi in eis, quæ penes ipsum remaneret, si apud ipsum pecuniæ persisterent. Sed consequens est evidenter falsum, ex damnatione Alexandri relata; ut patet ex 1. *par. Cris. Theolog. disp.* 9. *c.* 20. ergo & antecedens, unde infertur: cùm benè valeat ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis.

26 Agnovit Caramuel difficultatem, illique cessit. Nam *ibid. num.* 765. hanc statuit conclusionem. [Qui certò scit, se spatio illius anni non esse usurum pecunia illa, quam juxta tertiam formulam mutuat, nihil potest extra sortem exigere ratione temporis determinati. Patet: quia nullum gravamen sibi imponit: & qui nullum sentit damnum, non habet, cur utilitatem aliquam sentiat.] Vides conclusionem oppositam propositioni damnatæ. Vide nunc limitationem, quam subjungit in hæc verba: [Nota tamen, ipsum *non posse uti*, posse dici gravamen, & etiam vendi: & si hoc dicatur, debere conclusionem limitari.] Ubi agnoscit Caramuel, non posse subsistere eam conclusionem, quæ tradit, non exigi aliquid ultra sortem ratione temporis determinati in mutuatione; si dicatur, esse gravamen mutuatoris, quòd se spoliet potestate lucrandi.

Quòd

Quòd autem id sit gravamen mutuatoris, dixerat in duobus periodis relatis supra *num.24.*

27 Ut ergo incolumis servetur declaratio Alexandri, utque tanquam certum statuatur non licere exigere aliquid ultra sortem præcisè, quia aliquis se obligat ad non repetendum in tanto tempore determinato; necessariò dicendum est, neque esse gravamen, neque pretio æstimabile, quòd quis pro tanto tempore determinato spoliet se potestate lucrandi per illam pecuniam, per quam re vera non esset lucraturus, si penes mutuatorem persisteret.

28 Quòd autem id non sit gravamen, apertè convincitur. Nam privare se potentia, quæ re ipsa futura esset otiosa, nihil habet incommodi, nihil molestiæ, nihil gravaminis. Optimè dixit Philosophia, *Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum.* Mutuator ergo, qui non esset lucraturus in ea pecunia, quam mutuat, privat se potentia lucrandi frustranea: & privare se potentia frustranea lucrandi nullum est gravamen. Et quia Caramuel est virtualitatum amator, assero, potentiam frustraneam virtualiter esse impotentiam; quia ad effectum tantùm valet potentia frustranea, & qua quis non est usurus, atque impotentia.

CAPUT IV.

Tertia Caramuelis assertio incompossibilis cum eadem ipsius sententia.

SUMMARIUM.

An numerata pecunia sit pretiosior pecunia numeranda? n.29.
Caramuelis placitum, mutuantem hodie 95. numeratos, posse exigere 100. *post annum.* nu.30.
Inde inferri, posse exigi aliquid ultra sortem per hoc, quòd mutuum fiat pro tempore certo. n.31. & seq.
An in sensu universali sit certò falsum, quòd plus valet pecunia numerata, quàm numeranda? n.34.
Quo sensu sit verum, quod pecunia numerata pluris valeat, quàm numeranda? n.36.
Quomodo communis æstimatio pluris faciat pecuniam numeratam, quàm numerandam? nu.37.
Absurda illata ex eo, quòd admittatur ea propositio in sensu universali. nu.39.
An loquendo specialiter de chirographis venalibus verum sit, quòd pecunia numerata pluris valet, quàm numeranda? n 41. & seq.
An in hoc ultimo sensu loquantur authores? n.44. & seq.
An in mutuo sit improbabile, quòd pecunia numerata pluris valet, quàm numeranda? o.48. & seq.

29 IN Theolog. intention. *lib.2. disp.14. nu.799.* inquirit Caramuel, [An numerata pecunia sit pretiosior pecunia numeranda?] Et ubi pro parte affirmativa refert Navarrum, Emmanuelem Sa, Armillam, Caietanum, Malderum, Philiarcum, Fabrum, & alios; mox *nu.800.* ipse eandem tuetur. Sic enim ait: [Ex hac sententia citati Authores probabiliter inferunt, posse chirographicas obligationes, & debita, tametsi securissima, si solvenda post aliquod determinatum tempus, emi minoris, si parata pecunia: item posse debitorem minori pretio, dato tamen ante tempus, extinguere debitum majus. Et postulo, An Deum communem habeamus, an privatum? Si igitur Deus noster æquè mutuatarii, ac mutuatoris Iudex est, utrumque eadem statera ponderabit. Ergo si centum aurei solvendi post annum, possunt hodie extingui nonaginta quinque paratis; si mutuans dederit hodie sub onere, quòd centum post annum restituantur; nihil acquisivit præter sortem; vel æqualitas inæqualis est. Tu hanc doctrinam perpende, & examina: puto enim, judicio communi decidendam: & non scio, me audivisse ab aliquo, se non facere maioris pecuniam præsentem, quàm futuram.]

30 Annuit itaque sententiæ asserenti, tantidem valere nonaginta quinque aureos numeratos, quàm centum post annum recipiendos. Deinde asserit, inde legitimè inferri, mutuantem hodie nonaginta quinque numeratos posse exigere centum post annum numerandos, sine labe usuræ. Et eandem sententiam docuit Caramuel in Theolog. fundam. *num.1793. fund.60.* non quidem ut probabilem, sed ut evidentem. Ait enim: [Quam denique ego tam claram, & evidentem judico, ut inter illas, quæ experientia demonstrantur, eandem poni debere, judicaverim.] Et deinde arguit similiter, ac in proxima præcedente periodo, ut possint recipi centum pro nonaginta quinque mutuatis; sive centum & quinque pro centum mutuatis.

31 Et primò quidem ex hac assertione evidenter infertur, posse aliquid exigi ultra sortem, per hoc, quòd mutuator se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Nam si centum mutuas, accepturus post annum centum & quinque; quia centum de præsenti tantidem valent, ac centum & quinque post annum; cùm sors sit dumtaxat centum, ultra sortem exigis quinque, non aliam ob causam, nisi propter temporis dilationem.

32 Respondet Caramuel in loco cit. Theol. intent. *num.801.* in hæc verba: [Sed ais, hac doctrina omnes usuras tolli. At isti Authores possent negare consequentiam: quia usurarius est, quicumque accipit ultra sortem: unde si nonaginta quinque aurei parati, centum dandis post annum æquivaleant; qui nonaginta quinque hodie mutuat, & post annum centum recipit, usurarius non est; quia nihil supra sortem accepit: esset tamen, si sub finem anni plures, quàm centenos, acciperet.]

33 Sed præter quam hæc evasio fraudem facit damnationi Alexandri, quæ post ea scripta Caramuelis emanavit; declarandum est, quo usque ea assertio vera sit: ex qua declaratione constabit, quàm non sit ad rem ea responsio.

34 Igitur dicendum est, eam assertionem, [Quòd pecunia numerata plus valet quàm numeranda,] si in sensu universali accipiatur, esse evidenter falsam. Et primò quidem à priori. Ideò enim plus valet numerata, quàm numeranda post annum, v.g. tum quia pecunia numerata potest hoc anno lucrari: & numeranda post annum non potest hoc anno lucrari: tum etiam quia pecuniæ numerandæ inest periculum amissionis, & solet afferre damnum emergens ei, qui illa indiget. Neque enim alia esse potest ratio majoris valoris in numerata, quàm in numeranda. Ergo si detur casus, in quo pecunia numerata nullum allatura sit lucrum; in quo numeranda post annum, nullum afferat damnum mutuatori, nullum periculum amissionis; in eo casu non plus valebit pecunia numerata, quàm numeranda.

35 Da casum propositum supra *num.18.* in quo Petrus vir nobilis habens in scrinio decem millia aureorum, nihil negotiaturus esset in illa pecunia; mutuatque Ioanni mille aureos cum omnimoda securitate sortis. In hoc casu evidens est, non valere Petro plus pecuniam numeratam, quàm numerandam: nihil enim utilitatis haberet Petrus, si retineret apud se illos mille aureos numeratos; & nihil damni, nihil periculi subit ex pecunia numeranda, quam Ioanni mutuavit. Major enim valor pecuniæ numeratæ non potest in alio consistere, quàm in majori utilitate, aut in minori detrimento, aut periculo.

36 Igitur probabilitas ejus sententiæ, quòd pluris valet pecunia numerata, quàm numeranda; duplici modo potest subsistere. Primò, si ea accipiatur cum limitatione, ita ut non valeat pluris pecunia numerata, quàm numeranda post annum, quando scilicet emptor chirographi pecuniæ numerandæ post annum non indiget pecunia numerata, neque ad sumptus necessarios, neque ad lucrandum: neque ex præsenti traditione pecuniæ numeratæ oritur lucrum cessans, aut damnum emergens; neque imminet periculum omissionis, diminutionis, aut molestiarum, vel sumptuum in recuperatione intervenientium. Nam his circunstantiis præmunita pecunia numeranda tantidem valet ac numerata. Cum quo stat, quòd pecunia numeranda, his circunstantiis, aut aliqua earum destituta valeat minoris, quàm numerata. In quo sensu Authores ejus sententiæ locutos esse mihi certum est.

37 Neque obstat, quod dicitur, communi hominum judicio, minoris valere debita, quam pecuniam numeratam. Nam commune judicium sic censens non respicit debita illis circunstantiis vestita, quin potius ea respicit illis circunstantiis destituta: Adeòque commune hominum judicium suffragatur apertè huic assertioni. Etenim nullus hominum prudentum judicat sibi utile vendere minoris chirographum pecuniæ post annum numerandæ, quando certò scit, se toto illo anno non egere ea pecunia, & nullum sibi cessare lucrum, nullum damnum emergere, nullumque imminere periculum amissionis, diminutionis, aut molestiarum. Quis enim hominum simile chirographum minoris vendidit? Ergo ex communi hominum judicio certum est, pecuniam numerandam, talibus circunstantiis præmunitam, tantidem valere, ac numeratam. Scimus, plurimos minoris vendere chirographa: id autem præstant, vel quia indigent pecunia numerata, vel quia lucrari volunt per eam pecuniam numeratam, vel propter aliquod periculum amissionis, diminutionis, aut molestiarum. Quibus omnibus vitiis deficientibus, nullus est, qui velit vendere minoris. Sed nota, minorem valorem chirographi non esse ob solam indigentiam venditoris; quamvis venditor ob solam suam indigentiam velit vendere.

38 Confirmatur. Da casum, quo Petrus indigens pecunia ad negotiationem, hoc non obstante mutuat Ioanni per annum centum aureos; & id lucrum cessans valeat quinque aureos juxta communem æstimationem. Et suppono, nullum aliud damnum emergere, nullum esse periculum sortis. Et interrogo, an Petrus debeat recipere quinque aureos ratione lucri cessantis, & alios quinque ratione majoris valoris pecuniæ numeratæ præ numeranda? Si negas; infero: ergo iste valor major pecuniæ numeratæ omninò oritur à lucro cessante, neque est titulus diversus ab illo: fitque illum majorem valorem pecuniæ numeratæ talem esse propter lucrum cessans ex pecunia numeranda post annum. Si verò dicas, Petrum recepturum esse quinque ratione lucri cessantis, & alios quinque ratione majoris valoris pecuniæ numeratæ; contra est. Nam in eo casu totus excessus, qui est in valore pecuniæ numeratæ, est, quia potest dare lucrum, quod non potest de præsenti dare pecunia numeranda post annum: ergo is non est titulus diversus à lucro cessante: ergo si non est novus titulus, non potest esse novum augmentum premii.

39 Quòd

39 Quòd si ea propositio, [Quòd pluria valet pecunia numerata, quàm numeranda,] in sensu universalissimo accipiatur; vr;et argumentum, & paritas Caramuelis proposita initio hujus capitis, & *num.*32. Et confirmatur. Si enim ideò chirographum debiti potest minoris emi, quia universaliter est verum, quòd actio ad pecuniam minoris valet, quàm pecunia numerata; etiam mutuator dat centum aureos numeratos, & mutuatarius solùm dat mutuatori actionem, quæ valet minus, v. g. nonaginta quinque aureos: ergo minus dat mutuatarius: ergo ut det æquivalens, debet dare chirographum centum & quinque aureorum, quod valet centum numeratos.

40 Vrgeo. Si universaliter verum est, quòd pluris valet pecunia numerata, quàm numeranda; cùm mutuator dat centum aureos numeratos, & postulat sibi post annum reddi centum & quinque; æqualitatem postulat: ergo non est usurarius. Probatur antecedens. Nam actio ad centum & quinque aureos post annum numerandos, valet centum aureos numeratos: er, o quando mutuator dat centum, & postulat centum & quinque post annum numerandos postulat æquivalens; adeòque æqualitatem servat. Ergo si universaliter est vera ea doctina de majori valore pecuniæ numeratæ præ valore numerandæ; omnis, qui mutuat centum, recipiendos post annum, potest postulare centum & quinque post annum numerandos. Cùm ergo hoc ab omnibus tanquam usurarium damnetur, certissimè tenendum est, non esse universaliter verum, quòd pecunia numerata sit pretiosior numeranda: cùm ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentia sit evidens consequentia.

41 Alter modus, quo subsistere potest probabilitas ejus sententiæ de majori valore pecuniæ numeratæ (quomodo plerique ejus Authores loquuntur) est, loquendo specialiter de chirographis, quæ exponuntur vænalia. Hæc enim eo ipso, quòd vænumdationi exponuntur, fiunt merces ultroneæ, quæ ideò vilescunt. Quòd autem fiant merces ultroneæ, id provenit à circunstantiis relatis, vel quia venditor eget pecunia ad alimenta, vel ad negotiandum; vel quia cessat lucrum, aut damnum emergit; aut quia ea chirographa pecuniæ numerandæ post annum afferunt aliquod periculum amissionis, aut diminutionis, aut molestiarum in recuperanda.

42 Utrovis autem modo facilè solvitur argumentum Caramuelis. Nam si dicatur, non esse universaliter veram eam assertionem de majori valore pecuniæ numeratæ præ numeranda; non est cur mutuator dans centum aureos numeratos possit postulare centum & quinque, nisi in circunstantiis, in quibus mutuator egeat pecunia numerata, vel in aliis supra relatis.

43 Secundo autem modo redditur evidens disparitatis ratio inter venditionem chirographi, quòd exponitur vænundationi, & mutuationem pecuniæ post annum reddendæ, in qua non intervenit lucrum cessans, nec damnum emergens, nec periculum amissionis, diminutionis, sumptuum, &c. Nam eo ipso quòd chirographum illud exponitur vænale, fit merces vltronea, quæ ideò vilescit, modo dicto. Quod accomodari non potest ad mutuationem pecuniæ post annum reddendę in circunstantiis relatis.

44 Quòd autem in hoc sensu loquantur Authores præfatæ assertionis, clarè constat ex ratione, quam tradunt. Navarrus enim *in sum. cap.*17. *nu.*230. rationem dat, *Quia hoc jus, quod ano anno est inutile, minoris valet, quàm si esset statim utile.* Dicitur autem *hoc anno esse inutile*, quia hoc anno cessat lucrum illius: ergo seclusa ea ratione lucri cessantis, cessat ratio ejus inutilitatis, ob quam valet minoris. Eandem rationem tradit Caietanus. verb. vsura. fine. *Est autem rationabilis causa minoris pretii, ex eo quòd res vænalis inutilis per triennium minor est se ipsa utili ab hodierna die.* Dicitur autem utilis, vel inutilis, in ordine ad negotiationem, vel ad indigentiam venditoris, & emptoris. Quibus titulis cessat inutilitas, atque adeò ratio minoris valoris.

45 Armilla verb. vsura. *nu.* 50. ait: *Et quia nunc indiget pecunia pro suis negotiis, vendit Antonio tale jus.* Ecce valet minoris pecunia post annum numeranda (de hac enim loquitur) in circunstantia indigentiæ venditoris, & lucri cessantis. Et mox: *Non enim tantum valet pecunia futura, quantum præsens; quoniam præsens potest expendi, non autem futura; maximè quia aliquod intervenit periculum.* Itaque & ratione periculi, & ratione necessitatis expendendi illam, valet pluria numerata, quam numeranda; secus, si absint præfatæ circunstantiæ.

46 P. Azor, qui probabilem judicat præfatam sententiam *part.*3. *lib.*8. *cap.*10. de Emptione *qu.*5. §. *Et re vera*, rationem tradit: *Nihilominus tamen ratione periculi, cui est debitum objectum, potest minoris emi.* Nec alium exprimit titulum, quare possit debitum minoris emi, nisi id periculum. Et hinc patet, apud Authores pecuniam numeratam non valere pluris numeranda, in omnibus omninò circumstantiis.

47 Sed numquid Caramuel absolutè affirmat, [Eum, qui mutuat centum usque ad unum annum, posse exigere centum & quinque; idque seclusa ratione lucri cessantis, & damni emergentis, & periculi sortis, & pœnæ conventionalis?] Sanè id affirmat in locis citatis. Docet enim, esse doctrinam evidentem, quòd pretiosior sit pecunia numerata, quam numeranda; & inde inferri asserit, quòd possit mutuans centum per annum, ex hoc præcisse exigere centum & quinque sine labe usuræ; quia tantidem valent centum aurei numerati, quanti æstimantur centum & quinque post annum numerandi.

48 Concludendum ergo est ex dictis, eam assertionem in mutuo esse improbabilem, & certò falsam. Propter duo. Primum, quia concluditur damnatione Alexandri VII. Nec satisfacit Caramuel dum dicit, centum numeratos æquivalere centum & quinque numerandis; & ideò mutuantem non recipere post annum aliquid ultra sortem. Etenim verba damnationis in communi significatione usurpanda sunt, non autem in acceptione alicujus privati. Et quidem nomine sortis intelligitur ille numerus materialis aureorum, qui mutuatur: & cùm centum aurei numerati, & centum & quinque numerandi non sint pares numero materiali, sanè dum ille mutuator recipit centum & quinque, aliquid recipit ultra numerum materialem mutuatum, atque adeò ultra sortem.

49 Sanè si modus ille loquendi à Caramuele invectus valet, dicendum etiam est, non posse aliquid recipi ultra sortem ratione lucri cessantis, non posse ratione damni emergentis, non item posse ratione periculi sortis, quamvis id affirment omnes Doctores, inter quos numerandus Caramuel. Corollarium patet: nam qui mutuat centum, & recipit centum & quinque ratione periculi sortis; tantum recipit, quantum mutuavit: quia centum cum aliquo periculo sortis æquivalent centum & quinque; ob quam æqualitatem, qui dedit centum, potuit centum & quinque recipere: ergo nihil recipit ultra valorem sortis, atque adeò non recepit aliquid ultra sortem. Similiter qui ea quinque recepit ratione lucri cessantis, non recepit aliquid ultra sortem: nam centum mutuati ratione lucri cessantis æquivalent centum & quinque. Et sic de cæteris. Et tamen non obstante ea æquivalentia pecuniæ mutuæ cum pecunia restituta cum augmento, est verum dicere, quòd licet mutuanti recipere aliquid supra sortem ratione periculi sortis, & ratione lucri cessantis: ergo non obstante æquivalentia centum aureorum numeratorum cum centum, & quinque aureis numerandis; erit verum dicere, quod licèt mutuanti recipere aliquid ultra sortem, si se obliget ad non repetendum usque ad certum tempus. Quam tamen postremam propositionem damnat Alexander, ut scandalosam.

50 Secundum. Nam, ut ex communi judicio probatum manet, illa propositio, quòd pecunia numerata pluris valet, quàm numeranda, si universalissimè accipiatur, est evidenter falsa. Denique hæc assertio confirmatur irrefragabiliter. Nam post hæc scripta prodiit decretum Ss. D. Innocentii XI. quo damnat tanquam scandalosas 65. propositiones, quarum quadragesima prima hæc est. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram; potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere; & eo titulo ab usura excusari.*

CAPUT V.

Objectiones solutæ adversùs doctrinam capitis præcedentis.

SUMMARIUM.

An chirographa minoris valeant, dum exponuntur vænalia? n.54.
An sit justum pretium, quod communis æstimatio statuit? n.55.
An merces ultroneæ vilescant? n.56.
Ob quas circumstantias chirographa valeant minus? n.57.
Quo sensu dicatur, quòd actio ad pecuniam valet minus, quàm ipsa pecunia? n.59.

51 Authores, qui tuentur majorem valorem pecuniæ numeratæ, quàm numerandæ, quo ad venditionem chirographorum; sic obiiciunt apud P. Lessium *de just. cap.* 21. *dub* 8. Primò. [Talia jura, dum proponuntur vænalia instar mercis, communi hominum judicio, minoris æstimantur, quàm pecunia præsens, ut experientia patet: eo quòd hæc multarum rerum facultatem præbeat, quam jura illa non tribuunt: ergo minoris emi possunt. Patet consequentia. Quia illud censetur justum cujusque rei venalis pretium, quòd communis hominum æstimatio statuit: si enim in cæteris rebus censetur justum pretium, quòd ex communi æstimatione statuitur, cur non etiam in his chirographis?] Huc usque apud Lessium.

52 Deinde refert Lessius quandam responsionem, eamque impugnat. Utrumque præstat his verbis: [Dices. Quòd homines communiter hæc chirographa minoris faciant, hoc fit ob inopiam eorum, qui magis egent numerata: ergo hæc æstimatio non est prudens; ac proinde non licet ea uti: alioquin quando quis ob inopiam esset paratus dare duplum, liceret exigere duplum.]

53 Subjungit impugnationem. [Responderi poterit, negando consequentiam: nam omnium ferè rerum æstimatio pendet ex necessitate, cui subjecti sunt homines; & nihili æstimarentur, si ea necessitas abesset; ut patet in medicamentis, in cibis, in ædificiis, & eorum materia. Neque requiritur, ut ea necessitas sit omnium: sufficit, ut sit multorum, vel ferè omnium, ita ut ratione ejus, res illa tanti æstimetur. Itaque cum illa jura minus sint

necef-

necessaria, quàm pecunia numerata, & non præbeant eam facultatem lucrorum, & aliorum commodorum, prudenter minoris æstimantur. Nec refert, quòd tibi in particulari perinde sit, utrùm habeas pecuniam præsentem, an tale chirographum; quia id per accidens est. Non enim ex tua æstimatione pretium rei pendet, sed ex communi: sicuti etsi nullis unquam egeres medicamentis, posses nihilominus ea pretio communi vendere.]

54 Respondeo, me non gravari concedere, ea chirographa minoris valere, dum exponuntur vænalia instar mercis; nam in hoc jam includitur vitium, ob quòd minoris æstimentur. Nemo enim prudens exponit vænalia ea chirographa, ut vendat minoris, nisi ob aliquod vitium, aut periculum ex rei circunstantiis derivatum. Et quidem ea chirographa non uno æquali pretio venduntur, sed pluris, vel minoris, pro majori, vel minori periculo amissionis, vel diminutionis, &c. Ergo possunt tanta bonitate præstare, & tam longè esse ab omni vitio, ut pecuniæ numeratæ æquivaleant. Ideò in pluribus casibus nolunt eorum domini ea vænalia exponere. Quare concesso antecedenti, concedo etiam consequentiam, quòd scilicet minoris emi possunt, quando vænalia exponuntur: non enim exponuntur vænalia, nisi quia vel vitio laborant, vel lucrum impediunt, vel damnum emergens afferunt.

55 Ad id, quòd additur de æstimatione communi, respondeo, illud esse justum cujusque rei pretium, quòd communis hominum æstimatio statuit. Hæc autem communis æstimatio nostræ assertioni suffragatur. Nam communis æstimatio damnat venditionem chirographi undequaque boni, & cujus dominus non eget pecunia numerata. In quibus circunstantiis nemo est, qui venundationi exponat talia chirographa. Itaque communis æstimatio censet, ea chirographa minoris valere, cùm videt ea venundationi exponi, quia præsumit ea vitio laborare, vel dominum eorum pecunia indigere.

56 Neque id est novum in chirographis, cùm idem contingat proportione servata in reliquis mercibus. Merces enim ultroneæ vilescunt: & minoris valent merces, cùm venditor importunè rogat emptorem. Ubi autem venditor non rogat, sed rogari se sinit, merces non valent minoris. Ita similiter cùm dominus chirographi illud exponit vænale, rogat emptorem; adeòque vilescit chirographum ex hoc, & ex aliis capitibus relatis. Et hoc non est ex privata æstimatione illius, sed ex communi. Nam communis æstimatio censet, merces ultroneas vilescere.

57 Illa responsio argumento subjecta, diminuta est. Non enim valent minoris ea chirographa dumtaxat ob inopiam venditorum; sed etiam quia venditor rogat, quia eget numerata, quia imminet periculum amissionis, & diminutionis, & ob cæteras circunstantias relatas.

58 Ad impugnationem subsequentem dico, non fieri minoris ea chirographa ob necessitatem venditoris utcumque, sed quia rogat, ut vænalia exponit, & ultronea facit; præter reliquas circunstantias relatas. Ad id, quod subditur, dico, ea jura vestita circunstantiis relatis æquè bona, & æquè necessaria esse, quàm pecuniam numeratam. Ad ultimum dic, ad rei venditæ pretium non esse per accidens, quòd tibi in particulari perinde sit, utrùm habeas pecuniam præsentem, an tale chirographum; si inde oritur quòd merces fiat ultronea, & ultroneæ venundationi exposita; sic enim vilescit in æstimatione communi.

59 Obiiciunt secundò legem *Minus. ff. de Regul. Jur.* ubi dicitur: *Minus est actionem habere, quàm rem.* Ergo minoris valet actio ad pecuniam, quàm ipsa pecunia numerata: sed tale chirographum est actio ad pecuniam: ergo minoris valet in æstimatione cómmuni.

60 Respondeo, ibi non agere legem de æstimatione actionis, & dominii in ordine ad venditionem, aut commutationem; sed de ipsa quasi entitativa perfectione utriusque. Enim verò quid minus perfectum est jus ad rem, quàm dominium rei: quia jus ad rem est quasi via, & gradus ad obtinendum dominium. Cum quo stat, quòd jus ad rem esse possit tam bonis qualitatibus munitum, ut non sit utilius habere rem, quàm habere actionem ad rem; ut constat ex supradictis.

61 Aliæ quoque objectiones proponi possent, à quibus supersedeo, quia ea generali solutione dissolvuntur, si dicamus, licitè emi minoris chirographa, cùm illis desunt qualitates relatæ; vel cum vænalia exponuntur, quia tunc præsumitur illis deesse circunstantias, ob quas pecuniæ numeratæ æquiparantur.

CAPUT VI.

Quarta assertio incompossibilis cum præfata sententia.

ARTICULUS I.

Refertur assertio Caramuelis; & quot absurda contineat.

SUMMARIUM.

An mutuator retineat dominium morale pecuniæ mutuatæ? Opinio Caramuelis refertur. nu.62.

Ejusdem opinio est, pecuniam mutuatam esse eandem moraliter cum ea, quæ postea solvitur. n.63.

Referuntur septem corollaria absurda, quæ ex ea doctrina inferuntur. num.64.

62 Caramuel in eo loco *cit. Theolog. fund. nu.*1790. affirmat, mutuantem non transferre dominium morale pecuniæ mutuatæ in mutuatarium, sed retinere apud se. Id præstat, occasione cujusdam argumenti, quod proponit Ledesma, ut probet, eum, qui se privat pecunia per aliquod tempus, posse aliquid ultra sortem exigere. Verba Caramuelis sunt. [Producunt hanc (*rationem Ledesma*.) Qui instrumento, quo poterat uti, se privat ad aliquod tempus, poterit pecuniam accipere; quia hæc privatio est pretio æstimabilis: sed qui mutuo dat pecuniam, privat se illa, quæ est instrumentum generale ad multa: ergo ratione hujus gravaminis; & privationis poterit aliquid admittere. Respondent Lugo, Dicastillua, Diana, disparem esse rationem: quia qui se privat suo instrumento per aliquod tempus, locat illud, retento dominio apud se; qui verò mutuando se privat pecunia, cùm per mutuum transferat dominium in mutuatarium, non potest aliquid exigere pro carentia, & pro usu rei alienæ, præciso alio justo titulo.]

63 Ut autem de his judicium ferat Caramuel, subjungit. [At ego relego hanc solutionem, & affirmo, illam nec esse omninò veram, nec ad rem. Non veram; quia mutuatarius manet debitor: ergo alicujus rei, quæ est mutuatoris: mutuator igitur non transtulit in mutuatarium morale dominium, sed usum. Et hic latam, & clarã æquivocationem esse, alibi demonstrabo. Ostendam tamen, confundere physica moralibus, quotquot dicunt, in mutuo transferri dominium. Quoniam valor moralis formalitas est, nec mutuata pecunia ille mutatur, si datur alia pecunia æquè bona. Igitur mutuatarius, cùm recipit pecuniam, recipit instrumentum morale ad acquirendum omnia: respectu cujus materia physica argenti, aut auri materialiter se habet. Cùm solvit, solvit eandem numero morali, quam recepit; tametsi aliam physicè numero, aut etiam specie; nam debita contracta argento solent auro extingui, vel contra. Ergo si mutuatarius semper debet reddere pecuniam moralem, quam recepit, numquam acquisivit dominium pecuniæ moralis; nam nemo tenetur reddere tibi, quod suum est, sed quod tuum. Ergo tu mutuando non perdidisti, aut dedisti morale dominium moralis pecuniæ, sed usum tantùm. Sed hæc, Theologis, & Philosophis scripta sint, non Canonistis, & Legistis: superant enim litteræ strepitum subtiles istæ, & ingeniosæ veritates. Concedam igitur argumentationis gratia, mutari dominium in mutuo: infero tamen, aut solutionem illorum non esse ad rem; vel illam contra Authores suos, esse licitas omnes usuras, propugnare. Interrogo, utrùm sit æstimabile majori pretio, usus solùm, an usus & dominium simul? Respondebunt hoc ultimum. Ergo plus recipere poterit, qui pro anno dat dominium, & usum simul, quàm qui usum tantùm. At mechanicus, qui instrumenta accommodat, concedit usum tantùm; & mercator, qui mutuat pecunias, usum & dominium simul: (sic vultis) ergo plus poterit mercator, cæteris paribus, pro pecunia mutuata recipere, quàm faber pro instrumento locato.] Hucusque Caramuel. Et ibid. in margine hæc adiungit: [Pecunia potest physicè, & moraliter considerari. Physicam potest mutuatarius consumere: & si hoc est amittere dominium; taceo. At moraliter considerata semper est mutuantis: qui cùm repetit, petit, quod suum est.]

64 In quibus verbis multa veniunt consideratione, & examine dignissima. Primò enim, si mutuator non transfert, sed retinet, dominium morale pecuniæ, clarissimè infertur, quòd qui pro uno anno mutuat centum aureos, potest aliquid ultra sortem exigere, seclusa ratione lucri cessantis, damni emergentis, & periculo sortis, & contractus trium contractuum: quòd apertè contradicit damnationi Alexandri VII. Secundò evidenter falsum est, retineri dominium morale pecuniæ mutuatæ apud mutuatorem. Tertiò, prava est ea consequentia, [Petrus mihi debitor est: ergo habeo dominium rei debitæ.] Quartò, mira est hallucinatio, qua dicitur, pecuniam physicam, quæ mutuatur, & aliam pecuniam physicè diversam, quæ solvitur, esse moraliter unam, & eandem numero morali. Quintò, licèt verum sit, eandem moraliter pecuniam restitui à mutuatario, adhuc malè infertur, quòd ea pecunia sub eodem dominio morali extiterit. Sextò pessimè dicitur, quòd mutuator concedat mutuatario dominium, & usum pecuniæ. Septimo, peius infertur, ex eo quòd mutuator det dominium & usum pecuniæ, posse mutuatorem plus exigere ultra sortem, quàm faber, qui dat alteri usum instrumenti sui. De quibus omnibus singillatim dicendum est.

ARTICULUS II.

Quomodo hæc assertio contradicat sententiæ sui Authoris, & damnationi Alexandri?

SUMMARIUM.

An ex doctrina relata inferatur, quòd mutuator possit exigere aliquid ultra sortem, contra decretum Alexandri VII.? num.65.

An

An mutuator solùm det usum pecuniæ, & non dominium? Et quid inde contra doctrinam relatam? nu. 66. & seq.

An mutuator, qui accipit pretium pro mutuo, solùm sit reus invidiæ? nu. 69. & seq.

Quid probent argumenta facta? nu. 73. & seq.

65 JAm verò, si mutuator pecuniæ retinet apud se dominium morale pecuniæ mutuatæ, planè infertur, quòd qui se obligavit non repetere usque ad certum tempus, potest exigere aliquid ultra sortem, contra sententiam Caramuelis relatam *cap. 1.* & contra damnationem Alexandri ibidem relatam.

66 Ostenditur primò. Qui concedit alteri usum rei propriæ, ni velit concedere gratis, locat illam: sed mutuator, per te, concedit mutuatario dumtaxat usum pecuniæ propriæ, & sub proprio dominio morali remanentis: ergo qui sic mutuat pecuniam, si non velit concedere usum ejus gratis, locat illam. Atqui pro locatione licitè exigitur pretium, ultra rei ipsius integram restitutionem: ergo pro mutuatione licitè exigetur pretium, ultra pecuniæ ipsius integram restitutionem.

67 Ostenditur secundò. Ideò dominus domus justè exigit à conductore pretium pro ejus habitatione, quia permittit conductori usum rei propriæ: sed mutuator concedit mutuatario, secundùm Caramuelem, usum rei propriæ: ergo potest similiter mutuator exigere pretium pro pecunia mutuata.

68 Ostenditur tertiò. Nam tota ratio, ob quam mutuator non potest exigere pretium pro mutuo, fundatur in eo, quòd non potest exigere pretium pro usu rei consumptibilis, quæ est sub alterius dominio: ergo si negatur hoc dominium pecuniæ in mutuatario (quæ quidem est usu consumptibilis) cessat omnino ratio, ob quam non possit pretium exigi pro mutuo. Et sane debuisset Caramuel aliam rationem nobis revelare, ob quam illicitum sit accipere pro mutuo pretium. Sed reiicere istam rationem ab omnibus traditam, & aliam non tradere, tolerandum non est.

69 Dices primò ex Caramuele *in Theolog. fund. nu. 1-80. fund. 60. & in Theolog. intention. disput. 14. num. 723. & 724.* ideò peccare mutuatorem, qui accipit pretium pro usu propriæ pecuniæ, quia exercet invidiam: invidus enim est, qui non vult favere proximo, indemnis ipse perseverans.

70 Refellitur primò. Invidia enim non opponitur justitiæ, sed charitati; usura autem justitiæ opponitur: sed qui accipit pretium præcisè ob mutuum opponitur justitiæ: ergo qui accipit pretium præcisè ob mutuum, non ideò præcisè peccat, quia invidus est.

71 Refellitur secundò. Non est invidus, qui renuit favere proximo non indigenti: at qui mutuat proximo non indigenti, exigens pretium præcisè ob mutuum, usurarius est: ergo non est usurarius, quia invidus; cùm usura sine invidia salvetur. Itaque nemo tenetur favere proximo non indigenti: tenetur autem non recipere pretium ob mutuum: consistit ergo obligatio vitandi usuram sine obligatione favendi proximo. Non est ergo usurarius, quia non vult favere, indemnis ipse perseverans; sed quia pretium exigit indebitum.

72 Refellitur tertiò. Si enim ideò peccat, qui mutuat pro pretio, quia invidus est, nolens favere proximo, dum indemnis potest; etiam peccabit, qui locat Petro domum, quam potest commodare. Qui enim exigit pretium pro usu domus, non vult dare proximo liberaliter eum favorem, quem indemnis potest: ergo non solus mutuator exigens pretium mutui erit invidus, sed etiam locator.

73 Dices secundò, ea argumenta non solùm probare, eum, qui mutuavit usque ad certum tempus, posse exigere pretium pro mutuo; sed eum etiam, qui mutuavit usque ad tempus incertum, id est, usque ad tempus necessitatis, & voluntatis propriæ. Quia etiam qui sic mutuat, concedit mutuatario usum, & non dominium, juxta Caramuelem: ergo pro eo usu temporis incerti poterit aliquod pretium exigere.

74 Verum quidem est, argumenta militare pro universali propositione. Sed cùm propositio particularis, & singularis includatur sub universali; argumenta, quæ universalem probant, probant etiam particularem. Fateor itaque, præfata argumenta probare, si vera est ea doctrina Caramuelis, in quocumque mutuo licitum esse exigere aliquid ultra sortem: & cùm ab universali affirmata ad particularem, & singularem sit legitima consequentia; etiam probant, esse licitum exigere aliquid ultra sortem, cùm sit mutuum usque ad certum tempus. Quæ propositio opponitur damnationi Alexandri.

75 Nec latuit Caramuelem, id assertum de dominio pecuniæ mutuatæ remanente apud mutuatorem, esse contra omnes omnino Doctores, Theologos, & peritos Juris. Ideò otiosum duxi eorum authoritatem, & citationes Caramueli obiicere.

ARTICULUS III.

Quàm certum sit, transferri pecuniæ mutuatæ dominium morale in mutuatarium?

SUMMARIUM.

Quomodo dominium morale mutuatæ pecuniæ non possit retinere mutuator? nu. 76. & seqq.

An qui potest alienare pecuniam sine injuria alterius, habeat dominium morale talis pecuniæ? Et quid inde pro conclusione? n. 79. & seq.

An cùm quis emat triticum pecunia mutuata, habeat mutuator dominium in illud triticum? n. 81. & seq.

Quæ absurda sequantur ex eo, quòd pecunia mutuata dicatur esse moraliter eadem cum soluta? n. 84. & seq.

Ratio à priori, ob quam mutuator transfert dominium in mutuatarium? nu. 86. & seq.

76 JAm verò id, quod assumit Caramuel; scilicet pecuniæ mutuatæ dominium morale non transferri in mutuatarium, evidenter falsum est. Ostenditur primò. Qui accepit centum aureos mutuos, & habet spem certam donationis futuræ totidem aureorum, quibus mutuatori satisfaciat; potest illos aureos mutuatos alienare, & prodigere; sed mutuator non potest retinere dominium morale aureorum, quos mutuatarius justè alienat & prodigit; neque aliorum, qui pro illis substituantur; cùm supponamus, nullos alios remanere apud mutuatarium; neque potest retinere dominium morale eorum, qui donandi sunt; cùm ante quam donentur ei mutuatario, maneant sub dominio ejus domini donaturi: ergo mutuator non retinet dominium aureorum mutuatorum, eorundem physicè, neque eorundem moraliter.

77 Itaque, juxta eam assertionem Caramuelis, pecunia, quæ restituitur à mutuatario, moraliter est eadem numero cum ea, quæ data est mutuo; atqui quæ restituitur in præsenti casu, fuit medio tempore sub dominio morali ejus donatoris: ergo non potuit esse eo tempore sub dominio morali mutuatoris; cùm eadem res non possit esse sub dominio adæquato duorum, ita ut uterque sit adequatus illius dominus; nisi ad summum pro uno instanti.

78 Quòd verò mutuatario liceat, totam pecuniam mutuatam alienare, & prodigere absque injuria mutuatoris, quamvis penes mutuatarium nulla alia remaneat pecunia; quæ erat major primi syllogismi; patet. Nam cùm illam pecuniam acceperit, non restituendam usque ad totius anni tractum elapsum; & eo tempore habiturus sit ex donatione, unde restituat; non violat fidem contractus, neque apparet ulla ratio injuriæ.

79 Ostenditur secundò. Implicat, quòd aliquis, absque injuria alterius, alienet, & prodigat omnem pecuniam, quam apud se habet; & quòd non habeat dominium morale ejus pecuniæ: sed ille, qui accepit centum aureos mutuos usque ad annum; illos, & reliquos nummos alienat, & prodigit sine injuria alterius: ergo implicat, quòd non habeat illorum dominium morale.

80 Major patet. Nam qui omnem pecuniam alienat sine injuria alterius, rem propriam alienat, utiturque exercitio dominii & potestatis suæ; nam si illam alienans non alienaret rem propriam, utique non alienaret, sine injuria alterius, cujus est propria. Minor verò constat ex demonstratione prima. Et consequentia obligat.

81 Ostenditur tertiò. Petrus mutuat Joanni pro anno integro centum aureos; Joannes emit triticum, neque ulli apud hunc nummi alii remanent. Tum sic. Vel Petrus retinet dominium morale in illud triticum substitutum pro mutuo; vel non retinet? Si hoc secundum dicatur; infero: ergo mutuator non retinet dominium in centum aureos à se mutuatos, sed illud amittit. Consequentia patet: cùm nec retineat in illos nummos justo venditionis titulo translatos in venditorem tritici; nec in ipsum triticum substitutum; juxta responsionis normam.

82 Si verò dicatur, Petrum retinere dominium in illud triticum substitutum pro nummis penes Joannem; contra est primò. Nam dominium morale, quod modò habetur in triticum, acquisitum est titulo emptionis, & venditionis validæ: sed Petrus non emit illud triticum à venditore; quia illa mutuatio centum aureorum non fuit emptio tritici physicè, neque moraliter, mutuatio enim non erat actio determinans ad emptionem tritici, sed potius ad hanc omnino indifferenter se habens: ergo Petrus non habet dominium morale in illud triticum.

83 Contra est secundò. Nam cùm venditio illa valida fuerit, venditor tritici verè transtulit dominium morale, quod ipse habebat in triticum: sed non illud transtulit in Petrum mutuatorem aureorum; cùm ab eo non acceperit pretium, neque cum eo celebraverit contractum venditionis: ergo illud transtulit in Joannem mutuatarium, à quo pretium accepit: ergo Joannes est, qui habet dominium morale ejus tritici, & non Petrus.

84 Contra est tertiò. Si æquivalentia facit, quòd triticum, & pecunia pro eodem reputentur, & quòd sit idem dominium morale in pecuniam, & in triticum substitutum; fit, quòd nullus detur in orbe contractus emptionis, & venditionis; & quòd nec venditor transferat in emptorem dominium morale tritici; nec emptor in venditorem dominium morale pecuniæ traditæ. Patet. Quia juxta hunc dicendi modum triticum, & pecunia pro eodem reputantur ob æquivalentiam; & ob eandem dominium morale pecuniæ est etiam moraliter dominium tritici pro pecunia substituti: ergo idem moraliter dominium in pecuniam perseverat in emptore, quod antea habebat; & idem moraliter dominium

minium in triticum, perseverat in venditore, quod anteà habebat ob tandem æquivalentiam: ergo ex parte neutrius datur translatio dominii moralis: qua dominii translatione deficiente deficit contractus emptionis, & venditionis.

85 Confirmatur argumentum. Nam in prædictu casu non manet penes Petrum dominium morale pecuniæ, nec tritici, nec alterius rei, quæ sit penes Ioannem: ergo omninò amittit Petrus dominium morale, quod habebat, eorum aureorum, quos mutuavit Ioanni. Antecedens patet. Non pecuniæ: cùm dominium morale hujus translatum fuerit in venditorem tritici; nec posset esse dominium morale pecuniæ penes duos adæquatè. Non tritici: ut demonstratur in argumento facto. Non alterius rei, quæ sit penes Ioannem; cùm supponat casus, nihil præter triticum apud ipsum remanere.

86 Ostenditur quartò à priori. Qui mutuat alteri centum aureos usque ad annum elapsum, eos dat cum facultate, ut mutuatarius emat ex illis quidquid sibi necessarium, aut voluntarium fuerit, dummodu mutuator indemnis servetur: sed non potest emere, nisi alienando eos: ergo dat, cum facultate eos alienandi. Sed facultas alienandi est dominium: ergo mutuator dominium eorum transfert in mutuatarium.

87 Confirmatur primò. Mutuator dat eis centum aureos, cum facultate donandi eos, cui libuerit; & mutuatarius donat eos consanguineis nomine proprio: atqui implicat, quòd aliquis donet nomine proprio, quod suum non est: ergo sua est, nempe mutuatarii ea quantitas. Ergo mutuator verè transtulit dominium eorum in mutuatarium.

88 Confirmatur secundò. Qui mutuat alteri rem usu consumptibilem, dat illi saltem usum ejus rei: sed usus ejus rei est consumptio illius: ergo qui mutuat rem usu consumptibilem, dat illam cum facultate eam consumendi. Implicat autem, quòd det irrevocabiliter rem cum facultate eam consumendi, & quòd non transferat duminium ejus: ergo implicat, quòd mutuet rem usu consumptibilem, & quòd non transferat dominium ejus.

ARTICULUS IV.

An ex eo, quòd pecunia debeatur mutuatori, arguatur dominium mutuatoris in illam?

SUMMARIUM.

Quare sit pessima consequentia, ex eo quòd aliquis sit debitor pecuniæ, inferre, quòd creditor habet dominium morale ejus pecuniæ? nu. 89. & seq.
An ex jure ad rem inferatur jus in re? nu. 92. & seq.
Responsio refutata. nu. 92. & seq.

89 VIdisti eam consequentiam Caramuelis relatam supra *num* 63 nempe: *Mutuatarius manet debitor, ergo alicujus rei, quæ est mutuatoris: mutuator igitur non transtulit in mutuatarium morale dominium, sed usum*. Eamque esse pessimam consequentiam, demonstratur primò. Nam cùm mutuatarius, qui ad annum recepit à Petro centum aureos, eosque alienavit, nihil penes se retinens, quod pro illis substitui possit, habensque spem certam donationis futuræ aliorum centum aureorum; utique debitor manet: & tamen non manet debitor alicujus rei, quæ sit, aut de præsenti possit esse mutuatoris: ergo stat, quod mutuatarius sit debitor, quin sit debitor alicujus rei, quæ actualiter sit mutuatoris.

90 Consequentia patet. Ubi enim antecedens potest stare sine consequente, tota vis consequentiæ evanescit, quæ tota stat in connexione antecedentis cum consequente. Major est ex terminis nota. Et non minus patet minor. Nam licèt mutuatarius debeat centum aureos mutuatori; non tamen est aliquid penes mutuatarium, cujus dominium possit persistere penes mutuatorem, ut ex relatione casus liquet: nec mutuator potest habere actualiter dominium aureorum, qui non dum mutuatario donati sunt.

91 Demonstratur secundò. Quid enim vetat, quòd Petrus tradat Ioanni equum cum facultate, ut vendat illum, & suæ præsenti necessitati opituletur, & post duos annos restituat sibi equum æquè bonum? Sanè Petrus nullum dominium morale retinet in equum, saltem ubi Ioannes vendidit; neque in equum sibi posteà restituendum, qui adhuc est sub dominio morali venditoris, aut donatoris futuri; neque in rem aliam existentem penes Ioannem, qui fortasse nihil retinet æquivalens. Tum sic. Ioannes est debitor equi (etiam postquam illam equum Petri vendidit) & tamen non est debitor equi, qui actualiter sit sub dominio morali Petri; ut ex ipsa hypothesis propositione patet; sicut neque alterius rei æquivalentis pro equo actualiter substitutæ in medio tempore: potest ergo aliquis esse debitor; quin res debita sit actualiter ejus, cui debetur.

92 Demonstratur tertiò. Datur enim jus ad rem, & jus in re; ita ut qui habet jus ad rem, non eo ipso habeat jus in re. Dum ergo Petrus habet jus ad rem Ioannis, res, ad quam habet jus, debita est Petro: & tamen non est sub dominio morali Petri; alioqui non esset dumtaxat jus ad rem: ergo res potest esse debita Petro, quin ea res sit actualiter Petri. Ita cùm Petrus donavit Ioanni equum cum onere dandi Ecclesiæ centum argenteos; Ecclesia non habet dominium murale in equum, neque in argenteos, dum non donantur, sed jus ad argenteos; cùm tamen Ioannes accipiens equum debeat centum argenteos Ecclesiæ: ergo cum solo jure ad rem, & sine dominio morali, possunt argentei esse debiti: ergo ex eo quòd sint debiti, malè infertur, eos esse sub dominio ejus, cui debentur. Quæ quidem ex verbis Caramuelis confirmationem accipiunt *in Theol. fundam. num. 1142 in Reg. Iur. Civ.* ait enim: [Non patiar, jus in rem, & jus in re confundi: non enim, qui habet illud, hoc habere videtur: & si cui hoc habere videatur, male videtur: An ne actio ad rem recuperandam, aliquid aliud est, quàm jus in rem?] Habet ergo mutuator jus ad rem, dum pecuniæ mutuatæ sibi debentur: malè ergo arguitur jus in re, sive duminium morale.

93 Similiter, qui habet censum super agro Petri constitutum, habet jus ad exigendas annuas pensiones, sive fructus agri; neque tamen habet dominium morale in pensiones, vel fructus futuros; cùm nemo sit dominus eorum, quæ non dum existunt. Tum sic. Fructus futuri debentur domino census; cùm modò habeat jus ad illos: & tamen non habet dominium morale in fructus futuros: ergo stat, aliquid esse debitum absque dominio morali.

94 Nec satisfacis, si dicas, fructus futuros non dum deberi, usque dum perveniat terminus temporis, in quo debent solvi; in quo termino jam existunt.

95 Non, inquam, satisfacis. Nam similiter posset responderi in hypothesi ejus, qui mutuavit usque ad annum centum aureos. Poterit enim responderi, eos centum aureos non esse debitos mutuatori: quia solùm debebuntur, cùm labatur annus, sive terminus temporis, ad quem usque mutuati sunt. Et ita cùm dicis, *Mutuatarius est debitor*; negabo antecedens, quia non debentur actualiter, sed debebuntur elapso termino.

96 Deinde, quia etiam elapso termino pensionis solvendæ, qui habet censum, non habet dominium in eam pensionem, sed jus ad rem, donec vel traditione, vel sententia Judicis pensiu ei adjudicetur. Et tamen ea pensio elapso termino est actualiter debita: potest ergo esse res debita absque dominiu morali.

ARTICULUS V.

An pecunia, quæ mutuatur, & alia physicè diversa, quæ solvitur, sit una, & eadem numero morali?

SUMMARIUM.

Assertio Caramuelis. nu. 97.
Primum absurdum ex ea assertione consecutum. num. 98. & seq.
Responsio refutata. nu. 101. & seq.

97 AFfirmativam partem tradit Caramuel in verbis supra relatis *num.* 63, ut inde colligat, mutuatorem non transferre dominium pecuniæ mutuatæ, sed retinere. Quam assertionem esse manifestè falsam, clarissimè ostendam. Et quidem esse moraliter similem, & ejusdem speciei moralis, verum est: esse autem unam & eandem numero morali, non sine ingenti æquivocatione pronunciatur.

98 Ostendo primò. Centum aurei mutuati, & centum alii physicè diversi, qui solvuntur, sunt, per te, una & eadem numero morali quantitas: ergo si mutuator centum aureorum accipiat pro solutione eusdem aureos physicos à se datos, & tutidem alios physicè diversos, nihil accipit ultra sortem sed potius accipit tantum, quantum dedit: ducenti ergo aurei physicè licitè exiguntur à mutuatore pro centum, quos mutuavit. Patet prima consequentia. Mutuator enim justè exigit unam moraliter quantitatem centum aureorum: sed ambæ physicæ quantitates, per te, est una & eadem numero morali: ergo mutuator justè exigit ambas quantitates physicas. Sed consequens est chymæricum: ergo & antecedens, unde infertur.

99 Confirmatur. Nam ubi duæ quantitates physicæ sunt numero morali una & eadem quantitas, tres, & quatuor physicæ quantitates centenariæ erunt similiter una eadem numero morali quantitas centenaria: &, si quatuor, etiam decem; & si decem, etiam mille. Ergo qui accipit mille quantitates physicas centenarias, non accipit plus moraliter, quàm qui accipit unam; atque adeò qui mutuavit centum aureos physicos, potest exigere centum millia aureorum. Consequentia patet. Ex dictis enim legitimè infertur mille quantitates physicas centenarias aureorum esse unam, & eandem numero morali: ergo qui mille physicas accipit, unam moraliter accipit; atque adeò non accipit plus moraliter, quàm qui unam physicam centenariam accipit. Ut ergo æquivocationem tollas, dic, duas quantitates physicas centenarias non esse unam & eandem numero morali; sed esse moraliter similes, & ejusdem speciei moralis, quamvis specie physica differant.

100 Ostendu secundò. Una quantitas centenaria physica facit numerum moralem cum alia quantitate centenaria physica: ergo utraque non est una, & eadem numero morali; Consequentia

tia patet: quia implicat, quòd resultet numerus ex unica unitate. Antecedens etiam patet. Quia una quantitas centenaria physica cum alia simili physica in æstimatione morali constituit valorem ducentorum: ubi autem centum consideratur ut unitas, ducenta necessariò considerantur ut numerus.

101 Dices, unam quantitatem physicam comparatam ad aliam parem physicè diversam, per superadditionem, facere numerum cum illa; at verò substitutam pro alia esse moraliter unam & eandem; quia taliter substituta æquivalet alteri, & sic se habet, ac si esset illa altera.

102 Contra est primò. Nam dum Petrus mutuat centum aureos Joanni, substituit alios centum pro sui sustentatione: & tamen una quantitas non est moraliter eadem cum alia: ergo licèt consideretur una quantitas ut substituta pro alia, non est moraliter eadem numero.

103 Dices, non esse eandem numero morali, quà utcumque substitutam, sed quà substitutam in solutione.

104 Sed contra est. Nam quòd sit eadem numero morali, consistit in æquivalentia: sed quantitas centenaria eodem modo æquivalet alteri quantitati centenariæ, sive pro solutione, sive pro sustentatione adhibeatur: ergo vel utroque modò, vel neutro est eadem numero morali.

105 Contra est secundò. Nam æquivalentia moralis duarum entitatum est relatio moralis; relatio autem in eo genere, in quo est relatio, versatur inter extrema distincta: ergo ea æquivalentia moralis versatur inter extrema moraliter distincta saltem numero.

106 Contra est tertiò. Quia si una quantitas physica substituta pro alia est eadem numero morali cum alia; non poterit quantitas substituta superaddi alteri: ergo neque per superadditionem poterit esse moraliter diversa numero. Patet consequentia. Et antecedens probatur. Nihil enim superadditur ad se ipsum: ergo cùm pecunia mutuata, & pecunia substituta sit eadem numero morali, nequibit una alteri superaddi.

107 Contra est quartò. Ideò enim dicitur a una pecunia physica substituta pro alia, esse eadem numero morali cum illa, quia illi æquivalet in valore: æquivalentia autem moralis potius arguit distinctionem, quàm identitatem; æquivalentia enim quid est, nisi æqualis valor? ubi autem æqualitas valoris est, versatur distinctio; cùm æqualitas non detur nisi inter extrema distincta; nihil enim est sibi ipsi æquale. Sanè ejusmodi loquendi, aut discurrendi modos metaphoricos detestor: quin potius semper conatus sum assertiones à metaphoris mundare; ut veritas in se ipsa, quantum fieri potest, clarius innotescat.

ARTICULUS VI.

An licèt pecunia mutuata, & soluta sit moraliter eadem; malè inde arguatur dominium morale esse idem?

NON EGET SUMMARIO.

108 DAmus gratis Caramueli, pecuniam mutuatam, & deinde solutam esse eandem numero morali: & adhuc eum arguimus de pravitate consequentiæ. Non enim inde infertur, persistere idem dominium in mutuatore. Patet primò. Res physicè, & moraliter eadem potest subordinari successivè pluribus dominiis adæquatis: ergo quamvis pecunia sit moraliter eadem, potest diversis dominiis adæquatis subordinari; adeòque poterit modò sub dominio morali mutuatoris, modò mutuatarii versari. Consequentia patet.

109 Et antecedens probatur. Nam equus hodie, cras, & perendie est idem physicè; & item est idem moraliter, dum retinet eundem valorem. Hodie est sub dominio Petri, cras illum emit Paulus, perendie Franciscus: ergo res physicè & moraliter eadem potest diversis dominiis adæquatis subjacere.

110 Patet secundò in pecunia, quæ sit eadem physicè & moraliter. Petrus donat Paulo centum aureos, hos omnino eosdem donat iste Joanni, Joannes Antonio, Antonius Francisco. Ecce ista pecunia est moraliter eadem (immò & physicè) & variat successivè quinque dominos: ergo quamvis pecunia mutuata sit moraliter eadem, potest successivè variare diversos dominos. Ergo pecunia, quæ hodie est mutuatoris, potest deinde esse sub dominio mutuatarii. Ergo ex eo quòd sit eadem moraliter, malè infertur, quòd debeat esse idem dominium morale.

111 Patet tertiò in hac hypothesi. Petrus mutuavit Joanni centum aureos ad annum: quo elapso, quia Petrus non instat solutioni, eos ipsos, quos apud se retinebat Joannes solvendos, impendit in emendo triticum ad lucrum; post dies aliquos vendit triticum cum lucro; & centum aureos jam recuperatos solvit Petro. Tum sic: si isti centum aurei soluti Petro sunt iidem numero morali cum mutuatis; erunt etiam iidem numero morali cum impensis in triticum, & cum expensis pro tritico; cùm tam isti, quàm illi sint similiter æquivalentes in æstimatione morali, sicut mutuati & soluti: & tamen isti nummi variarunt dominia moralia, nam eorum dominium translatum est in venditorem tritici; neque enim aliter potuit fieri venditio: ergo licèt quantitas mutuata, & soluta sit moraliter eadem, potuit diversis dominiis moralibus subesse; atque adeò successivè dominio mutuatoris, & mutuatarii.

ARTICULUS VII.

An implicet mutuatario concedi usum præter dominium?

SUMMARIUM.

112 UT communem sententiam refellat Caramuel, scilicet de dominio translato à mutuatore in mutuatarium, conatur illam adducere ad absurdum ex eo desumptum, quòd juxta illam mutuator concedat mutuatario usum præter dominium: quasi concesso dominio, possit usum negare, & concedere. Id autem, quod assumit, implicatorium est.

113 Pro quo notandum est primò, hic nos loqui de dominio perfecto, & absoluto, non de directo, vel utili. Et quidem dominium perfectum est *jus in re extendens se ad omnem ejus usum, lege non prohibitum.* Unde prædictum dominium est potestas in re aliqua ad utendum illa omni usu non prohibito per legem.

114 Notandum est secundò, nomine usus non intelligi usum facti, sed usum juris; id est, jus ad utendum, salva rei substantia. Notandum est tertiò, loqui etiam nos hic de usu irrevocabili: ita ut qui hunc usum alteri concedit, non concedat illum revocabiliter pro nutu concedentis, sed irrevocabiliter. De his prænotationibus vide Lessium *de Just. cap.* 3.

115 Ex his fit, quòd quamvis in rebus permanentibus possit quis concedere alteri usum juris retento dominio; non tamen id potest fieri in rebus, quæ usu consumuntur; quales sunt pecunia, & comestibilia. Et ratio disparitatis est. Nam qui concedit usum juris in re aliqua, concedit illi jus utendi ea, salva rei substantia. Et ita Petrus concedere potest alteri jus utendi equo suo; quia ille alter potest uti equo, salva rei substantia. Non autem potest concedere usum pecuniæ retento sibi dominio: quia cùm pecunia sit ipso usu consumptibilis, eo ipso quòd dat alteri jus utendi pecunia, dat illi jus consumendi pecuniam; atque adeò non dat illi jus utendi pecunia salva rei substantia, sed potius jus consumendi ipsam pecuniæ substantiam.

116 Hinc etiam infertur, implicare, quòd quis det alteri dominium perfectum pecuniæ, & cujusvis rei usu consumptibilis, & quòd non det illi usum juris: & è converso, implicare quòd quis det alteri irrevocabiliter usum juris in pecunia, & quòd non det ei dominium perfectum in illa. Ratio est: quia cùm usus juris, qui distinctus est à dominio, sit salva rei substantia; & in pecunia, & ceteris usu consumptibilibus non possit dari usus salva rei substantia, quia usus eorum consistit in consumptione; inde est, quòd in his rebus nō sit separabilis usus juris (irrevocabiliter concessus) à dominio.

117 Nec dicas, posse concedi usum pecuniæ ad meram ostentationem; quo casu qui illam accipit, ea utitur salva rei substantia. Nam in eo casu consideratur pecunia per modum supellectilis permanentis: quo pacto non repugnat concedi usum juris in pecunia retento dominio. Qui tamen non est usus ordinarius pecuniæ: de quo communi usu consumptionis loquimur in præsenti.

118 Ex his colligitur, perperam dictum esse à Caramuele, mutuatorem concedere mutuatario dominium, & usum pecuniæ: quasi concesso dominio, posset usum negare. Primò. Nam in hoc casu non habet locum usus juris in pecunia mutuata. Nam cùm data fuerit pecunia usu ipso consumptibilis, repugnat, quòd concedat illi usum juris in pecunia, salva rei substantia. Implicat enim, quòd concedat jus utendi salva rei substantia; & quòd istud jus sit ad consumendum rei substantiam.

119 Secundò. Quia dominium est facultas utendi re, cujus dominium trasfertur: sed uti re usu consumptibili, est rem consumere: ergo eo ipso, quòd concedat dominium rei usu consumptibilis, concedit facultatem eam consumendi. Sed cum facultate consumendi rem non componitur facultas utendi re salva rei substantia: ergo eo ipso quòd concedit illi dominium rei usu consumptibilis, non dat illi facultatem utendi ea, salva rei substantia: ergo eo ipso quòd concedat illi dominiū rei usu consumptibilis, non potest ei concedere usum juris, qui salvam rei substantiam requirit.

ARTICULUS VIII.

Quid de extrema consequentia Caramuelis dicendum sit?

SUMMARIUM.

An

An sine pretio translationis dominii solutio adæquet debitum? n.124.
An ex opposita opinione lata janua aperiatur usuris? n.125.
Compendium totius disputationis, n.127. & seq.

120 RElege extrema periodi verba, relatæ *art.*1. [Ergo plus recipere poterit, qui pro anno dat dominium, & usum simul, quàm qui usum tantùm. At mechanicus, qui instrumenta accommodat, concedit usum tantùm, & mercator, qui mutuat pecunias, usum & dominium simul. (sic vultis) ergo plus poterit mercator, cæteris paribus, pro pecunia mutuata recipere, quàm Faber pro instrumento locato.] Ubi contendit Caramuel, si verum est quòd mutuator transfert dominium; pro ea translatione posse mutuatorem exigere pretium: immò & maius pretium, quàm in locatione; quia in mutuatione conceditur etiam dominium ultra usum.

121 Quàm falsum sit hoc ultimum, constat ex *art. præced.* sed quidquid sit de fallitate, aut veritate ejus asserti; discutienda est ea consequentia Caramuelis, an ex eo quòd mutuator transferat dominium pecuniæ in mutuatarium, inferatur, quod possit exigere pretium pro ea translatione dominii, immò & majus pretium, quàm in locatione, propter translationem dominii, & concessionem usus?

122 Assero ergo tolerandam non esse eam consequentiam: neque cum principiis Theologiæ moralis componi posse, quòd pro sola translatione dominii pecuniæ mutuatæ possit exigi pretium. Ostendo primò, supponendo cum Caramuele, mutuatorem transferre dominium physicum pecuniæ mutuatæ. Pro translatione dominii physici non potest mutuator exigere pretium: ergo neq; pro translatione dominii moralis. In quo disparitatem desidero. Quid enim habet dominium morale in sui translatione, ratione cujus possit exigi pretium, quòd non reluceat etiam in translatione dominii physici?

123 Ostendo secundò. Nam qui acciperet pretium quinque aureorum pro translatione dominii auri centenarii mutuati; utique duplex pretium acquireret; unum adæquatum, nempe centum aureos suo tempore solutos, & item eos quinque aureos superadditos: atqui usura est excessus quinque aureorum: ergo usura est pretium exigere pro ipsa translatione dominii. Eadem injustitia contingeret, si equum valentem centum aureis, venderes illis numeratis; & ulterius exigeres quinque aureos pro translatione dominii in equum.

124 Ostendo tertiò. Nam centum aurei post annum soluti est quantitas adæquans debitum centum mutuatorum, etiam si centum aurei mutuati fuerint cum translatione dominii: ergo pro ea translatione dominii exigi nequit ulterius pretium. Consequentia patet: nihil enim potest ulterius exigi, ubi solutio adæquatè extinguit debitum; ut ex terminis notum est. Antecedens verò probatur. Nam si centum aurei mutuantur cum translatione dominii, etiam solvuntur cum translatione dominii: ergo mutuatio & solutio pares sunt, & pariter gradiuntur; atque adeò solutio adæquat, quidquid debiti inerat mutuationi.

125 Ostendo quartò. Nam ex hac assertione, spatiosa via, & lata porta aperitur usuris. Nequit enim negare Caramuel, esse probabilem sententiam, quæ docet, mutuatorem transferre dominium morale pecuniæ in mutuatarium: sed ex ea inferri, quòd pro translatione ejus dominii moralis possit exigi pretium, contendit Caramuel: ergo pro mera mutuatione potest exigi pretium. Unde probabile erit, quòd seclusa ratione lucri cessantis, damni emergentis, & periculi sortis possit in mutuo exigi pretium.

126 Nec satisfaciet, si dicat, eam sententiam à principiis intrinsecis non esse probabilem. Hoc enim rectè dicet. Nam quæ sunt evidentia, non sunt merè probabilia. Et nihil evidentius est ea sententia, ut constat ex argumentis propositis.

Synopsis totius disputationis.

127 EX *cap.*2. constat, repugnare principiis certis opinionem, quæ asserit, hanc formulam mutui [Do tibi centum aureos mutuos ad annum solvendos,] importare gravamen pretio æstimabile; aut eam non esse formulam puri mutui; & posse exigi pretium pro carentia pecuniæ, quam mutuator subit pro toto anno.

128 Ex *cap.*3. constat, repugnare etiam principiis certis, adeòque esse certò falsam opinionem, quæ asserit, esse gravamen mutuatoris pretio æstimabile, quòd privet se facultate lucrandi, quamvis re ipsa non esset lucraturus; atque adeò eo titulo posse mutuatorem exigere pretium ultra sortem.

129 Ex *cap.*4. certum manet, repugnare principiis certis, atque adeò esse certò falsam opinionem, quæ asserit, seclusis titulis lucri cessantis & damni emergentis, pluris valere pecuniam numeratam, quàm pecuniam post annum numerandam in ordine ad mutuum; sicut & quæ asserit, posse quem mutuare nonaginta, quinque aureos numerata pecunia, & post annum centum aureos recipere à mutuatario.

130 Ex *cap.*6. *art.*2. & 3. certò constat, non remanere penes mutuatorem dominium morale pecuniæ mutuatæ; nam opposita opinio manifestè repugnat principiis certis ibidem assignatis.

131 Ibidem *art.*4. convincitur, pessimam esse consequentiam, ex eo quòd mutuatarius debeat mutuatori centum aureos mutuatos, inferre quòd remanet penes mutuatorem dominium morale pecuniæ mutuatæ.

132 Ex *art.*5. constat, absurdam esse assertionem, quæ affirmat, pecuniam mutuatam esse moraliter eandem numero cum pecunia restituta: & quàm absurdæ consequentiæ inde deducantur.

133 Ex *art.*6. constat, quamvis pecunia mutuata, & pecunia soluta sit moraliter eadem numero; malè inde inferri, quòd remaneat penes mutuatorem dominium morale pecuniæ mutuatæ.

134 Ex *art.*7. & 8 constat, non esse tolerandam eam consequentiam: nempe ex eo quòd mutuator concedat mutuatario, ultra usum, dominium pecuniæ, inferri quòd possit accipere pretium pro ea translatione dominii; immò & majus pretium, quàm pro locatione.

DISPUTATIO LXIV.

An sit usura, si mutues Petro centum sub onere, ut solvat tibi debitum probabile?

CAPUT PRIMUM.

Discursus Caramuelis proponitur.

SUMMARIUM.

An sit usura mutuare Petro cum obligatione reddendi aliquid aliud, quod non debet? Vel reddendi, quod debet? n.1.
Nova quæstio Caramuelis circa debitum probabile. n.2.
Assertio eiusdem, non esse usuram mutuare cum obligatione solvendi debitum probabile. n.3.
Quo modo limitet assertionem? n.4.
Objectio, quam sibi proponit. n.5.
Solutio, quam exhibet. n.6. & seq.

1 APud omnes certum est, esse usuram, si mutues pecuniam Petro eum obligatione civili reddendi, aut præstandi tibi, quod non debet. Ea enim obligatio ciuilis est pretio æstimabilis: & aliquid, quod accipis ultra sortem. Si autem mutues Petro sub onere, ad quod aliàs tenetur, nulla est ratio usuræ. Et ita si Petrus tibi certo debeat quinquaginta; potes illi mutuare centum usque ad annum, cum obligatione solvendi post annum centum & quinquaginta. De his vide P. Lessium *de Just. cap.*20. præcipuè *dub.*7. & 8. & omnes Theologos agentes de mutuo, & usura.

2 Hinc progreditur Caramuel *lib.*2. *Theolog. Intent. disp.*14. *nu.* 737 & quæstionem instituit: [An qui debitum merè probabile vellet cum novo illo debitu mutui confundi, dicendus esset usurarius?] Et quæstionis explicationem his verbis prosequitur. [Verbi gratia, an Petrus, si illi Antonius probabiliter deberet centum aureos, daret Antonio mille mutuos sub onere, quòd mille centum restitueret; nimirum illos mille, & alios centum; esset usurarius?]

3 Cui quæstioni sic ibidem satisfacit. [Respondeo, me nullam in probabili debito difficultatem reperire. Probabilitatis privilegio judicium ferri prudenter potest liberè in utramque partem. Qui igitur probabiliter judicat, sibi deberi centum aureos, prudenter judicat; & si prudenter, etiam prudenter judicabit, se nihil præter sortem recipere, cùm illos: ergo &, se non esse usurarium; ralis enim non est, qui nihil acquirit præter sortem.] Hæc est assertio Caramuelis.

4 Quam tamen sic limitat: [Cæterùm si in aliqua Republica ita leges intelligantur, ut debita probabilia speculativè, sint practicè nulla; & possessorem practicè ad nihil omninò teneri, nequidem probabiliter; tunc videretur non posse ratione mutui solutionem, aut cautionem alius debiti probabilis exigere: quoniam solutio & cautio practicæ sunt, & ponitur, debitum probabile practicè & muraliter, juxta illius Reipublicæ mores, nullum esse.] Itaque asserit, ubi ex peculiari lege standum fuerit pro possessore in debitis probabilibus; ibi non esse jus exigendi à possessore tale debitum. Quòd si mutues exigendo à possessore debitum probabile, usuram committis, quia ultra sortem recipis aliquid re vera indebitum.

5 Sed, ut ingenii subtilitate præstat Caramueli, hoc sibi argumentum opponit *num.*738. [Dices, hanc limitationem à me assignatam, non debere ad aliquam specialem pruvinciam, aut etiam leges provinciales restringi, sed debere ad omnes absolutè extendi. Et arguis sic. Omnis obligatio est pretio æstimabilis: atqui Antonius non tenebatur solvere illud debitum merè probabile: ergo pretio æstimabile est, quòd se obliget ad id sulvendum. Atqui nihil pretio æstimabile potest præter sortem acquiri ratione mutui: ergo nec illud.]

6 Refert deinde quandam hujus argumenti solutionem, & eam refellit. Audiendus est ejus discursus. [Respondent aliqui distinguendo minorem: non teneri evidenter, concedunt; non teneri probabiliter, negant. Sed meritò tibi displicet hæc respon-

sio; est enim falsa, & inefficax. Falsa quidem ; quia improbabile est, peccare eum, qui sequitur opinionem probabilem ; improbabile, peccare eum , qui non solvit debitum probabile. Igitur probabile debitum nequidem probabiliter tenetur quis solvere ; est enim certum , & forte evidens, quòd non tenetur. Et est insufficiens , quia ut constat ex Regula 95. *Majoris fit debitum certum , quàm probabile*. Hoc enim si velis vocare in controversiam , vende sub hasta debita probabilia ; & hominum commune judicium experieris : ergo cùm Petrus vult sibi , mutui intuitu, concedi cautionem , & obligationem pro debito purè probabili, plus exigit, quàm sibi debetur ; petit enim , quòd debitum probabile in certum commutetur ; hoc est, ut octò, vel decem aureorum debitum in debitum centum aureorum convertatur : non enim pro debito probabili decimam partem certam exponeres ; cùm scias , in omni probabilitate solere Iudices stare pro Reo, & possessore.] Asserit itaque, cùm debitum est merè probabile , esse certum, quod debitor non tenetur illud solvere , & quamvis dicatur , probabiliter teneri : non solvi difficultatem : quia debitum probabile minoris valet , quàm certum.

7 Sed quid respondet Caramuel huic objectioni ? Ecce ejus verba : [Fateor , me sentire argumentationis vim , nec daturum evidentem aliquam solutionem , sed bonam , & formidini obnoxiam . Respondeo igitur , singulas propositiones distinguendo. Concedo, omnem obligationem novam faciendi, quòd Antonius non debeat, esse pretio æstimabilem : nego tamen , pretio æstimandam esse obligationem , quæ cogat, ut faciat , quod debet. Ad minorem subveniens, concedo, Antonium non teneri formaliter ad solutionem illius debiti ; at verò materialiter, non quidem evidenter, sed probabiliter teneri , dico : & in nostro casu cùm Antonius se obliget ad solvendum ,quod debet , nego consequentiam .] Et confirmat ex Regula 59. in qua non dixit Bonifacius VIII. dolo facere eum, qui petit, quod alter non debet solvere, sed sic: *Dolo facit , qui petit , quod restituere oportet eundem*. Et infert ; [ergo non facit dolo, qui petit , quod potest tuta conscientia retinere . . At Petrus non teneretur restituere, si ab Antonio debita probabilia reciperet: ergo non facit dolo , cùm adhibet industriam & diligentiam , ut eam cum novo mutuo confundat, ut tandem recipere possit.] Hucusque Caramuel.

CAPUT II.

Prænotantur aliqua pro intelligentia quæstionis.

SUMMARIUM.

Multiplex quæstio hîc inclusa. nu. 8.

Potest esse quæstio de debito probabili , interveniente possessione , & absque illa. ibid.

Potest quæstio versari de probabilitate facti, & etiam juris. n. 9. & seq.

Potest esse quæstio de debito probabili , quin sit probabilis defectus debiti. n. 11. & seq.

An in probabilitate facti una sola pars sit probabilis? n. 13. remissivè.

Quinque quæstiones hîc inclusæ. n. 14.

8 HÆc non est una, sed multiplex quæstio pro diversitate casuum , & hypothesium , in quibus potest versari. Et primò quidem potest res esse probabiliter debita Petro mutuatori, interveniente possessione Antonii mutuatarii ; & potest esse sine tali possessione . Primæ hypothesis exemplum est, si Antonius Ioannis hæres possideat hæreditatem , quam ad Petrum pertinere probabiliter creditur . Secundæ exemplum est, si Petrus, & Antonius actores sint pro adipiscenda hæreditate litigiosa , quam neuter adivit , nec adeptus est ; probabiliter tamen spectat ad utrumlibet . In quo casu Antonius potest dici debitor probabilis (sicut & Petrus) quia probabiliter debet cedere alteri hæreditate , & aditione illius . Quòd si ejusdem rei aliud aptius exemplum velis, da casum , quo probabile est , Antonium se obligasse in contractu ad solvendum Petro centum aureos ex quadam hæreditate sibi superventura , quam nondum possidet . Quorum licèt Antonius non sit debitor actualis , est tamen debitor futurus, & quidem probabilis. In quo etiam casu habet locum quæstio , an mutuator possit obligare mutuatarium, ut sibi solvat, cùm adeat hæreditatem.

9 Deinde potest quæstio versari de probabilitate facti, & de probabilitate juris. Id debitum Antonii subsistet in probabilitate facti; si sit unus testis idoneus, faciens semiplenam probationem, qui asserat, Petrum mutuasse Antonio eos centum aureos ; cùm tamen nec Petrus, nec Antonius aliàs recordentur ejus mutuationis . Et suppono , testem non esse tantæ fidei, ut faciat plenam probationem ; qualem de facto reperiri, non est impossibile . Vel etiam da casum, quo Antonius fuit fidejussor Ioannis, qui tamen non est solvendo : & testis idoneus deponit de centum aureis mutuatis Ioanni à Petro sub eo fidejussionis fœdere.

10 Exemplum debiti probabilis probabilitate juris invenies in ea hypothesi, in qua Antonius ex culpa levi, & veniali fuit causa combustionis segetum Petri : pro cujus restitutionis onere fuat hinc inde probabiles Authorum sententiæ.

11 Deinde, ut contra Caramuelem demonstravi *in 1. part. Crisi Theolog. disp.* 4 potest in aliqua quæstione una pars esse probabilis ; quin sit probabilis pars opposita . Iuxta quam assertionem fieri potest , quòd detur probabilitas de debito ; & nullam esse probabilitatem de defectu debiti . Talis intercederet, si, cùm Petrus, & Antonius omnino dubitarent de mutuatione, testis idoneus , faciens fidem semiplenam , assereret mutuatos. In quo casu ex parte Antonii nullum esset fundamentum ad negandum eam mutuationem factam . Posset etiam esse probabilitas de extinctione debiti , & nulla probabilitas de persistentia ejus . Si videlicet testis faciens semiplenam , assereret , coram se Petrum condonasse Antonio centum aureos certò mutuatos ; utroque dubitante de condonatione : Antonius enim haberet probabilitatem de condonatione ; Petrus autem nullum haberet probabile fundamentum ad eam negandam.

12 Neque hîc potest habere locum responsio Caramuelis , quòd ubi pro una parte nullum est fundamentum probabile, opposita pars transit in certam. Tum quia ibidem oppositum demonstravi . Tum quia nullus Iudex jubebit solvere debitum semiplenè probatum ; etiam si neuter sit reus, vel possideat.

13 Diximus autem *disp. 6. cap. 6. art. 2.* In solutione tertiæ objectionis, in probabilitate facti, quæ subsistit in fide testium , semper contingere , quòd una dumtaxat pars sit probabilis , & opposita careat fundamento probabili. Relege ibi dicta, quæ si attentè perpendantur, omnino esse certa videbuntur.

14 Hinc oriuntur quæstiones quinque . Prima . An debitum probabile, quod utrimque probabile est probabilitate juris vel facti, debeat solvere is , qui est legitimus possessor ; vel ab eo possit probabilis creditor exigere , aut recuperare ? Cui adjungitur quæstio appendix , An possit Petrus mutuare Antonio cum onere , ut solvat id debitum probabile , in quo possessio stat pro Antonio ? Secunda . Quid , quando est probabilitas ex parte debiti , & nulla adsit probabilitas ex parte carentiæ debiti ; & talis debitor probabilis possideat ? Unde etiam nascitur ea quæstio , An Petrus possit mutuare Antonio cum onere solvendi id debitum probabile constitutum in relata hypothesi ? Tertia, an teneatur solvere talis possessor, cùm debitum est certum, & solutio est probabilis ; & pro non solutione non adest probabilitas ? Et quid, quando pro non solutione est argumentum probabile ? Et simul , an Petrus possit mutuare Antonio cum onere solvendi tale debitum certum , cujus solutio est probabilis ? Et similis quæstio est, quando carentia debiti est probabilis, debitum autem non est positivè probabile ? Quarta quæstio est, si neuter possideat , sed ambo sint actores , & judex adjudicet Antonio hæreditatem ; an teneatur Petrus illa cedere ? Consequenterque quæritur , an Petrus possit mutuare Antonio mille aureos , cum onere restituendi sibi hæreditatem , adjudicatam Antonio ? Quinta quæstio est , an si ex parte neutrius sit possessio , neque adjudicatio judicis ; & utrimque sit probabilitas juris, possit Petrus mutuare Antonio cum onere cedendi hæreditatem? Et similis quæstio est, si ex parte unius possessio est probabiliter legitima ; eo quòd sit varietas sententiarum in ea quæstione , an jus resistat ei possessioni.

CAPUT III.

Duæ priores quæstiones deciduntur.

SUMMARIUM.

An possessio legitima sit jus certum retinendi. n. 15. remissivè.

An sit usura mutuare exigendo debitum probabile à possessore , quod utrimque est probabile. n. 16.

An possessor possit spoliari re possessa , antè quam certò constet de proprietate alterius. n. 17.

An sit usura mutuare exigendo à possessore debitum probabile , quando nulla est probabilitas carentiæ debiti. n. 18. & seq.

15 EX eodem principio decidendæ sunt duæ priores quæstiones, quas ideo in hoc capite complectimur. Conveniunt ergo ambæ quæstiones in eo, quòd debitor probabilis possidet. Et in 1 *part. Crisi Theol. disp.* 16. clarè ostendi , possessionem legitimam esse jus certum retinendi rem possessam : quod jus cùm certum sit, non potest vinci à proprietate merè probabili : nec possidentem posse spoliari re possessa , donec argumenta certa proprietatis reluceant.

16 In prima ergo quæstione dicendum est , à legitimo possessore non posse exigi debitum probabile , quod utrimque probabile sit probabilitate juris, vel facti . Et consequenter esse usurarium Petrum , dum mutuat Antonio mille aureos cum onere solvendi sibi debitum probabile , quoad proprietatem , in quo possessio legitima stat pro Antonio . Et quidem secunda pars conclusionis evidenter infertur ex prima . Est enim evidenter usurarius, qui mutuat cum onere solvendi sibi , quod non debetur : sed possessor non debet solvere debitum probabile quo ad proprietatem ; ut constat ex prima parte conclusionis . Ergo usurarius est , qui mutuat cum eo onere , ut possessor solvat debitum probabile quo ad proprietatem.

17 Jam vero prima pars conclusionis constat *ex num.* 15. Possessor enim spoliari non potest re possessa, donec accedat argumentum moraliter certum de proprietate alterius; eo quòd possessio est jus certum retinendi; quod mera probabilitate vinci non potest: sed ubi debitum est merè probabile quo ad proprietatem etiam probabilitate juris, non datur argumentum certum de proprietate creditoris: ergo ubi debitum est merè probabile quo ad proprietatem, non potest exigi debitum ab eo debitore probabili possidente.

18 Quod attinet ad secundam quæstionem, dicendum est, quando probabilitas est ea parte debiti quo ad proprietatem, & nulla probabilitas adest ea parte carentiæ debiti; adhuc ille debitor probabilis, si possideat, non potest cogi ad solvendum, nec ab eo tale debitum exigi, aut recuperari potest. V. g. cùm adest unus testis faciens fidem semiplenam, & attestans, Petrum mutuasse Antonio centum; ex parte verò Antonii nullus sit testis, nullumve argumentum, quo probetur, eam pecuniam non fuisse mutuatam. In quo casu non potest Petrus exigere, vel retinere id debitum probabile. Et consequenter non potest mutuare mille aureos Antonio cum onere solvendi id debitum probabile. Secunda pars constat evidenter ea prima, ut constat *ex nu.* 16.

19 Et prima pars est manifesta ex dictis circà primam quæstionem. Nam ubi debitum est dumtaxat probabile, etiam si nulla probabilitas detur ex parte carentiæ debiti; nondum relucet argumentum certum, vi cujus possessor possit spoliari re possessa. Et quamvis Caramuel dicat, ubi una pars est probabilis, & opposita pars destituitur omni fundamento probabili; partem probabilem evadere in certam; id tamen esse planè falsum, ostendi *in 1. part. Cris. Theol. disp.* 4. *cap.* 10.

CAPUT IV.

Deciditur quæstio tertia.

SUMMARIUM.

An sit usura mutuare cum onere solvendi debitum certum, cujus solutionem factam esse est solùm probabile? n. 20. & seq.

An debito certo non satisfiat solutione incerta? n. 22. & seq.

An id intelligatur de debito probabili probabilitate facti, non juris? n. 24. & seq.

Quare probabilitas facti non transeat ad probabilitatem juris? n. 27.

An solvatur hæc difficultas ex eo, quòd non valet à propositione directa ad reflexam? n. 28. & seq.

Quid, quando pro solutione est unus testis, & alter pro non solutione? n. 31.

Quare in hoc dubio non sit standum pro possessore? n. 23. & seq.

Altera objectio. num. 35.

Responsiu. num. 36.

20 Tertia quæstio procedit in ea hypothesi, in qua certò constat, Petrum mutuasse Antonio centum aureos; unus autem testis faciens probationem semiplenam, testatur, Antonium solvisse; nullus autem testis affirmat, eam pecuniam non esse solutam; Petrus autem, & Antonius omnino dubitant de solutione. In quo casu solutio est probabilis; at verò non solutio nullo probabili fundamento positivo nititur. Et inquiritur, an Petrus possit exigere, aut recuperare eos centum aureos ab Antonio? Et etiam mutuare denuo Antonio alios, cum onere solvendi priores?

21 In quo casu eaistimo, Antonium teneri solvere Petro eos centum aureos, quantumvis habeat probabilitatem facti de solutione præstita; & consequenter posse Petrum mutuare Antonio alios centum aureos cum onere solvendi sibi priores probabiliter solutos, absque periculo usuræ. Hæc secunda pars patet ea prima, quia nihil exigit ultra sortem, qui ultra sortem petit ut solvat, quod sibi certo debet.

22 Quòd autem Antonins eos certò debeat solvere Petro, probatur primò. Nam æqualitas justitiæ postulat, ut debito certo non satisfiat solutione incerta: quia quamvis solutio sit speculativè probabilis, adhuc est incerta.

23 Probatur secundò. Nam in judicio si Antonius proferat unum testem solutionis, qui faciat fidem semiplenam, Judex declaravit Antonium reum solvendi, defectu probationis facientis plenam fidem de solutione: ergo ea probabilitas facti non est sufficiens, ut Antonius excusetur à solvendo.

24 Dices. Qui debebat Petro centum aureos, & posteà debiti immemor, donavit Petro totidem, satisfecit debito; neque confessarius adstringet ad ampliùs solvendum. Est enim probabilis sententia, quæ docet, eum ad ampliùs non teneri: quam docet P. Baldellus *tom.* 2. *lib.* 5. *disp.* 25. *num.* 18. quam refert, & ut probabilem sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 94 Cujus oppositam partem tenet P. Thomas Sanch. *lib.* 5. *sum. cap.* 13. *num.* 11. & Ludov. Lop. *lib.* 2 *de Contract. cap. ul. §. Superest nunc.* & Bonacina *de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10 *num.* 13. & P Salas *de legib. disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 35. Tum sic. In hac hypothesi debito certo satisfit solutione probabili; est enim probabile, quòd illa donatio est solutio debiti; & est probabile, quòd non est solutio debiti: ergo debito certo satisfieri potest solutione probabili; atque adeò incerta.

25 Respondeo distinguendo antecedens: in hac hypothesi debito certo satisfit solutione probabili [probabilitate juris,] concedo; [probabilitate facti,] nego. Itaque inæqualitas est in materia justitiæ, quòd satisfiat debito certo per solutionem incertam, seu probabilem probabilitate facti; non tamen est inæqualitas, ubi factum, sive traditio realis est certo; & probabiliter creditur, eam traditionem talis pecuniæ esse veram sulutionem debiti: quia tunc probabile est, dari veram æqualitatem.

26 Itaque aliud est, quòd probabilitas cadat supra speculationem facti traditionis centum aureorum; & aliud est, quòd cadat supra æqualitatem servatam propter traditionem certam aureorum, quæ probabiliter sit solutio debiti. Nam primo modo cùm factum traditionis sit incertum, non potest satisfacere debito certo. At secundo modo factum traditionis est certum; idque sufficit, ut satisfiat debito certo: eo quòd sic probabile est, servari æqualitatem justitiæ.

27 Dices iterùm. Quare ergo, si solutio est dumtaxat probabilis probabilitate facti, non erit sufficiens, ut transeat etiam ad probabilitatem juris, sive ad eacusandum debitorem ab onere solvendi? Et confirmatur. Nam sicut probabile est, quòd Petrus solvit, ita probabile est, quòd servavit æqualitatem: ergo ea probabilitas non cadit solùm supra factum, sed etiam supra æqualitatem servatam.

28 Pro solutione revocanda est in memoriam ea distinctio quæstionis directæ, & quæstionis reflexæ in materia probabilitatis; ut tradidi *in 3 part. Cris. Theolog. disp.* 15. *cap.* 4 *art.* 2. ubi demonstravi, non valere à resolutione quæstionis directæ ad resolutionem quæstionis reflexæ. Ideò non valet hæc consequentia: [Probabile est, animal, quod mihi occurrit in sylva, esse, non rationale, sed irrationale: ergo probabile est, quòd licet in illud jacere sagittam.] Hic enim coeunt duæ quæstiones. Prima directa, & purè speculativa; [An hoc animal occurrens sit rationale, an irrationale?] Secunda reflexa, & practica; [An liceat jacere sagittam in animal probabiliter rationale, & probabiliter irrationale?] Et ex resolutione probabili primæ quæstionis, irrationale est inferre resolutionem secundæ.

29 Similiter in præsenti sunt duæ quæstiones. Prima directa, & speculativa; [An debitor solverit centum aureos sibi mutuatos?] Altera reflexa, & practica; [An debitor, cujus factum realis solutionis est dumtaxat probabile probabilitate facti, satisfecerit debito, vel teneatur ad ampliùs?] Et ut non valet à probabilitate quæstionis directæ ad probabilitatem quæstionis reflexæ; ita non valet à probabilitate facti solutionis ad probabilitatem juris non solvendi debitum certum. Et hinc constat ratio, quam postulat instantia.

30 Ad confirmationem potest concedi antecedens, si illa particula *Sicut*, subtiliter, & metaphysicè attendatur. Itaque admitti potest, quòd sicut probabile est, quòd debitor solvit, ita probabile est, quòd servavit æqualitatem: & ideò quia sola probabilitate facti est probabile, quòd debitor solvit; ita sola probabilitate facti est probabile, quòd servavit æqualitatem, id est, est probabile, quòd fecit eam actionem, quæ, si constaret, faceret æqualitatem. Et similiter distinguendum est consequens: ergo probabilitas cadit supra æqualitatem [secundùm jus,] nego; [secundùm factum,] concedo. Unde absolutè non cadit supra æqualitatem, secundùm totum, quod dicit æqualitas servata.

31 Idem à fortiori dicendum est, quando pro solutione est unus testis, & alter positivus æquæ fidei pro non solutione. In quo casu Antonius tenetur solvere eos centum aureos sibi mutuatos. Nam, ut dixi in 1. *part. Cris. Theolog. disp.* 6. *cap* 6 *art.* 2. Quando in quæstione facti pro utravis parte contradictionis dantur singuli testes; alter debilitat fidem alterius, & Judex relinquitur in statu meri dubii. In casu autem mere dubiæ solutionis, remanere obligationem satisfaciendi, multis demonstravi in 2. *part. Cris. Theolog. disp.* 47. *cap.* 5. Et à fortiori idem dicendum, quando adest unus testis positivus pro non sulutione; & nullus pro solutione.

32 Dices tertio. Sicut in dubiis, ita & in incertis, pro possessore standum est: sed mutuatarius, cujus solutio semiplenè probata est, possidet pecuniam, quam postulat mutuator; & solutio est incerta: ergo standum est pro mutuatario, & consequenter iste absolvendus est à reatu solvendi.

33 Hanc objectionem pro dubiis posuit P. Thomas Sanch. *lib.* 1. *sum. cap.* 10. *num.* 12. asserens, ideò non prævalere possessionem, quia causa non est par, ubi debitum est certum, & solutio dubia. Et ideò *cap. In pari. de Regul. Jur. in* 6. non dici, in dubiis meliorem esse conditionem possidentis, sed *in pari causa*. Quæ solutio est verissima. Restat tamen inquirere; quare causa non sit par? Cui quæstioni respondendum est, numquam prævalere possessionem contra proprietatem certam. Mutuator enim, cujus mutuatio est certa, dedit quidem pecuniam; pro qua acquisivit jus certum proprietatis, non in re, sed ad rem; à quo jure non deturbatur, nisi per probationem plenam solutionis.

34 Nec novum est, quod jus ad rem vocetur jus proprietatis. Nam si duo actores litigent super hæreditate acquirenda, & unus

unus eorum possessionem capiat; & alter plenè probet, ad se pertinere hæreditatem; causa cadit possessor; & alter non possidens dicitur vicisse in articulo proprietatis.

35 Dices quartò. Ubi una pars est probabilis, opposita non potest esse certa; & ubi una pars est certa, repugnat, quòd opposita sit probabilis, sive, quòd opposita non sit certò falsa; ut latius tradidi, & demonstravi *in 1. part. Crit. Theolog disp. 4. cap. 1.* sed in præsenti hypothesi solutio est probabilis: ergo pars opposita, nempe debitum, non potest esse certa. Quòd si hæc pars est certa, non potest solutio esse probabilis.

36 Respondeo, majorem, & minorem esse veras, & consequentiam deficere: quia solutio pecuniæ, & proprietas juris ad pecuniam non sunt partes contradictoriè oppositæ: inter quas solum est ea incompossibilitas certitudinis, & probabilitatis. Itaque quando adest unus testis idoneus pro solutione, & nullus pro non solutione, solutio est probabilis positivè probabilitate facti, & non solutio non est certa, sed probabilis negativè. Item jus proprietatis non opponitur solutioni semiplenè probatæ. Illud enim, & certitudo illius subsistit in certitudine mutuationis, & in eo quòd solutio non sit plenè probata, sive in defectu plenè probationis. Quare jus mutuatoris ad pecuniam in eo casu est certum; & defectus talis juris est certò falsus. Rursus solutio pecuniæ est positivè probabilis; & non solutio est negativè probabilis. Quid autem sit, esse positivè, & negativè probabilem; *vide in 1. part. Crit. Theol. disp. 4. cap. 1.*

CAPUT V.

Quarta quæstio resolvitur.

SUMMARIUM.

An sit usura mutuare Antonio cum onere restituendi hæreditatem probabiliter debitam mutuatori, sed in judicio jam adjudicatam Antonio? n. 37. & seq.
An post adjudicationem factam Antonio in judicio, non sit probabile, quòd debeat eam restituere? n. 40. & seq.
An casu, quo jus Antonii sit probabilius, & Judex adjudicet Petro hæreditatem, possit Antonius illam recuperare? n. 44. & seq.
An sit probabile, subditum non teneri parere judici probabiliter præcipienti in judicio? n. 47. & seq.

37 HÆc quæstio inquirit; si Petrus, & Antonius sint actores pro acquirenda hereditate. & neuter eorum possideat, & Judex adjudicaverit Antonio hereditatem, quæ ante Judicis sententiam probabiliter spectabat ad utrumlibet: possit adhuc Petrus pro illo suo jure probabili occupare hereditatem; vel potius teneatur Petrus tradere Antonio præfatam hereditatem; sive illa cedere, ut inret sub dominium Antonii? Et consequenter inquiritur, an Petrus possit mutuare Antonio mille aureos, cum onere tradendi sibi eam hereditatem Antonio adjudicatam?

38 In qua quæstione dicendum est tanquam certum, hereditatem sic adjudicatam Antonio, non posse occupari à Petro propter illud jus probabile, quod ante adjudicatam habebat. Ideòque fore Petrum usurarium, si mutuet Antonio mille aureos cum onere restituendi sibi hæreditatem, quæ ad se probabiliter spectat. Et secunda pars evidenter infertur ex prima, ut ex supra dictis constat. Est enim usurarius, qui in mutuo obligat mutuatarium ad id, quod neque probabiliter sibi debetur.

39 Quòd autem post adjudicationem neque probabiliter debeatur Petro hereditas; clarè ostenditur ex dictis *1. part. Crit. Theolog. disp. 16. cap. 5.* & præcipuè ex duabus propositionibus ibidem statutis. Prima. In qualibet Republica esse potestatem dirimendi lites: quæ potestas si non esset, non Respublica, sed Babylonica confusio dicenda esset. Secunda. Lites plerumque dirimi non posse, nisi ex dictamine probabili. Quis enim erit Judex in orbe terrarum, qui omnes lites, & controversias dirimere possit ex dictamine evidenti.

40 Ex quibus fit certum, si ante litem Petrus, & Antonius habebant jus probabile ad hereditatem, & Judex legitimè adjudicavit eam Antonio, dirimendo sic litem; tenetur Petrus parere sententiæ Judicis; nec potest licitè eam hereditatem occupare. Nam si adhuc Petrus posset hereditatem occupare, non haberet Respublica jus dirimendi lites; cùm dirimi non possint, nisi utendo frequentissimè dictamine probabili. Relege, quæ dixi ea *disp. 16.*

41 Dices. Quando jus Petri, & Antonii ad hæreditatem est æquè probabile. Judex non potest eam adjudicare Antonio sine injuria Petri; sed debet vel procurare transactionem eorum, vel dividere inter utrumque; ut docent Mag. Bañez *2. 2. quæst. 63. art. 4. dub 1.* circa responsionem ad 2. & P. Granado *1. 2. tract. 12. de actib. human. disp. 4. num. 39.* & alii: ergo sententia, quæ adjudicaret Antonio hereditatem, esset injusta. Sed Petrus non tenetur parere sententiæ injustæ Judicis: ergo non tenetur cedere hæreditate.

42 Deinde si jus Petri ad hereditatem sit probabilius jure Antonii; & adhuc Judex adjudicet illam Antonio; clarius constat injuria, quam Judex irrogat Petro; cùm Judex debeat sententiam ferre secundùm jus probabilius; ut tradit communis sententia, quam tuetur P. Thomas Sanchez *tom. 1 sum. cap. 9. num.* 47. & quamplurimi apud ipsum: ergo Petrus poterit occupare hereditatem adjudicatam Antonio per Judicem dicentem jus minus probabile; atque adeò poterit mutuare Antonio mille aureos cum onere restituendi sibi hereditatem sic adjudicatam.

43 Respondeo, sententiam, quæ docet, dividi debere hereditatem inter eos, qui habent jus æque probabile; esse merè probabilem. Nam oppositam sententiam, quæ docet, non teneri Judicem dividere, sed posse uni eorum adjudicare, est sententia valdè probabilis, quam docet P. Thomas Sanch. sup. cit. & apud ipsum Sotus, Emmanuel Rodriguez, Ledesma, P. Vasquez, P. Valentia, & P. Azor; & multi alii apud Dianam *part. 2. tract. de opinione probabili resol. 3.* Cùm ergo utraque opinio sit probabilis, probabiliter procedit Judex, qui uni adjudicat hereditatem. Cùm ergo Respublica habeat jus dirimendi lites secundùm opinionem probabilem; quia aliàs esset impossibile omnes lites dirimere; dum Judex sic litem dirimit, legitimè procedit; & Petrus tenetur parere; atque adeò non potest occupare hereditatem Antonio adjudicatam. Neque obstat, quòd sit injuria probabilis; nam simul est jus probabile. Et Judex ob bonum publicum habet jus decidendi lites ex dictamine probabili; quia alio modo esset impossibile lites dirimere.

44 Casu autem, quo jus Petri sit probabilius, & Judex adjudicet Antonio hereditatem ex opinione minus probabili; videbitur alicui, quòd Petrus potest non parere sententiæ Judicis: quia cùm Judex teneatur judicare secundùm jus probabilius, & in hoc casu judicaverit secundum jus minus probabile; sententia Judicis est injusta; sententiæ autem injustæ non tenetur subditus parere.

45 Dicendum tamen est, quòd Petrus tenetur parere in eo casu. Primò, quia Judex judicans secundùm jus minus probabile, quod verè sit probabile, non irrogat injuriam litiganti, quamvis eam irroget Reipublicæ, ut probavi *in 1. par. Crit. Theol. disp. 15 cap. 15. art. 3. num. 63. & seq.*

46 Secundo, & præcipuè. Nam obligatio Judicis non est ad judicandum secundùm jus, quod Petro videbitur probabilius, sed quod ipsi Judici videbitur probabilius. Hinc fit, quòd non potest constare Petro, quòd Judex judicaverit secundùm opinionem, quæ ipsi Judici visa est minus probabilis; immò vero semper præsumitur, quòd opinio, secundùm quam Judex judicavit, sibi visa est probabilior. Cùm ergo non possit constare Petro de injustitia sententiæ; utique tenetur parere sententiæ: aliter Respublica non posset dirimere lites; cùm non sit alius modus eas dirimendi, nisi ex opinionibus, quæ Judici probabiliores videbuntur.

47 Dices iterùm. Quòd subditus teneatur obedire Superiori præcipienti secundùm opinionem probabilem; est opinio merè probabilis. Nam quod non teneatur obedire, est opinio, quam docent Joannes Sanchez, Ledesma, & P. Castropalao, quos retuli *1. par. disp. 16. cap. 2.* ergo probabile est, quòd Petrus non tenetur parere sententiæ Judicis judicantis secundùm jus æque probabile: atque adeò probabile est, quòd Petrus potest occupare hereditatem sic adjudicatam Antonio.

48 Respondeo, & si probabile esset, quòd subditus non tenetur parere Superiori præcipienti secundùm opinionem probabilem; at subditum non teneri parere in judicio, & in ordine ad dirimendam litem, attentis præcisè principiis intrinsecis, non judico probabile. Ratio est: quia hæ duæ positiones sunt moraliter evidentes; *Respublica habet jus ad dirimendas lites. Impossibile est dirimere lites, nisi plerumque ex dictamine probabili.* Ex his autem duabus positionibus clarissimè infertur, quòd saltem in judicio, & in ordine ad decisionem litis subditus parere tenetur. Relege, quæ dixi ea *disp. 16. cap 6.* Est ergo certum, saltem à principiis intrinsecis, quòd Petrus non potest occupare hereditatem, quam Judex ex dictamine probabili adjudicavit Antonio.

CAPUT VI.

Quinta, & præcipua quæstio deciditur.

SUMMARIUM.

An sit usura mutuare cum onere solvendi debitum probabile, quando ex parte neutrius datur possessio, vel adjudicatio. n. 49.
An sit usura mutuare cum pacto obligationis civilis, ad quam mutuatarius non tenetur. n. 50.
An non teneatur solvere debitum ille, cui suffragatur opinio probabilis? nu. 51.
Quare sit certa justitia transactionis? Et quid inde pro conclusione. n. 52.
An sit usura mutuare cum pacto commutandi in posterùm? Et quid inde pro conclusione. n. 53.
Objecta soluta. n. 54. & seq.
Quàm sit insufficiens responsio Caramuelis. n. 56. & seq.

49 HÆc est præcipua quæstio hujus controversiæ. In qua quæstione non attenditur ad possessionem alterius, neque ad

Judicis adjudicationem ; sed dumtaxat ad debiti probabilitatem. Procedit ergo quæstio præsens in hypothesi, in qua ex parte neutrius detur, vel possessio legitima, vel adjudicatio Judicis ; uterque tamen habeat jus probabile ad rem, sive à nemine occupatam, sive occupatam ab altero absque possessione legitima, nempe cum retentione, cui resistat jus. Quæritur ergo, an si in his circunstantiis Petrus, & Antonius haberent jus probabile ad rem, & Antonius absque possessione legitima occuparet illam ; posset Petrus absque labe usuræ mutuare Antonio mille aureos cum pacto, & obligatione civili restituendi sibi id debitum probabile?

50 Assero tamquam mihi certum, illud pactum esse usurarium, atque adeò illicitum. Nullum refero Authorem pro hac assertione, quia neminem vidi præter Caramuelem, qui hanc quæstionem tetigerit. Probatur primo. Nam in eo pacto includitur obligatio civilis, ad quam Antoniua non tenetur ; & quæ propterea pretiu æstimabilis est : sed qui mutuat pecunias cum eo onere obligationis civilis, quæ sit pretio æstimabilis, committit usuram : ergo ea mutuatio usuraria est. Minor, & consequentia patent.

51 Major verò mihi certa est. Et quidem quod Antonius non teneatur solvere debitum, quando ejus libertati favet opinio probabilis, certum est. Et quod obligatione civili obligetur ad id, ad quod non tenetur, certum etiam est, esse onus pretio æstimabile. Et ideò si Petrus absque mutuatione peteret ab Antonio, ut ad id solvendum se obligaret, posset Antonius postulare compensationem pecuniariam ejus oneris.

52 Probatur secundò. Propter hanc enim rationem liquida est justitia transactionis, qua duo litigantes habentes jus probabile ad rem, transigunt, ita ut unusquisque cedat aliqua parte ejus juris, ad quod aspirabat. Nam ea pars juris, quam alter remittit, est pretium ejus oneris, quod alter subit non petendi in judicio totum suum jus, ad quod aspirabat: ergo id pactum civilis obligationis solvendi debitum probabile, est pretio æstimabile. Ergo qui mutuat cum eo onere, ultra sortem exigit aliquid pretio æstimabile; atque adeò committit usuram.

53 Probatur tertiò. Nam juata D. Thomam 2.2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 4. qui mutuat alteri obligans eum ex pacto ad remutuandum in posterùm, committit usuram, non alia de causa, nisi quia obligat cum ad aliquid præstandum, ad quod non tenetur; quod quidem est pretio æstimabile ; quia licèt pro mutuatione non detur pretium; onus tamen, quo quis se obligat ad mutuandum, pretio dignum est : sed etiam qui mutuat, imponendo obligationem civilem solvendi debitum probabile, obligat mutuatarium ad id, ad quod non tenetur: ergo qui sic mutuat, committit usuram.

54 Obiicies. In isto casu Petrus mutuavit Autonio mille aureos cum onere solvendi sibi post annum alios centum sibi probabiliter debitos ; transacto anno Antonius solvit mille, & centum. Vel ergo Petrus tenetur restituere Antonio eos centum, vel non tenetur? Si dicas teneri, contra est, nam Petrus non tenetur solvere eam quantitatem, quæ sibi est probabiliter debita. Si verò dicas, Petrum non teneri ad restituendum eos centum aureos ; infero : ergo Petrus non commisit usuram. Probatur consequentia: nam qui ex usura recipit aliquid ultra sortem, tenetur illud restituere : ergo si Petrus ex usura illos recepit, illos tenetur restituere.

55 Respondeo, licèt Petrus commiserit usuram, obligando Antonium ad solvendum eos centum aureos ; non tamen tenetur ad solvendum totos eos centum. Ratio est, quia non stat ratio usuræ in hoc casu in eo, quòd Petrus recipiat eos aureos sibi probabiliter debitos ; sed in eo quòd imposuerit obligationem civilem ejus, ad quod non tenebatur. Et ideò solùm debebit illi restituere illud pretium, quod correspondet illi oneri, quod subivit.

56 Ex dictis constat, responsionem, quam exhibet Caramuel, & quam dicit esse *non evidentem, sed bonam, & formidini obnoxiam*, relatam cap. 1. non satisfacere argumento ; quia nec vera est, nec sufficiens. Ait enim, Antonium non teneri formaliter ad solutionem debiti probabilis ; teneri vero materialiter ; & hanc obligationem materialem non esse evidentem, sed probabilem. Quod quidem non est verum. Nam obligatio materialis est illa, qua quis obligatur à parte rei, & coram Deo, independenter à probabilitate. V. g. qui ea culpa veniali damnificavit segetem Joannis, probabile est, quòd non tenetur restituere : si autem à parte rei, & coram Deo verum est, quòd tenetur, quamvis ipse propter opinionem probabilem id ignoret invincibiliter ; in eo casu dicitur, quòd ille damnificator formaliter non tenetur restituere, materialiter autem, hoc est independenter à probabilitate, tenetur restituere coram Deo. In casu ergo nostræ quæstionis cùm ignoretur invincibiliter, quæ pars sit vera circà illud debitum probabile, quo modo potest affirmari, quòd materialiter tenetur solvere? Et si obligatio materialis consideratur independenter à probabilitate ; quo modo potest dici, quòd datur obligatio materialis probabiliter?

57 Deinde negari non potest, quòd ille, qui solum probabiliter debet Petro centum aureos ; subit denuo magnum onus per hoc, quod denuo se obliget ex contractu ad eos solvendos : posito enim hoc contractu, certò tenetur ad solvendum ; cùm ante suffragio probabilitatis libertatem haberet ad non solvendum. Unde constat insufficientem esse eam responsionem.

DISPUTATIO LXV.

An professus possit licitè, aut validè condere testamentum?

CAPUT I.

Quantum exorbitet Caramuel à cæteris Doctoribus?

SUMMARIUM.

Sententia Caramuelis, quòd sicut potest professus donare de licentia Prælati; ita & testari. n. 1.
Item posse de licentia communitatis. n. 3. & seq.
Communis omnium Doctorum sententia negans. n. 6.
Quantum differat Caramuel à cæteris omnibus? n. 7.

1 Conatur Caramuel *lib. 2 Theolog. Intent. disp.* 18. *artic.* 5. *à num.* 886. convertere controversiam hanc in quæstionem de nomine. Eo quòd si nomine testamenti intelligamus ultimam voluntatem donandi nomine proprio ; cùm professus nullius rei habeat dominium ; sicut non potest validè donare nomine proprio, ita nec testamentum condere. Si vero nomine testamenti intelligamus donationem, sive nomine proprio, sive alieno factam ; sicut potest de licentia communitatis, penes quam est dominium, aliquid donare validè & licitè, nempe de licentia, & nomine communitatis ; ita & de licentia ejusdem communitatis poterit validè, & licitè condere testamentum.

2 Ita enim ait loco cit. [Respondeo, hanc difficultatem infici *quæstione pure nominali* ; aliud enim est concedere, ut validè religiosus aliquid det, aliud, ut nomine proprio validè det : potest enim validè dare nomine alieno, si ille alius potestatem concedat.] Ecce non invenit majorem difficultatem in eo, quòd professus testamentum condat, quàm in eo, quòd validè det. Vnde sicut nomine proprio donare validè non potest, ita nec testamentum condere nomine proprio, & sine licentia sui Prælati, aut communitatis. Et sicut de licentia sui Prælati potest aliquid validè donare, ita de licentia ejusdem poterit testamentum condere. In quo casu non nomine suo sed nomine communitatis testabitur.

3 *Et num.* 887. cùm posuisset primam conclusionem, quòd possit Pontifex concedere Franciscano, ut nomine Pontificis *vivus, vel moribundus quascumque donationes pias validè & licitè faciat*, (quo nomine comprehendit etiam eam, quam nos testamentum vocamus) addit secundam conclusionem his verbis. [*Idipsum potest concedere communitas* habens bona in communi cuicumque suo religioso. Ostenditur : quia est illorum domina, & potest illa per manus cujuscumque religiosi expendere. Et hic obiter notari volo, nolle me de vocum rigore disputare : fortè enim illa donatio, quæ per illum religiosum nomine communitatia fieret, non videbitur tibi posse testamentum vocari.]

4 *Et num.* 889. addit quartam conclusionem sic. [Repugnat, religiosum, antequam monachum exuat, aut veram donationem facere, *aut testamentum condere*. Corollarium. Cùmque repugnantia non solùm sint extra Pontificis, sed & extra Dei omnipotentiam, concluditur, nulla virtute Divina, aut humana fieri posse, ne verus monachus veram aliquam donationem, emptionem, venditionem, aut testamentum faciat *ut quod*, & in genere causæ principalis.]

5 Ex quibus colligitur, quid resolvendum esset ex mente Caramuelis in hoc casu. Petrus religiosus professus accepit facultatem à suo Prælato accipiendi à sæcularibus amicis ducentos aureos pro eleemosynis erogandis, aut sublevanda egestate consanguineorum pro suo libito. Ex mente ergo Caramuelis posset moribundus condere testamentum in favorem pauperum, & eorum consanguineorum de iis ducentis aureis, sine nova facultate ; sive illud sit testamentum propriè, sive impropriè. Repugnat tamen, illum condere testamentum *ut quod*, & nomine proprio : quia nomine proprio nihil habet.

6 Cæteri omnes Authores tam Theologi, quam Jurisperiti tuentur, nemine discrepante, nullum professum sine licentia Summi Pontificis posse condere testamentum ; & testamentum sine prædicta licentia conditum, esse illicitum, & invalidum. Ita P. Thomas Sanch. *lib.* 7. *sum. cap.* 8. *num.* 2. & 3. & apud ipsum Bartolus, Baldus, Abbas, Rosella, Sylvester, Tabiena, Navarrus, Magdalenus, Tapia, Manuel Rodriguez, Graffis, & Peregrinus. Item P. Castro Palao *tom.* 3. *tract.* 16. *disput.* 3. *punct.* 12. *num.* 10. & 11. & apud ipsum Covarrubias, Abbas, P. Molina, P. Suarez. Item P. Lessius *de Just. cap.* 1. *dubit.* 4. *num.* 40. Lugo Cardin. *tom.* 1. *de Just. disput.* 3 *sect.* 6 Abstrahunt autem Scriptores prædicti ab ea quæstione, [An professus de licentia superioris legitimi condens testamentum, illud conficiat *ut quo*, vel *ut quod*?] Tum quia constat, eum, qui nullius dominii est capax, non facere testamentum *ut quod* : tum quia quæstionem inutilem censuerunt ad suum institutum.

7 Differt ergo Caramuel à cæteris Scriptoribus, quòd isti asserant, validum esse, & licitum testamentum professi, confectum de licentia Summi Pontificis ; esse illicitum & invalidum, quod

quòd absque hujus licentia fit. Caramuel autem docet, testamentum professi esse validum & licitum, si fiat de licentia Prælati inferioris, nempe de iis bonis, ad quorum dispositionem se extendit facultas inferioris Prælati.

CAPUT II.

Communem sententiam tamquam certam admittendam esse.

SUMMARIUM.

Sensus quæstionis. n. 8.
Nullum Prælatum inferiorem posse concedere professo licentiam testandi, constat ex jure. n. 9.
An in hac materia communis sententia omnium Doctorum faciat certitudinem moralem quo ad sensum legis. n. 10. & seq.
Responsio refutata. n. 12. & seq.
An testamentum professi conditum nomine proprio sit quid impossibile; atque adeò non prohibitum. n. 14.
Alia refutatio ab absurdo. n. 15.
An testamentum professi cum licentia Prælati inferioris habeat speciem proprietatis? n. 16.
Altera instantia refutata. n. 17. & seq.

8 NOn est quæstio in præsenti, an professus possit condere testamentum nomine alieno, tamquam commissarius saltem de licentia Prælati: nam condere testamentum ex commissione Titii nihil aliud est, quam declarare ultimam voluntatem Titii. Solùm ergo inquirimus, an possit condere testamentum nomine alieno, juxta sensum, & phrasim Caramuelis; quæ non caret proprietate dictionis. Cùm enim dicat, religiosum professum, qui donat de licentia prælati, non donare nomine proprio: eo quòd ipse non habet dominium, atque adeò non possit illud transferre nomine proprio; eodem modo loquitur de eo, qui faceret testamentum, sive de licentia Prælati, sive de licentia Summi Pontificis; qui tale testamentum nullo modo faceret nomine proprio: sed nomine communitatis, cujus est dominium.

9 Dicendum ergo est tamquam certum, nullum inferiorem Prælatum concedere posse licentiam professo, ut validè, aut licitè condat testamentum, etiam nomine alieno faciendum, id est nomine communitatis de licentia ordinarii Prælati. Hanc assertionem ut omnino certam affirmant omnes Doctores asserentes, id expressè decidi à S. Gregorio in *cap. Quia ingredientibus 19. qu. 3.* illis præcipuè verbis, *ulterius nulla sit testandi licentia. & cap. 2. de Testamentis*, ubi glossa in illo verbo, *de jure competere*, ait, ibi fieri allusionem ad authenticam *Ingressi.* Cod. de Sacrosanctis Eccles. Ubi dicitur, eum, qui ingressus est Monasterium, non testari. Quam authenticam admissam, & approbatam esse ab Ecclesia, fatentur Doctores.

10 Confirmatur. Nam in additione *ad cap. 6. disp. 12* (eam invenies in fine *partis 2. Crist. Theolog. nu. 26.*) explicui, quo sensu verum sit illud proloquium Jurisperitorum, quòd *Communis sententia omnium, aut ferè omnium Doctorum pro lege tenenda sit*: nempe cùm versatur circà intelligentiam, & significationem verborum textus: in quo prædicta sententia communis facit moralem certitudinem, eo quòd sensus, & significatio verborum tota consistit in communi acceptione, quæ communis acceptio à peritis desumenda est; ut dixi ea *disp. 12. cap. 4.* & in ejus additione. Et prætereà ea communis sententia omnium, aut ferè omnium Doctorum nobis declarat, in quo sensu lex est usu recepta: quæ cùm sit quæstio facti, in ea plenam probationem, atque adeò evidentiam moralem faciunt Doctores communi consensu id asserentes; ut etiam docui ea *disp. 12. cap. 4.*

11 Cum ergo sit sententia omnium Doctorum, quæ asserit, sensum eorum sacrorum canonum esse, quod prohibeatur, & annulletur testamentum professi; & in eo sensu sacros canones esse receptos; ea communis sententia pro lege tenenda est: id est, tamquam certum est tenendum, quòd ea declarat mentem legis. Cujus propterea resolutio irrefragabilis est censenda.

12 Dices, eos textus loqui de testamento proptio, & rigoroso, quod quis facit nomine proprio; non verò loqui de dispositione testamentaria, quam quis facit de consensu communitatis, & de licentia Prælati inferioris: quia hæc non est propriè testamentum, cum fiat nomine alieno, & de bonis non suis.

13 Sed contra est primò id, quod posui in proxima confirmatione. Nam tamquam certus admittendus est is legis sensus, quem communis sententia omnium, aut ferè omnium Doctorum præscribit.

14 Contra est secundò. Nam quæ sunt omnino impossibilia, frustra prohibentur: atqui testamentum professi nomine proprio conditum, id est, de rebus tamquam suis propriis; res est omnino impossibilis; cùm impossibile sit aliquid dari nomine proprio ab eo, qui nihil habet proprium: ergo frustra prohiberetur testamentum professi, si intelligeretur de testamento confecto nomine proprio. Et quidem similis esset legi, quæ prohiberet facere testamentum nomine proptio eum, qui nihil haberet præter furtiva.

15 Contra est tertiò. Nam si sic velis intelligere nomen testamenti, passim incides in altissimas absurditatum abyssos. Præcepit Regularibus Clemens VIII. ne donationes facerent. Petrus monachus professus dedit consanguineo quinquaginta aureos, & amico alios quinquaginta. Et juridicè accersitus, respondet, se non violasse legem Clementis, quæ donationes prohibet: eo quod donatio est, quæ fit nomine proprio, & de bonis propriis: ipse autem non dedit nomine proprio, neque de bonis suis; cum professus nihil habeat proprium. Quis dubitat, eam responsionem fraudem facere legi?

16 Contra est quartò. Nam licèt casu, quo non prohiberetur religioso facere testamentum; illud facere de consensu communitatis & cum licentia Prælati ordinarii, non esset actus dominii: habet tamen speciem proprietatis: quare jure merito facta est ea prohibitio. Ideo Lugo Card. supra relatus dixit: [Magis ostendere videtur dominium potestas testandi; quia aliquis etiam post mortem vult continuare jus illud, & usum rei apud suos amicos, aut cognatos: unde Ecclesiastici possunt quidem in vita, non tamen in morte disponere de Ecclesiasticis redditibus.] Ideò ergo prohibentur testari religiosi etiam de consensu communitatis; quia testari habet speciem proprietatis, & majorem, quàm dare in vita. Lege Card. Lugo proximè relatum.

17 Instabis. In ea Authentica *Ingressi. cit.* dicitur: *Nec ergo de his testantur, ut pote nec domini rerum.* Ergo loquitur de testamento quod quis condit tamquam dominus, atque adeò nomine proprio.

18 Respondet P. Thomas Sanchez *lib. 7. sum. cap. 8. num. 3.* in hæc verba. [Quæ ratio non caret difficultate: quia res aliena legari potest: & competit legatario actio ad illius rei æstimationem adversùs heredem *l. cum alienam. ff. si res aliena. Cod. de legatis. & §. Cui fundus. cum sequent. instit. de legatis.* Quare ea ratio sic intelligitur. Nequit professus testari, quia nec proprium habet, nec proprii habendi est capax. Cum enim *testari sit quidam dominii actus*; incapax dominii, est quoque testandi incapax: quamvis capaces dominii, quamtumvis bonis temporalibus destituti sint, testari possint.] Sed hæc responsio P. Thomæ Sanchez neque prodest, neque obest nostræ sententiæ. Declarat tamen sensum Authenticæ: quod cùm dicit, *utpote non dominus*, idem est ac si dicat, *utpote incapax dominii.*

19 Respondetur ergo, prohiberi testamentum etiam de licentia Prælati inferioris, & nomine alieno conficiendum: non quia esset actus dominii testamentum factum de licentia legitima Prælati inferioris; sed quia id testamentum habet speciem actus dominii. Dedecet autem eum, qui ob Dei amorem se abdicavit dominio rerum, exercere actum, qui habeat speciem actus dominii. Et ita in hoc sensu ait præfata Authentica: *Nec ergo de his testantur, utpote nec domini rerum.* Id est, nequidem ex licentia Prælati inferioris testantur; quia cùm non sint domini rerum, dedecet eos is actus, qui habet speciem dominandi. Maximè cùm non sit attendenda sola Authentica, sed præcipuè prohibitio S. Gregorii; qua interdicitur professo quævis testandi licentia.

DISPUTATIO LXVI.

An doctrina, quæ de Communione quotidiana ab aliquibus tradebatur, maneat iam antiquata ex novissimo decreto Innocentii XI.

CAPUT PRIMUM.

Proponitur aliquorum placitum de Communione quotidiana, & decretum Innocentii XI.

SUMMARIUM.

Quinque assertiones contentæ in opinione de Communione quotidiana omnium fidelium. n. 2. & seq.
An præfata assertiones sint evidenter falsæ? n. 7.
An hoc decretum Sacra Congregationis sit decretum Innocentii XI n. 8.
Proponitur decretum. n. 9.

1 PIi quidam Recentiores Hispani, existimantes, se obsequium præstare Deo, varios tractatus ediderunt, docentes, consulendam esse indifferenter omnibus fidelibus Communionem Eucharistiæ quotidianam. Ita paucis ab hinc annis docuit Petrus Vincentius de Marzilla in memoriali ad Archiepiscopum Compostellanum, & in alio tractatu, quem inscripsit *Additiones ad Memoriale*, utrumque Hispano idiomate. Illum sequutus est Martinus de Valderas in certamine Theologico, quos refert Lugo Cardinal. de Euch. *disp. 17. num. 5.* Eandem conclusionem docuit Joannes Sancius in selectis *disp. 22.* Item apud Dianam *part. 11. tract. 5. resol. 15.* idem docuit Antonius Bernaldus de Braojos in quodam libello de hac materia, & Mattinus à S. Joseph. in Mon. Confess. *tom. 1. lib. 1. tract. 8. de Euch. num. 2.* Prætereà eam doctrinam tradit fusissimè Antonius Velasquez Pinto etiam Hispano idiomate (sicut etiam duo proximè citati) in tractatu, quem inscripsit *Tesoro de los Christianos*, & Joannes Falconi in libello, qui

lo, qui inscribitur, *El Pan nuestro de cada dia*. Et tractatus, qui inscribitur, *Apologia Escolastica, y moral de la frequente, y quotidiana comunion*, & produit sub nomine cænobii Hispalensis S. Antonii Paduani ex Provincia (quam vocant) Angelorum; præter libellos alios minoris momenti, qui quasi per compendium eandem doctrinam emiserunt in vulgus.

2 Quæ quidem doctrina continet assertiones, quas notare oportet. Prima est, quam retulimus, nempe generatim & indifferenter omnibus fidelibus consulendam esse communionem quotidianam, dummodo careant conscientia peccati mortalis. Ita omnes citati.

3 Secunda est, ita tenaciter consulendam esse quotidianam communionem, ut circà illam non oporteat obedire confessariis, aut Superioribus negantibus usum quotidianæ communionis. Ita omnes citati præter Joannem Falconi, & Apologiam cœnobii S. Antonii: nam hi duo Scriptores asserunt, obtemperandum esse Patribus spiritualibus.

4 Tertia assertio, In qua coveniunt omnes citati, est, ad quotidianam communionem, nullam aliam dispositionem requiri, nisi carere conscientia peccati mortalis.

5 Quarta assertio est, ita generaliter deducendam esse ad praxim Communionem quotidianam, ut etiam sumenda sit feria 6. in Parasceve; quam expresserunt Pinto *disc. 4. cap. ult.* & Apologia cœnobii S. Antonii *resol. 23.*

6 Quinta assertio est, quotidianam Communionem esse de jure Divino. Quæ duplici modo potest intelligi, primo, quatenus Christus D. contulerit hoc jus omnibus fidelibus communicandi quotidie, ita ut si Superiores, & confessarii denegent facultatem communicandi quotidie, injuriam irrogent. Et hoc genus juris Divini concedunt Authores citati, maximè illi, qui docent, fideles non debere obedire Superioribus negantibus facultatem communicandi quotidie. Secundo, quatenus Christus aliquo modo præceperit communionem quotidianam. Et ita Pinto *disc. 4. cap. 12. num. 2.* ait: [Que el comulgar cada dia sea obedecer à Dios, que lo manda, lo dizen expressamente S Geronimo, S. Cirillo, Ruperto, S. Bruno, S. Buenaventura, el Coocilio de Cloveso, S. Justino Martir, S. Cipriano, Pascasio, y muchissimos Padres.] Quæ verba in latinum sermonem sic vertes. [Quòd communicare quotidie sit obedire Deo id præcipienti, expressè asserunt S. Hieronymus, S. Cyrillus, Rupertus, S. Bruno, S. Bonaventura, Concilium Cloveshense, S. Justinus Martyr, S. Cyprianus, Paschasius, & quamplurimi Patres.] Sed nec refert textus, nec citat loca, in quibus Patres id asserant. *Et cap. 16.* sæpe affirmat, omnes fideles habere jus communicandi quotidie, à Christo D. concessum.

7 Et quidem has omnes assertiones esse evidenter falsas, & moltis irrefragabilibus argumentis convinci posse, jam diù pro comperto habui. Sed non est animus hæc argumenta reproducere. Videat, qui voluerit, Lugo Cardinalem *disp. 17. de Euch.* & alios Theologos, qui rem hanc apertè convincunt. In hac enim disputatione solùm ostendam, has omnes assertiones convictas, & antiquatas manere ex decreto novissimo Innocentii XI.

8 Ubi advertendum est, quamvis hoc decretum sit Sacræ Congregationis Cardinalium interpretum Concilii Tridentini; vocari à me decretum Innocentii XI. quia prædictus Romanus Pontifex illud approbavit, & jussit promulgari in tota Ecclesia, ea solmnitate, qua Constitutiones Pontificiæ promulgaotur; ut constat ex tenore decreti, hìc subiiciendo.

D E C R E T U M

Circà Communionem quotidianam.

I. CUm ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio per-
venerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ
Communionis, etiam in feria sexta Parascevæ, & simul affirma-
ri, eandem quotidianam communionem præceptam esse à jure
Divino, quin etiam io illius administratione aliquos abusus in-
olevisse, videlicet, quòd aliqui, non in Ecclesia, sed in pri-
vatis Oratoriis, & Domi, immò cubantes in lecto, & non la-
borantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eu-
charistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut se-
cretò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut Regulares; aliique
in communione accipiant plures formas, ac particulas, vel gran-
diores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici
Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cùm autem
hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sac Congregationi Car-
dinalium Concil. Trideot. interpretum, eadem S. Congregatio,
prævia matura discussione, super prædictis unanimi sententia ita
II. censuit. Et si frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ
usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; numquam
tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, cer-
tos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec
Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmi-
tatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm
indicavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in
singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perce-
ptione communicarent. Idque non immeritò; multiplices enim
sunt conscientiarum recessus, variæ ob negocia spiritus alienatio-
nes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ
cùm humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque
dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut
quotidiano vitalis panis esu, potest constitui. Et propterea quòd III.
ad negociatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam per-
cipiendam accessus, confessariorum secreta cordis explorantium
judicio est reliquendus, qui ex conscientiarum puritate, & fre-
quentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negociatoribus, &
conjugatis, quòd prospicient eorum saluti profuturum, id illis præ-
scribere debebunt. In conjugatis autem hoc ampliùs animadver- IV.
tent, cùm Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè
ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serió admoneant,
tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ
vacandum, puriorique mente ad cœlestium Epularum communio-
nem esse conveniendum. In hoc igitur Pasturum diligentia potissi- V.
mùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacræ commu-
nionis sumptione, unica præcepti formula, aliqui deterreantur, aut
sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis per-
mittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum
putet; illudque omnino provideat, ot nemo à Sacro Convivio, seu
frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det
operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis
modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet.
Itidem Moniales quotidie Sacram Commuoionem petentes admo- VI.
nendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis
communicent; siquæ verò puritate mentis eniteant, & fervore
spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana San-
ctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à superiori-
bus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessa- VII.
riorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis
constitutum haberi, ut cùm fideles ad Sanctissimi Sacramenti fre-
quentiam (quod facere debent) accederint, statim de magna ad
illud sumendum præparatione orationem habeant; generatimque
ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi ci-
bi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negocia-
tores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere in-
firmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine
discant cælestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quan-
do se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem
præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus VIII.
viget hujusmodi devotio erga Ss Sacramentum, pro illa gratias Deo
agant; eamque ipsi, adhibito prudentiæ, & judicii temperamento,
alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persua-
debunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreve-
rentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptio-
oe tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur: quod
abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præ-
stante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici
cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & cha-
ritate assueverint: quibus Christum Dominum, qui se fidelibus
manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti
Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut
suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur.
Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, IX.
Communionem quotidianam esse de jure Divino. Doceant, in Ec- X.
clesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pon-
tificis, de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam,
nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad existen-
tes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam su-
scipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si
ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa, juxta formam Ri-
tualis Romani; si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decen-
ti. Curent etiam, ut circà Communionem in feria sexta Parasceve, XI.
Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper XII.
admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu parti-
culas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut ve- XIII.
nialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episco-
po, aut Ordinario. Si Parochi, aut Confessarii, etiam Regulares, aut XIV.
quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Ma-
ximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, &
Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafa-
cientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis
Episcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apostolicam
specialiter attributa.
Et facta de præmissis omnibus relatione, Sanctitas sua approba- XV.
vit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quo-
rum, &c. Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiepisc. Brancaccius Episc. Viterbien. Secr.

Die

Die 15. mensis Februarii 1679. supradictum decretum affixum, & publicatum fuit per urbem ad valvas Curiæ, & in acie campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Stoggius Apost. Curs.

CAPUT II.

Reprobatur opinio eorum, qui dixerunt, non expedire laicis Communicare quotidie.

SUMMARIUM.

Diversæ quæstiones sunt, an liceat, an expediat omnibus communicare quotidie? n. 10.
Communis consensus circà primam quæstionem n. 11.
Qui dixerint, indecens esse laicos communicare quotidie? n. 12.
Quomodo eorum assertio reprobata maneat ex hoc decreto? nu. 13. & seq.
An nostra assertio expressè tradatur à S. Thoma, & à S. Augustino? n. 17.

10 PRæmitto, longè diversam esse quæstionem, [An licitum sit laicis, carentibus conscientia peccati lethalis, accipere quotidie sacram synaxim?] Ab ea quæstione, quæ inquirit, [An expediat prædictis laicis communicare quotidie; ita ut melius & perfectius sit omni die communicare, quàm aliquo, aut aliquibus diebus abstinere à Sacra Eucharistiæ communione?]

11 Nam quòd attinet ad primam quæstionem, omnes Doctores conveniunt in eo, quòd omnibus fidelibus conscientia culpæ lethalis carentibus licitum est, & nullo modo culpæ mortali obnoxium, communicare quotidie.

12 Quòd attinet ad secundam quæstionem, Ovandus *in 4. dist. 12.* (ut refert Lugo Cardin. *disp. 17. de Euchar. num. 15.*) affirmat, *Indecens esse uno die post alteram laicos communicare.* Additque Lugo ibid. Cajetanum durius loqui etiam cum Sacerdotibus. In privatis autem colloquiis sæpe audivimus; & aliquando in publicis concionibus, invectivas contra eos laicos, qui quotidiana communione reficiuntur. Nec solùm id audivimus ab indoctis, sed etiam ab illis, qui sapientes, & litterati videntur.

13 Horum tamen sive opinio, sive maledicentia reprobata manet ex hoc decreto Innocentii XI. & præcipuè *clausul.* 5. ubi sic ait: [In hoc igitur Pastorum diligentia potissimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut *quotidiana* Sacræ Communionis sumptione, unica præcepti formula, *aliqui deterreantur*, aut sumendi dies generaliter constituantur.] Et paulò inferius: [Illudque omnino provideat, ut *nemo* à sacro convivio, seu frequenter, *seu quotidie* accesserit, *repellatur.*]

14 Et calusul. 6. præcipit, quòd Superiores permittant monialibus communionem quotidianam, *si puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint*, ut dignæ videantur quotidiana Eucharistiæ perceptione.

15 Immò clausul. 3 agens de negotiatoribus, & conjugatis, non patitur, eos hoc titulo excludi à quotidiana communione, sed id relinqui arbitrio Confessariorum secreta cordis explorantium: eo quòd inter negociatores, & conjugatos possunt inveniri, qui dignè se præparent ad quotidianam Sacramenti perceptionem.

16 Et clausul. 7. id magis explicat, dum supponit, posse fieri, quòd negociatores, & conjugati possint disponi, qualiter requiritur ad quotidianam Sacramenti hujus perceptionem. Ait enim: [Generatimque ostendant, (concionatores) eos, qui ad frequentiorem, aut *quotidianam* salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive *laici negociatores* sint, sive *conjugati*, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem,] &c.

17 Hanc doctrinam tradidit expresse S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art. 10. corp.* Ubi id confirmans ex S. Augustino ait: *Et ideò si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quòd quotidie sumat. Unde Augustinus cùm dixisset, accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit. Subjungit, sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Distinguit enim S. Thomas duo, quæ circà usum Sacramenti possunt considerari, primum, quòd ex parte Sacramenti usus illius semper est salutaria. Secundum, quòd ex parte dispositionis, quæ deesse solet, non expedit omnibus communicare quotidie. De quo uberius dicitur *cap. seq.* Id etiam tradunt alii Patres, & Theologi eodem *cap. seq.* referendi.

CAPUT III.

Antiquatam manere opinionem, quæ docebat, omnibus generatim consulendam esse Communionem quotidianam.

ARTICULUS I.

Ostenduntur clausulæ, ex quibus antiquata manet ea opinio.

NON EGET SUMMARIO.

18 ID constat in primis ex clausula 2. in qua id expresse deciditur, sic: [*Nihil* certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut *quotidiano* vitalis panis esu potest constitui.] Illa opinio dicebat, *oportere, fidelibus omnibus consuli ut communionem quotidianam*: atqui hoc decreto propositio contradictoria statuitur, nempe: *Nihil potest constitui de quotidiana communione.*

19 Constat secundò ex clausf. 5. ubi dicitur: [In hoc igitur Pastorum diligentia potissimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione, unica præcepti formula, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis *quid singulis permittendum*, per se, aut Parochos, aut Confessarios sibi decernendum putet.] Unde infertur, quòd neque generaliter deterrendi sunt fideles à communione quotidiana, neque generaliter sunt admittendi ad illam; sed singulatim examinandi per Episcopum, aut Parochos, aut Confessarios, quinam sint admittendi ad quotidianam communionem, & qui non sunt admittendi.

20 Constat tertiò ex verbis, quæ paulò inferius subjunguntur: [Nihilominus, Episcopus) det operam, ut *unusquisque* dignè *pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet.*] Quæ verba manifestè declarant, aliis expedire *crebrius*, aliis *rarius* communicare, nempe *pro modo devotionis, & præparationis.* Item hanc materiam de communione quotidiana, non esse gubernandam ex regula aliqua generali, quæ repellat omnes, vel admittat omnes; sed *unicuique* consulendum, quid ei expediat, pro modo præparationis majoris, aut minoris.

21 Constat quartò ex clausul. 6. ubi circà eam quæstionem, An Monialibus concedenda sit communio quotidiana, sic decernitur: [Siquæ verò *puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint*, ut dignæ frequentiori, aut *quotidiana* Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint; id illis à Superioribus permittatur.] Itaque non omnibus Monialibus conceditur, quòd quotidie communicent, sed solùm illis, quæ *puritate mentis enitent, & fervore spiritus incalescunt.*

22 Constat quintò ex clausul. 7. ubi cùm concionatores jubeantur, cum accedunt fideles ad frequentiam communionis, simul habere sermonem de magna præparatione requisita ad illam, & exhortari ad propriam infirmitatem agnoscendam, & ad augendam reverentiam Eucharistiæ debitam; statimque subjungitur: [Et si quando se *minus paratos* senserint, ab *ea abstinere*; seque ad *majorem præparationem* accingere.] Quæ verba manifestè destruunt opinionem præfatam: cujus Authores dicunt, dummodo fideles careant conscientia culpæ lethalis, quamvis se tepidos & minus paratos inveniant, melius illis esse, quòd Eucharistiam accipiant; neque bonum consilium esse abstinere, propter majorem præparationem obtinendam: immò & superaddunt, nullam meliorem præparationem posse haberi ad communionem crastinam, quam communionem hodiernam. Quæ ex verbis relatis penitus manent antiquata.

ARTICULUS II.

Ostenditur, hanc eandem doctrinam dilucidè traditam esse à S. Thoma, & ab aliis Doctoribus.

SUMMARIUM.

Quam consonet doctrina decreti, cum doctrina Sanctorum Patrum, & Theologorum. n. 23.
Textus expressus S. Thomæ pro ea. n. 24.
An non sit utile recipere Eucharistiam sine devotione, & reverentia n. 25.
An absurdè dicatur accedere cum magna devotione & reverentia, ex hoc solùm quòd quis accedat, sine conscientia peccati mortalis? n. 26.
Quid requiratur, ut aliquis se quotidie paratum inveniat ad Communionem? n. 27.
An qui quotidie communicat, conari debeat ad perfectionem? n. 28.
Quomodo intelligatur illud dictum, Quotidie Eucharistiam accipere, nec laudo, nec vitupero? n. 29.
Alius textus Divi Thomæ pro eadem assertione. n. 30.
Quando expedit communicare quotidie; & quando expedit abstinere? Ex S. Thoma. n. 31.
Quando expedit à Communione abstinere? Ex S. Bonaventura. n. 32.
Alii Theologi pro eadem doctrina. n. 33.
Confirmatur ex Rubrica 9. Missalis Romani. n. 34.

23 QUamvis Romana Cathedra sit supra omnes privatos Doctores, & plus deferendum sit Romano Pontifici, cui pro docenda Ecclesia promissam à Christo habet assistentiam Spiritus Sancti; adhuc operæ pretium est conspicere, quàm mirabiliter consonet doctrina Romanæ Cathedræ cum doctrina Sanctorum Patrum, & Theologorum.

24 Ut ergo hæc consonantia oculis obiciatur; quamvis notissimus sit textus S. Thomæ, qui doctrinam hanc perspicuè tradidit, placuit hic reproducere; ut quivis lector possit relatas periodos decreti cum eo textu Præceptoris Angelici conferre; & conformitatem doctrinæ venerari. Itaque 3. *part. quæst.* 80. hunc titulum articulo 10. præfixit: *Utrùm liceat quotidie hoc Sacramentum*

suscipere? Et in corp. articuli sic ait: [Respondeo, dicendum, quòd circà usum hujus Sacramenti duo possunt considerari. Unum quidem *ex parte ipsius Sacramenti*, cujus virtus est hominibus salutaris: & ideò utile est, *quotidie* ipsum sumere; ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambrosius dicit in lib. de Sacramentis: *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.* Alio modo potest considerari *ex parte sumentis*, in quo requiritur, ut *cum magna devotione & reverentia*, ad hoc Sacramentum accedat. Et ideò, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quòd quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: *Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit*; subjungit: *sic vive, ut quotidie merearis accipere*. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, *non est utile omnibus hominibus, quotidie* ad hoc Sacramentum accedere, sed *quotiescumque* se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in lib. de Ecclesiast. dogmatibus dicitur *Quotidie Eucharistiæ* Communionem accipere, *nec laudo, nec vitupero*.]

25 In quibus verbis notandum est primò, ad hoc Sacramentum percipiendum requiri *magnam devotionem & reverentiam*; ita ut non sit utile recipere quotidie hoc Sacramentum absque ea magna devotione, & reverentia.

26 Notandum est secundò, sinistrè & absurdè, affirmari ab Authoribus adversæ opinionis, eum, qui accedit cum ingenti tepiditate, & defectu attentionis, ex eo solùm quòd careat conscientia peccati lethalis, accedere cum magna devotione, & reverentia. Quo quid absurdius dici potuit?

27 Notandum est tertiò, quomodo intelligenda sint ea verba S. Thomæ, *Si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat*; scilicet intelligenda sunt, ita ut præparatio fiat *cum magna devotione, & reverentia*. Ea enim est præparatio, quam requirit S. Thomas, & quam requirit Innocentius XI. in hoc decreto, ut videbimus *cap. seq.*

28 Notandum est quartò, quomodo ex mente S. Thomæ, dicat S. Augustinus, *Sic vive, ut quotidie merearis accipere*; illam particulam *Sic* habere emphasim, & sensum esse, eum, qui quotidie communicat, conari debere ad vitam perfectam: nam per hunc conatum ad vitam perfectam, homo fit dignus accipiendi quotidie.

29 Notandum est quintò, quo sensu dicatur in lib. de Ecclesiast. dogmat *Quotidie Eucharistiæ Communionem accipere, nec laudo, nec vitupero*. Scilicet quia potest esse laudabile, quod quis communicet quotidie, & potest esse vituperabile, quòd alius communicet quotidie. Nam si quis communicat quotidie cum magna devotione & reverentia, non est vituperandus; si verò communicat quotidie sine ea magna devotione & reverentia, non est laudandus.

30 Et textui S. Thomæ consonat alter, quo ibidem respondet ad tertium argumentum sic. [Ad tertium dicendum, quòd reverentia hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum (unde timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis, ut in 2. parte dictum est.) Ex amore enim provocatur desiderium sumendi; ex timore autem consurgit humilitas reverendi. Et ideò utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quòd quotidie sumatur, & quòd aliquando abstineatur] Id est, quòd quotidie sumatur, si ad sit magna devotio & reverentia.

31 Explicuit autem. S. Thomas in *dist.* 12. *art.* 2. *quæst.* 3. quando expedit communicare quotidie; & quando expedit abstinere, his verbis: [Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui; talis deberet *quotidie* communicare. Si autem senserit, per quotidianam frequentiam, reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet *interdum abstinere*, ut cum *majori reverentia* postmodum accederet.] Ubi nota, cum his ultimis verbis optime consonare ea verba decreti supra *art.* 1 relata ex periodo 7. [Et si quando se minus paratos senserint, ab ea *abstinere*, seque ad *majorem præparationem* accingere.]

32 Concinit his S. Bonaventura in brevioloquio *cap.* 9. ubi ait: [Et ideò consilium est his, qui se sentiunt *minus mundos* mente, vel carne, vel etiam *indevotos*; ut *differant*, quousque *parati* ad esum veri agni, *mundi, devoti, & circumspecti* accedant.] Eadem docet S. Bonaventur. *in* 4. *dist.* 12. *part.* 2. *quæst.* 2. Cujus verba refert Lugo Card. *disp.* 17 *de Euchar. num.* 11. sicut & alia ejusdem Doctoris *ex lib.* 2. *de Professio. Relig. cap.* 77. quæ apud relatum Cardinalem videri possunt.

33 Refert etiam ibid. Cardinalis Lugo veterum Theologorum placitum unanimiter docentium eandem doctrinam, scilicet Alexandrum Alensem 4. *part. art.* 4. §. 1. *quæstiunc.* 2. & 4. S. Antoninum 3. *part. tit.* 14. *cap.* 12. §. 5. Riccard. *in* 4. *dist.* 12. *art.* 6. *qu.* 1. Palud. ibid. *quæst.* 1. Dionys. Richel. ibid. q 5. Albert. *dist.* 13. *art.* 27. & 28. Sylvestr. verb. *Eucharistia.* 3. Friburg. in summa *lib.* 3. *tit.* 24. *q.* 119. Tabien. verb. *Communio. n.* 17. & quam plurimos alios ex recentioribus. Vide etiam apud eundem Cardinalem eandem doctrinam firmatam authoritate S. Chrysostomi, S. Augustini, & S. Ambrosii.

34 Huc etiam spectat, quod Missale Romanum in Rubrica 9. ponit casus aliquns, in quibus (quamvis nullius peccati lethalis homo sibi conscius sit, consulit), abstinendum à communione, & celebratione, ut infra fusius exponemus: quæ autem traduntur in Rubrica Missalis, continent doctrinam approbatam ab Ecclesia. Ex quo fit, juxta doctrinam approbatam ab Ecclesia, aliquando melius esse abstinere à perceptione Eucharistiæ, quàm ad illam accedere. Est enim evidens, quòd non consulitur ab Ecclesia, nisi id, quod melius est.

CAPUT IV.

Antiquatam manere vi hujus decreti opinionem asserentium, debere fideles communicare quotidie, etiam reluctante Confessario, vel Superiore.

SUMMARIUM.

Quomodo ea opinio maneat antiquata ex hoc decreto. n. 36. & seq.
Quomodo illa opinio adversetur Tridentino n. 41.
Quomodo S. Bernardus adversetur ei opinioni. n. 42.
Immò & alii Patres. n. 43.
Quomodo communio quotidiana non sit præcepta à Christo, neque ab Ecclesia. n. 46.
Quomodo censendus sit illusus ille, qui prætextu præcepti Divini, aut humani, non vult obedire Superioribus, quo ad usum Sacræ Communionis. n. 47.

35 PLures ex eis, qui quotidianam Eucharistiæ communionem invehere generaliter, & indiscriminatim conabantur, asserebant, non debere fideles obedire sive Prælatis, sive Confessariis non annuentibus quotidianæ communioni; neque Confessariorum consilio standum esse, sed proprio judicio innitendum pro quotidiana communione. Ita Authores citati.

36 Hæc opinio manet omnino antiquata virtute hujus decreti. Primò ex clausula 3. ubi sic dicitur. [Quod ad negociatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, *Confessariorum* secreta cordis explorantium *judicio* est relinquendus. Qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negociatoribus, & conjugatis, quòd *prospicient* eorum saluti profuturum, id illis *præscribere* debebunt.] Ex quibus verbis clarè constat, non debere fideles suo judicio innitentes communicare quotidie; sed stare debere judicio confessariorum; & ad hos spectare, quid unicuique præscribant, quanta frequentia accessuri sunt ad sacram Eucharistiæ communionem.

37 Secundò ex clausul. 5. [In hoc igitur *Pastorum* diligentia potissimùm invigilabit (nota non dixisse *ipsorum communicantium*, sed *Pastorum*) non ut à frequenti, seu quotidiana. Sed magis quid *singulis permittendum*, (ecce quomodo dependet à *permissione* superiorum, & confessariorum) per se, aut Parochos, aut Confessarios, sibi decernendum putet]

38 Tertiò ex clausul. 6. Ubi de Monialibus expetentibus communionem quotidianam dicitur: [Siquæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut *dignæ* frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à *Superioribus permittatur.*] Nota *permittatur*. Pendet ergo à *Superiorum permissione* communionis frequentia.

39 Nec valet si dicas, sensum eorum verborum esse, præcipere superioribus, ne moniales arceantur à quotidiana communione. Non valet, inquam, primò: nam ex antecedentibus clausulis constat, standum esse judicio superiorum, & confessariorum; atque adeò in eodem sensu intelligendam esse hanc clausulam, in quo intelliguntur antecedentes. Secundò, nam dum dicitur permittendam illis esse à superioribus communionem quotidianam, si tanto fervore spiritus incaluerint, ut dignæ videantur; non judicio proprio, sed judicio superiorum, & confessariorum committitur, judicare, an dignæ sint communione quotidiana.

40 Quartò ex claus. 8. [Episcopi autem, in quorum diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant; eamque ipsi, adhibito *prudentiæ & judicii temperamento*, alere debebunt.] Ergo communio seu frequens, seu quotidiana subjicitur *prudentiæ, & judicio* Episcoporum.

41 Ex his tam clarè repellitur, & antiquatur ea opinatio, ut non sit necesse alia impugnationum capita ostendere. Adhuc tamen non omittam aliqua breviter demonstranda. In vita Venerabilis Virginis Damianæ de las llagas *lib.* 1. *cap.* 13. retuli reprehensionem, qua Deus corripuit eam Virginem, eo quòd contra consilium confessarii semel sacram Sinaxim acceperit. Ex cujus occasione ostendi, quàm sit periculosa doctrina, quæ consulit discedere à consilio Superiorum, & Patrum spiritualium, etiam in iis operibus, quæ sancta sunt: & multo magis periculosa, quæ in usu Sacramentorum negat jurisdictionem Prælatis Ecclesiæ. Nam Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 2. post quam præfixit hunc titulum: *Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ*, subjungit. *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Et quamvis hic loquatur Tridentina

Syno-

Synodus de potestate, quam habent Prælati Ecclesiastici ad ferendas leges circa usum, & dispensationem Sacramentorum: inde tamen apertè colligitur, eos habere potestatem ad præcipiendum privatim singulis, talem, vel talem usum Sacramentorum, pro ut judicaverint magis expedire *suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi*.

42 Deinde doctrina est in Ecclesia Dei semper, & constanter audita, opera, & exercitia bona subordinanda esse obedientiæ, neque Deo placita esse, si contra præscriptum Superiorum exerceantur. Sufficit unus pro multis S. Bernardus *serm.* 17. *in Cant.* ad ea verba, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Sic enim ait propè finem ejus sermonis. *Vereor, ne inter nos aliqui sint, quorum non accepset munera sponsus, eo quòd non redoleant lilia. Etenim si in die jejunii mei inveniatur voluntas, mea, non tale jejunium elegit Sponsus, nec sapit illi jejunium meum, quòd non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri sui, id ipsum sentio. Minimè prorsus observantias illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est inter virtutes consuerim deputandas: sed audiet à Propheta, qui ejusmodi est; Numquid tale est obsequium, quod elegi? dicit Dominus. Et addit; In die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tuæ. Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint.*

43 Eandem doctrinam reperies apud S. Gregorium Nazianzenum *or.* de Paradiso, S. Basilium *Regul.* 26 & fusius *disput.* S. Dorotheum *doctr.* 5. Cassianum *collat.* 2. *cap.* 11. 17. & 20. Ioannem Climacum *grad.* 1. & passim, ac frequentissime apud Doctores asceticos.

44 Si ergo omnes actiones, quamtumvis bonæ, & laudabiles, subordinandæ sunt obedientiæ, & imperio Prælatorum; quare sacræ Eucharistiæ communio non sic erit subordinanda? Si is, qui pascitur inter lilia (ut loquitur Bernardus) non acceptat jejunium, silentium, orationem, vigilias, in quibus invenitur voluntas propria, & non obedientia Magistri; quomodo sine eo lilii odore acceptabit sacram communionem?

45 Respondent, esse præceptum Christi, & Ecclesiæ, quòd fideles communicent quotidie: ideòque non posse Prælatos contrarium præcipere. Quòd si præcipiant, non eis obtemperandum, utpotè imperantibus contra præceptum Christi, & Ecclesiæ.

46 Sed non esse præceptum Christi, neque Ecclesiæ, constat manifestè ex hoc decreto sacræ Congregationis. Vide infra *cap.* 7. sed neque esse præceptum Ecclesiæ, dilucidè constat ex clausulis ejus decreti relatis supra in hoc capite.

47 Deindè si quis nollet subordinari Prælato quo ad corporis castigationem, sub eo prætextu quòd Prælatus non potest præcipere contra consilium Christi, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*; ab omnibus censeretur illusione deceptus; quia hæc abnegatio non solùm est ad castigationem corporis, sed etiam ad renunciationem propriæ voluntatis per obedientiam. Similiter ergo censendus est illusione deceptus, qui non vult subordinari Prælatis quo ad sacram communionem, sub eo pretextu quòd Christus, & Ecclesia significant, frequenter esse suscipiendam. Enim verò qui dixit, *Panem nostrum quotidianum*, &c. dixit etiam *Abneget semetipsum*. Sub qua abnegatione, ex sententia communi Sanctorum Patrum, intelligitur etiam abnegatio propriæ voluntatis per obedientiam, etiam circa omnia opera externa virtutis.

CAPUT V.

Antiquatam manere opinionem, quæ asserebat ad communionem quotidianam non exigi aliam dispositionem, quàm carere culpa lethali.

SUMMARIUM.

Duplex quæstio distinguenda in hac materia. n. 48.
An oppositæ opinionis authores resistant sententiæ S. Thomæ? n. 50.
Quomodo ea opinio maneat antiquata ex hoc decreto? n. 51. & seq.
Quomodo in decisione conditionata valeat à negatione conditionis ad negationem secundæ partis? n. 54.
Confirmantur dicta ex S. Thoma, & ex Catechismo Romano. n. 59. & 60.

48 AUtores, qui quotidianam communionem omnibus indifferenter præscribebant, suam assertionem firmari credebant ex eo, quòd non requiritur major dispositio ad percipiendam Eucharistiam, nisi carere conscientia culpæ mortalis. Neque enim distinguebant inter has duas quæstiones: primam, [Quid requiratur, ad recipiendum præcisè aliquem effectum hujus Sacramenti?] Secundam, [Qualiter oporteat accedere ad Eucharistiam eos, qui quotidie accedunt?]

49 Nam quo ad primam attinet, apud omnes compertum est, sufficere carentiam peccati mortalis, ad aliquem gradum gratiæ percipiendum ea virtute Sacramenti.

50 Quod attinet ad secundam quæstionem vidimus supra *cap.* 3. *art.* 2. esse sententiam S. Thomæ debere accedere hominem ad hoc Sacramentum *cum magna devotione & reverentia*: ob cujus defectum dixit, *non esse utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedere*. Sed qui asserunt expedire communionem quotidiam omnibus, expressè resistunt ei assertioni S. Thomæ, asserentes dignè, & rectè communicare eos, qui absque ea magna devotione & reverentia accedunt, dummodo careant conscientia culpæ lethalis. Et hæc illorum assertio antiquata manet per hoc decretum, quòd sententiæ S. Thomæ, & Sanctorum Patrum insistit, immò & Concilii Tridentini.

51 Id constat primò ex *clausula* 3. ubi dicitur: [Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus. Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus; qui *ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu*, laicis negociatoribus, & conjugatis, quòd prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt.] Itaque assertores communionis quotidianæ omnibus consulendæ dicebant, id solùm attendum ad prædictam quotidianam communionem, quòd accedens careret conscientia peccati mortalis. At verò hoc decretum, asserit attendere debere Confessarios, *ad conscientiarum puritatem, frequentiæ fructum, & pietatem*. Deindè ad id attendere debere Confessarios, ut explorent, an concedere debeant *frequentem ad sacram alimoniam percipiendam accessum*. Ergo si illis qualitatibus careant pœnitentes, non debent Confessarii illos ad tantam frequentiam admittere. Ergo ea major frequentia exigit eas qualitates ultra carentiam culpæ mortalis.

52 Constat secundò ex *clausula* 5. ubi hæc traduntur. [Det operam (Pastor) ut unusquisque dignè *pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius* Dominici corporis suavitatem degustet] Hæc doctrina incompossibilis est cum assertione eorum, qui omnes indiscriminatim docent admittendos quotidie ad sacram communionem. Isti enim nolebant concedere, limitandam esse communionem pro limitato *modo devotionis & præparationis*; sed qualiscumque sit devotio, & præparatio; immò quamvis nulla devotio, aut præparatio detur, nisi carentia culpæ mortalis; omnibus expedire communicare quotidie. E contrario ex mente decreti exigitur major *devotio & præparatio* ad degustandum crebrius Dominici corporis suavitatem; qua devotione, & præparatione deficiente *rarius* concedenda est sacra communio.

53 Constat tertiò ex verbis clausulæ 6. ubi sic decernitur, dum agitur de Monialibus. [Si quæ verò *puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint*, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur.] Apud assertores autem quotidianæ communionis omnibus concedendæ, etiamsi *nullo fervore spiritus incalescant*, communio omnibus est permittenda: ergo hoc decretum manifestè eorum assertioni resistit. Et nota, ea verba, *puritate mentis eniteant*, non significare dumtaxat puritatem à peccato mortali: is enim *autor* puritatis significat etiam puritatem à venialibus, quantum humana fragilitas patitur.

54 Notandum etiam est, in decisione conditionali, deficiente conditione deficere decisionem. Et ita sensus ejus decisionis decreti est: [Si puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, &c. id illis permittatur.] Quod si puritate mentis non eniteant, aut fervore spiritus non incaluerint, &c. non illis permittatur. In quo manifestè resistitur illorum universali assertioni.

55 Constat quartò ex *clausula* 7. in qua injungitur Episcopo, ut utatur opera Concionatorum ad hoc, quod dum suadent, ut debent, frequentiam sacræ communionis, *statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant*. Et nomine *magnæ præparationis* non potest intelligi solùm carentia peccati mortalis.

56 Respondebis, jure merito suadendam esse magnam præparationem; sed tamen si illa magna præparatio desit, non propterea abstinendum esse à communione. Sed hæc responsio in fine ejus clausulæ dissipatur illis verbis. [Si quando se *minus paratos* senserint, ab ea *abstinere*, seque ad majorem *præparationem* accingere.]

57 Et in eadem clausula expressè decernitur, eos, qui quotidiana communione reficiuntur, debere cum majori præparatione humilitatis & reverentiæ accedere, illis verbis: [Generatimque ostendant (concionatores) eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere *suam agnoscere infirmitatem*, ut dignitati Sacramenti, ac divini judicii formidine discant, cœlestem mensam, in qua Christus est, *revereri*.] Ex quibus verbis patet, illa dirigi specialiter ad eos, qui frequentiori, aut quotidiana communione utuntur. Et indè infertur ad majorem præparationem se accingere debere, quàm sit carentia culpæ mortalis.

58 Constat quintò ex *clausula* 8 ubi dum sermo est de illis, qui se sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, monetur Episcopus, ut conetur, quod *virtutes, ac dona in sumentibus augeantur*, & quòd accedere assuescant *cum timore, & charitate*. Ergo decernit sacra Congregatio, eos, qui frequentius ad sacram communionem accedunt, cùm maiori dispositione accedere debere, quàm carentiæ peccati mortalis.

59 Consonat decretum cum eo textu S. Thomæ relato *cap.* 3. *art.* 2. illis verbis: Requiritur *ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat*. Et etiam illis: [Sed quia multoties in pluribus hominum *multa impedimenta hujus devotionis* occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad Sacramentum accedere.] Ergo in sententia

tentia S. Thomæ requiritur ad quotidianam communionem, ultra puritatem à peccato lethali, magna devotio & reverentia, sine quibus non est utile hominibus quotidie accedere.

69 Et Catechismus Romanus *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 46. asserit, ideò in primitiva Ecclesia fideles communicasse quotidie, quia multis devotis officiis disponebantur, illis verbis: [Omnes enim, qui tunc fidem Christianam profitebantur, vera & *sincera charitate ita ardebant, ut cùm sine intermissione orationibus, & aliis pietatis officiis* vacarent, quotidie ad sacra Dominici corporis mysteria sumenda *parati* invenirentur.] Unde fit, non esse paratos ad quotidianam communionem, qui sola carentia culpæ mortalis contenti sunt.

CAPUT VI.

Reprobatam manere vi hujus decreti opinionem asserentium, accipiendam esse à fidelibus Eucharistiam feria sexta in Parasceve.

SUMMARIUM.

Quomodo ea opinio reprobata maneat ex hoc decreto? n. 61. & seq.
Quomodo Rubrica Missalis declaret, non esse ministrandam Eucharistiam nisi solis infirmis? n. 63.
An sit consuetudo Ecclesiæ Romanæ non communicare in illa die? nu. 64.
An distinguendæ sint duæ quæstiones in hac materia? Et ad utram respondeant Theologi, qui citantur pro adversa opinione? n. 65.

61 EX tenore hujus decreti id manifestò constat. Nam *clausula* 1. dicitur. [Cùm ad aures SS D. N fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ communionis, etiam in *feria* 6. Parasceve.] Ubi notandum est, initio decreti fieri relationem omnium inconvenientium, quæ in corpore decreti aut prohibentur, aut limitantur. Proponitur ergo tanquam inconveniens vitandum communio *feria* 6. in Parasceve.

62 Et ideò in *clauf.* 11. sic decernitur. [Curent etiam (Episcopi) ut circa *communionem in fer.* 6. *Parasceve* Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus servetur.]

63 Rubrica autem Missalis est, quæ reperitur in Missa *feria* 5. in Cœna Domini, ubi dicitur. [Hodie Sacerdos consecrat duas hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum. Reservat etiam aliquas particulas consecratas, *si opus fuerit pro infirmis,*] Ex qua Rubrica constat, solùm reservari particulas pro infirmis. Et ideò dum hoc decreto jubetur servari Rubrica; jubetur servari particulas dumtaxat pro infirmis.

64 De usu Romanæ Ecclesiæ dubitari non potest, cùm illud experientia doceat, in nulla Ecclesia, quæ stylo Romanæ Ecclesiæ conformatur, eo die ministrari sacram Eucharistiam, nisi infirmis. Quòd si in aliqua communitate ministratur, de novitate & singularitate notatur.

65 Pinto in Thesauro *discurf.* 4. *cap.* 19. affert plurimos authores pro sua opinione, quod oportet communicare in *feria* 6. in Parasceve. Sed non distinguit inter duas quæstiones valdè diversas: primam [Utrùm licitum, an prohibitum sit accipere sacram communionem in *fer.* 6. in Parasceve.?] Secundam [utrùm expediat, tanquam quid perfectius, accipere sacram communionem in *fer* 6 Parasceve?] Authores autem citati à Pinto solùm respondent ad primam quæstionem, non ad secundam, cùm tamen præcipua dubitatio sit de secunda. Nam ante hoc decretum nulla extat expressa prohibitio, quæ graviter obligaret ad abstinendum à communione in prædicta *fer.* 6. Ex ea tamen Rubrica, & ex usu Ecclesiæ Romanæ multo melius, & perfectius est ea die abstinere; & post decretum; ea abstinentia manet obligatoria.

CAPUT VII.

Reprobatam manere opinionem eorum, qui asseruerunt, communionem quotidianam esse de jure Divino.

NON EGET SUMMARIO.

66 PRædicta opinio expressè reprobata esse cognoscitur in hoc decreto. Nam clausula 1. ea opinio recensetur inter absurda, quæ ad aures Sanctissimi pervenerunt. Sic enim incipit decretum. [Cùm ad aures Sanctissimi Domini nostri fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ communionis etiam in *fer.* 6. Parasceve: & simul affirmari eandem quotidianam communionem præceptam esse *à jure Divino.*] &c. Et præterea refert cætera absurda & abusus, quorum emendatio per hoc decretum intenditur.

67 Deinde *clauf.* 9. sic decernitur, [Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, communionem *quotidianam* esse *de jure Divino.*] Vides, quàm expressè ea opinio redarguatur.

68 *Cap.* 1. notavi, in duplici sensu posse dici ab illis Authoribus communionem quotidianam esse de jure Divino, vel quia Christus contulerit fidelibus jus strictum ad communionem independenter à Prælatis; vel quia Christus præceperit communionem quotidianam. Ex utrovis modo id asseratur, assertio manet reprobata per ea verba decreti ea *clauf* 9. *Redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure Divino.* Illud autem jus datum à Christo D. accipiendi sacram communionem independenter à Prælatis, etiam redarguitur in hac *clauf.* 9. & præterea expressè manet antiquata ex dictis supra *cap.* 4.

CAPUT VIII.

Quomodo hoc decretum non repugnet doctrinæ Conciliorum?

SUMMARIUM.

Quantum præjudicium afferretur huic decreto, si ei refragarentur 24. concilia citata à Pinto? n. 69.
Quomodo intelligendi sunt Patres, aut Concilia, dum insinuant communionem quotidianam? nu. 70.

69 MAgnoperè præjudicaret huic decreto, immò & authoritati Romanæ Cathedræ, si verum esset, quòd tenaciter asseruit Pinto relatus, & alii ejus sequaces; nempe vigintiquatuor esse Concilia, alia generalia, alia provincialia, quæ præcipiunt omnibus fidelibus communionem quotidianam. Ideò operæ pretium duxi examinare singillatim omnes textus Conciliorum, quos affert Pinto; ut manifestè constet, nec unum quidem esse Concilium, quòd quotidianam communionem præcipiat.

70 Ubi ante omnia notandum est eos textus, in quibus vel Concilia, vel Sancti Patres aliquando exhortantur ad communicandum quotidie; non esse ad rem. Quia exhortantur simul ad habendam debitam dispositionem: & nemo dubitat optimum esse communicare quotidie, si habeant eam specialem dispositionem, quæ ad quotidianam communionem requiritur. Ex quo nec probabiliter quidem infertur, oportere, omnes fideles communicare quotidie, cùm non omnes habeant eam specialem dispositionem. Et ideò S. Thomas 3 *part. qu* 80 *art.* 10. in verbis relatis supra *cap.* 3. *art.* 2. refert textum S. Ambrosii exhortantis ad communicandum quotidie: & tamen resolvit S. Thomas non esse utile omnibus communicare quotidie, quia plures habent varia impedimenta ejus devotionis, & reverentiæ, quæ requiritur ad communicandum quotidie. Unde infertur, quòd S. Thomas ita intellexit eum textum S. Ambrosii, scilicet debere communicare quotidie fideles, quia debent se specialiter præparare ea devotione, & reverentia singulari.

ARTICULUS I.

An in Concilio Apostolorum præcepta fuerit communio Eucharistiæ quotidiana?

SUMMARIUM.

Canon decimus Apostolorum, & decretum Anacleti. n 71.
Variæ opiniones circa præceptum communicandi quotidie in primitiva Ecclesia. nu. 72.
In decreto Gratiani refertur is Canon Apostolorum, ut præcipiens communionem singulis diebus solemnibus. n. 73.
Quomodo referat eum canonem Apostolorum Martinus Bracharensis? nu. 74.
Et quomodo ex Glossa inferatur non præcipi communionem quotidianam omnibus fidelibus? nu. 75.
Firmatur ex Francisco Turriano. n. 76.
Quomodo decretum S. Anacleti loquatur de communione quotidiana Ministrorum Ecclesiæ? n. 77.
An fuerit cõsuetudo communicandi quotidie in primitiva Ecclesia? n. 78.
Quomodo ex hac consuetudine non inferatur oportere omnes fideles communicare quotidie in hoc tempore? n. 79.

71 PInto *discuf.* 1. supponens, canones Apostolorum editos fuisse in aliquo eorum concilio, affert *can* 10. (aliàs 9.) hujus tenoris. *Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.* In quo videntur præcipere omnibus fidelibus communionem quotidianam sub pœna excommunicationis. Et confirmatur ex decreto S. Anacleti *cap. Peracta. de consecrat. dist.* 2. *Peracta consecratione, omnes communicent, qui nolunt Ecclesiasticis carere liminibus: Sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Et in officio S. Anacleti in *lect.* 1 *Matutin.* dicitur: *Decrevit, ut in Missa, peracta consecratione, omnes communicarent.* Hinc etiam inferunt, sicut in Ecclesia primitiva, ita & nunc oportere, omnes fideles communicare quotidie.

72 Sed utrùm quotidiana communio fuerit ab Apostolis præcepta, adhuc sub judice lis est. Id ita fuisse præceptum, negat P. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 69. *sect.* 3. § *Ad secundum.* & apud

ipsum

ipsum Alensis 4. *part. qu.* 51. *memb.* 1. *art.* 2. Hossius in confess. *cap.* 41. Turrianus *lib.* 1. *pro canon. Apost. cap.* 22. Item Turrecremata in *cap. Peracta de consecr. dist.* 2. Hugocion *ibid.* Archidianus *ibid.* Affirmat verò P. Vasquez 3. *part. disp.* 214. & alii, & videtur favere S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 10. *ad* 5.

73 Et quidem circà intelligentiam prædicti canonis magna est varietas inter Scriptores. Nam Gratianus in *cap. Omnes fideles. de consecrat. dist.* 1. eùm posuisset hunc titulum: *Item ex canone Apostolorum.* Ita illum refert. *Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes convenit communione privari.* Vbi vides, canonem Apostolorum solùm extendi ad dies sacrarum solemnitatum.

74 Et quidem illud magnæ authoritatis testimonium censendum est, quòd Martinus Archiepiscopus Bracharensis, qui de græco in latinum sermonem vertit omnes antiquos canones Apostolorum, & Conciliorum, in versione hujus canonis alium sensum longè diversum ei attribuit. Hanc collectionem, & versionem eorum canonum misit ad Concilium Lucense secundum (vulgò de *Lugo* in Gallecia) cujus Ecclesia suffraganea erat Bracharensis, ut patet ex secundo tomo Conciliorum in editione Severini Binii. In præfatione autem sic loquitur Martinus ad Concilium *Canones, qui in partibus orientis ab antiquis Patribus constituti sunt, græco priùs sermone conscripti sunt; posteà autem succedente tempore in latinam linguam translati sunt. Et quia difficile est, ut simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in aliam, simulque & illud accidit, ut in tantis temporibus scriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant; & propterea in ipsis canonibus aliqua simplicioribus videantur obscura: ideò visum est, ut cum omni diligentia, & ea, quæ per scriptores sunt immutata, simplicius, & emendatius restaurarem.*

75 Igitur *can.* 83. sic proponit eum canonem Apostolorum, sive ejus explicationem. *Si quis intrat Ecclesiam Dei, & Sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua avertit se à communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ; illum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, & possit communionem, percepta indulgentia, promereri.* Et sub hoc tenore verborum ponitur in *cap. Si quis intrat. de consecr. dist.* 2. Et in eo verbo, *Pro luxuria sua* dicit glossa: *id est superstitione sua credens fortè non esse communicandum. Vel id est, pro luxuriosa vita sua.* Et glossa marginalis ad id verbum *Pro luxuria sua*, addit, *vel contemnens communionem.* Juxta quàm glossam solùm damnantur, qui ea superstitione, vel vita luxuriosa, aut contemptu communionis inficiuntur, & propterea nolunt ad communionem accedere. Et *ibid.* glossa ait: *Quidam erant pravè viventes, & ideò subtrahebant se à communione corporis, & sanguinis Christi. Quare præcipitur hîc, ut donec agant pœnitentiam, excommunicentur.* Et ad verbum *projiciendum*, ait glossa *ibid. Cur arguitur, unde commendari debet? Quia pro peccatis suis abstinet se à corpore Christi: (quod committeret, si indignè sumpsisset corpus Christi.) Sed non arguitur, quia separat se à Sacramento pro mortali peccato, sed quia in delictis luxuriando incorrigibilis deprehenditur.* Ex quo patet, non præcipi omnibus fidelibus sacram Eucharistiæ communionem.

76 Et in hunc sensum P. Franciscus Turrianus vir doctissimus, & sacra eruditione insignis, *lib.* 1. *pro canon. Apost. cap.* 22. sic ait: *Rursus idem Alexander citat in epist.* 2. *canonem Apostolorum nonum* (alias 10.) *cùm ait: Est enim statutum olim, ut qui statum conturbat Ecclesiæ ab ejus liminibus arceatur; neque cum fidelibus communicet, qui eorum bona avertit. Loquitur Alexander in eos, qui ministerium Sacerdotis impediunt, quominus legatione sua, qua ad Deum pro populo fungitur, prodesse multis possit. Canon autem Apostolorum excommunicat omnes fideles ingredientes in Ecclesiam, & audientes Scripturas, sed posteà recedentes, nec assistentes orationi, neque communioni: hos, inquam excommunicat, tanquam perturbationem ordinis facientes.* (Id est, aversantes, & quasi fastidientes, & reprobantes eum ordinem Ecclesiæ: id enim est, quod reperitur in versione Martini Bracharensis, *Pro luxuria sua avertit se à communione*, &c. in concilio Lucensi 2.) *Hi enim perturbatione ista ordinis, suspicionem iniiciunt contra utilitatem publicæ orationis, quæ ab Ecclesia fit, & contra communionem sacram, quæ ibi celebratur, & nocent populo.* (Nota id *nocent populo*, quod denotat id fieri propter scandalum impediendi ordinem Ecclesiæ.) *Hi denique sunt, qui, ut ait S. Alexander, causam Dei impediunt, & statum conturbant Ecclesiæ.* Hucusque P. Turrianus.

77 Qui Doctor ibidem agens de eo decreto S. Anacleti, quòd proponitur in objectione, ait: *Itaque non de laicis, sed, ut dixi, de ministris altaris, qui sacrificanti adstant, accipiendum est, quod S. Anacletus ait: Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim canonem Apostolorum, quem citavit, interpretatus est.* Ita etiam id intellexit Catechismus Romanus *part.* 2. *cap.* 4. *nu* 46. dicens: [Eam posteà consuetudinem (communicandi quotidie) quæ intermitti videbatur, Anacletus Sanctissimus Martyr, & Pontifex aliqua ex parte renovavit. Præcepit enim, *ut Ministri, qui Missæ Sacrificio interessent*, communicarent; quod ab Apostolis constitutum esse affirmaret.] Præterea Concilium Coloniense primum sub Paulo Tertio *part.* 7. *can.* 26. aliter refert eum canonem, scilicet de communione in solemnitatibus exercenda. De quo vide infra *art.* 7. & supra relatum canonem in *cap. Omnes fideles. de consecr. dist.* 1. Quòd autem decretum Anacleti intelligendum tantummodo sit de *solemnioribus* festis, constat ex *cap. Episcopus. de consecr. dist.* 1.

78 Ex dictis constat, quàm sit incertum id præceptum. Quod autem fidelibus primitivæ Ecclesiæ fuerit consuetudo communicandi quotidie, videtur verum. Conveniebant enim quotidie in Ecclesia ad pietatis exercitia, nempe ad lectionem Scripturarum, ad orationem, ad sacrificium, & ad sacram Eucharistiam percipiendam.

79 Ex hac autem consuetudine, & canone 10. Apostolorum non infertur, quòd nunc debeant etiam sacram Synaxim accipere quotidie omnes fideles; immò vero oppositum infertur, si demus in prædicto canone imponi præceptum. In prædicto enim canone præcipitur, ut ante communionem præmittant orationem: ergo vel tenentur nunc fideles ad præmittendam orationem, vel non tenentur? Si primum dicas; quare obligas fideles ad communionem, & non ad orationem præmittendam? Si secundum; quare ergo canon iste, qui obligat ad utrumque, affertur pro altero tantùm observando, nempe pro communione, non autem pro oratione præmittenda?

ARTICULUS II.

An Concilium Nicænum indixerit communionem quotidianam?

SUMMARIUM.

Probatio ejus Scriptoris. nu. 80.

Concilia Nicæna duo. Et utrùm eorum meminerit canonis Apostolorum? num 81.

An scriptor confundat unum Concilium cum altero? n. 82.

Quomodo neutrum Concilium loquatur de his canonibus Apostolorum? num. 83.

An dicatur perperam, in Concilio Calcedonensi approbari Nicænam secundam? num. 84.

An malè citet verba Concilii Calcedonensis in epistola 38.? num. 85.

An malè citet numerum epistolarum? num. 86.

Aliud erratum in allegatione Concilii Calcedonensis? num. 87.

An ex Concilio Niceno nihil inferatur pro communione quotidiana? n. 88.

Quomodo frustranei sint pro communione quotidiana duo textus Concilii Nicæni propositi in secunda objectione? nu. 90.

Quot errata contineantur in tertia objectione? nu. 92.

Unde orta fuerit æquivocatio ejus Scriptoris? nu. 93.

Quomodo ea verba, quamvis reperiantur in Niceno, non suffragentur communioni quotidianæ? nu. 91.

80 Pinto *discurs.* 1. *cap.* 3 præfigit hunc titulum: Que el santo Concilio Niceno muestra que todos los Christianos an de comulgar cada dia.] Qui sic in latinum sermonem vertitur. [Quod sacrum Concilium Nicænum ostendit omnes fideles communicaturos esse quotidie.] Et probat primò his verbis in latinum idioma fideliter commutatis. [Sanctum Concilium Nicænum veneratus est S. Gregorius Magnus tanquam Evangelium; & voluit, omnes illud eadem reverentia venerari. Idem præstiterunt S. Cyrillus Alexandrinus, S. Leo Papa, & alii Patres. Et ex eo quòd Nicæna Synodus dixerit Concilium Apostolorum præcepisse in suo canone omnibus fidelibus, ut quotidie communicarent, dictum manet; sacrum Nicænum Concilium etiam id statuisse: quandoquidem hæc sacra Synodus secuta est. *& confirmavit adeò individualiter* canones Apostolorum; ut Concilium Calcedonense asseruerit, si unum verbum auferatur à Synodo Nicæna, illud quidem à canonibus Apostolorum auferri.] Hucusque Pinto.

81 Suspicor hunc authorem invenisse has Conciliorum allegationes in aliquo Scriptore parum formali; non in ipso libro Conciliorum. Continet enim hæc relata periodus errata multa. Pro quo supponendum est, duo fuisse Concilia Nicæna, nempe secundam, & septimam Synodum generalem. Et quidem prima Synodus Nicæna nullam omninò mentionem facit de canonibus Apostolorum. Secunda autem Nicæna Synodus mentionem facit de illis eo modo, quo inferius dicetur.

82 Errat ergo primò hæc periodus, dum loquens de Nicæno Concilio, in quo fit mentio de canonibus Apostolorum, asserit, illud venerationi habitum à S. Gregorio Magno, à S. Cyrillo Alexandrino, & à S. Leone Papa. Hoc tamen Concilium celebratum fuit anno salutis 787. & S. Gregorius Magnus obierat ante centum & octoginta duos annos. Et S. Cyrillus Alexandrinus mortuus fuerat trecentis quinquaginta annis ante id Concilium; S. verò Leo trecentis.

83 Errat secundò, dum dicit, Concilium Nicænum confirmasse, seu revalidasse individualiter canones Apostolorũ: ad quàm individualitatem opus erat, ut singulatim omnes eos canones referret, & confirmaret. Et tamen id Concilium non in individuo sed in generali facit mentionem canonum Apostolicorum; immò videtur non loqui de his canonibus, sed de illis, qui continentur in epistolis canonicis Apostolorum. Nam postquam non pauca dixit de constitutionibus, quæ reperiuntur in sacra Scriptura, hæc subjungit. *Divinos canones libenter amplectimur, eorumque constitutionem integram, & illabefactabilem confirmamus, quæ edita fuerant*

à S.

As. Spiritus nobis, omni ex parte benedictis Apostolis, & sex sanctissimis universalibus Synodis. Ex quibus verbis non constat, locutum esse Concilium de his canonibus Apostolorum; immò verò verisimile est, solùm locutum esse de canonibus repertis in Epistolis canonicis eorum, & in libro Actuum Apostolorum. Sed licèt loquatur Concilium in iis verbis de his canonibus Apostolorum; quomodo verificatur, quòd ex hac generali confirmatione dicitur confirmasse eos individualiter? Sed quid, si eos individualiter confirmaverit? Siquidem ex prædicto canone Apostolorum non colligitur aliquid promovens communionem quotidianam omnium fidelium, ut constat ex *art. anteced.*

84 Errat tertiò, dum dicit, Concilium Calcedonense dixisse ea verba relata in objectione, agens de Concilio Nicæno, quod facit mentionem eorum canonum. Nam cùm hoc sit Nicænum secundum, quod celebratum fuit anno salutis 787. Calcedonense autem celebratum fuerit anno Domini 450. nempe trecentis & triginta tribus annis ante Nicænum secundum; non potuit Calcedonense loqui de eo Concilio Nicæno.

85 Errat quarto, dum allegat verba Concilii Calcedonensis ex epistola 38. Nam illæ epistolæ non sunt Concilii, neque per illas loquitur Concilium. Nam harum epistolarum aliæ sunt Imperatoris, aliæ Imperatricis, aliæ Leonis P. & aliæ aliorum: quæ quidem dirigebantur ad congregandos Episcopos in Concilio.

86 Errat quintò, dum allegat epistulam 38. Concilii Calcedonensis; cùm omnes illæ epistolæ solùm sint numero triginta quinque. Quod tamen erratum dignum est venia; potuit enim ex incuria Typographi immutari.

87 Errat sextò præfata periodus, dum per illa verba Concilii Calcedonensis supra relata, intendit probare, Concilium Nicænum revalidasse, & confirmasse individualiter canones Apostolorum. Nam Concilium Calcedonense potius loqui videtur de canonibus Apostolorum, qui reperiuntur in sacra Scriptura, & epistolis canonicis. Nam dum perpendit, & promovet authoritatem Concili Nicæni, æquiparat sacris Scripturis; sicut S. Gregorius Magnus dixit, se tantam fidem habere quatuor Conciliis generalibus, quantam Sanctis quatuor Euangeliis. Nec adeò extolleret authoritatem Concilii Nicæni per hoc quòd illam æquipararet illis canonibus Apostolorum: qui quidem non sunt partes sacræ Scripturæ: per hoc autem quod dicat, parem fidem exhibendam esse Concilio Nicæno, ac canonibus sacræ Scripturæ; id sane extollit authoritatem Concilii Nicæni.

88 Ex dictis infertur, ex Concilio Nicæno nihil inferri pro communione quotidiana omnium fidelium. Nam quamvis Concilium Nicænum loquatur de illis canonibus Apostolorum, constat ex dictis, ex relato canone Apostolorum non inferri communionem quotidianam omnium fidelium, sed vel eorum, qui priùs vacant lectioni spirituali, & orationi; vel ministrorum Ecclesiæ, ut constat ex *art. anteced.*

89 Obiicit secundò ex eodem Concilio Nicæno duos textus, quos proponit Hispano idiomate, qui sic in latinum convertuntur. Primus. [In Missa existere Agnum Dei, qui tollit peccata mundi; & accipientes corpus & sanguinem ejus, debere nos credere, id esse pignus nostræ Redemptionis.] Secundus textus est. [Sanctificari nos, accipientes corpus, & sanguinem Iesu Christi.] Ex quo infert, fideles omnes ut sanctificentur, & accipiant remissionem peccatorum, debere communicare quotidie.

90 Respondeo, neque eos textus esse ad rem, neque eos esse ex Concilio Nicæno. Non ad rem: qui ibi solùm asserunt effectus Sacramenti, non tamen dicitur in illis, an singulis diebus, an singulis hebdomadis, vel mensibus accedendum sit ad sacram mensam, ad eos effectus recipiendos. Nam sunt ii textus ex Concilio; quia neque in primo, neque in secundo Concilio Nicæno reperitur aliquid de sacrosancto Sacramento Eucharistiæ; ut ex libro conciliorum manifestum est.

91 Obiicit tertiò ex eodem Concilio Nicæno *cap. 25.* argumentum, quod fideliter translatum ad sermonem latinum, sic se habet. [Ut nemo fidelium omitteret communionem quotidianam, abstulit Concilium obices, qui poterant eam impedire; præcepitque omnibus sacerdotibus, nequis arcerent aliquem fidelium à communione, nisi propter peccata publica, ob quæ imponebatur pœna privationis sacræ communionis. Idque præcepit sub pœna excommunicationis, & depositionis. Titulus capitis est: *Non esse arcendum aliquem à communione, nisi pœnitentiæ causa.* In ipso autem capite dicitur: *Nullus Sacerdos arceat aliquem ex fidelibus à communione.* Et imponitur pœna, si contrarium fecerit: *Et si id fecerit, deponatur, & excommunicetur, quia usurpat potestatem, quasi haberet dominium.* Animaduertitur causa, ob quam illum deponit, & excommunicat Concilium, nempe, quia usurpat potestatem, quasi haberet dominium. Quibus verbis ostendit, Sacerdotem non esse dominum ad negandam communionem, nisi propter peccata publica: quod si aliter negat, usurpat potestatem, quam non habet.] Hucusque objectio.

92 Quæ tamen objectio multis scatet erratis. Primò, quod citat Concilium in *cap. 25.* Cùm neque secundum Nicenum constet capitibus, sed canonibus. Secundò, erratur in *nu. 25.* quia neutrum Nicænum habet viginti quinque canones: nam primùm Nicænum habet viginti canones dumtaxat; & secundum viginti duos. Tertiò erratur, in eo quòd neque ea verba, neque similia inveniuntur in alterutro Nicæno; in neutro enim reperitur canon, qui loquatur de communione Eucharistiæ.

93 Ingentem ergo passus est æquivocationem is Scriptor ex iis, quæ tradit Concilium Nicænum secundum *can. 4.* cujus hic est titulus: *Pœna talionis puniendus Antistes, qui injustè Clericos arcet, vel templa claudit.* Et postquam invehitur in auaritiam Ecclesiasticorum, sic decernit: *Si quis ergo per auri exactionem, vel alicujus alterius speciei, vel propter aliquam proprium affectionem, à ministerio arcere inventus fuerit, vel segregare suorum clericorum aliquem, vel venerandum templum claudere, ne in eo Divina fiant ministeria,* &c. *talionis erit legi obnoxius.*

94 Itaque quia Concilium præcipit, ne Antistes arceat clericos à ministerio, is Scriptor id transfert ad hoc, quod non arceat fideles à communione quotidiana. Quod quàm longè diversum sit, nemo non videt.

95 Demus tamen argumenti gratia, quod in Nicæno concilio reperirentur ea verba, quæ affert objectio, nempe quòd *nullus Sacerdos arceat à communione fideles*; inde non arguitur communio quotidiana. Nam dato casu, quòd fideles communicarent singulis diebus dominicis dumtaxat, posset optimè præcipere Concilium, ne ullus sacerdos arceat à communione fideles. Nam confessarius, qui pœnitenti in via virtutis ignavo concedit solùm communionem pro singulis diebus Dominicis, non dicitur arcere illum à communione; sed potiùs consulere ei communionem *cum temperamento prudentiæ, & iudicii*, ut loquitur decretum relatum sacræ Congregationis.

96 Ex quibus omnibus constat, quàm sine fundamento relatus scriptor asserat, Concilium Nicænum præcipere omnibus fidelibus communionem quotidianam.

ARTICULUS III.

An Concilium Basileense indixerit communionem quotidianam omnium fidelium?

SUMMARIUM.

Objectio ex Concilii textu. n. 97.
An is textus non sit Concilii, sed Joannis de Ragusa? n. 98.
An is textus non suffragetur communioni quotidianæ omnium? num. 99.
Secunda objectio ex altero textu. n. 100.
An is textus sit Enrici Kalteisen? n. 101.
An is textus non loquatur de communione? n. 102.
Tertia objectio ex altero textu. n. 103.
An is textus sit ejusdem Theologi; & ille non sit ad rem? n. 104

97 Concilium Basileense ex parte fuit reprobatum, quia aliquanto tempore continuatum est absque authoritate Romani Pontificis; ex parte verò approbatum, dum ejusdem Pontificis authoritate celebratum est. Ex ea ergo parte, quæ approbata fuit, dicit Pinto *discurs. 1. cap. 4.* sibi favere quosdam textus concilii. Primus est ex oratione de communione sub utraque specie, in hæc verba. *Dedit ergo nobis hoc Sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, & ipse jam mori non potest; per hoc Sacramentum, quod nos in memoriam ejus accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur.*

98 Respondeo primò, hunc textum non esse Concilii, sed Fratris Joannis de Ragusa Procuratoris generalis ex ordine Prædicatorum, qui eam orationem recitavit coram Concilio, refragaturus petitioni Bohemorum ambientium communionem sub utraque specie. Et ita in §. *Summa etiam Divina Sapientia*, ea verba refert ex Innocentio; sed non exprimit, quis fuerit is Innocentius, ex septem hujus nominis Pontificibus, qui præcesserant. Sed quoniam ea verba non parvæ sunt authoritatis, tum quia recitata sunt coram Concilio; tum quia ex Innocentio; adhuc secundò satisfacio.

99 Respondeo ergo secundò, verum esse, quòd expedit communicare quotidie omnibus, qui amota quavis negligentia, & tepiditate, atque distractione, diligenter, & devotè se præparaverint. Neque ea verba exprimunt, quòd debeant quotidie accedere ad Eucharistiam, qui negligenter se præparant ad accessum mensæ cœlestis. Et quod hoc ita asserendum sit, patet manifestè ex decreto sacræ Congregationis.

100 Secundus textus, quem affert ex eodem Concilio, est in oratione de libera prædicatione verbi Dei, his verbis: *Quia homo quotidie indiget salutifera ejus virtute, potest quotidie laudabiliter ad hoc Sacramentum accedere. Ideò dicit Dominus Luc. 11. ubi docet petere panem quotidianum.* Ergo laudabile est, quod omnes fideles quotidie communicent.

101 Respondeo primò, hunc textum non esse Concilii, sed Fratris Enrici Kalteisen Dominicani in oratione, quam recitavit coram Concilio, ut refragaretur petitioni Bohemorum contendentium, quòd sicut omnes Sacerdotes quotidie celebrant, ita omnes Sacerdotes, & Diaconi quotidie prædicare possent independenter ab Episcopis.

102 Respondeo secundò, eum textum non esse ad rem, neque ibi

ibi loqui de communione quotidiana, sed solùm de celebratione Missæ quotidiana. Et ut constet, proponam totum contextum ex corollario 4. §. *Ad ea.* qui est hujus tenoris. *Ad ea, quæ in contrarium adducta sunt. Primò sic: Christus tantum semel missavit, & pluries prædicavit: ergo vultis ad minus concludere, quòd si Sacerdos velit sæpè celebrare, debet etiam sæpè prædicare. Respondeo negando consequentiam. Tum primò; quia si omnes Presbyteri quotidie celebrarent missam adhibitis debitis circumstantiis, esset valdè laudabile; sed si omnes quotidie prædicarent, esset confusibile. Tum secundò, quia Christus non instituit hoc Sacramentum propter se ipsum, sed propter perfectionem Viatorum; ut qui manducarent eum, haberent vitam æternam; Ioan 6. Ideò dicit Apostolus ad Hebr.10. Una oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum. Et ideò quia homo quotidie indiget salutifera ejus virtute, potest quotidie laudabiliter ad hoc Sacramentum accedere; ideò dicit Dominus Luc.11. ubi docet petere panem quotidianum.* Ex his constat primò, eum textum loqui de celebratione Missæ quotidiana, non de communione. Deinde etiam si loquatur de communione quotidiana, id quidem rectè limitatur illis verbis, *adhibitis debitis circumstantiis*, scilicet, quas posuit S. Thomas supra citatus *cap. præced.* devotionis actualis, & reverentiæ actualis; & ponit hoc decretum sacræ Congregationis.

103 Tertius textus, qui affertur pro communione quotidiana omnium fidelium ex eodem Concilio Basileensi, est ex eadem oratione de libera prædicatione verbi Dei. Ubi hæc habentur: *Quo negligentiæ quotidianæ purgantur, gratia augentur, & virtutes roborantur.* Ergo si communione purgantur negligentiæ quotidianæ, quotidiana debet esse communio.

104 Respondeo primò, eum textum non esse Concilii, sed ejus Theologi Enrici Kalteisen, ut constat ex supradictis. Respondeo secundò, in eo textu non loqui eum Theologum de communione, sed de celebratione Missæ, ut constat ex contextu, corollario 4. §. *Hinc est.* Ubi sic dicitur: *Quartò, oratione populi: quia populo jam fundato in fide, major est necessitas providendi de eo, quo negligentiæ quotidianæ purgantur, gratiæ augentur, & virtutes roborantur: ad quod est virtus Missæ: non sic prædicatione: ergo*, &c. Quæ ergo Theologus dixit de virtute Missæ quotidie celebrandæ, is scriptor totum vult transferri ad communionem quotidianam.

ARTICULUS IV.

An ex Concilio Tridentino colligatur quotidiana omnium communio?

SUMMARIUM.

An sit laudabile, quòd quotidie communicent homines distracti, & indevoti, &c. nu.105.
Allegantur tres textus Tridentini. nu.106. & seq.
Pravus modus arguendi ex textibus Concilii. nu.109.
An sub eadem forma arguendi possit colligi ex Concilio opposita conclusio? nu.112.
Quartus textus Tridentini. nu.113.
An idem sit frequenter *atque* quotidie? *remissivè.* nu.114.
An is textus inferat oppositam assertionem? nu.115.
An devotio & pietas, quam petit Concilium, consistat in sola voluntate communicandi? nu.117.
Quintus textus ex eodem Concilio. nu.118.
Quomodo is sit intelligendus. n.119. & seq.

105 IDem Antonius Velasquez Pinto *discurs.1. cap.5.* sæpè affirmat, Concilium Tridentinum docere, & exhortari omnes fideles ad quotidianam communionem: & licèt admittamus ita esse, non est ad rem: quia simul exhortatur ad magnam præparationem prævianı. Et qui ita congruè, ut decet, præparati accesserint, non negamus laudabile esse, quod quotidie communicent. Negamus tamen laudabile esse, quod homines distracti, & indevoti, & ad mundi vanitates & divitias nimium affecti, quamvis culpa lethali careant, quotidie communicent: hos enim ita affectos nullatenus exhortatur Concilium ad communionem quotidianam.

106 Multos textus congerit hic Author ex Tridentino, ut probet hanc communionem quotidie ab omnibus percipiendam. Primus est ex *sess.13. de Euchar. cap.2.* ubi Concilium loquens de Christo instituente hoc Sacramentum, *ait; In illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit.* Hinc arguit Pinto: sed Christus voluit colere nos memoriam ejus quotidie: ergo vult, nos accedere ad communionem quotidie.

107 Secundus textus est ex eodem capite sic. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur, viventes vita ipsius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et hinc arguit: sed cibus sumitur quotidie: ergo hoc Sacramentum debet sumi quotidie.

108 Tertius textus, quem affert, est ex eodem capite, ubi ait: *Et tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis:* sed ut liberemur à culpis quotidianis, necesse est sumere antidotum quotidie: ergo debemus accipere hoc Sacramentum quotidie. Et per hos textus affirmat Pinto, Tridentinum docere, & exhortari omnes ad communionem quotidianam, etiamsi hanc solam habeant præparationem, quòd careant conscientia peccati mortalis.

109 Et siquidem is Author diceret, se probabiliter inferre ex iis textibus, quòd omnes deberent communicare quotidie, id tolerabile esset. Cæterùm absurdum est, quòd dicat, Concilium in iis textibus evidenter docere, & exhortari omnes ad communionem quotidianam. Et ut videas, quàm absurdus sit hic modus discurrendi, propono hunc syllogismum: [Christus vult, omnes fideles colere memoriam ejus quotidie: sed per sumptionem Eucharistiæ colimus memoriam ejus: ergo sumptio Eucharistiæ quotidiana debet esse.] Hic syllogismus continet majorem, minorem, & consequentiam. Et quidem minor affirmatur à Concilio. Si autem majorem etiam affirmaret Synodus Tridentina, potuisset dici, eam consequentiam affirmari ab ipsa sacra Synodo: nam in legitima argumentatione, qui affirmat præmissas, debet etiam affirmare consequens, immò illud de facto affirmat saltem virtualiter. Synodus autem Tridentina non affirmat majorem; quæ quidem falsa est: Christus enim non vult, neque ipsi placet, quòd fideles distracti, & cupiditatibus rerum temporalium præpediti, etsi careant conscientia peccati mortalis, quotidie colant hac sumptione Sacramentali sui memoriam.

110 Et quidem sub eadem forma arguendi, posset quis probare hæreticaliter, omnes etiam peccato mortali præpeditos posse quotidie communicare, hoc syllogismo: [Omnes fideles, etiam lethali culpa infecti, debent colere quotidie memoriam Christi: sed colere memoriam Christi fit per sumptionem Sacramentalem Eucharistiæ: ergo omnes fideles, etiam peccato mortali infecti, debent exercere quotidie sumptionem Eucharistiæ.] Ad quem syllogismum debent respondere adversarii, falsam esse majorem de hoc genere colendi sacramentaliter memoriam Christi. Eadem ergo proportione dicimus nos, majorem antecedentis syllogismi esse falsam de omnibus fidelibus carentibus conscientia peccati mortalis, quibus non expedit colere quotidie Sacramentaliter Christi memoriam.

111 Idem conspicies in secundo, & tertio textu. Nam quia Concilium ponit unam præmissam, & is scriptor ponit alteram; & ex illis duabus infert consequentiam, asserit hanc consequentiam doceri à Concilio. Qui modus discurrendi quàm sit alienus à dialectica, omnes docti optimè sciunt.

112 Et quidem sub eadem forma, qua Author iste asserit, doceri à Concilio communionem omnium fidelium quotidianam; possem ego affirmare, doceri à concilio, neminem debere communicare quotidie, nisi qui perfecta dispositione devotionis actualis se præparaverit. Sicut enim ipse assumit unam præmissam Concilii, & superaddit alteram propriam; & consequentiam inde deductam dicit esse doctrinam Concilii; sic ego possem assumere unam præmissam Concilii, & addere aliam propriam pro dispositione perfecta ad communionem; & sic asserere, esse doctrinam Concilii, neminem communicare debere quotidie, nisi qui habuerit illam dispositionem perfectam. Attende syllogismum: [Christus præcepit colere nos sui memoriam in sumptione Eucharistiæ: sed noluit colere nos, scilicet sacramentaliter sui memoriam, nisi cum perfecta dispositione devotionis actualis: ergo nemo debet accedere ad sumptionem Eucharistiæ, nisi cum perfecta dispositione devotionis actualis.] In quo major est Concilii, minor autem est à me superaddita: & consequentia rectè infertur. Numquid ergo hæc consequentia est doctrina asserta expressè, vel tacite à Concilio? Non assero, quia hic pessimus est discurrendi modus.

113 Quartus textus, quem affert ex *sess.13. cap.8.* de Euchar. est: *Paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur,* &c. *hæc sacra mysteria corporis, & sanguinis ejus, fidei constantia, & firmitate, ea animi devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.* Et subjungit Pinto, non suscipere frequenter, nisi qui quotidie suscipit: sicut non dicitur frequenter audire missam, nisi qui audit quotidie.

114 Sed quis non videt, sensui verborum vim inferri, dum vult idem esse *frequenter*, atque *quotidie?* ut ampliùs constabit infra *art.* 9. ex Conciliis Mediolanensibus, quæ Clericis ante sacerdotium indicunt frequentiam communionis; & posteà explicant hanc frequentiam per hoc quod communicent singulis diebus Dominicis. Vide etiam *art. 5. nu.127.*

115 Deinde iste textus Tridentini militat contra opinionem de communione quotidiana omnium fidelium. Nam ad frequentem communionem requirit *Fidei constantiam, & firmitatem, animi devotionem, pietatem, & cultum:* atqui non omnes fideles, etsi nullius culpæ mortalis conscii, habent totam hanc dispositionem: ergo ex mente Concilii non omnes, ut res de facto se habent, debent communicare quotidie.

116 Respondent oppositæ partis Authores, ipsam voluntatem communicandi esse devotionem, ac pietatem; unde eo ipso quòd velint communicare, jam habent eam devotionem, & pietatem, quas requirit Concilium.

117 Sed hæc responsio detorquet verba Concilii ad sensum absurdum. Nam Concilium *admonet, hortatur, rogat, & obsecrat, ut habeant eam animi devotionem, ac pietatem, & cultum*, ut frequen-

ter

ter accedant ad communionem; sed per vos in sola voluntate communicandi stat ea animi devotio, pietas, & cultus: ergo Concilium dumtaxat admonet, hortatur, rogat, & obsecrat communicaturos, ut habeant voluntatem communicandi. Ergo concilium admonet, hortatur, rogat, & obsecrat, ut qui accedunt ad communionem, habeant eam voluntatem, sine qua non possunt communicare: quod esset ridiculum.

118 Quintus textus est is, quo utuntur omnes Authores ejus opinionis de communione quotidiana omnium fidelium ex *sess. 22. cap. 6.* de sacrificio Missæ. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis omnes fideles astantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Sed quod optat sancta Synodus, consuli debet fidelibus: ergo consuli debet, quòd omnes, qui astant Sacrificio, communicent.

119 Sed ex hoc decreto Innocentii XI. magna lux allata est ad explicationem hujus textus in *clausula.* ubi loquens de his verbis Concilii, ait: *Quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipit, quod caperet, tantùm judicavit, cùm inquit: Optaret quidem sacrosancta Synodus, &c. Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes; multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa. Quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui.*

120 Ex quibus verbis constat primò, Synodum Tridentinam, non solùm non constituisse communionem quotidianam, sed etiam non potuisse constituere, nisi sub aliquibus limitationibus; eo quòd humanis oculis scrutari non possumus dignitatem, & integritatem requisitam ad communionem quotidianam.

121 Constat secundò, ideò Concilium dumtaxat indicasse desiderium suum, & non indixisse communionem quotidianam; quia cùm in aliis sint variæ spiritus alienationes, quibus non expedit communicare quotidie; in aliis verò multæ gratiæ, & Dei dona, quibus expedit communicare quotidie; non potuit Concilium una & eadē formula communi indicere omnibus communionem quotidianam.

122 Notandum etiam est, Tridentinum non dixisse *Optat*, sed *Optaret*: inter quæ est magnum discrimen. Nam (ut notavit P. Emmanuel Alvarez in sua arte Grammatica agens de modo subjunctivo verbi; unicuique enim in sua arte credendum est.) id præteritum imperfectum subjunctivi significat quandam inclinationem ad faciendum aliquid non autem resolutionem voluntatis. Hinc fit, quod Concilium non optat absolutè, sed inclinat quodammodo ad optandum. Non optat absolutè, quia videt, non omnes habere eam animi devotionem & reverentiam, quæ requiritur ad communionem quotidianam. Inclinat tamen ad optandum, quia desiderabile est, omnes homines ea devotione, & reverentia disponi. Quòd explicatur exemplo. In ore justorum invenies frequenter hanc vocem: *Vellem, omnes homines esse sanctos, & immaculatos*. Inquiro ergo, quare non dicitur, *Volo, omnes homines esse sanctos, & immaculatos*: & dicitur, *Vellem*, &c. Ratio autem est: quia attenta hominum fragilitate, & inclinatione ad terrena est moraliter impossibile, quòd omnes homines sint sancti, & immaculati: ideò justus non dicit absolutè, quòd vult, sed quod vellet. Similiter ergo Concilium, quia videt multa impedimenta in pluribus hominum ad hanc dispositionem requisitam pro communione quotidiana; ideò non dicit quòd optat, sed quòd optaret. Et ita cùm accedit ad exhortandum, ut in textu quartò antecedenti, non exhortatur fideles, ut quotidie communicent, sed ut se præparent ea devotione, & reverentia, qua digni fiant communione quotidiana.

ARTICULUS V.

An Concilia provincialia Clovesbense, & Ravennatense exhortentur ad communionem quotidianam?

SUMMARIUM.

Duo textus citati pro communione quotidiana ex Concilio Clovesheasi, canon. 22. & 23. nn. 123.
An id Concilium continent dumtaxat septem canones? n. 124.
An primus textus suppositius loquatur solùm de Ecclesiasticis? num. 126.
An sit quid diversum, quòd sint dispositi continuò ad communionem, & quod continuò communicent? ibidem.
An sit idem communicare frequenter atque quotidie? n. 127.
Quomodo intelligatur textus Concilii Ravennatensis? n. 129.

123 IDem Pinto *disc. 1. cap. 7.* asserit, tredecim Concilia provincialia (præter sex alia, quæ posteà subjungit) exhortari omnes fideles ad communionem quotidianam. Et tamen nec unum quidem eorum tale quid asserit. Citat in primis Concilium Cloveshense sub Zacharia Papa celebratum anno 742. & ex illo affert duos textus ex can. 22. & 23.

124 Et licèt hoc Concilium non reperiatur in editionibus antiquis, illud reperies in editione novissima, quæ facta est Parisiis, opera, & studio P. Philippi Labæi, *tom. 6. fol. 1532.* Et quidem id Concilium dumtaxat continet septem canones, & in illis septem nihil penitus dicitur de communione Eucharistiæ. Unde omninò evanescit illa ejus Scriptoris probatio.

125 Sed licèt admitteremus tamquam legitimos ejus Concilii textus, quos ipse affert; nihil suffragarentur opinioni de quotidiana omnium fidelium communione. Primus textus suppositius, quem affert, hic est: [Omnes Religiosi, & Ecclesiastici continuò dispositi sint ad communionem, neque ita depravatis moribus vivant, ut ob eorum culpas communione priventur.]

126 Sed hic textus non est ad rem. Primò, quia solùm loquitur de Religiosis, & Ecclesiasticis. Secundò, quia non exhortatur eos, ut communicent quotidie, sed quòd per bonos mores, & virtutes sint continuò dispositi ad communionem. Et aliud est, quòd continuò communicent; aliud verò quòd continuò habeant puræ, & integræ vitæ dispositionem, ad communicandum, quando oporteat. Tertiò, quia licèt is Author velit, intelligi postrema verba, ita ut solùm propter gravissima crimina olim privarentur communione quotidiana; non ita est: privabantur enim communione per longum tempus, immò & per plurimos annos.

127 Secundus textus, quem affert, est iste: [Soluti, & conjugati, qui à peccatis abstinent, admoneantur, ut frequenter accipiant sacram Synaxim.] Dicit autem idem esse *frequenter*, atque *quotidie*. Sed quis non videt assumi falsum; tum ex communi usu loquendi: tum ex multis textibus sacræ Scripturæ, in quibus impossibile est intelligere frequentiam pro usu quotidiano. Vide Reg. 4. cap. 4. vers. 8. Ubi de Elisæo dicitur: *Cùmque frequenter inde transiret*. Et Machab. 1. cap. 14. vers. 28. *Quoniam frequenter facta sunt prælia*. Et Machab 2. c. 10. vers. 14. *Frequenter Judæos debellabat*. Et passim alibi. Vide, quæ de hoc supra dixi art. 4. & infra art. 9.

128 Deinde affert Concilium Ravennatense tertium, quod in Rubr. 13. corripit Sacerdotes, qui diuturno tempore abstinent à celebratione Missæ; & subjungit hæc verba: *Neque animadvertentes, quòd quemadmodum quotidie pro populi peccato, ita & pro suo debet offerre Sacerdos; & quòd hic sit panis, quem Deus quotidie peti, & ministrari mandavit*. Et in his ultimis verbis existimavit hic Author contineri communionem quotidianam.

129 Sed fallitur. Primò, quia per quotidianam Missæ celebrationem petitur quotidie, & ministratur hic panis. Secundò, quia juxta decretum sacræ Congregationis, ministrari debet hic panis rarius, aut crebrius pro modo præparationis, aut devotionis. Itaque iis fidelibus ministrandus est quotidie, qui singularem habuerint devotionis, & reverentiæ dispositionem; non omnibus, ea hoc solùm, quòd culpæ mortalis non sint sibi conscii; neque ullum est verbum in textu Concilii, quod huic doctrinæ opponatur.

ARTICULUS VI.

An tria Concilia Toletana sint pro communione quotidiana omnium?

SUMMARIUM.

An textus Concilii Toletani primi infideliter referatur? n. 131.
An olim qui ob gravia crimina habebantur in pœnitentia, privarentur communione Eucharistiæ pro tempore pœnitentiæ? n. 132.
Quomodo eum textum explicet Glossa? n. 133.
Quomodo ex eo textu non inferatur communio quotidiana? n. 134.
Quid dicat S. Hieronymus de communione quotidiana? n. 135.
Quomodo non sit ad rem textus Concilii Toletani tertii? n. 137.
Quàm inutiliter citentur duo textus ex Concilio Toletano quarto? num. 138. & seq.

130 IDem Author ibidem allegat tria Concilia Toletana. Ex Concilio Toletano I. cap 13. & habetur cap. *Hi qui*, de consecr. dist. 2. refert verba, quæ non fideliter transfert in Hispanum idioma. Textus latinus hic est: *De his, qui intrant in Ecclesiam, & deprehenduntur numquam communicare, admoneantur. Quòd si non communicant, ad pœnitentiam accedant. Si communicant, non semper abstineant. Si fecerint, abstineantur.*

131 Circà quem textum notandum est primò, eum Authorem illa verba, *Si communicant, non semper abstineant*; transtulisse in Hispanum idioma sic: [Si comulgan, no buelvan à *abstenerse*.] Id est [Si communicant, non iterùm abstineant.] Et ita interpretatur, ut sensus sit, [Nulla die deinceps abstineant;] atque adeò quotidie communicent. Cùm ergo in eo textu dicatur. *Qui communicant, non semper abstineant*; quis non videt, sensum ab eo Authore traditum esse alienum à sensu ejus textus; & eam dictionem *non semper*, qua utitur Concilium, esse immutatam?

132 Notandum est secundò, olim eos, qui habebantur in pœnitentia ob gravia crimina, arceri à communione Eucharistiæ. Dum ergo Concilium jubet, quòd qui numquam communicant, *ad pœnitentiam accedant*, jubet quidem, ut qui ex voluntate sua nolunt communicare, adnumerentur illis, qui in pœnitentia sunt, & inviti priventur communione.

133 Notandum est tertiò, circà id verbum, *Non semper abstineant*, glossam addidisse hunc commentarium: *Id est, si aliis temporibus, non tamen illis temporibus abstineant, scilicet Pascha, Pentecoste,*

Nata-

Natali Domini. Et circà ultimũ verbum *abstineantur* subjungit glossa: *Abstineant à communione, vel abstineantur, id est excommunicentur*.

134 Ex dictis colligitur, quàm male inferat communionem quotidianam omnium fidelium ex eo textu Concilii; cùm immutaverit sensum, & verba illius. Et cùm Concilium dicat, *Non semper abstineant*, ille Authur vertit, *Non iterùm abstineant*. Et cùm Glossa id intelligat de communione pro tribus diebus in quolibet anno, ipse velit intelligendum de omnibus diebus nullo excepto.

135 Ex eodem textu Concilii infert ulterius is Author illis verbis, quæ sic fideliter in latinum sermonem transierunt. [Et ita communicabant omnes fideles in Hispania quotidie, ut inquit S. Hieronymus.] Sed id minimè colligitur ex Concilio, ut patet ex dictis. Et S. Hieronymus non affirmat omnes communicare quotidie in Hispania; sed esse consuetudinem communicandi quotidie in Hispania; scilicet aliquorum, qui magna devotione tenebantur. Utinam modo vigeret eadem consuetudo, dummodo se præpararent ea puritate, devotione, ac reverentia, qua olim se præparabant ad communionem simul, & ad martyrium.

136 Secundo loco refert verba Concilii Toletani tertii, quorum tenor est iste: *Symbolum fidei recitetur, & prius quam Dominica dicatur oratio, voce clara prædicetur; quo fides vera manifesta fit, & testimonium habeat; & ad Christi corpus, & sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata, accedant*. Ergo quotidie accedebant populi ad sacram communionem.

137 Sed unde colligit hic Author, quotidie prædicari, & quotidie communicari? Cùm ad id nullum detur fundamentum in verbis Concilii. Quod si verum sit, tunc temporis eam vigere consuetudinem communicandi quotidie, Concilium id non indicit; sed solum jubet, quòd ante communionem prædicetur, ut melius disponerentur corda fidelium ad sacram communionem.

138 Tertiò loco obiicit textum Concilii Toletani quarti. Nam cap. 2. ait: *Conservetur unus modus in Missarum solemnitatibus*. Ubi, ut ex Authoribus colligitur, in his verbis indicitur, ut servetur modus celebrandi Missam, quam vocant Muzarabem: in qua Missa injungitur fidelibus, ut omnes communicent quotidie. Sed quomodo id injungitur? Respondet is Author *disc. 1. cap. 13. n. 3.* in Missa Muzarabe, cùm recitabatur à Sacerdote oratio Dominica, ad ea verba *Panem nostrum quotidianum*; respondebat Minister; *quia est Deus*. Unde ex eo, quod in Missa petimus panem nostrum quotidianum, id est, sacram Eucharistiam, infert, in Missa præcipi communionem quotidianam.

139 Sed in hac, & aliis consequentiis hujus Authoris logicam desidero; nihil enim valet ea consequentia: alioqui cùm eadem verba dicantur semper in Missa, dicendum esset etiam in qualibet Missa præcipi communionem; nihil enim refert, quòd Minister respondeat, vel non respondeat. Constat autem ex Decreto sacræ Congregationis, nullum esse præceptum in Ecclesia communicandi quotidie.

140 Deinde affert alia verba Concilii Toletani quarti *cap. 10. aliàs 9.* citantem S. Hilarium, & S. Cyprianum. Sed hæc probatio tam inutilis est, ac præcedens. Nam Concilium solùm præcipit, ut quotidie dicatur oratio Dominica; ut ex ejus verbis clarè constat; quæ hujus tenoris sunt. *Nonnulli Sacerdotes per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Salvator noster docuit, & præcepit, non quotidie, sed die Dominica dicunt. Et quia, ut sine intermissione oremus, Apostolus docuit; qualiter autem oremus, Christus præcipit, dicens, cùm oratis, dicite, Pater noster, qui es in cœlis; quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici jubetur? Nam in tantum quotidie hæc oratio dicenda est, quantum & ipso titulo utitur, dum vocatur oratio quotidiana. Sic enim Sancti Patres nuncupaverunt. Quod etiam apud Doctores, quorum doctrina illustris est, invenitur. S. quippe Cyprianus dicit: Itaque in oratione Dominica panem nostrum quotidianum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus; ut qui in Christo manemus, & vivimus, à sanctificatione, & corpore ejus non recedamus*.

141 Concilium ergo Toletanum non affert S. Cyprianum, ut probet quotidie communicandum; sed ut probet, quotidie recitandam esse orationem Dominicam. Sanctus autem Cyprianus non docet, quoslibet laicos, quacumque tepiditate teneantur, debere communicare quotidie, sed eos, qui manent, & vivunt in Christo, qua dicendi formula significantur, qui speciali devotione, & actibus charitatis uniuntur cum Christo. Neque enim negandum est, oportere communicare quotidie eos, qui talibus actibus devotionis, & charitatis cum Christo uniuntur. Neque negamus absolutè communionem quotidianam, sed solùm negamus, exercendam esse cum ea dumtaxat dispositione, qua quis careat conscientia peccati lethalis; de quo nihil agit S. Cyprianus.

ARTICULUS VII.

Quod inferatur pro communione quotidiana ex Conciliis Coloniensi, Parisiensi, & Senonensi?

SUMMARIUM.

An Concilium Coloniense secundum hortetur ad communicandum singulis Dominicis? Et quomodo perperam citetur pro communione quotidiana? nu. 143.

Quàm sint inutiles pro communione quotidiana alii duo textus ex eodem Concilio? n. 145 & seq.

An canon Apostolorum, qui refertur ab hoc Concilio, loquatur de communione pro singulis Dominicis? n. 147.

An expressè dicat id Concilium, quod non exigit communionem quotidianam? n. 148.

Quàm sit etiam inutilis textus ex Concilio Parisiensi sexto? n. 149.

Quà absurdè citentur alia Concilia Parisiensia, quæ præcesserunt? n. 151.

Quàm sit etiam inutilis textus ex Concilio Senonensi secundo? n. 153.

142 IDem Pinto ibid. num 8. ait, Concilium Coloniense primum sub Paulo III. part 7 can. 26. exhortari omnes fideles ad communionem quotidianam, quatenus repetit supra memoratum canonem Apostolorum. Addit præterea is Author illud Concilium can. 21. significare desiderium, quo afficitur, quòd omnes fideles quotidie communicent, quatenus ait, per ipsos laicos stare, quominus quotidie ministretur illis Eucharistia. Affirmat etiam, id ipsum in can. 24. doceri.

143 Sed mirandum est, quòd cùm Concilium expressè exhortetur ad hoc, quod singulis Dominicis diebus fideles communicent; ipse velit nobis obtrudere assertum omnino alienum ab eo Concilio. Quod evidenter constabit allatis in medium ipsis textibus, quos citat. In canon. 21. sic dicitur. *Et ut exhortandus est populus, quo sæpenumero communicent, quemadmodum olim singulis diebus Dominicis fieri consuevit (quod quidem nunc, quominus fiat, per laicos stat, quibus non debet cœlestis ille cibus invitis, aut nauseantibus obtrudi) ita ad minimum populus ipse in disciplina Ecclesiastica retinendus est, ut saltem toto anno semel ab omnibus, qui ad discretionis annos pervenissent, confessis, & contritis Eucharistia summa cum reverentia suscipiatur*, &c.

144 In quibus verbis duo sunt notanda. Primum, quod dumtaxat hortatur, ut *singulis diebus Dominicis* communicent; & id dicit esse communicare sæpenumero. Secundum, quod in eo quod dicit, per laicos stare, quominus eis ministretur Eucharistia ob eorum nauseam cœlestis hujus cibi, promovetur nostra doctrina. Propterea enim dicimus, non expedire, quod omnes laici quotidie communicent; quia eorum plurimi hac nausea, & tepiditate afficiuntur. Est enim quoddam nauseæ genus accedere ad hanc mensam cum magna distractione, & tepiditate; cùm tamen ad cibum materialem cum magna cupiditate, immò & anxietate accedant.

145 Non minus sinistrè citatur textus hujus Concilii ex canone 24. ut patet ex hoc contextu. *Docendus quoque populus, ut qui juxta antiquum Ecclesiæ ritum singulis Dominicis diebus ad communicandum corpori, & sanguini Dominico non se præparat; Missæ saltem Parochiali hisce, aliisque festis diebus intersit: ut tametsi inter sacrificantem, & assistentes non sit (more illo antiquo) tam frequens Sacramenti communio, sit saltem sacræ doctrinæ, piæ exhortationis laudis, & gratiarum actionis communio: ut sic quodammodo omnes spiritualiter communicent, cum desiderio etiam Sacramentaliter communicandi*, &c. Ubi vides Concilium dumtaxat desiderare, *ut singulis diebus Dominicis* populus communicet; & hortari solum, ut spiritualiter communicet. Ubi est ergo hæc exhortatio ad communionem quotidianam omnium fidelium, quam iste Author vult nobis quasi cæcutientibus obtrudere?

146 Sed & can. 26. in quo exhortationem ad communionem omnium quotidianam fingit hic Author, nihil aliud conatur suadere Concilium, nisi assistentiam integram ad sacrificium, & communionem spiritualem. Sic enim decernit: *Corripiendus verò abusus est, quod quidam post aspersam aquam, & ante Missæ introitum, exitum faciunt: quidam post auditum, & non intellectum Evangelium, abeunt; allique, postquam Sacerdos dixit, Sursum corda, & gratias agamus, &c. Denique alii statim post elevationem corporis, & sanguinis Dominici, non expectantes præcipuam Missæ partem, quæ est communio*. Ecce abusum, quem refert Concilium; vide modò quid immediatè subjungat. *Antiquissimus ergo canon populo rememorandus est, qui sic habet: Omnes fideles, qui in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam conveniunt, Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt (quam nos, ut non exigimus quotidie Sacramentalem, saltem spiritualem à populo requirimus) velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari*.

147 Ubi observabis primò, eum Authorem citasse Concilium Coloniense pro communione quotidiana, eo quod Concilium dicat, rememorandum esse canonem Apostolorum; cùm tamen Concilium referat eum canonem non tamquam loquentem de communione singulis diebus exercenda, sed solùm in *solemnitatibus sacris*. Unde deberet inferri, juxta prædictum canonem Apostolorum, non quotidie, sed solùm in solemnitatibus fieri debere communionem Eucharistiæ.

148 Observabis secundò ea verba Concilii, *Quam nos ut non exigimus quotidie Sacramentalem*. Ubi vides quam immeritò iste Author afferat hoc Concilium pro communione Sacramentali quotidiana; cùm expressè dicat Concilium, illam nõ exigere, sed solũ spiritualẽ.

149 Idem Scriptor ibidem num. 9. pro sua communione quotidiana omnium fidelium refert Concilium Parisiense VI in cujus verbis ex canon. 20. quæ allegat, ne minimum quidem vestigium

ftigium apparet communionis quotidianæ consulendæ. Ecce verba quæ citat, in quibus Concilium Regem Ludovicum Pium alloquitur. *De perceptione verò sacri Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi nihilominus monemus, ut quod Christianæ Religioni expedit, & sicut vobis à Patribus nostris admonitum est in aliis conventibus, quando possibile fuerit, faciatis; & vestro exemplo vobis famulantes, ut hoc faciant, instruatis.*

150 Perpendat lector, quàm sine fundamento accumulentur textus Conciliorum. Itaque quia Concilium Parisiense suadet Regi Luduvico Pio, *ut in perceptione sacri Corporis, & Sanguinis Domini, faciat, quod possibile fuerit*, affirmat iste Author, quòd Concilium suadet Regi, ut communicet quotidie. Quid ergo dicam ad hoc argumentum, nescio, nisi quod pudet respondere.

151 Neque his contentus ille Author, subjungit, præcedentia Concilia Parisiensia suasisse etiam Regi communionem quotidianam. Sed quomodo? nempe, quia Concilium ait: *Sicut vobis à Patribus nostris admonitum est in aliis conventibus.*

152 Sed si in aliis conventibus, sive Conciliis admonitus est Rex, quòd *in perceptione* Eucharistiæ *faciat, quod possibile fuerit*, per hoc clare cernitur, quòd antecedentia Concilia non suaserint communionem quotidianam; cùm hæc per ea verba non explicetur. Deinde Concilia antecedentia non potuerunt id suadere eidem Regi Lodovico Pio, cùm Concilium Parisiense V. celebratum fuerit ducentis nuadraginta novem annis ante Parisiense sextum. Nam quintum celebratum est ann. 580 & sextum ann 829.

153 *Ibidem num.* 10. affert pro sua opinione Concilium Senonense secundum sub Clemente VII. Indicit enim Curatis, ut hortentur fideles ad hoc, quòd frequenter communicent. Dicit autem idem esse *frequenter* atque *quotidie*. Verba Concilii sunt hæc. *Hortentur insuper iidem Curati eosdem Parochianos suos, ut frequenter peccata sua confiteantur, & Sacramentum Eucharistiæ percipiant, præsertim in festis solemnibus, & tempore infirmitatis, aut pestis, &c.*

154 Sed jam supra vidimus, quàm falsum sit id, quod assumit, idem esse *frequenter*, atque *quotidie*. Quod etiam ex ipso hujus Concilii contextu falsum esse cernitur: nam cùm dicat, *præsertim in festis solemnibus*; id ponit Concilium tanquam exercitium frequentiæ. Si ergo qui communicat in omnibus festis solemnibus, juxta tenorem Concilii frequenter communicat; quomodo idem erit *frequenter* atque *quotidie*?

ARTICULUS VIII.

Quid inferatur ex Conciliis Bracharensi, Moguntino, & Treverensi?

SUMMARIUM.

Quàm falsa sit allegatio Concilii Bracharensis? Et an is sit canon ex collectione Martini Bracharensis? nu. 156.
Quam sine fundamento citetur Concilium Moguntinum, cùm id solùm hortetur ad communionem spiritualem? nu 159.
Quam inutiliter citetur Concilium Treverense? nu. 160.

155 EOdem *cap.* 7. *num.* 12. affert pro sua opinione Concilium Bracharense secundum *can.* 83. affirmatque in hoc Concilio renovari consuetudinem communicandi quotidie, & ad hoc referri in eo Concilio canonem Apostolorum supra relatum.

15 Sed hic Author ingentem passus est æquivocationem; hoc enim Concilium decem dumtaxat habet canones. Igitur canon iste 83. est ex quadam antiquorum Orientalis Ecclesiæ canonum collectione, quam fecit Martinus Archiepiscopus Bracharensis; ut constat ex Severino Binio *tom.* 2. Concil. Hæc autem collectio canonum in ea editione Binii reperitur post Concilium Lucense secundum. Contextum hujus canonis tradidi supra *art.* 1. ubi dixi, esse explicationem canonis decimi Apostolorum; ubi etiam proposui glossas, ex quibus convincitur, eum canonem Apostolorum non loqui de communione quotidiana omnium fidelium, neque de excommunicandis illis, qui non vacant communioni quotidianæ; sed illis solùm, qui ne desererent vitam luxuriosam, negligebant communicare in diebus solemnibus, in quibus reliqui fideles communicabant.

157 Notat autem Severinus Binius *tom.* 2. *concil. fol.* 676. errare Gratianum in eo, quòd hunc canonem attribuit Martino Papæ, cùm deberet attribuere Martino Archiepiscopo Bracharensi. Sicut etiam errat Pinto, dum illum attribuit Concilio Bracharensi secundo.

158 Obiicit deinde *ibid. n.* 13. Concilium Moguntiuum sub Paulo III. *cap.* 38. (corrige 58) verba Concilii sunt hæc. *Præterea sacram Eucharistiam, cum celebrante, si non ore, saltem fide, & desiderio cordis, ad percipiendum spiritualem ejus fructum, & crebrò sumere.*

159 Sed hic textus est optimus ad probandum, quàm sine fundamento citentur concilia pro communione quotidiana. Nam cùm hoc Concilium, ut vides, solùm hortetur ad crebram communionis spiritualis exercitationem; iste Author communionem spiritualem transfert ad Sacramentalem; & vult idem esse *crebrò*, atque *quotidie*. Quod quàm sine fundamento fiat, nemo non videt.

160 Deinde citat pro sua opinione Concilium Treverense: & licèt non explicet, utrùm sit ex duobus Treverensibus, scias, illud, quod citat, esse secundum. Verba Concilii in decreto de officio Missæ rite peragendo §. *Et si optare*, hæc sunt. *Et si optare potius, quàm sperare liceat, adesse quotidie aliquos, qui Eucharistiam accipiant; volumus tamen, ut Sacerdotes ad frequentationem hujus mysterii, & sacram communionem laicos adhortentur. Nec tamen ideò Sacerdotes à quotidiano sacro desistere oportet, quod desint, qui cum Sacerdote sacra faciente mensa Dominicæ quotidie Sacramentaliter communicent.*

161 Et hinc dupliciter arguitur pro communione quotidiana. Primo, quia Concilium optat, fideles communicare quotidie: sed quod optat Concilium, est utile fidelibus: ergo fidelibus utile est communicare quotidie. Secundo, quia Concilium hortatur frequentationem communionis Sacramentalis; atqui idem est *communio frequens*, atque *communio quotidiana*.

162 Respondeo, hoc Concilium desumpsisse ex Tridentino id verbum *optare*, & ideò in eodem sensu intelligendum est. Diximus autem supra artic. 4. ex verbis decreti Innocentii XI. colligi, ideò dixisse Tridentinum *optare*, non autem indicere, aut hortari communionem quotidianam, quia sunt alii, quibus expedit, & alii quibus non expedit defectu dispositionis congruentis ad communionem quotidianam. Optat ergo utrumque Concilium, quòd omnes fideles cum magna actuali devotione, & reverentia disponantur, & si ita fiat, communicent quotidie, non aliter. Ad primum ergo syllogismum distinguo consequens: [Ergo fidelibus utile est communicare quotidie, si inveniantur præparati cum magna actuali devotione, & reverentia, concedo; aliter, nego.

163 Ad secundam probationem dixi supra, iterùm, atque iterùm, quam sine fundamento dicatur idem esse *frequenter*, atque *quotidie*. *Vide art. seq.*

ARTICULUS IX.

Quid inferatur pro communione quotidiana ex seu Conciliis Mediolanensibus, & ex Aquilejensi tertio?

SUMMARIUM.

Falsa citatio Concilii Mediolanensis tertii. n. 164.
An ex Concilio Medolanensi secundo colligatur manifestè, non esse idem communicare frequenter, & quotidie. n. 166.
Item ex Mediolanensi quinto. n. 167.
Item ex Breviario Romano. n. 168.
An primum Concilium Mediolanense hortetur solùm ad frequentem communionem. n. 169.
An exemplum primitivæ Ecclesiæ communionis quotidianæ non afferatur à Concilio ad suadendam communionem quotidianam. n. 170.
An Mediolanense secundum loquatur solùm de clericis, & de communione accipienda in diebus festis. n 173.
Quomodo textus ex Mediolanensi quarto nihil prosit communioni quotidianæ. n. 174.
An eodem modo non sint ad rem textus ex Conciliis Mediolanensibus quinto, & sexto. n. 176.
Quàm inutilis etiam sit allegatio Concilii Aquilejensis tertii. n. 179.
Quomodo catechismus Romanus resistat communioni quotidianæ omnium. n. 180.

164 IDem Pinto discursu 1. cap. 8. sex Concilia Mediolanensia à S. Carolo Borromeo celebrata affert pro opinione de communione quotidiana omnium fidelium. Incipit autem à tertio Mediolanensi in decr. De iis, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent. Et *nu.* 2. habet Pinto hæc verba, quæ in latinum sermonem fideliter sic transferuntur. [Repetitis vicibus, & instanter præcipit Concilium Concionatoribus, & Parochis, ut exhortentur ad communionem *quotidianam*, & ad hoc multa præbet media; corripitque, & reprehendit eos, qui concionari audent contra illam, jubens puniri eos tamquam scandalosos privatione, & suspensione muneris concionatorii; decernens, ne iterum concedatur eis facultas exercendi hoc ministerium, usque dum satisfaciant pro scandalo, quod præbuerunt concionantes contra communionem *quotidianam*.]

165 Sed quam sine fundamento loquatur, evidenter conspicitur in verbis Concilii, quæ hujus tenoris sunt. *Ad saluberrimum illum sacræ Eucharistiæ frequenter sumendæ usum, Parochi, ut primo Provinciali Concilio jussum est, & concionatores item quàm sæpissime populum exhortentur, nascentis Ecclesiæ institutis, atque exemplis, & gravissimorum Patrum vocibus, & uberrima hoc ipso de genere catechismi Romani doctrina, & sententia denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem, fideles in singulis Missis, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. Quod si quis concionator, etiam Regularis, aliquid contra directè, indirectève dixerit, aut concionatus sit, Episcopus, in cujus urbe, diœcesive hoc illo admiserit, ei tamquam scandalum disseminanti, Tridentinæ ejusdem Synodi authoritate, interdicat prædicationem verbi Dei.*

166 Cir-

166 Circà quæ notandum est primò, planè falsum esse, & absque fundamento id, quod affirmat Pinto, idem esse apud Concilia *communicare frequenter*, atque communicare *quotidie*: idque evidenter constare ex ipsis Conciliis Mediolanensibus. Nam Mediolanense secundum *tit. 2. Decret. 26* ubi præcepisset, Diaconos, & inferiores Clericos accedere *frequenter* ad sacram Eucharistiæ communionem, subjungit hæc verba: *Sacra verò Eucharistia communionem in propria Parochia, vel in alia Ecclesia, quam Episcopus statuat, diebus festis percipiant*. Ergo juxta præscriptum hujus Concilii *frequenter* communicant, qui *diebus festis* communicant. Ergo non est idem communicare *frequenter*, & communicare *quotidie*.

167 Et Mediolanense quintum *part. 2. tit. Solicitudo in uniuscujusque præparatione spirituali.* vers. *Itidem* sic ait: *Ad frequentem sanctissimæ Eucharistiæ usum fideles omni studio accendat, & ut saltem semel in hebdomada illam sumat*. Ergo *frequenter* sumit, qui illam *semel* in hebdomada sumit: ergo non est idem sumere *frequenter*, & sumere *quotidie*.

168 Eodem ferò modo procedit Concilium Coloniense, designans dies Dominicos ad frequentiam communionis, ut constat ex dictis supra *artic. 7.* Et in Breviario Romano, in festu S. Ignatii Fundatoris Soc. Jesu. *In lect. 6. ad Matut. dicitur: Catechismi traditio, concionum, & Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepere*. Cùm tamen apud omnes constet, neque S. Ignatium, neque Doctores, aut concionatores Societatis Jesu docuisse communionem quotidianam omnium fidelium: ergo *frequens* communio, non est idem atque *quotidiana*. *Vide, quæ dixi supra art. 4. & 5.*

169 Notandum est secundo, circà illa verba, *Ut primo provinciali Concilio jussum est*; in eo primo Concilio nullum alium esse textum ad hanc rem congruum, nisi illum, qui paulò inferius referendus est, in quo dumtaxat dicit, Parochos exhortari debere ad frequentem communionem. Unde id solum est, quòd Concilium tertium suadere intendit, frequentem, non quotidianam communionem.

170 Notandum est tertiò, non augeri vim argumenti pro quotidiana omnium communione, ex eo quòd Concilium tertium, dixerit, Parochos suadere debere frequentem communionem exemplo nascentis Ecclesiæ, in qua dicitur mos fuisse communicandi quotidie. Sic enim possumus hominibus tepidis suadere communionem pro singulis diebus Dominicis, exemplo nascentis Ecclesiæ, ubi communicabatur quotidie: sicut suademus hominibus, ut ad macerationem carnis ter in hebdomada utantur flagellis, exemplo Anachoretarum, qui se flagellis cruentabant ter diebus singulis: proponimus enim exempla majora, ut illa in minoribus imitentur. Et Christus à nobis imitandus est, quamvis non possimus ad perfectionem Christi pertingere. Neque vires sumit argumentum ex catechismo Romano, neque ex Concilio Trident. cùm ex neutro colligatur communio omnium quotidiana; ut de Tridentino patet *ex art. 4.* & de catechismo constabit inferius.

171 Notandum est quartò, cum id Concilium tertium loquatur de communione frequenti, ille Author dum refert dictum Concilii pro suo libito mutat eam dictionem communionis *frequentis* in dictionem communionis *quotidianæ*. Item cum Concilium corripiat, & puniri jubeat concionatores prædicantes contra communionem *frequentem*, ille Author dum refert dictum Concilii, affirmat, Concilium corripere concionatores prædicantes contra communionem quotidianam: in quo quidem parum fidelis reperitur in referendo dictum Concilii.

172 Affert deinde iste Author pro sua opinione Concilium Mediolanense primum. Et quia citatur in verbis relatis ex Concilio tertio; sicut tertium dicit stare pro communione quotidiana omnium, ita & primum. Et istud primum *part. 2. tit. De iis, quæ ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent. §. Parochi.* nihil aliud promovet, quam communionem frequentem his verbis: *Parochi crebris cohortationibus in id maximè incumbant, ut populus sibi commissus ad confessionem, & communionem frequenter, præcipuè autem in Nativitatis Domini, & Pentecostes, & aliis solemnitatibus accedat.* Constat autem ex antecedentibus, quàm falsum sit, idem esse *frequenter*, atque *quotidie*.

173 Tertio loco affert pro sua opinatione ibid. Concilium Mediolanense secundum, tum minori adhuc fundamento suffultus; tum etiam per verba ei opinationi refragantia. Nam in eo decreto 26 quod citat, loquitur solùm de clericis, qui non sunt sacerdotes, eisque injungit communionem frequentem, quam dicit exerceri debere ab eis in diebus festis. Audienda sunt verba decreti: *Diaconi, Subdiaconi, & reliqui clerici inferioris ordinis confessionem, & communionem frequentent; ut superiori Synodo Provinciali præscriptum eis est*. Et postquam dixit, quos confessarios eligere debent, subjungit: *Sacra verò Eucharistiæ communionem in propria Parochia, vel in alia Ecclesia, quam Episcopus statuet, diebus festis percipient*. Ubi vides, quomodo neque Concilium loquatur de communione quotidiana, neque de communione omnium, sed dumtaxat clericorum: & quomodo appellet frequentem communionem eam, quæ fit, non quotidie, sed singulis diebus festis, ut supra notavi.

174 Quarto loco affert idem Pinto pro sua opinione Concilium Mediolanense quartum in tit. *Quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent. §. Parochus.* ubi hæc sunt verba: *Parochus autem cùm ad eum frequentissimum Sacramentorum usum Parochiæ suæ fideles exhortetur, ut provinciali tertio Concilio sancivimus.* Et §. *Ægrotantibus.* addit, infirmis non esse negandam frequentiam Sacramentorum, quamvis nullum adsit mortis periculum, maximè iis, qui tempore valetudinis frequentabant Eucharistiam. Vides quomodo frequentem, non quotidianam, communionem suadeat. Et cum se remittat ad decretum Concilii tertii, & in eo nullum sit quotidianæ communionis verbum, idem de hoc quarto Concilio intelligendum est.

175 Deinde is Author affert Concilium Mediolanense quintum in tit. *Quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent.* Ubi refert, dixisse Concilium, quòd fideles communicent singulis saltem Dominicis, si non possint quotidie. In quo fidelitatem in referendo desidero. Nam in primis sub eo titulo nihil tale decernit Concilium. Sub titulo autem, *Quæ ad dies festos, & sacra tempora pertinent §. Moneatur.* id affirmat, non de singulis diebus, sed de quadragesimalibus, in hæc verba: *Moneatur, ut vitæ sanctitati incumbat, ut singulis Dominicis saltem diebus confessus, sacram Eucharistiam sumat, si singulis diebus non potest.*

176 Hic autem textus militat contra eum Authorem: tum quia non loquitur de omnibus diebus totius anni, sed de diebus quadragesimalibus. Tum quia, dum hortatur ad communionem singulis diebus Dominicis exercendam, non hortatur ad quotidianam. Tum etiam, quia dum dicit, *si singulis diebus non potest*; supponit in multis esse impedimenta corporis & animæ, ac defectum præparationis: quas ob causas non potest quis communicare, ut decet.

177 Notandum autem est, ut hortatur ad Eucharistiam singulis Dominicis sumendam tempore quadragesimæ; ita paulò ante in §. *Cum autem.* hortari conjuges, ut diebus Dominicis ab usu matrimonii abstineant, his verbis: *Meminerint, qui matrimonio juncti sunt, studendum sibi, ut eo sacro tempore, mutuo consensu, diebus saltem Dominicis abstineant*. Desiderat ergo Concilium, conjuges abstinere ab usu conjugii in illis diebus, in quibus communicaturi sunt: quod Authores oppositæ opinionis noncurant.

178 Affert etiam pro usu communionis quotidianæ Concilium Mediolanense sextum in tit. de disciplina Christiana militum, ubi hortatur Milites ad frequentem communionem. Et ex hoc infert, Concilium hortari milites ad communionem quotidianam. Sed cùm constet apertè ex ipsis Conciliis Mediolanensibus, communionem frequentem non esse quotidianam, ut patet ex dictis initio hujus articuli; constat etiam, eum Authorem inani fundamento inniti.

179 Denique pro eadem opinione affert is Author ibid. Concilium Aquilejense tertium Rubr. 19. ex eo solùm, quòd affirmat Concilium, vitam Religiosam conservari frequentia Sacramentorum. Sed frequentiam Sacramentorum, & usum quotidianum esse res valdè diversas, satis constat ex dictis. Vides ergo, quomodo ex viginti quatuor Conciliis, quæ citat, ne unum quidem suffragetur ei opinioni de quotidiana omnium fidelium communione.

180 Quid autem respondendum sit ad dicta Romanorum Pontificum, & Sanctorum Patrum, qui aliquando videntur insinuare, aut consulere communionem quotidianam omnium fidelium, constat ex initio hujus *cap. 8.* Et solùm adverto, eum Scriptorem citare pro sua opinione catechismum Romanum, cùm iste expressis terminis doceat oppositum. *Nam part. 2. cap. 4. num. 46.* ait: *Utrùm autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat; certa omnibus regula præscribi non potest*. Cùm ibid. paulo post, quotidianam communionem commendat, ad illam requiri magnam devotionis præparationem affirmat, exemplo fidelium primitivæ Ecclesiæ, qui communicabant quotidie, *quia parati inveniebantur vera, & sincera charitate ita ardentes, ut sine intermissione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent. Vide totum hunc textum supra cap. 3. fine.*

CATALOGUS

Opinionum ad hunc tractatum pertinentium, quæ scilicet repugnant principio certo; & remissivè proponuntur.

1 Quæstio 1. *An pueri ante septennium non teneantur legibus Ecclesiasticis, quamvis fruantur usu rationis?* In qua quæstione est opinio multorum, quòd non tenentur. Quæ opinio si universaliter intelligatur de omnibus legibus Ecclesiasticis, repugnat principio certo, nempe quòd *pueri ante septennium non possunt accipere Eucharistiam non jejuni.* Ideòque eam sic universaliter acceptam esse improbabilem, & certò falsam, tradidi *in 1. part. Cris. Theol. disp. 8. cap. 2.*

2 Quæstio 2. *An opinio damnata à Romano Pontifice reddatur improbabilis quoad forum internum?* In qua Caramuel, quem alii secuti sunt, docuit, solùm manere improbabilem quoad forum externum. Sed eam opinionem esse incompossibile cum multis principiis certis, atque adeò improbabilem, ostendi *in 1. part. Cris. tota disp. 9. & præcipuè cap. 6. art. 4. & cap. 20. per plures articulos.*

3 Quæstio 3. *An simplex Sacerdos possit vi solius potestatis in ordine accepta, validè absolvere à culpis lethalibus?* In qua pauci aliqui tenuerunt affirmativam partem. Sed hanc opinionem esse incompossibilem

bilem cum definitionibus Tridentini, atque adeò (ut minimum) positivè improbabilem, & certò falsam, ostendi in 1. *part. Cris. disp. 9. cap. 7. num.* 105.

4 Quæstio 4. *An leges Pontificiæ non obligent, nisi in Provinciis, aut Diœcesibus, in quibus promulgatæ fuerint?* In qua multi Authores docuerunt, quòd non obligant, donec ita promulgentur. Sed hanc opinionem jam esse antiquatam, utpote incompossibilem cum quadam censura Alexandri VII. ostendi *in 1. part. Cris. disp. 9. cap. 20. artic. 11.*

5 Quæstio 5. *An Ecclesia possit præcipere actus mixtos ex internis, & externis?* In qua non pauci docebant, Ecclesiam non posse. Sed hanc opinionem esse antiquatam, ut pote incompossibilem cum decreto Alexandri VII. ostendi ead. *disp. 9. cap. 20. art. 12.*

6 Quæstio 6. *Utrùm ad probabilitatem sufficiat unusquislibet Author modernus, probus, & doctus, quicumque ille sit?* Et partem affirmantem sine limitatione tenuerunt aliqui. Sed eam repugnare principiis certis, adeòque esse improbabilem, nisi limitetur quibusdam exceptionibus, ostendi in 1. *parte Cris. tota disput.* 11.

7 Quæstio 7. *An minister deputatus Sacramenti peccet mortaliter si ministret existens in statu peccati mortalis?* In qua pauci aliqui Summistæ negativam partem amplexi sunt. Sed eam opinionem pugnare cum principio certo, atque adeò certum esse, quòd sit falsa, ostendi ibid. *disp. 12. cap. 2.*

8 Quæstio 8. *An in præcepto Ecclesiastico jejunii naturalis in ordine ad susceptionem Eucharistiæ dari possit parvitas materiæ?* In qua pauci aliqui anonymi partem affirmativam amplexi sunt. Eam tamen opinionem repugnare principio certo, & consequenter certum esse, quòd sit falsa, ostendi ea *disp. 12. cap. 3.*

9 Quæstio 9. *An ad vitandum mortis, vel infamiæ periculum, licitum sit procurare abortum fœtus inanimati?* In qua Scriptores aliqui partem affirmativam tuentur. Illam tamen esse practicè improbabilem, utpote repugnantem præmissis omnino certis ostendi *in 1. par. Cris. disp. 14. cap. 3.* Quam etiam invenio damnatam ab Innocentio XI. & est 34. ex damnatis in decreto novissimo anni 1679.

10 Quæstio 10. *An subditus teneatur obedire Prælato prohibenti ea, quæ sunt probabiliter licita?* In qua Caramuel negat debere obedire, nisi subditus cedat jure sequendi opinionem probabilem. Sed hanc opinionem repugnare principiis certis, adeòque esse certum quòd sit falsa, ostendi *disp. 16. cap. 3.*

11 Quæstio 11. *An subditus teneatur obedire Prælato præcipienti id, quod est probabiliter illicitum?* In qua negativam partem non pauci amplexi sunt. Sed hanc opinionem incompatibilem esse cum principio certo, ostendi ead. *disp. 16. cap. 4.*

12 Quæstio 12. *An possit præcipere Prælatus in quavis materia probabili?* Cujus partem negativam tuentur multi. Eam tamen esse incompossibilem cum duabus præmissis omnino certis, atque adeò certum esse quòd sit falsa, ostendi eadem *disputat. 16. cap. 5. & 6.*

13 Quæstio 13. *An subditus teneatur obedire Prælato, cujus electionis nullitas est probabilis & nota; qui tamen habet possessionem legitimam?* In qua partem negantem amplexus est Caramuel. Ejus tamen opinionem repugnare juri certo possessionis legitimæ, adeòque esse certum, quòd sit falsa, ostendi ead. *disput. 16. cap. 8. art. 3. 4. & 5.*

14 Quæstio 14. *An possit quis uti compensatione ad comparandam sibi rem, quam probabiliter putat esse suam, & quam alter legitime possidet?* In qua censuerunt aliqui, illum posse uti tali compensatione. Eam tamen opinionem resistere juri certo possessionis legitimæ, atque adeò esse certum, quod sit falsa, ibid. ostendi.

15 Quæstio 15. *An conjux inhærens opinioni probabili de nullitate sui matrimonii, possit negare debitum conjugale alteri conjugi?* Cujus partem affirmantem secuti sunt aliqui. Vide ead. *disp. 16. à num.* 116. Eam tamen opinionem contradicere principiis certis, adeòque esse certum, quòd sit falsa, constat *ex ead. disp. 16. cap. 8. art. 5. præcipuè à num.* 163.

16 Quæstio 16. *An sint probabiles nonnullæ opiniones jurisprudentum, quæ circumferuntur contra immunitatem Ecclesiæ?* Sed illas esse incompossibiles cum principio ipsius juris certissimo, atque adeò esse practicè improbabiles, ostendi *disputat.* 17. per totam. Cum ea tamen exceptione, nisi quando id principium juris aliis legibus Ecclesiasticis limitatur.

17 Quæstio 17. *An matrimonii causa sit favorabilis, ita ut in dubio, aut in conflictu opinionum standum sit pro matrimonio?* Cujus partem negantem docuit Caramuel. Sed ejus opinionem expressè contradicere definitioni juris canonici, adeòque esse certum, quòd sit falsa, statui ead. *disp. 17 cap. 5. præcipuè à nu.* 43.

18 Quæstio 18. *An liceat homini exponere se absque necessitate periculo probabili peccandi?* Cujus partem affirmativam docuit olim Caramuel, quam posteà retractavit; & illam secutus est, nec retractavit Leander à Murcia. Sed illam incompossibilem esse cum principiis evidentibus, atque adeò esse evidens, quòd sit falsa, demonstravi *disputat.* 18 *cap.* 6. Et prætereà totum ejus opinionis fundamentum esse planè sophisticum, atque adeò opinionem non esse probabilem, utique ex defectu fundamenti, demonstravi ibid. *cap. 3. & 4.*

19 Quæstio 19. *An possit concubinarius absolvi ter, vel quater, antequam expellat domo concubinam, etiamsi physicè & moraliter possit expellere; dummodo firmiter proponat expulsionem?* In qua pauci aliqui partem affirmantem amplexi sunt. Sed eam opinionem esse repugnantem principio evidenti, adeòque certum, quòd sit falsa, ita ut ne semel quidem liceat; ostendi *disp. 18. cap. 9.*

20 Quæstio 20. *An possit absolvi concubinarius, qui non vult domo expellere concubinam, eo quòd mutuo dedit ei centum aureos, quos recuperandi nulla erit spes, si domo expellat?* Cujus partem affirmativam tenuit Joannes Sancius. Sed eam esse certò falsam, & principio certissimo repugnantem, ostendi ead. *disp. 18. cap. 12. præcipuè num.* 179. *& seq.*

21 Quæstio 21. *An concubinarius possit retinere domi concubinam, si ei sit nimis utilis ad lucrandu bona temporalia?* Cujus affirmativam partem amplexus est Joannes Sancius. Sed eam repugnare principio certissimo, adeòque esse certum, quòd sit falsa, ostendi ibid. *num.* 196. *& seq.*

22 Quæstio 22. *An concubinarius possit retinere domi concubinam, eo quòd illa sit nimium utilis ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo?* In qua affirmativam opinionem tenuit idem Joannes Sancius. Sed eam repugnare cum principiis evidentibus, & consequenter esse improbabilem, ostendi ibidem *nu.* 198. *& seqq.* quam opinionem damnavit Alexander VII. in decreto expedito die 18. Martii anno 1666. tamquam scandalosam. Estque quadragesima prima ex propositionibus ab Alexandro damnatis, ut tradidi *in 1. part. Cris. Theol. disp. 9. c. 20. art. 1.* & ea hoc capite mansisse improbabilem, & certò falsam, constat ex dictis *ibid. art. 8. & 9.*

23 Quæstio 23. *An concubinarius ignorans invincibiliter obligationem expellendi concubinam, possit absolvi sine admonitione obligationis ejus.* Cujus partem affirmantem tenuerunt aliqui. Sed illam pugnare cum principio certo, & consequenter esse certum, quòd sit falsa, demonstravi *ead. disp. 18. cap. ult. nu.* 234. *& seqq.*

24 Quæstio 24. *An ille, qui contrahit matrimonium cum impedimento probabiliter dirimenti, aut cum impedimento certo, & dispensatione probabiliter valida, possit uti matrimonio, & possit recedere ab illo, & transire ad secundas nuptias?* Cujus partem affirmantem videtur tenere Caramuel. Eam tamen repugnare principiis evidentibus, & propterea esse certum, quòd sit falsa, ostendi *disp.* 19 *per totam.*

25 Quæstio 25. *An sit omnino certum, superiores Ecclesiasticos posse obligare conscientiam, & plusquampœnaliter, suis legibus, & præceptis?* In qua asserit Caramuel, meridiem esse multo clariorem, quam est ea potestas obligandi conscientiam. In quibus verbis videtur insinuare defectum certitudinis respectu talis potestatis. Sed eam assertionem repugnare multis principiis certissimis, & evidentibus, adeòque esse certum, quòd sit falsa, ostendi *in 2. part. Cris. Theolog. disp 22. per totam.*

26 Quæstio 26. *An abstinentia à lacticiniis sit graviter obligatoria in quadragesima?* In qua Franciscus Verde asseruit, neque ex jure, neque ex consuetudine obligare. Sed opinionem esse incompossibilem cum principiis certis, adeòque improbabilem, ostendi *in 2. part. Cris. cap. 4. artic. 2. & 3.* Quam opinionem damnavit Alexander VII. in decreto edito die 18. Martii anni 1666. Et est trigesima secunda ex damnatis. Vide *in 1. part. Cris. disp. 9. cap. 20. art. 1.*

27 Quæstio 27. *An jejunium quatuor temporum obliget sub mortali?* In qua Pasqualigus docuit partem negantem. Sed illam repugnare principiis certis, ideòque esse certum, quòd sit falsa, ostendi eadem *disp 23. cap. 5. art. 11.*

28 Quæstio 28. *An obliget sub mortali jejunium pervigiliorum Pentecostæ, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, & festi omnium Sanctorum?* Et partem negantem tenuit idem Pasqualigus. Sed eam opinionem repugnare principio certò, & ideò esse certum, quòd sit falsa, probavi *ead disp. 23. cap. 5. art. 12.*

29 Quæstio 29. *An quinque Ecclesiæ præcepta obligent sub mortali?* In qua aliqui putant, nec sine fundamento, partem negantem fuisse opinionem Caramuelis, ut notavi *ead. disp. 23. cap. 2.* Eam tamen opinionem esse erroneam, ostendi *ead. disp. 23. cap 8.*

30 Quæstio 30. *An sit gravis obligatio recitandi officium canonicum, in clericis, qui sacris initiati sunt?* In qua partem negantem videtur insinuasse Caramuel. Sed eam repugnare principio certo, & ideò esse certum, quòd sit falsa, constat ex *ead cap. 8.*

31 Quæstio 31. *An Ecclesia sicut non potest præcipere actus merè internos, ita non possit præcipere actus externos propter finem internum?* In qua Caramuel docuit, non posse. Hanc tamen opinionem esse incompossibilem cum quibusdam definitionibus Concilii Tridentini, & cum aliis præceptis evidentibus Ecclesiæ, ostendi *disp. 25. cap. 3. & seq.*

32 Quæstio 32. *An possit Prælatus regularis imponere subdito præceptum non ingrediendi domum fœminæ, solùm propter vitandam occasionem labendi in delectationes morosas internas, & in qua nulla est occasio labendi in opera externa turpia?* In qua partem negativam docuit Caramuel. Sed eam repugnare cum eisdem definitionibus, & præceptis Ecclesiasticis, aliisque principiis evidentibus, & ideò esse certum, quòd sit falsa, ostendi in *ead. disp. 25. cap. 6.*

33 Quæstio 33. *An in præceptis Ecclesiasticis, quæ horam designant, v. g. media noctis, non sit attendendum indivisibiliter ad horologia sonantia, sed possit computari hora uno quadrante minus, vel uno quadrante plus?* In qua quæstione Caramuel asseruit (licèt videatur posteà revocasse) non esse attendenda horologia indivisibiliter, sed uno qua-

quadrante minus, vel uno quadrante plus. Et ita qui jejunaturus est cras, potest comedere uno quadrante, postquam sonuerit hora mediæ noctis. Et qui jejunat hodie, potest iterùm comedere uno quadrante ante horam sonantem mediæ noctis; si die subsequenti non sit jejunandum. Et qui sacram Synaxim recepturus est cras, potest uno quadrante post horam sonantem mediæ noctis comedere, & deinceps suo tempore recipere Eucharistiam. Et qui tenetur recitare officium canonicum, potest protrahere usque ad unum quadrantem post horam sonantem mediæ noctis, immò & usque ad unum quadrantem cum dimidio. Et in nocte Natalis Domini potest celebrari Missa uno quadrante ante horam mediæ noctis. Eam opinionem & omnes consequentias ex illa deductas niti merè æquivocatione, in qua peccatur contra dialecticam, evidenter ostendi *disp.* 26. *cap.* 2. & consequenter illas non esse probabiles. Deinde illas esse incompatibiles cum principiis certis, atque adeò esse certum, quòd sint falsæ, demonstravi ibid. *cap.* 4.

34 Quæstio 34. *An in præceptis Ecclesiasticis præfigentibus tempus, hoc sit computandum de momento ad momentum, vel potius plus, minusve?* In qua Caramuel, & Pasqualigus asseruerunt, non de momento ad momentum, sed *plus minusve* computandum esse tempus. Unde circà eam opinionem, quòd parvulis ante expletum septennium liceat ministrare carnes in diebus abstinentiæ, affirmat Caramuel, non debere computari septennium de momento ad momentum, sed aliquid aliud temporis ultra septennium prorogari posse. Et similiter de initio obligationis jejunandi, quæ prorogatur in adolescentibus ad annum vigesimum primum, qui non sit computandus de momento ad momentum, sed *plus minusve*. Et similiter in reliquis hujus generis. Fundamentum ejus opinionis esse levissimum, & consequenter eam opinionem non esse probabilem, manifestè ostendi *disp.* 27. *cap.* 3. Præterea eam opinionem pugnare contra evidentiam, & ideò esse certum quòd sit falsa, demonstravi ibidem *cap.* 4. *& seqq.*

35 Quæstio 35. *An qui jejunat hodie in pervigilio, possit sine culpa mortali iterùm comedere, sive cœnare tribus horæ quadrantibus ante mediam noctem?* In qua affirmavit Pasqualigus, quia tres horæ quadrantes, sive spatium temporis infra horam est parvitas materiæ. Eam tamen opinionem repugnare cum multis principiis moraliter evidentibus, & consequenter esse certum, quòd sit falsa, ostendi clarissimè in eadem *disp* 27. *cap.* 8.

36 Quæstio 36. *An ratione parvitatis materiæ excusetur à mortali ille, qui incipiens cœnam ante mediam noctem, illam continuat infra horam post mediam noctem, quam subsequitur dies jejunii?* In qua partem affirmativam docuit idem Pasqualigus. Quam tamen pugnare cum principiis moraliter evidentibus, ostendi ead. *disp.* 27. *cap.* 9 & consequenter esse certum, quòd sit falsa.

37 Quæstio 37. *An in extrema nocte Bacchanalium, quam subsequitur feria quarta cinerum, possit differri cœna tres horas post mediam noctem; ita ut incipiat jejunium quadragesimale tribus horis post mediam noctem?* Cujus affirmativam partem defendit etiam idem Pasqualigus. Sed eam opinionem niti levissimo fundamento, adeòque non esse probabilem; & præterea militare contra multa principia moraliter evidentia, & consequenter esse etiam certò falsam, apertè ostendi in ead. *disp.* 27. *cap.* 11.

38 Quæstio 38. *An non possit Prælatus regularis præcipere subditis ea, quæ non continentur expressè in Regula, aut non sunt media præcisè, & unicè necessaria ad observationem Regulæ, neque possit præceptis obligare ad observandas sanctiones Ecclesiasticas communes?* Id non posse Prælatum regularem, videtur asseruisse Caramuel. Illam tamen assertionem esse incompossibilem cum multis principiis moraliter certis, atque adeò esse certum, quòd sit falsa, ostendi *disp.* 28. *cap.* 2. *& seqq.*

39 Quæstio 39. *An Prælati Ecclesiastici possint obligare legibus, aut præceptis populos invitos?* In qua partem negantem tenuit Caramuel; quamvis alibi oppositam docuerit. Sed illam primam opinionem niti fundamento levi, ut pote quòd evidenter peccat contra dialecticam, atque adeò non esse probabilem, ostendi *disp.* 29. *cap.* 2. *artic.* 2. Item esse incompatibilem cum damnatione propositionis 28 facta ab Alexandro VII. tum etiam cum multis aliis principiis moraliter evidentibus, atque adeò esse certò falsam, manifestè probavi ibidem *art.* 2. *&* 3.

40 Quæstio 40. *An quamvis peccet populus, qui sine causa non acceptat legem Ecclesiasticam, ea tamen lex non acceptata non obliget deinceps, eo quòd legislator habeat authoritatem dependenter à populo?* In qua asseruit Caramuel, non obligare ob rationem proximè dictam. Sed eam assertionem penitus carere fundamento; atque adeò non esse probabilem, manifestè convici ea *disp.* 29. *cap.* 5. *artic.* 1. Item eam assertionem in se ipsa afferre implicationem contradictionis, & esse incompatibilem cum principiis certissimis, atque adeò eam esse certò falsam, demonstravi ibid. *art.* 1 *&* 2.

41 Quæstio 41. *An Prælatus regularis non possit graviter obligare subditos, nisi ad observanda vota, & ad præcepta gravia, quæ sunt expressa in regula?* In qua magnum fundamentum præbuit Caramuel, ut credatur docuisse, non posse obligare Prælatum, nisi ad prædicta vota, & præcepta. Sed eam opinionem resistere multis principiis evidentibus, atque adeò esse certò falsam, constat ex tota *disput.* 30.

42 Quæstio 42. *An omissio Tertiæ, vel Sextæ in officio Canonico sit parvitas materiæ, atque adeò non sit materia peccati mortalis, eo quòd sit minus, quam octava pars totius officii?* Item. *An in voto recitandi octo psalteria, quidquid est minus uno psalterio, sit parvitas materiæ?* In qua utraque quæstione tenuit Caramuel affirmativam partem. Quam opinionem militare contra multa principia evidentia; immò & in se ipsa continere implicationem contradictionis, adeòque esse improbabilem, ostendi *disp.* 31. *cap.* 1. *& seq.*

43 Quæstio 43. *An si quis voveat abstinentiam à carnibus per totam vitam, sit parvitas materiæ illas comedere aliquoties, dummodo sit per spatium minoris temporis, quàm est octava vitæ pars?* Cujus affirmativam partem asseruit Caramuel. Eam tamen esse incompossibilem cum principiis moraliter evidentibus; immò & in se ipsa involvere implicationem contradictionis; atque adeò esse certò falsam, manifestè ostendi *disp.* 31 *cap* 6.

44 Quæstio 44. *An sit probabile, cùm quis in Matutino omittit decem psalmos, eam esse parvitatem materiæ?* In qua asseruit Caramuel, id esse probabile, eo quòd officium canonicum constituitur ex octo partibus inæqualibus, ita ut Matutinum sit una octava pars; & minus una octava parte sit parvitas materiæ. Sed eam opinionem repugnare principio moraliter evidenti, demonstravi in eadem *disp.* 31. *cap.* 9.

45 Quæstio 45. *An qui ex obligatione recitat officium Canonicum, si ex proprio officio sit occupatus per duodecim horas, excusetur ab obligatione illud recitandi?* Cujus partem affirmativam tenuit Caramuel. Sed eam repugnare principio moraliter evidenti; immò & in se ipsa continere implicationem contradictionis, adeòque esse certò falsam, ostendi *disp.* 32. *cap.* 2.

46 Quæstio 46. *An ea pars Primæ, quæ incipit* Pretiosa, *non sit pars officii canonici: atque adeò non sit obligatio illam recitandi?* Item, *An idem sit dicendum de initio Completorii, ante versum* Deus in adjutorium? In qua idem Author asseruit, eas non esse partes officii. Quam opinionem non esse probabilem, quia nititur fundamento levissimo, deinde esse certò falsam, quia incompatibilis cum principio certo constat *ex disp.* 33. *cap.* 1. *& seqq.*

47 Quæstio 47. *An officio canonico sint partes extrinsecæ, & non obligatoriæ, & tales sint Pater noster, Ave Maria, & Credo, quæ ante, vel post officium dicuntur?* Cujus affirmativam partem tradit Caramuel. Quam tamen non esse probabilem propter levitatem fundamenti; & esse certò falsam, eo quòd repugnet principio certo, ibid. ostendi.

48 Quæstio 48. *An in officio canonico sint partes accidentales, quarum omissio solùm sit venialis, & an tales sint antiphonæ, & in Matutino lectiones, & responsoria?* In qua pro parte affirmativa stat Caramuel. Sed ejus fundamentum esse levissimum, ideòque opinionem non esse probabilem; deinde eam repugnare principio certo, & consequenter esse improbabilem, ibid. ostendi.

49 Quæstio 49. *An officium canonicum cujuslibet diei possit sine culpa gravi commutari in officium Resurrectionis?* In qua olim affirmativam partem tenuit Caramuel; sed eam posteà revocavit in editione Lugdunensi. Sed illam primam opinionem esse repugnantem principiis certis, adeòque certum esse, quòd sit falsa, ostendi in eadem *disp.* 33. *cap.* 6.

50 Quæstio 50. *An unica Matutini recitatione satisfieri possit obligationi duorum dierum?* In qua olim Caramuel inclinavit vehementer in opinionem affirmativam: quam tamen revocavit in editione Lugdunensi. Sed illam primam repugnare principio certò, ideòque esse improbabilem, ostendi *disput.* 34. Idque ita scripseram, ante quam Alexander VII. eam damnaret tamquam scandalosam, quæ inter damnatas est trigesima quinta. Et præterea ibid. *cap.* 2. *& seqq.* ostendi, fundamentum ejus opinionis esse penitus nullum, & in æquivoco laborans; atque adeò eam opinionem non esse probabilem.

51 Quæstio 51. *An per Aliquas Missæ* (celebratæ, vel auditæ) *orationes possit suppleri pars officii canonici?* In qua asseruit Caramuel partem affirmativam: v. g. si ea, quæ omittit quis in officio canonico, eadem dicantur in Missa, illam omissionem factam in officio suppleri per eadem, quæ dicuntur in Missa, saltem sine culpa lethali. Eam tamen opinionem non esse probabilem defectu fundamenti; & esse certò falsam, utpote repugnantem principiis certis, ostendi *disp.* 34. *cap.* 5.

52 Quæstio 52. *An Religiosus, qui absque propria delectatione tactibus suis causa est pollutionis in homine sæculari, peccet contra propriam castitatem, atque adeò contra votum?* In qua partem negativam docuit Caramuel. Eam tamen opinionem repugnare principiis omnino certis, adeòque esse certò falsam, ostendi *disp.* 38. *cap.* 2.

53 Quæstio 53. *An peccatum luxuriæ Clerici sacris initiati habeat circumstantiam sacrilegii, & differat specie à simplici fornicatione?* Negativam partem defendit tamquam probabilem Leander à Murcia. Eam tamen esse incompossibilem cum principio certo, & ideò esse improbabilem, manifestè ostendi *disp.* 40. *per totum.*

54 Quæstio 54. *An delectatio sensibilis interna, quam non comitatur commotio externa spirituum genitalium, sit purè speculativa, atque adeò non sit culpa mortalis?* In qua videtur Caramuel insinuare, quòd sit purè speculativa, & non mortalis. Eam tamen opinionem repugnare principiis certissimis, atque adeò esse certum, quòd sit falsa, demonstravi *disp.* 41. *cap.* 3. *art.* 3. *& cap.* 4.

55 Quæstio 55. *An delectationes morosæ internæ, quas non comitatur spirituum seminalium commotio, etiam illæ, quæ versantur circa objecta illicita, etiam contranaturalia, quæ tamen exercentur sine delectatione externa, sint licitæ?* In qua videtur Caramuel admittere partem affirmantem. Sed eam repugnare principiis certis, atque adeò esse certum, quòd sit falsa, constat *ex ead. disp. 41. cap. 4.*

56 Quæstio 56. *An sola intentio efficax objecti venerei sit delectatio practica?* In qua partem affirmativam tenuit Caramuel. Sed eam esse repugnantem principiis certis, adeòque esse certò falsam, ostendi *disp. 42.*

57 Quæstio 57. *An aliquæ delectationes speculativæ sint lethaliter peccaminosæ?* Cujus partem negativam affirmavit Caramuel. Sed eam esse certò falsam ex repugnantia cùm principiis certis, ostendi ibid. præcipuè *cap. 3.*

58 Quæstio 58. *An qui furabatur, ut mœcharetur, & veniens ad confessionem dixit [furatus sum toties, toties mœchatus.] Et subticuit ordinem furti ad mœchiam; sufficienter se explicuerit in confessione?* Cui respondet affirmativè Caramuel. Sed eam opinionem repugnare principio certo, atque adeò esse certum, quòd sit falsa, ostendi *disp. 44. cap. 10.*

59 Quæstio 59. *An detur parvitas materiæ in re venerea; eaque possit dari absque periculo majoris lapsus?* Cujus partem affirmativam asseruit Caramuel, etiam absque periculo majoris lapsus (quamvis alibi affirmet non posse dari absque eo periculo) Sed eam opinionem [Quod practicè possit admitti parvitas materiæ in delectatione venerea deliberatè quæsita, aut acceptata.] Pugnare evidenter cum principiis certo; & ideò esse certum quòd sit falsa, demonstravi in *disp 45. præcipuè cap. 8. & seqq.*

60 Quæstio 60. *An is, qui ex oblivione, vel inadvertentia non expressit peccatum mortale in confessione, posteà liber maneat ab obligatione illud confitendi?* In qua Leander à Murcia partem affirmativam asseruit. Sed eam opinionem apertè resistere definitionibus Concilii Tridentini, ideòque esse certò falsam, manifestè ostendi *disp. 50.* & posteà inveni, eam esse ab Alexandro VII. damnatam, ut minimum tanquam scandalosam, & est undecima inter damnatas in priori decreto.

61 Quæstio 61. *An ille, qui confessus est peccatum mortale ut dubium, & posteà certò recordatur illius, teneatur deinceps ad confitendum illud tanquam certum?* In qua aliqui partem negativam tradiderunt, sed eam esse incompossibilem cum definitione Tridentini, ostendi *disp. 51. per totam.*

62 Quæstio 62. *An ille, qui transacto tempore communionis annuæ, reperitur non accepisse sacram Synaxim, teneatur ad illam accipiendam deinceps eo anno?* In qua aliqui partem negantem amplexi sunt. Eam tamen esse incompossibilem cum principio certo, ideòque esse certum, quòd sit falsa, apertè constat *ex disp. 52. per totam.*

63 Quæstio 63. *An mollities, sodomia, & bestialitas sint peccata ejusdem speciei infimæ, ita ut eæ circumstantiæ, non sint necessariò explicandæ in confessione?* Caramuel docuit, quòd attinet ad primam partem quæstionis, eas esse ejusdem speciei infimæ: quòd autem attinet ad secundam partem, affirmavit, eas circunstantias esse explicandas, propter obligationem explicandi numerum peccatorum. Sed eam primam partem repugnare principio certo. Et secundam evidenter repugnare primæ parti, atque adeò ambas assertionis partes esse falsas, tanquam certum ostendi *disp. 53.* Et quidem aliqui videntur asseruisse eas esse ejusdem speciei infimæ, & ideò non debere explicari earum circunstantias in confessione. Quam assertionem sic traditam damnavit Alexander VII. & est inter damnatas vigesima quarta. Ex qua damnatione modum dicendi Caramuelis mansisse antiquatum, ibidem ostendi, non damnatum.



TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

DE OPINIONIBUS, QUÆ DEFECTU FUNDAMENTI non pertingunt ad gradum Probabilitatis.

SEcundum medium ex his, quæ proposui disp. 56. cap. 9. art. 3. ad discernendum opiniones practicè probabiles ab iis, quæ tales non sunt, est recognoscere, an fundamentum opinionis, quæ ad examen venit, sit leve judicio prudentum; vel quia sophisticum, aut in salebra æquivocationis laborans; cujus assumpti pauca quædam exempla proponam ex professo agitata, & non pauca alia remissivè.

Iterùm proclamo, & omnibus notum esse cupio, non esse meæ intentionis censura aliqua, aut nota aliorum opiniones inurere, nisi quantum ipsa vis consequentiæ ad id obstrinxerit.

DISPUTATIO LXVII.

An simonia labe inficiatur, qui vendit sepulturam? Et quid inde inferatur?

CAPUT I.

Prima illatio Caramuelis refertur, & enervatur.

SUMMARIUM.

Quis sit hujus disputationis scopus. n. 1.
Quid senciat Caramuel de ea opinione; quòd potest vendi sepultura quà honorificentior; & quam inde consequentiam inferat? numer. 2.
An admittat consequentiam, qui admittit præmissas, ex quibus ea necessariò infertur? n. 3.
An si consequentia est improbabilis, possit esse probabile antecedens? num. 4.
An sepultura constituatur ex temporali, & spirituali? n. 5.
An sit prohibitum, vendi spatium terræ ad sepulchrum conficiendum? num. 6.
An sit prohibitum, quòd locus communis sepulturæ vendatur? n. 7.
An sit prohibitus contractus, quo quis obliget Rectorem Ecclesiæ ad designandum sibi locum sepulturæ, in quo non sepeliatur alius? num. 8.
An sit aliquorum opinio, quòd possit vendi sepultura quà honoratior, vi consuetudinis? n. 9.
An ea consuetudo stet pro obligatione, ne alius in ea sepultura condatur? n. 10.
An vendere beneficium Ecclesiasticum, sit simonia juris humani, non divini? nu. 11.
An sit nulla ea consequentia à venditione sepulturæ, ad venditionem beneficii; & disparitas sit evidens? nu. 12. & seq.

1 PRæcipuus scopus hujus disputationis est, enervare quandam consequentiam Caramuelis, deductam ab antecedenti, quod dicit probabile: quæ quidem consequentia magno esset præjudicio Theologiç practicç. Si ergo ostenderimus, eam consequentiam esse nullam, planè comperietur, defectu fundamenti deficere consequens; inde deductum: non quia istud admittat expressè Caramuel; sed quia virtualiter admittit antecedens, asserens, necessariam esse consequentiam.

2 Igitur Caramuel *lib. 2. Theolog. intention. disp. 17. num* 868. sic resolvit quæstionem: [Infero tertiò, sepulturam quà sepulturam non posse sine simonia vendi, posse tamen quà honorificentiorem. Ratio est, quia sepultura quà talis sacra est; illa autem circunstantia honoris non est sacra. Ita Diana *part. 2. tract. 15. resol.* 57. munitus authoritate Garciæ, Soti, Spini, Gratiani, Laræ, Salazari, Humadæ, Joannis de la Cruz, Rodriguez, Aragonii Philiarchi, Emmanuelis Sa, Naldi, Barbosæ, Ragusæ, & Genuensis. Ego quidem admitto, esse hanc doctrinam probabilem: addo tamen, quòd sub initium insinuasse me memini; esse expositam magnis inconvenientibus: non enim occurrit (at alii poterit fortassis occurrere) evidens solutio, quam reponerem, si ex illatione subinferres: *ergo tametsi simoniacum sit vendere Episcopatum*, aut Canonicatum, non erit, vendere honorificentiorem. Considera rationis consequentiam, & quid dicendum sit, expende: mihi enim videtur & necessaria, & multis periculis obnoxia, ideòque nihil volo resolvere.]

3 Sed sanctum esset silentium Caramuelis, ni posuisset præmissas, ex quibus per necessariam consequentiam concluditur, esse probabile, quòd Episcopatus, aut Canonicatus quà honorificentior sit vendibilis. Ecce. [Probabile est, sepulturam quà honorificentiorem vendi posse: sed est consequentia necessaria à sepultura ad Episcopatum.] Quis non inferat? [Ergo probabile est, Episcopatum quà honorificentiorem vendi posse.] Ambæ enim præmissæ sunt Caramuelis: & illis concessis negari non potest consequentia. Quid ergo prodest, nihil velle resolvere, si præmissas statuit, ex quibus necessariò infertur resolutio?

4 Relege ea verba: *Ego quidem admitto, esse hanc doctrinam probabilem: addo tamen, esse expositam magnis inconvenientibus*. Itaque utrumque componit, & esse *probabilem*, & esse *expositam magnis inconvenientibus*. Sed quæ hæc inconvenientia, vel quodnam potissimum eorum? Sanè quòd ex illa per consequentiam judicio Caramuelis necessariam, inferatur, Episcopatum, aut Canonicatum quà honorificentiorem, esse vendibilem. Vel ergo probabile est, Canonicatum, quà honorificentiorem, esse vendibilem; vel est improbabile? Si probabile dicas; sacris canonibus evidenter refragaris; ut constat *ex cap. Quæsitum.* de rerum permut. iis præcipuè verbis; *Præsertim cum pactione præmissa, quæ circà spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continet semper simoniæ*. Scilicet ubi consuetudo, opposita non invaluit, nec legem interpretatur. Cùm ergo honorificentia canonicatus sit annexa juri spirituali; omnis pactio circà illam simoniaca est. Si verò dicas, id esse improbabile, ut necessariò dicendum est; infero: ergo ex doctrina probabili infertur assertio improbabilis. Implicat autem contradictionem, quòd ex antecedenti probabili inferatur consequens improbabile. Est enim metaphysicè necessarium, quòd sit improbabile antecedens, ex quo infertur consequens improbabile. Et nota, quòd in hoc argumento solùm expressi canonicatum, qui est jus percipiendi redditus annuos annexum officio spirituali: non autem Episcopatum, qui est dignitas, & potestas spiritualis, jure divino invendibilis. Circà quem est multo major difficultas; & fortius urget argumentum proximè factum; & clarius constabit disparitas infra *num.* 24.

5 Pro cujus claritate præmitto, sepulturam constitui ex terra materiali, quæ etiam afficitur aliqua forma artificiali, & ex benedictione Ecclesiastica, & destinatione ad sepelienda cadavera fidelium. Quæ prænotatio indubitata est.

6 Præmitto secundò, spatium terræ ad construendum sepulchrum, v. g. ex lapide, aut cum structura fornicis, vendibile esse, nullo jure divino, aut humano prohiberi. Sicut enim calix consecratus ad sacrificium vendibilis est, juxta pretium materiæ, & formæ artificialis; ita etiam spatium terræ ad sepulchrum construendum, vel ipsum sepulchrum jam constructum, potest vendi juxta pretium materiæ, & formæ artificialis. Neque id prohibent sacri canones, ut ex dicendis constabit. Ita P. Suarez *tom. 1. de Religione. tract. 3. lib. 4. cap. 14 num.* 17. & apud ipsum S. Thomas 2. 2 *quæst.* 100. *art. 4. ad* 3. Glossa, Panormitanus, & alii *in cap. Abolendæ.* de sepulturis. Et omnes Summistæ verbo *Simonia.* & verbo *Sepultura.* S. Antoninus, & Redoanus. Quòd etiam probat ex SS. Ambrosio, & Gregorio.

7 Præmitto tertiò, sacris canonibus esse prohibitum, quòd quando locus aliquis sacer communis est pro sepulturis fidelium, possit vendi ad sepulturam: unde sacros canones violat, qui non vult admittere aliquem ad sepulturam communem sine aliquo certo pretio. Ita deciditur *in cap. Abolendæ.* de sepult. & aliis textibus: ubi non solùm pro benedictione, sed etiam pro terra ipsa id pretium exigi prohibetur. Cujus præcepti violatio est simonia juris humani: ideò enim prohibetur vendi ea terra, quia est annexa rei spirituali, nempe benedictioni. Et ita docet P. Suarez *loco citato nu.* 19. & 20. & ideò *in cap. Ea qua.* de simonia. expressè dicitur, venditionem ejus terræ ad sepulturam esse simonicam.

8 Præmitto quartò, siquis velit onerare Ecclesiam, ut se obliget ad designandum sibi locum quendam honorificentiorem, ut non possit alius ibi sepeliri, id non esse prohibitum: quia ibi non datur pretium pro sepultura, sed pro obligatione, quam facit Ecclesia non admittendi alium ad præfatum locum sepulturæ. Ita etiam observavit P. Suarez citatus *num.* 22.

9 Præmitto quintò, esse opinionem multorum, quos refert, & sequitur Diana supra citatus, posse vendi locum sepulturæ honorificentiorem; itaque vi consuetudinis præscriptæ. Nam quamvis sacri canones prohibeant universaliter quamlibet venditionem sepulturæ communis; juxta hos authores consuetudine introductum est, ut vendi possit locus honoratior sepulturæ; & quo ad hoc sacros canones esse derogatos, vel declaratos vi consuetudinis. Dixi *declaratos*, quia consuetudo est optima legum interpres. *cap. cùm dilectus*. de consuetudine.

10 Ego quidem censeo, id esse falsum, & consuetudinem non stare pro venditione sepulturæ honorificentioris; sed pro obligatione, ne alius in ea sepeliatur.

11 Præmittò denique, venditionem beneficii Ecclesiastici, juxta communiorem, & receptam sententiam, esse simoniacam, non jure divino, sed humano; quia cùm beneficium sit jus percipiendi annuos proventus, licèt annexum sit officio spirituali, est tamen realiter diversum ab illo, atque adeò potest vendi (stando in jure naturæ) tamquam jus ad aliquid temporale: ideò autem ea venditio est simoniaca, quia sacris canonibus est prohibita intuitu Religionis. Vide P. Suarez *tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 4. cap. 24. num. 12.*

12 Deveniendo tamen ad discursum Caramuelis, & dato quòd ea opinio Dianæ, & aliorum sit probabilis; tamquam certum pronuncio, nullam omninò esse consequentiam à sepultura ad Episcopatum, aut canonicatum.

13 Patet conclusio ex dictis. Etenim sicut calix consecratus potest re ipsa vendi ratione materiæ, & formæ artificialis; ita illud spatium terræ; quod datur pro sepultura, seclusa prohibitione Ecclesiæ, est pretio vendibile, ut constat ex notatione 2. sicut etiam canonicatus præcisse secundùm jus temporale ad annuos proventus: conveniunt ergo sepultura, & beneficium in eo, quòd venditio cujuslibet eorum est simoniaca ex sola Ecclesiæ prohibitione: ergo si auferatur Ecclesiæ prohibitio, non erit simoniaca talis venditio. Tum sic. Pro canonicatu, aut quovis alio beneficio non est ablata Ecclesiæ prohibitio: & pro sepultura honorificentiori (juxta opinionem relatam) ablata est Ecclesiæ prohibitio vi consuetudinis universalis: ergo evidens disparitas est inter beneficium, & sepulturam: ergo malè arguitur à sepultura ad beneficium.

14 Quòd vero ea prohibitio auferatur vi consuetudinis, docent authores à Caramuele citati. Et ita Diana loco citato ait: [Contrariam sententiam amplectendam esse puto, maximè de hoc stante consuetudine universali.]

15 Dices P. Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 24. num. 22.* refert sententiam quorundam Theologorum, suppresso nomine, asserentem, posse vendi sepulturam, honorificentiorem. De qua sententia sic scribit: [Sed non est admittenda sententia,] &c. sententiam autem aliquam non esse admittendam, idem videtur esse, ac non esse probabilem.

16 Respondebunt ejus sententiæ Patroni, P. Suarium ibi loqui attentis præcisse textibus canonicis, qui excludunt oppositam sententiam. De consuetudine autem opposita, ad quam confugiunt authores ejus sententiæ, nihil affirmat iste Doctor. Quare ex hoc titulo non videtur excludere ejus sentententiæ probabilitatem.

17 Ego quidem modò abstraho ab eo, quòd sit, aut non sit probabilis ea opinio: & solùm affirmo tanquam certum, ex data probabilitate ejus opinionis, non argui, quòd sit vendibile beneficium, etiam quà honorificum.

CAPUT II.

Altera illatio Caramuelis quàm sit inefficax?

SUMMARIUM.

Illatio Caramuelis ab honorificentia sepulturæ ad honorem patrandi miracula, n. 18.
Quomodo sit improbabilis ea opinio de sepultura, si ex illa infertur, quòd possit vendi gratia miraculorum quà honorifica. n. 19.
An Simon Magus intenderit emere solùm honorem miraculorum. num. 20.
An possit emi honorificentia sepulturæ, quia ematur locus ipse. num. 22.
An Simon Magus intenderit emere potestatem supernaturalem, & non solum plausibilitatem in abstracto. n. 23.
Quanta inde resultet disparitas inter utramque. n. 24. & seq.

18 Caramuel loco citat. Theol. Intention. *n. 865.* alteram producit illationem ex ea opinione de vendibilitate sepulturæ, quam dicit probabilem. Qui ubi retulit historiam Simonis Magi cupientis donum Dei pecunia possidere, ait: [Et cùm rigorem hunc verborum subaudio, hæreo totus, & miror, vel nostrates esse tam doctos, vel tam indoctos, vel tam indoctum Petrum. Piscator ille erat, hi Doctores. Sed permisit Omnipotens multa reprehensione digna in verbis Doctorum, nulla in Piscatorum reperiri. An non posset Simoni Petrus vendere, non quidem Spiritum Sanctum, sed honorem inde resultantem, eo modo, quo locus honoratior pro sepultura vendi dicitur ab iis, qui tametsi fateantur esse simoniacum, accipere pretium pro sepultura, negant esse, si illud pro circumstantia illa honorificentioris loci, quæ æstimabilis pretio est, recipiatur? Et quidem Simonem non curasse Spiritum Sanctum, sed plausum & authoritatem, quam apud vulgus habere poterat, videtur ex sequentibus verbis S. Petri suaderi; videlicet, *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo*.] In quibus verbis conatur Caramuel urgere paritatem inter honorificentiam sepulturæ, & honorificentiam resultantem ex dono supernaturali; ut vel utraque, vel neutra sit vendibilis.

19 Sed vel ex illa opinione de honorificentia sepulturæ vendibili infertur, Simonem excusandum à vitio simoniæ, vel non infertur? Si primum; quare dicit probabilem opinionem, ex qua tam immane absurdum, & tam improbabile assertum infertur? Cùm non possit esse probabile id, unde improbabilis assertio infertur. Si verò dicat, id non inferri; quare suadere conatur paritatem rationis, & necessitatem consequentiæ?

20 Jam verò evidenter est falsum, Simonem conatum esse emere solam honorificentiam, aut plausibilitatem ejus potestatis supernaturalis; ut ex verbis utriusque Simonis Magi, & Apostoli clarissimè constat: quæ refert S. Lucas in Actis *cap. 8.* [Cumque vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens; *Date mihi & hanc potestatem*, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum; Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam *donum Dei existimasti pecunia possideri*.] Itaque potestatem expressè petebat Simon, pro qua sibi conferenda à Petro pecuniam offerebat. Item existimavit, ut testatur Petrus, donum Dei (& non solam plausibilitatem) pecunia possideri.

21 Sed numquid, si solam plausibilitatem pecunia comparare intenderet Simon, non laberetur in vitium, quod simoniam appellamus?

22 Pro cujus decisione quæstionis, præmittendum est, non posse pecunia possideri honorificentiam sepulturæ, quin etiam pecunia possideatur locus ipse: nemo enim emit honorificentiam in abstracto, sed in concreto, id est, locum ipsum quà honorificum.

23 Hinc fit, Simonem Magum non appetivisse plausibilitatem in abstracto, sed virtutem operandi miracula propter plausibilitatem, & ideò obtulisse pecuniam, volens emere ab Apostolis ipsam virtutem patrandi miracula.

24 Ecce ergo disparitatem evidentem. Nam ut diximus *cap. praced.* ex prohibitione Ecclesiæ non potest vendi locus sepulturæ, etiam ratione honorificentiæ; cùm autem consuetudo præscripta (ad quàm confugiunt sui authores) auferat prohibitionem pro loco honoratiori, vel interpretando, vel derogando; fit, quòd non ematur sola honorificentia in abstracto, sed locus sepulturæ, quà honoratior, absque vitio simoniæ.

25 Cùm autem virtus patrandi miracula ex ipso jure divino sit invendibilis, & sola ejus plausibilitas in abstracto emi, aut vendi non possit; fit manifestum, inexcusabile esse vitium simoniæ in eo ambitu Simonis Magi.

26 Illud quidem argumentum Caramuelis haberet vim, si illi authores dicerent, in eo eventu non vendi absque vitio simoniæ locum ipsum sepulturæ, qui honoratior est, sed solam honorificentiam ejus; quia sic tenet paritas. Sed in tali casu non deberet dicere Caramuel, eam opinionem de venditione licita sepulturæ, quà honoratioris esse probabilem; cùm ea evidens paritas ostendat, esse improbabilem.

CAPUT III.

Quoddam notabile proponitur remissivè.

NON EGET SUMMARIO.

27 Sed non possum silentio committere illud dictamen novæ logicæ moralis, quòd frequenter usurpat Caramuel, & in præsenti inculcat, *Non enim occurrit evidens solutio*; eo quòd existimat, semper manere probabilem opinionem, quoties ejus argumenta non solvuntur evidenter, sed solùm probabiliter; sed id esse planè falsum multis ostendi *in 1. part. Crisi. Theolog. disp. 3.* unde clarè constat, si meam conclusionem probo evidenter, & argumenta partis oppositæ solvo probabiliter; partem oppositam manere improbabilem.

28 Et quidem inter sepulturam quà honorificentiorem, & beneficium quà honorificum, intercedere disparitatem evidentem, constat ex dictis. Sed ex notatione proxima patet, quòd etiam si disparitas esset solùm probabilis, non propterea maneret probabile, quòd vendi posset beneficium quà honorificum; eo quòd evidenter probatur, hoc esse invendibile.

Synopsis hujus disputationis.

29 Series ergo hujus disputationis eò spectat, ut ostendat, discursum Caramuelis omnino fundamento desti-

destituti; atque adeò non esse probabilem: cùm de essentia opinionis probabilis sit inniti fundamento gravi.

DISPUTATIO LXVIII.

An sit simoniacus, qui beneficia permutat?

CAPUT I.

Refertur discursus Caramuelis.

SUMMARIUM.

Opinio quorundam, permutationem beneficiorum non esse propriè simoniacam. n. 1.
Communis sententia, esse propriè simoniacam. n. 2.
Opinio Caramuelis, esse propriè simoniam, eo quòd Pontifex tollit ab uno supernaturalitatem n. 3.
An beneficium sit virtualiter supernaturale. n. 4.
Quomodo possit Pontifex auferre à beneficio supernaturalitatem. n. 6.

1 Peccare mortaliter eum, qui sine authoritate Prælati legitimi permutat beneficia, nemo est, qui dubitet; quia id est gravissimè prohibitum ab Ecclesia. Ita *cap. Quæsitum & cap. Cùm olim.* de rerum permutat. Sunt qui dicant, eam permutationem non esse simoniacam. Pro qua assertione referuntur Durandus, Sotus, Victoria, Emmanuel Rodriguez, apud P. Castropalao *tom. 3 tract. 17. disput. 3 punct. 2. num. 2.* Et quidem nituntur eo fundamento. Nam simonia est commutatio rei spiritualis pro pretio temporali: sed in permutatione beneficiorum, utrumque est spirituale, saltem extrinsecè, idest, annexum spirituali; adeòque non commutatur spirituale pro temporali: ergo in ea permutatione non committitur simonia. Et ideò P. Lessius *lib. 2. de just. cap. 35. dub. 4. num. 30.* dixit, [Hanc permutationem non dici propriè simoniam, sed tantùm generali ratione, & imitatione quadam: nam propriè simonia est, cùm datur temporale pro spirituali.] Pro quo refert Sotum, Petrum Navarra, Aragonium.

2 Communis Theologorum, & Canonistarum sententia affirmat, eam esse veram simoniam juris humani. Urget textus *in cap. Quæsitum.* de rerum permut ubi dicitur. *Commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa: quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.*

3 Accedens ad hanc controversiam Caramuel *lib. 2. Theol. intention. disp. 17. num. 869 §. Sed ista.* ex falso fundamento conatur constituere rationem veræ simoniæ in permutatione beneficiorum: quare si ostenderimus, id fundamentum esse falsum, is dicendi modus non remanebit probabilis, utpote fundamento carens. Igitur sic illam explicare aggreditur. [Sed si illa vera, *Cur dicitur commutatio beneficiorum simoniaca?* Respondeo, beneficia prout sacra sunt, & permutari nequeunt, esse virtualiter supernaturalia, non ex natura rei, sed jure humano: & consequenter ex jure humano, cùm venduntur, simoniam committi: veram tamen. Nota illud *veram*, quia datur simonia talis, juris fictione, seu virtualiter, quæ vera non est; ita tamen se habet, ac si vera esset. Posset Pontifex facere, ne simonia committeretur, si tolleret humanitus concessam supernaturalitatem: & voluit facere, quòd in commutatione committeretur, tollendo illam ab altero: qua sublata, jam res sacra pro non sacra videtur commutari. Et sic intelligendus est textus *in cap. Quæsitum* de rerum permut. Hanc rationem alta memoria retine: puto enim, aliter illius permutationis veram simoniam defendi non posse.]

4 In quibus verbis quatuor asserta ponit Caramuel. Primum, beneficia esse virtualiter supernaturalia, nempe ex dispositione juris humani. Quod quidem sano sensu admitto. Nam Ecclesia adnectit officio spirituali beneficium; præcipitque ob reverentiam officii spiritualis, cui adnectitur, ne vendatur beneficium. Quo facto beneficium redditur invendibile ob titulum sanctitatis; & ob hunc effectum dicitur virtualiter spirituale, sive supernaturale. Sicut enim res spiritualis ratione sanctitatis est invendibilis; ita jure humano beneficium ratione sanctitatis, cui est adnexum, est invendibile.

5 Secundùm, dari simoniam, quæ talis sit, non verè, sed sola fictione juris, & virtualiter: id est, pariet effectus, quos pareret simonia, puta simoniacorum pœnas, quamvis non sit vera simonia. Quæ videtur esse opinio P. Lessii suprà relati Et quamvis ea sit quæstio de nomine, non eam decidemus.

6 Tertium, posse Pontificem tollere à beneficio præfatam supernaturalitatem. Quod quidem duplici modo præstare posse, admitto. Primò, tollendo præceptum invendibilitatis, quod Religionem respicit. Secundò, tollendo adnexionem beneficii ad officium, sive separando illud ab hoc. Et quidem si Pontifex tolleret præceptum invendibilitatis, & relinqueret beneficium adnexum officio; posset dici beneficium quodammodo spirituale; non tamen in ordine ad hunc effectum invendibilitatis, ut per se patet. Et si retineret præceptum, quale de facto est, & separaret ab officio beneficium, sive jus percipiendi tales fructus; nihil omnino supernaturalitatis, aut spiritualitatis remaneret in eo jure, sive, ut ita dicam, in eo materiali beneficio; cùm ad eam supernaturalitatem requiratur adnexio ad ens supernaturale sive spirituale. Quod materiale beneficium manere posset invendibile alio titulo, sicut majoratus, aut bona vinculata.

7 Quartum verò, quod asserit Caramuel, majori eget indagine. Ait enim, ideò in permutatione beneficiorum factâ absque authoritate legitimi Prælati intervenire veram, & propriam simoniam; quia dum sic permutantur duo beneficia, ab altero eorum tollit Pontifex supernaturalitatem; & alterum eorum relinquit in statu supernaturalitatis. Ex quo fit, quòd in tali permutatione committitur vera simonia, quia beneficium supernaturale commutatur cum beneficio temporali, sive non supernaturali. Asseritque, non posse aliter intelligi veram simoniam in tali permutatione.

CAPUT II.

Refellitur is modus tuendi simoniam propriam in permutatione.

SUMMARIUM.

Quomodo Pontifex non tollit supernaturalitatem à beneficio, dum prohibet permutationem? n. 8. & seq.
An si Pontifex directè juberet, quòd beneficium non sit supernaturale, nihil ageret? nu. 12
An sit determinabile unum beneficium, quòd sit spirituale, & alterum, quòd sit temporale? nu. 13. & seq.
An id posset fieri sub diversis considerationibus? nu. 18. & seq.

8 Duplici argumento ostendo, eum modum tuendi veram simoniam in permutatione beneficiorum esse implicatorium. Primò. Pontifex non potest tollere à beneficio supernaturalitatem, nisi auferendo præceptum invendibilitatis, & impermutabilitatis; vel separando beneficium ab officio, modo supradicto: sed neutro modo procedit Pontifex, dum prohibet permutationem beneficiorum, ob motivum Religionis: ergo dum eam sic prohibet, non tollit ab altero beneficio supernaturalitatem.

9 Considera attentè singula propositiones syllogismi. Et in primis consequentia obligat. Si enim non potest rem facere, nisi altero ex duobus modis; & horum neutrum præstat; evidens est, quòd rem illam non facit.

10 Minor evidens est: sicut est evidens, quòd Pontifex, dum prohibet permutationem duplicis beneficii, non amputat, immò statuit præceptum impermutabilitatis: item nec separat beneficium ab officio, sed potius supponit unum adnexum alteri, quia ob reverentiam officii, & adnexionem beneficii ad illud, interdicit permutationem.

11 Jam verò major ostenditur. Pontifex non potest tollere à beneficio supernaturalitatem, retinendo in illo totum id, per quod constituitur essentialiter ea beneficii supernaturalitas; sicut nemo potest tollere albedinem, retento adæquato constitutivo albedinis: sed supernaturalitas beneficii constituitur adæquatè per adnexionem ad officium, & per hoc quòd illud sit inalienabile ex motivo Religionis: ergo dum hæc duo prædicata persistunt, nequit Pontifex tollere à beneficio eam supernaturalitatem: ergo nequit Pontifex illam tollere, nisi tollendo, ut posset, alterum ex illis duobus prædicatis, nempe vel tollendo præceptum impermutabilitatis, vel separando beneficium ab officio. Et quidem minor hujus syllogismi intelligenda est juxta proximè dicta *cap. praeced. in 3. asserto.*

12 Confirmatur. Beneficium non fit supernaturale, aut spirituale, per hoc quòd dicat Pontifex, *Jubeo, quòd istud sit supernaturale:* sic enim, si juri laico, quòd ex suo patrimonio habet clericus ad accipiendus annuos redditus ex tali fundo, diceret Pontifex; *Jubeo, quòd istud jus sit supernaturale;* nihil ageret, dum illud non adnecteret officio spirituali. Similiter non desinit esse supernaturale beneficium, per hoc præcisè, quòd dicat Pontifex, *Decerno, quòd istud sit temporale, & non spirituale;* si nimirum illud retineret adnexum officio, & inalienabile ex motivo Religionis. Cùm ergo Pontifex in permutatione beneficiorum facta absque authoritate legitima, retineat utrumque beneficium cùm adnexione ad officium, & cùm inalienabilitate præfata, non poterit alterum beneficium reddere temporale, retento altero in statu supernaturalitatis.

13 Secundò argumentor sic. Si ex duobus beneficiis absque authoritate permutatis, Pontifex redderet alterum temporale, & alterum retineret spirituale: esset designabile unum determinatum, quòd esset spirituale, & alterum determinatum, quòd esset temporale: atqui neutrum determinatè est designabile, quòd sit temporale: ergo Pontifex non potest præfato modo reddere alterum temporale, & alterum spirituale. Itaque Titius beneficiarius absque legitima authoritate permutavit beneficium suum pingue pro altero tenui: & juxta Caramuelem, commisit veram, & propriam simoniam, quia vi juris Pontificii, unum eorum beneficiorum redditum est temporale, & alterum mansit in statu spiritualis: & sic facta est permutatio rei spiritualis pro temporali. Peto ergo, ut designet mihi, quodnam temporale, & quodnam spirituale? Numquid beneficium pingue, quod

Titius transfert in alterum, est temporale; & tenue manet spirituale, an è converso?

14 Respondebis primò, nescire nos, quodnam eorum sit temporale, & quodnam spirituale; scire tamen Deum, cujus est omnia scire.

15 Contra tamen est. Quia quod non est, non scitur à Deo, Atqui unum eorum beneficium determinatè non esse temporale, sic ostendo. Quia cùm debeat esse temporale vi juris Pontificii; Pontifex autem non determinaverit, quodnam eorum futurum sit temporale, implicat, quòd unum eorum determinatè sit temporale. Quòd autem Pontifex illud non determinaverit, manifestum est. Pontifex enim solùm interdixit permutationem beneficiorum, declarans esse simoniacam in *c. Quæsitum.* cit. & in aliis textibus. Per hoc autem non determinatur, quodnam ex duobus beneficiis permutatis fiat temporale: non ergo Pontifex id determinavit. Cùm ergo hæc determinatio non dimanaverit à Pontifice, neque sit aliud caput, unde oriatur; necessariò dicendum est, neutrum determinatè esse posse temporale.

16 Respondebis secundò, neutrum beneficium determinatè esse temporale, sed alterum eorum vagè, & indeterminatè Sicut cùm dicimus, unum oculum requiri ad videndum: vi cujus propositionis nec dexter, nec sinister determinatè requiritur; sed aliquis eorum vagè, & indeterminatè.

17 Sed hæc responsio similis est assertioni, qua quis diceret, ex duobus subjectis unum eorum esse album, quin albedo inhæreret alicui eorum determinatè: & ex duobus hominibus unum esse vestibus indutum, quin vestes essent in aliquo eorum determinatè: & ex duobus equis unum esse onustum vagè, quin neuter eorum determinatè portaret onus. Itaque hæc prædicata *Requisitum, necessarium*, & æquivalentia id habent speciale, ut non debeant verificari in uno determinato subjecto. Cætera autem prædicata, & denominationes, quamvis à nobis significentur nominibus indeterminatis, fortè ob ignorantiam nostram, illa tamen verificari debent in uno subjecto determinato: ut in subjectis propositis, & millenis aliis apertè constat.

18 Tertiò, & fortè ingeniosius, responderet Caramuel, si dixisset, utrumque beneficium esse spirituale, & utrumque temporale, sub diversis tamen considerationibus. Itaque dum Titius, & Sempronius clerici permutant illegitimè sua beneficia, permutatio, ut se tenet ex parte Titii, respicit beneficium Titii ut mercem, & beneficium Sempronii, ut pretium: beneficium autem, quod se habet ad instar mercis, dat Titius Sempronio tamquam spirituale, & beneficium quod accipit à Sempronio, recipit tamquam pretium, adeòque tamquam temporale. E contra verò in permutatione, qua se tenet ex parte Sempronii, beneficium ejus se habet ad instar mercis, & datur à Sempronio tamquam res spiritualis; & accipit à Titio beneficium tamquam pretium, adeòque tamquam temporale. Et sic verificatur, quòd ex parte utriuslibet datur spirituale pro temporali.

19 Hæc tamen responsio est longè diversa à modo dicendi Caramuelis. Et fateor, si illa sufficienti fundamento nitetur, non habere vim hoc secundum argumentum, quod in eum scopum dirigitur, ut determinetur, quodnam ex illis duobus beneficium sit temporale, quodnam spirituale. Militat tamen apertè contra eam responsionem primum argumentum supra propositum. Et confutatur item præfata responsio ex eo, quòd gratis & absque fundamento ponitur in utroque ea duplex consideratio spiritualitatis, & temporalitatis; ita ut spiritualitas unius referatur ad temporalitatem alterius, & è converso.

CAPUT III.

Explicatur, quomodo in permutatione beneficiorum intercedat ratio simoniæ propriæ.

SUMMARIUM.

20 PRo hujus rei claritate, præmitto primò, permutationem unius rei pro alia, v.g. bovis pro equo, esse virtualiter, seu æquivalenter duplicem contractum emptionis, & venditionis: nam Petrus vendit Joanni bovem suum, & emit ab illo equum; Joannes autem vendit Petro equum, & emit ab illo bovem. Et ideò in Hispania gabella, quæ vocatur *Alcavala*, & est imposita venditori, quando fit permutatio, v. g. bovis pro equo, solvitur duplex alcavala. Petrus solvit alcavalam bovis juxta pretium, quo bos æstimatur; & Joannes solvit alcavalam equi juxta hujus pretium. Quòd si Petrus sit clericus, atque adeò exemptus à solvenda alcavala; pro bove non solvitur, sed solùm pro equo, cujus dominus, & venditor est sæcularis.

21 Præmitto secundò ex dictis, beneficium Ecclesiasticum esse jus percipiendi annuos redditus, adnexum tamen officio spirituali; & titulo religionis prohibitum vendi, & permutari. Hæc prohibitio Ecclesiastica est; quæ si non adesset, licitè posset vendi pretio temporali, eo modo quo calix consecratus potest vendi solùm ratione materiæ, & formæ artificialis; & non ratione consecrationis.

22 Præmitto tertiò, ex hac prohibitione Ecclesiæ oriri, quòd illud beneficium, quod in se est quid temporale, & distinctum ab illa adnexione ad officium spirituale, fiat extrinsecè spirituale; nam propter ordinem ad officium spirituale prohibetur ejus venditio, & permutatio.

23 Præmitto quartò, convenire inter omnes, hanc duplicis beneficii permutationem factam sine authoritate legitimi superioris dispensantis, esse violationem Religionis. Et tota quæstio eo devolvitur, [An sit propriè simoniaca?] ut constat ex supradictis: id est, An verificetur in ea permutatione, quòd datur spirituale pro temporali.

24 Et dicendum est, esse propriè simoniacam, & in ea dari spirituale pro temporali. Probatur, Hoc beneficium, sive jus percipiendi annuos redditus, est quid extrinsecè spirituale; sed datur pro alio jure temporali percipiendi annuos redditus: ergo datur spirituale pro temporali.

25 Confirmatur primò, & explicatur in calice consecrato; qui ideò vendi potest, ratione materiæ, & formæ artificialis, quia id non est prohibitum ab Ecclesia: Demus ergo, explicationis gratia, quòd Ecclesia prohiberet venditionem, & permutationem calicis consecrati, etiam ratione solius materiæ; sed propter respectum ad consecrationem calicis; in quo casu illa materia calicis esset extrinsecè sancta & spiritualis; utpote inseparabilis à consecratione in ordine ad effectum venditionis. Tum sic; in hac suppositione, si permutaretur calix pro calice, materia calicis A. esset extrinsecè sancta: & daretur pro alia materia calicis B. quæ temporalis est, licèt extrinsecè sancta: ergo daretur quid sanctum pro temporali.

26 Dices Etiam materia calicis B est extrinsecè sancta & utraque materia est intrinsecè temporalis: quare ergo non dicetur, dari sanctum pro sancto, & temporale pro temporali.

27 Insisto, Materia calicis B. est simul intrinsecè temporalis; & extrinsecè spiritualis: ergo est partialiter temporalis: ergo pretium, aut quasi pretium calicis A. est partialiter temporale. Ergo datur saltem partialiter pro re temporali. Et quidem materia calicis A. (idem est de calice B.) ex prohibitione (supposita illa hypothesi) est inseparabilis à consecratione in ordine ad venditionem: ea ergo materia calicis A. est inseparabiliter extrinsecè sancta, & datur partialiter pro materia temporali calicis B.

28 Idem ergo contingit in permutatione duplicis beneficii: nam id, quod est temporale in beneficio A. est extrinsecè, & inseparabiliter sanctum, & spirituale, ex prohibitione titulo Religionis facta: ergo aliquid extrinsecè, & inseparabiliter sanctum datur pro beneficio B. sed hoc beneficium B eo ipso quòd sit simul intrinsecè temporale, & extrinsecè spirituale, partialiter est temporale: ergo pro beneficio A. datur aliquid partialiter temporale. Verificatur ergo, quod aliquid extrinsecè sanctum, & ex prohibitione Ecclesiæ inseparabile à sanctitate, datur pro aliquo, quod partialiter est temporale.

29 Confirmatur primò. Beneficium A. cùm permutatur pro beneficio B. eo ipso quòd sit partialiter spirituale, est absolutè & inseparabiliter spirituale: ergo verificatur, quòd aliquid absolutè & inseparabiliter spirituale datur pro aliquo, quod est temporale saltem partialiter.

30 Confirmatur secundò. Nam quando dispensat superior legitimus ad hoc, ut fiat permutatio, jus illud percipiendi annuos redditus, vi dispensationis separatur ab officio in ordine eadem permutatione: nam quamvis in se maneat adneaum officio; in ordine tamen ad eam permutationem separatur ab officio virtuali quadam separatione; id est permittitur permutari, tamquam si non esset adnexum; ita ut permutatio solùm fiat juris temporalis pro jure temporali. Nam officium cui adnectitur, nec potest habere rationem mercis, nec pretii: nam officium est onus; & onus non emitur, neque venditur.

31 Et hinc patet ad eam objectionem, qua dicebatur; dari temporale pro temporali, & spirituale pro spirituali. Nam cùm id spirituale sit ipsum officium; & hoc sit onus; onus autem non ematur, nec vendatur; & consequenter non permutetur ad modum mercis, aut pretii; inde est, quod non detur spirituale pro spirituali.

CAPUT IV.

Alius modus explicandi conceptum communissimum veræ simoniæ.

SUMMARIUM.

spiritualia, & spiritualibus adnexa? num. 34.
An significatio nominum dependeat ab usurpatione communi? n. 35.

32 SI fortè alicui non placuerit modus explicandi simoniam repertam in permutatione beneficiorum, traditus cap anteced. censueritque, non esse perceptibile, quòd in ea permutatione detur spirituale pro temporali; aliter explicare debet conceptum communissimum simoniæ, ut abstrahit à simonia juris divini, & à simonia juris humani.

33 Assero ergo, simoniam communissimè sumptam, ut comprehendit simoniam juris divini, & humani, & ut continet eam, quæ fit commutando beneficium pro re mere temporali, & eam, quæ fit permutando beneficium pro beneficio, sic definiendam esse. *Est contractus, à lege prohibitus intuitu Religionis circà spiritualia, aut spiritualibus adnexa.*

34 Bonitas definitionis probatur. Nam licèt nomen simoniæ à Simone Mago, & ejus actione peccaminosa desumptum fuerit, dum existimavit donum Dei pecunia possideri; Ecclesia tamen id nomen non usurpat in ea stricta significatione. Tum quia beneficia Ecclesiastica (id est, jura ad annuos redditus) non sunt propriè dona Dei, de quibus ibi loquitur Petrus; id est, non sunt dona supernaturalia: & beneficium, quod pro temporali dignitate permutatur, non æstimatur propriè, & strictè pecunia; cùm tamen in his vera, & propria simonia exerceatur, ut apud omnes constat; cùm ergo constet, simoniam non debere restringi ad sola dona gratiæ pecunia estimata, sed & ad multa alia; pro significatione hujus nominis *simonia* non debemus præscisè stare facto Simonis, sed attendere ad universalem significationem, quam tota Ecclesia tribuit ei nomini. Constat autem, in Ecclesia nomine simoniæ intelligi quemlibet contractum ejusmodi, qui versetur etiam circà spiritualibus adnexa, licèt non commutetur spirituale pro temporali; ut patet ex relato *cap. Quæsitum.* illis verbis: *Quæ* (pactio) *circà spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.*

35 Confirmatur. Nam significatio nominum non pendet à cujusque placito, sed à cummuni usurpatione vocabuli; adeò ut vox in esse significantis constituatur essentialiter ipsa usurpatione communi: atqui hæc vox *Simonia* communi Ecclesiæ usurpatione accipitur pro quolibet ejusmodi contractu, etiam circà ea, quæ sunt spiritualibus adnexa, licèt nullum aliud pretium temporale intercedat: ergo hæc vox *Simonia* significat ejusmodi contractum universalissimè. Sed conceptus, qui ejusmodi voci ita significanti correspondet, est, qualem exprimit definitio tradita: ergo definitio tradita optima est pro simonia in communi.

DISPUTATIO LXIX.

An promissio acceptata obliget ex iustitia, aut saltem ex fidelitate?

CAPUT PRIMUM.

Proponitur opinio Caramuelis; ejusque fundamentum discutitur.

SUMMARIUM.

An sit probabilis opinio docens, promissionem acceptatam non obligare ex justitia; neque graviter ex fidelitate. n. 1.
An sententia Caramuelis negativa sit evidens. n. 2.
An fundamentum Caramuelis sit sophisticum. n. 3.
Ejusdem opinio, quod neque ex fidelitate obligat. n. 4.
An opinio probabilis ab extrinseco possit esse improbabilis ab intrinseco. num. 5. & seq.
Fundamentum Caramuelis. nu. 7. & seq.

1 SCio, probabilem esse, & ut probabilem admitti à Doctoribus sententiam, quæ docet, promissionem acceptatam non obligare ex justitia; immò neque sub gravi culpa, ex fidelitate. Ita enim docent Cajetanus 2. 2. *quæst.* 115. *art.* 1. *dub.* 4. *& in sum. verb. Perfidia.* P. Enriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 2 Sotus, Armilla, Franciscus Garcia, & Petrus Ledesma, quos refert P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrim disp.* 5. *nu.* 18. & ex recentioribus alii, quos refert, & sequi videtur Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 9. quam etiam tuetur Caramuel *lib.* 2. *Theol. intention. disp.* 9. *nu.* 588.

2 Et adhuc magna mihi concertatio est cum Caramuele propter tria. Primum, quia suam sententiam vult esse à principiis intrinsecis demonstratam. Ita enim Caramuel in loco cit. ait. [Contraria tamen sententia (quæ negat obligationem justitiæ oriri ex promissione acceptata) est omnino vera, & si rationes speculamur, sola probabilis. Consulto asserenti sententiæ probabilitatem rationalem nego; quia authenticam nullus negare poterit opinioni, tot Authorum nomine roboratæ.]

3 Secundum, quia fundamentum, quo vult, eam sententiam esse demonstratam, ne probabile quidem est, sed merè sophisticum, & ab essentiali constitutivo promissionis omnino alienum.

4 Tertium, quia ne ex fidelitate quidem, vult promissionem acceptatam obligare; ut constat ex ejus fundamento, & ex dicendis *cap.* 8.

5 Circà primum, illud notandum est, licèt Caramuel sententiæ affirmanti obligationem justitiæ, ortam ex simplici promissione acceptata, neget probabilitatem intrinsecam, & solùm concedat extrinsecam, adhuc tamen Caramueli esse absolutè, & simpliciter probabilem practicè, & quam tutò sequi possimus. Et ita *nu.* 609. disputationem concludit his verbis: [Si autem contrariam sententiam (affirmativam obligationis) quæ probabilis est propter authores, à quibus propugnatur, admittamus; debemus contrario modo philosophari, & oppositas, aut saltem severiores in pluribus conclusiones tenere. *In materia probabili hanc, vel illam opinionem*, prout libuerit, aut expediat, elige.]

6 Et tamen *in part.* 1. *Crit. Theolog. disp.* 11. *cap.* 9 *num.* 262 demonstravi, implicare contradictionem, quòd opinio sit improbabilis ab intrinseco, & probabilis ab extrinseco. Ea enim est improbabilis ab intrinsecu cujus falsitas demonstratur; implicat autem, dari grave fundamentum, etiam extrinsecum, ad suadendam conclusionem evidenter falsam Implicat ergo terminos Caramuel, dum ait, sententiam affirmativam esse ab intrinsecu improbabilem, & simul esse probabilem ab extrinseco propter Doctorum authoritatem. Relege, quæ dixi in eo loco *disp.* 11.

7 Prima ergo controversia hujus quæstionis versatur circa fundamentum, quo velut demonstrativo utitur Caramuel. Et ut scopus difficultatis percipiatur, proderit fundamentum ejus relegere. Id autem *num.* 589. his verbis proponit. [Fundamentum hujus sententiæ hoc est: omnis vir ex Regula 85. tenetur stare concordiæ, & contractui: atqui promissio acceptata contractus non est: ergo nemo tenetur illi stare. Probatur minor. Quia mera promissione non transfertur dominium, sed promittens affirmat, se translaturum esse; & alter assentitur; his autem non obstantibus, uterque poterit mutare dictamen.

8 Ut clarius hoc intelligatur, supponendum est, promissionis genuinam formulam esse hanc, *Ego dabo tibi mille scuta*; (nota bene illud *dabo*: aliud enim est, *tibi dabo*, & aliud diversum *tibi do*) huic correspondet acceptatio, quæ exponitur his verbis, *Ego illa recipiam*. Atqui hic non reperitur obligatio moralis: ergo. Minorem probo. Promissio ante acceptationem non infert moralem aliquam obligationem, ut omnes docti admittunt: ergo nec post acceptationem Patet consequentia: quia illa verba, *Ego recipiam*, vel equivalent his, *recipiam si dederis*; vel his, *recipiam, licèt non dederis*. Hoc ultimum dici non potest, quia esset acceptatio imprudens, & reduplicans actionem impossibilem: ergo dicendum est, acceptationem necessariò includere conditionem illam expressè. Posita illa conditione, non video, unde probabiliter elici possit obligatio.

9 Præterea ut acceptatio possit aliquem promittentem obligare, debet habere rationem præcepti, adjurationis, aut contractus (non enim reperitur alius modus, quo homo possit ab homine in conscientia obligari) atqui acceptatio præceptum non est; nec si esset, teneret, defectu authoritatis; sæpè enim multa polliceris vim, qui tibi præcipere non potest. Nec est adjuratio; quia si esset, omnes promissiones acceptatæ, essent juramenta promissoria, quod admitti non debet: quia potest Petrus Paulo promittere aliquid cum animo promittendi, & cum animo non jurandi. Præterea promissiones acceptatæ sæpè firmantur juramento: ergo signum est, quòd illæ tacitè id non includant, aliàs enim confirmatione non egerent. Tandem acceptatio contractus non est: ergo nullam potest inducere obligationem.] Hucusque demonstratio Caramuelis.

10 In qua asserit quatuor, quæ examine indigent. Primum, hanc esse genuinam promissionis formulam, *Dabo tibi mille scuta*, quæ nihil aliud affirmat, quam donationem futuram. Secundum, hanc esse acceptationis formulam, *Recipiam illa, si dederis*. Tertium, ideò promissionem acceptatam non obligare ex justitia, quia illa non transfert dominium. Quartum est, quòd ex ejus fundamento planè infertur, ex promissione etiam acceptata nullam omnino resilire obligationem, ne quidem ex fidelitate, aut veracitate. Quod etiam expressit Caramuel *ibid. num.* 604. de quibus singulis agendum est.

CAPUT II.

Malè explicari à Caramuele essentiam promissionis.

SUMMARIUM.

An sit formula promittendi, dabo tibi, *&c. Et quod discrimen intercedat inter propositum, & promissionem.* n. 11. & seq.
Quid nomine promissionis omnes Doctores intelligant. n. 13. & seq.
An objectum promissionis sit onus, quod promittens assumit. n. 17. & seq.
An Caramuel nullam obligationem agnoscat justitiæ, vel fidelitatis in promissione. nu. 19.
Confirmatio ex formula promissionis Deo factæ. nu. 20. & seq.
Confirmatio ejusdem ex narratione donationis faciendæ. n. 22.
Altera confirmatio ex doctrina Caramuelis. n. 23. & seq.

Alia

Alia confirmatio à discrimine inter promissionem, & animum satisfaciendi. nu.25.
An enuntiatio donationis futuræ ex circumstantiis accipi soleat ut promissoria? nu.27.

51 TOto cęlo aberrat ab essentia promissionis ea formula promittendi, quam assignat Caramuel, quæ non solùm non est genuina, sed neque ullo modo consistit in ea ratio promissionis. Probatur primò. Etenim principium est per se notum, intercedere discrimen inter propositum, & promissionem: atqui ea est formula expositiva propositi: ergo non est formula promissionis. Majorem admittunt omnes tanquam rem certam: quod si utrumque confundere velis, eodem fundamento confundes hominem & equum. Quod vel inde evidenter patet, quòd pœnitens, qui proponit coram Deo, se non amplius peccaturum; nec promittit, nec voto se obstringit. Quod si minorem negaveris, assigna mihi aliam propositi formulam: quam non facile (immò neque difficile) invenies.

52 Dices, ea formula non solùm significari propositum donandi; sed posse etiam significari judicium rationis; quo certo scio, me donaturum esse. Sed quid prodest hæc responsio, cùm promissio non sit merum judicium censens, donationem futuram esse? Et quidem ego possum certò scire, donationem futuram, & illam enunciare ad instar narrantis futura; in quo casu nihil promitto; ut amplius constabit ex dicendis.

53 Probatur secundò. Etenim non licet unicuique nominum significationem variare; sed tenemur eam significationem retinere, quam omnes docti tenent. Ideò graviter corripiendus, qui pro suo cerebro significationem vocabuli audet variare. Atqui nomine promissionis omnes Doctores intelligunt, susceptionem oneris, & obligationis dandi, aut faciendi aliquid in favorem promissarii: ergo promissio non est simplex affirmatio donationis, vel actionis in favorem promissarii, sed susceptio ejus obligationis in favorem alterius, verbis expressa.

14 Minor patet ex mente omnium Doctorum, qui non aliter definiunt, seu explicant promissionem. Lessius *de Just. cap.*18 *dub.* 2. *num.*2. sic definit: [Promissio simplex est deliberata, & spontanea *fidei obligatio*, facta alteri de re quapiam bona & possibili.] Ex *num.*5. explicat id verbum *fidei obligatio* sic. [Dico, *obligatio fidei*; quia non sufficit dicere, *Ego faciam*, significando solùm voluntarem faciendi: sed oportet ut fides detur, & obligetur, id est, ut homo se obliget alteri ex voluntate fidei, seu fidelitatis. Unde etiam non est satis dicere, *Ego promitto, me hoc futurum*; si solùm intendat significare animi sui propositum, non autem dare fidem; ut sæpè fit.]

55 P. Molina *tom.*2. *de just. disp.*262. sic rem explicat. [Illud antè omnia est observandum, longè diversa esse, aliquem habere propositum, voluntatemve deliberatam, quidpiam in gratiam alicujus faciendi; idque verbo futuri temporis exprimere dicendo, *Faciam hoc*, vel *Dabo tibi hoc, aut illud*; sed aliquem ex sua liberalitate se ipsum propria voluntate astringere ad quidpiam faciendum, idque verbo futuri temporis exprimere, dicendo, *Promitto me facturum, vel daturum tibi hoc*, aut *Tali die dabo tibi hoc* (nempe cum animo se obligandi) aut *In gratiam tui faciam hoc, aut illud*. Primum namque non est promissio, propriè loquendo, neque ullam inducit obligationem id implendi, ut ex se manifestum est. Secundum verò est promissio; atque, si acceptetur, adsintque cæteræ circunstantiæ ad id necessariæ, de quibus infra dicetur, semper inducit obligationem.]

56 Eodem modo loquitur Sotus *lib.*7. *de just. qu.*1. *art.*2. & uberius Lugo Card. *tom.*2. *de just. disp.*23. *nu.*1. & P. Fagundez *lib.*3. *de just. cap.*1. præcipuè *nu.*3. Et ita explicant omnes Doctores, qui ad hanc materiam accedunt. Quod desumpsere ex S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.*1. *corp.* ubi etiam Cajetanus, & reliqui Theologi. Cùm ergo omnes conveniant in eo, quòd promissio non sit sola explicatio actionis futuræ, sed assumptio novi oneris; perperam procedit Caramuel variando significationem hujus vocis *Promissio*; & invertendo essentiam promissionis; cùm non sit penes arbitrium unius privati, sed penes communem Doctorum acceptionem significatio nominum.

17 Objectum ergo immediatum actus promittentis non est res ipsa in futurum donanda, vel facienda: sed onus & obligatio, quam promittens assumit, rei donandæ, vel faciendæ: sive ea obligatio sit ex justitia, sive ex fidelitate.

18 Sciendum tamen est, quòd P. Vasquez videtur favere ei modo dicendi Caramuelis. Sic enim definit promissionem *tom.*4. *in* 3. *part. disp.*6. *de Matrim. num.*14. Promissio est [affirmatio, & enunciatio quædam alicuis rei in futurum faciendæ, ei insinuata, in cujus gratiam, & utilitatem. seu obsequium res facienda est.] Enunciat autem faciendam, & insinuat alteri, qui dicit, *Dabo tibi mille scuta*. Sed si P. Vasquez attentè legatur, præcipuè *n.*13. & 17. plane comperietur, requirere ad promissionem animum se obligandi, saltem consecutum ad verba promissoria.

59 Et ut constet quantum intersit quo ad hoc inter Caramuelem, & Vasquium, nota, penes Caramuelem, nullam penitus obligationem oriri sive justitiæ, sive fidelitatis ex promissione acceptata. Id enim probat argumentum relatum superiori *cap. num.*8. Ante acceptationem enim nullam agnoscit obligationem etiam fidelitatis: acceptationem autem dicit esse penitus conditionalem dependentem à mero libito ejus, qui promisit, tamquam à conditione; atque adeo nullam penitus invehere obligationem. Aut ergo argumentum Caramuelis nihil probat, aut probat, nullam etiam fidelitatis obligationem oriri At penes P. Vasquez, repugnat quem promittere, sine eo quòd velit aliquam obligationem subire standi promissis. Docet enim P. Vasquex in solo verbo promissorio consistere promissionem obligatoriam; & ideò repugnare, quòd quis velit verba promissoria facere, & quòd non velit obligationem subire.

20 Probatur tertiò. Hæc non est genuina formula promissionis Deo factæ, *Recitabo psalterium in honorem Dei*, nisi superaddatur intentio se obligandi: ergo hæc non est genuina formula promissionis homini factæ, *Dabo tibi mille scuta*, nisi superaddatur intentio suscipiendi obligationem saltem ex fidelitate. Antecedens posuit expresse S. Thomas 2. 2. *quæst.*88. *art.*1. & ex terminis est manifestum: alioqui omnes, qui propositum suum bonum Deo exprimunt in oratione, dicerentur promittere, & vovere: & ita cùm in actu contritionis alloquentes Deum proponunt vitæ emendationem in futurum, dicerentur vovere, & frangentes posteà id propositum, de Religione violata arguerentur.

21 Consequentia autem est inevitabilis. Nam promissio, sive fiat Deo, sive fiat homini, retinet quidditatem promissionis. Unde si semel salvatur, quòd promissio in genere non continet assumptionem novæ obligationis, poterit intelligi, quòd promissio facta Deo, stet sine assumptione ejus obligationis, atque adeò sistat in solo proposito. Deinde quia promissio facta Deo, ex ratione promissionis postulat eam assumptionem novæ obligationis: cùm ergo promissio homini facta includat etiam veram rationem promissionis, necesse etiam est, quod includat similem assumptionem obligationis. Nec postulo disparitatem, quia non spero eam percipere, etiam toto vitæ meæ tempore.

22 Probatur quartò. Petrus colloquendi, aut fortè consulendi gratia, confert cum domesticis suis omnia sui testamenti posteà condendi legata; ait quæ sic: [Joanni legabo ducenta scuta, trecenta Antonio, tibi, Martine, quadringenta, & tibi, Augustine, totidem,] &c Quis dicat, Petrum promisisse Martino, & Augustino, cùm solùm id dixerit per modum relationis: & tamen enunciat legatum relinquendum Martino, & Augustino, idque illis intimat, seu insinuat: ergo promissio non consistit in enunciatione donationis futuræ, etiam si hæc insinuetur ei, in cujus gratiam fit: requiritur ergo præterea, quòd id fiat, intendendo assumere obligationem.

23 Duo alia argumenta colligo ex ea periodo, quam scribit Caramuel *in loc. cit. num.*603. vbi sic ait: [Utrùm qui promiserit sine animo promittendi (etiam si promissio sit facta Deo) licèt habuerit animum satisfaciendi, teneatur stare promissioni? Respondeo negativè. Et suadetur: quia verba non sunt promissio, sed promissionis internæ indices; quæ supponitur non esse: satisfaciendi autem animus, solum propositi vim habet, & ideo non potest inducere novam obligationem. Sane promissionem verè in actu interno consistere, constat ex votis, quæ emittuntur sæpe sine verbis, & veræ promissiones sunt.]

24 Probatur ergo quintò, male definiri à Caramuele promissionem. Nam licèt in ea periodo supponat id, quod negari non potest, nempe promissionem à proposito differre, sicut etiam differt à judicio, quo quis indubitanter credit, se donaturum; ex doctrina tamen ejus clarè infertur, non differre. Etenim apud ipsum genuina formula promissionis est hæc, *Dabo tibi mille scuta*, ut ait nu.590 *& mera promissione non transfertur dominium, sed promittens affirmat, se translatum esse*, ut ait num.589. Tum sic: juxtà proximam periodum, promissio non stat in verbis, sed in actu interno: sed actus internus correspondens ei propositioni externæ, *Dabo tibi mille scuta*, & correspondens ei assertioni, qua affirmat, se translaturum esse dominium mille scutorum; est propositum donandi mille scuta; sive judicium censens, se donaturum: ergo promissio non consistit in proposito donandi, sive in eo judicio donationis futuræ. Minor patet. Nam istæ duæ propositiones sunt valde diversæ; *Dabo tibi mille scuta*; &, *ego obstringo meam fidem ad donandum tibi mille scuta*: isti autem secundæ propositioni correspondet actus internus voluntatis assumendi eam obligationem donandi mille scuta; vel etiam judicium certum ejus donationis à se faciendæ: ergo primæ propositioni, quæ talem obligationem non significat, solùm correspondet internè id propositum donandi, sive judicium donationis futuræ.

25 Probatur sextò. Nam actus promissorius internus, in quo verè consistit promissio, juxtà proximam periodum, est distinctus ab animo satisfaciendi, sive dandi ea mille scuta, cùm juxta eam periodum possit dari animus satisfaciendi, sine animo promittendi: sed animus satisfaciendi est, qui significatur hac formula, *Dabo tibi mille scuta*: ergo animus promittendi, sive promissio interna non est, quæ significatur hac formula, *Dabo tibi mille scuta*: ergo promissio interna est voluntas assumendi obligationem; cùm non restet aliud, in quo ea promissio interna consistere possit.

26 Et nota postremam clausulam ejus proximæ periodi perperam

ram positam esse; nempe. [Promissionem verè in actu interno consistere, constat ex votis,] &c. Nam promissio, quæ Deo fit, qui omnia interna contemplatur, utique in actu interno consistit: promissio autem, quæ homini fit, non consistit solùm in actu interno; ad hoc enim ut sit promissio, debet insinuari ei, in cujus gratiam fit. actus autem merè internus nequit insinuari homini, qui interna nequit attingere.

27 Ubi notandum est, enunciationem donationis de futuro insinuatam ei, cui fit promissio, ea modo loquendi, & circunstantiis, in quibus asseritur, solere intelligi ut promissoriam, quia ex ejusmodi circunstantiis colligitur, ea verba afferre assumptionem obligationis. Quod idem contingere potest in voto, attenta intentione se obligandi in proferente. Quo pacto non negamus, ibi posse consistere promissionem, sive Deo, sive homini factam. Negamus tamen per præscissam significationem ejus vocis, *Dabo tibi*, &c. adesse promissionem.

CAPUT III.

Malè explicari à Caramuele acceptationem promissionis.

SUMMARIUM.

An sit legitima formula acceptationis, Recipiam, si dederis? Et an promissarius acceptet obligationem promissoris? n.29.

An ex opposito inferatur, sponsalia non habere vim obligandi? num.29. & seq.

An idem absurdum inferatur circà cæteros contractus? n.33.

Responsio quædam refutata. nu.34. & seq.

Altera responsio convincitur. n.37.

28 PRo formula genuina acceptationis hanc statuit Caramuel, *Recipiam ea mille scuta, si dederis*. Cujus conditio cùm pendeat à libera voluntate ejus, qoi promisit, nullam vim habet absolutam vrgendi promissorem ad impletionem promissionis. Id tamen esse planè falsum, & acceptationem promissiunis non consistere in ea formula, convincitur primò. Nam acceptans admittit totum id, quod in gratiam sui promissor non enunciat: sed promissor non enunciat solùm donationem futuram, sed obligationem dandi, quam assumit, ut constat ex capite proximè præcedenti: ergo acceptans admittit ejusmodi obligationem; atque adeò non enunciat solùm se recepturum, si alter dederit.

29 Convincitur secundò. Nam ea assertione Caramuelis infertur evidenter, sponsalia non habere vim obligandi contrahentes: consequens est evidenter falsum: ergo & antecedens. Minor, & consequentia fulgore meridiano clariores sunt.

30 Probatur major. Nam sponsalia nihil aliud sunt, quàm promissio Titii v.g. acceptata à Berta, & repromissio Bertæ acceptata à Titio: ergo juxta doctrinam Caramuelis, sic exponuntur ea sponsalia, ut dicat Titius, *Tradam corpus meum*; & respondeat Berta, *accipiam sub dominium meum corpus tuam, si illud tradideris*: & rursus subjungat Berta, *Tradam tibi corpus meum*; & respondeat Titius, *Accipiam corpus tuum, si tradideris illud*. Consequentia patet: nam Caramuel non agnoscit aliud genus promissionis, & acceptationis, præter relata.

31 Tum sic: ex his formulis nullam contrahunt obligationem Titius, & Berta: ergo ea sponsalibus nullam contrahunt obligationem Titius, & Berta. Aotecedens ostenditur eadem forma arguendi, qua arguit Caramuel. Nam antè acceptationem neuter obligatur: acceptatio autem conditionalis est, habens pro conditione actum omninò liberum alterius, per quem is, qui promisit, ad nihil determinatur.

32 Prætereà juxta Caramuelem, ideò post acceptationem non obligat promissio, quia acceptatio neque est præceptum, neque adjuratio, neque contractus: (vide supra *cap.1.*) sed etiam in mutua promissione sponsalium, acceptatio neque est præceptum, neque adjuratio, neque contractus: ergo prædicta promissio mutua ad nihil obligat, etiam acceptata. Sed consequens est evidenter falsum: ergo & antecedens; quod quidem maximè peccat, in eo, quod velit, eam esse formulam acceptandi, in qua acceptans relinquit sub libera potestate promittentis impletionem promissi.

33 Idem, quod diximus de sponsalibus, dicendum etiam est de qualibet promissione mutua, quæ quidem est verus contractus. Paciscuntur enim Petrus & Ioannes, ita ut Petrus promittat Ioanni ducenta scuta, & Ioannes Petro centum mensuras tritici. Juxta expositionem autem datam à Caramuele, consistere non potest ratio contractus. Neutra enim promissio obligat ante acceptationem: acceptatio autem est conditionalis habens pro conditione actum merè liberum cuiuslibet, qui alterum nequaquam determinat, nequaquam obligat.

34 Dices, in promissione mutua aliam militare rationem longè diversam. Nam promissio Petri in eo contractu fit sub conditione, quod alter repromittat; & repromissio hæc est sub conditione, quòd alter firmiter stet in promissione à se facta. Unde impleta conditione uno promittente alter manet obligatus.

35 Sed hæc responsio non elevat vim difficultatis. Nam promissio Petri, quæ respicit pro conditione repromissionem Ioannis, respicit pro conditione rem inutilem Petro: ergo ex ejusmodi mutua promissione non resultat contractus, quantumvis vna promissio fiat sub conditione faciendæ alterius promissionis. Patet consequentia. Eatenus enim Petrus maneret obligatus sua promissione, quatenus exigeret à Ioanne rem sibi utilem, ad quam Ioannes maneret obligatus.

36 Antecedens verò probatur. Nam promissio Petri respicit pro conditione repromissionem Ioannis, quæ ut est vera promissio, ante acceptationem Petri non obligat Ioannem; sed neque post acceptationem Petri, quia hæc acceptatio Petri, dicit, *Accipiam, si dederis*; & cùm respiciat pro conditione voluntatem liberam Ioannis, ad nihil obligat Ioannem: cùm ergo id totum recidat in liberam voluntatem Petri, qua donare velit, Ioannes de presenti non manet obligatus: cùm ergo neque Ioannes donet actualiter Petro, neque in Ioanne relinquatur obligatio donandi Petro; ea Ioannis repromissio redditur inutilis Petro. Quod eodem modo verificatur in promissione Petri facta Ioanni.

37 Dices secundò, in mutua promissione aliom esse sensum diversum. Nam cùm duo sibi mutuo promittunt, non solùm enunciant, se daturos in futurum: sed exprimunt, se suscipere obligationem dandi in futurum. Quo pacto uterque obligatur ex justitia.

38 Hæc responsio scopum attingit, in cognoscendo sensu contractus resultantis ex mutua promissione; sed inconsequenter. Etenim si sensus promissionis simplicis non est, *Ego me obligo ad donandum Petro in futurum*; sed solùm iste, *Ego donabo Petro in futurum*; gratis, & absque fundamento dicitur, sensum duplicis promissionis non habere pro objecto immediato donationem futuram, sed obligationem donandi in futurum. Satius ergo erit non ire per devia, sed communi, & trita via ambulare in materia, in qua communis sententia facit evidentiam moralem, qualis est significatio hujus vocis *promissio*; & fateri cum communi Theologorum, promissionem differre à proposito; quòd illa intendit assumere obligationem, quam hoc non intendit.

CAPUT IV.

An promissio acceptata obliget saltem ex fidelitate?

SUMMARIUM.

An Caramuel admittat promissionem acceptatam ne quidem ex fidelitate obligare? n.39.

An omnes authores affirment, promissionem acceptatam obligare saltem ex fidelitate? num.40. & seq.

Quare promissio acceptata obliget ex fidelitate? n.43.

An hæc sit communis sententia Theologorum? n.44.

An qui non stant promissis, censeantur leves, & inconstantes? n.45.

An qui non stant promissis, dilapident suam authoritatem? num.46. & seq.

An quando præceptum est in possessione certitudinis, standum sit pro possessione libertatis? n.51.

An qui non stat promissis, sit mendax? n.52.

An qui promittit cum animo promittendi, & sine animo implendi, mentiatur? n.53.

39 EX relato fundamento Caramuelis evidenter infertur, promissionem acceptatam nequidem ex fidelitate, seu veracitate obligare; ut constat ex *cap.2. num.18*. Ipse autem Caramuel in loco *cit. num.604*. asserit, non posse agi de mendacio, neque de violatione veracitatis cum eo, qui promisit cum animo implendi, & posteà non implet. Etenim qui dicit, *Dabo tibi mille scuta*, cum animo dandi, non mentitur; cùm ea animo loquatur: posteà autem cùm liber sit, potest mutare dictamen, & intentionem: qua mutata, nulla apparet ratio mendacii. Deinde *nu.590*. expressè asserit, in promissione acceptata nullam esse obligationem moralem: ergo neque fidelitatis, aut veracitatis. Addit tamen eo *nu.604*. immediatè hæc verba: [Hic obiter considerandum est, an in tali casu opinionem, & authoritatem suam dilapidet, & an graviter; quia authoritatem, & famam graviter prodigere, culpa mortalis est in illo, qui non est dominus sui honoris.]

40 sanè singularis est Caramuel, dum affirmat, promissionem acceptatam non obligare, saltem ex veracitate, sive fidelitate. Omnes enim Doctores, qui ex promissione acceptata negant oriri obligationem justitiæ, fatentur, oriri obligationem fidelitatis. Audiendus est Caietanus (author negandi obligationem justitiæ) 2. 2. *quæst.88. art.1.* §. *Quod enim*. ubi ait:

41 [Quod enim promissio ex natura sua obliget, in litera habes hic, & in *art.3. ad* 1. Et manifestè patet ex usu hominum: nam fidei reos dicimus non servantes promissum licitum. Hoc enim testatur, quod contra fidelitatem agitur, cùm promissio violatur: quo fit, ut idem sit violare promissionem, & violare obligationem.] Quod expressè docuit S. Thomas in duobus locis à Caietano citatis. Et *quæst.110. art.2. ad 5*. ubi ait: [Ille, qui aliquid promittit, si habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si verò non faciat, quod promittit, tunc videtur *infideliter agere per hoc*, quòd animum mutat.]

42 P. Henriquez *lib.* 11. *sum. cap.* 13. *num.* 2. ait: [In aliis rebus simplex, & nuda promissio facta homini absque testibus, & scriptura obligat leviter ex virtute *veracitatis*, & *fidelitatis*.] Armilla verb. *Perfidia*. ait: [*Perfidia*, qua homo *non attendit promissum*, peccatum est, quia *contra virtutem fidei*.] Diana *part.* 2 *tract* 17. *resol.* 9. sic habet. Frangere *fidem in promissis* non opponitur justitiæ, sed fidelitati.] P. Lessius *de just. cap.* 18. *nu.* 54. loquens de sententia negante obligationem justitiæ ait: [Hæc sententia est probabilis; si tamen promissor non intendat amplius se obligare, quàm ex *fidelitate*.]

43 Hinc colligitur, quantum aberraverit à sententia Doctorum Caramuel, dum loco *cit. n.* 588. dixit: [Promissiones etiam acceptatas *non obligare in conscientia*, docuerunt Cajetanus,] &c. cùm omnes doceant, obligare in conscientia, saltem ex virtute fidelitatis, licèt non graviter, deficiente læsione gravi inde secuta.

44 Dicendum ergo est, tanquam omninò certum, esse apud homines obligationem fidelitatis, qua tenentur stare promissis: ideòque peccare saltem leviter, si promissa non implent. Non quia formaliter mentitur, qui mutans dictamen, promissa non implet; sed quia ratione fidelitatis debet stare promissis: quidquid sit, an sit unus & idem habitus veracitatis, qui extenditur ad non mentiendum, & ad standum promissis; an duplex diversus; quorum unus sit veracitatis, & alter fidelitatis.

45 Pro certitudine practica conclusionis facit summus consensus Theologorum cum S. Thoma citato: opinio autem quæ procedit contra consensum omnium Theologorum, idque absque fundamento gravi, notam grauem incurrit. Constat autem, nullum penitus esse fundamentum pro opinione negante obligationem fidelitatis ad implendum promissa facta ex animo; fundamentum enim à Caramuele allatum, sophisticum est, ut ex dictis satis constat, & constabit amplius ex *cap.* 5. Ejus ergo opinio quo ad hoc reputanda non est probabilis.

46 Secundò. Nam illi, qui sine urgenti causa non stant promissis seriò factis, & de re gravi & licita, communi prudentum hominum judicio, certò, & absque formidine censentur leves, inconstantes, & deceptores: quod quidem non procedit ex erroneo judicio, sed prudenti. Malè autem censerentur leves, & inconstantes, si nulla penitus esset obligatio servandi constantiam in iis, quæ promittuntur.

47 Tertiò, ex ipsa assertione Caramuelis: juxta quem, ut retuli initio hujus capitis, solet contingere, quod qui non stat promissis, *opinionem*, *& authoritatem suam dilapidet*: quomodo ergo dilapidatur ejus authoritas, nisi quatenus communi prudentum judicio de levitate, & inconstantia arguitur promissor, qui non stat suæ promissioni?

48 Dices, id commune judicium, quo omnes prudentes censent, eum, qui sine causa non implet promissionem, esse levem, & inconstantem; esse quidem judicium prudens, & probabile; non tamen esse certum: item neque esse certum, quòd datur in hominibus obligatio fidelitatis, qua debeant stare promissis; sed solùm esse probabile: atque adeò cum hoc stat, quod etiam sit probabilis pars opposita, quæ affirmat, nullam dari in hominibus obligationem fidelitatis ad standum promissis.

49 Refello primò, juxta sententiam Caramuelis, quam retuli *part.* 1. *Crit. Theol. disp.* 4. Ex duabus propositionibus contradictoriis, si una habet fundamentum probabile, & altera nullum; ea, quæ fulcitur fundamento probabili, euadit in omninò certam. Atqui ea assertio, quæ negat obligationem fidelitatis ad standum promissis, nullo penitus nititur fundamento; cùm illud, quod supra ex Caramuele retuli, sit merum sophisma; ut constabit ex *cap. seq.* Ergo juxta doctrinam ejus id judicium probabile prudentum necesse est, quod declinat in omninò certum.

50 Refello secundò. Nam juxta veram sententiam, quam tradidi in 1. *par.* Crisis *disp.* 10. *cap.* 3. *conclus.* 4. In practicis, si moralis malitia hujus actionis nititur fundamento probabili; honestas autem moralis nullo nititur fundamento probabili; ea malitia moralis fit certa & demonstrabilis ex hoc dictamine reflexo certo. [Non licet dirigere conscientiam ex dictamine, quod careat fundamento probabili.] Quare ex tali dictamine reflexo certo, omninò certum est, peccare eum, qui sic dirigit conscientiam suam: atqui nullum est fundamentum probabile, quod suadeat, esse licitum deficere à promissione; ut constat ex dictis, & constabit ex *cap. seq.* cùm tamen sit fundamentum *saltem probabile* ad astruendum obligationem fidelitatis quoad standum promissis: ergo practicè certum est, peccare contra fidelitatem eum, qui deficit à promissione. Dixi, fundamentum *saltem probabile*; non quia credam, esse dumtaxat probabile; sed ut ex ipsis fundamentis Caramuelis detur locus argumentationi.

51 Respondebis juxta doctrinam novissimè traditam à Caramuele in dialeai de non certitudine; opinionem esse probabilem ex eo præscisse, quòd præceptum non sit certum. Atqui hoc præceptum fidelitatis non est certum: probabile ergo est, quod fidelitas non obligat ad implendam promissionem. Sed hæc responsio convincitur argumento tertio proximè subjiciendo.

52 Tertium argumentum, quo priorem & posteriorem responsionem refello, est. Nam ut docui *disp.* 60. *cap.* 3. Quando præceptum est in possessione certitudinis apud omnes sapientes, necessaria est specialis ratio probabilis, qua illud deturbet ab illa possessione certitudinis; tunc enim non valet allegare possessionem libertatis contra principium communiter reputatum ut certum: quia ei, qui dixerit, illud non esse certum, incumbit probare defectum certitudinis; quod probari non potest, nisi per specialem rationem, quæ verè sit probabilis. Tum sic: sed præceptum justitiæ, vel saltem fidelitatis de implenda promissione homini facta, est in possessione certitudinis apud omnes sapientes; ut constat ea dictis in hoc capite: ergo aliqua specialis ratio, quæ verè sit probabilis, requiritur, ut dicatur, non dari præceptum saltem ex fidelitate implendi promissionem. Sed nullam rationem probabilem adducit Caramuel, ut constat ex dictis: ergo tanquam certum dicendum est, obligari hominem ad implendum promissionem.

53 Ubi notabis primò, eum, qui non stat promissis, vocari solere ab hominibus mendacem: non quia formaliter mentiatur, dum mutat animum, & intentionem donandi; sed quia mutatio animi æquiparatur mendacio, ob defectum conformitatis facti cum dicto; diciturque mendacium per analogiam.

54 Notabis secundò, falsam esse conclusionem, quam proponit Caramuel loco *cit. num.* 592. sic: [Qui promittit cum animo promittendi, sed sine animo implendi promissionem, mentitur; ac ideò peccat contra veracitatem, & hoc ante omnem acceptationem.] Id tamen est falsum: nam qui ex animo promittit, non affirmat, se donaturum, sed se assumere obligationem donandi; quod omninò verum est, licèt animum habeat non implendi eam obligationem.

55 Verum quidem est, Caramuelem consequenter procedere in ea conclusione tradenda; cùm penes ipsum, idem sit promittere, ac enuntiare donationem futuram. Mentitur autem ille, qui verbis dicit *donabo*, cum mente dicit, *non donabo*, Eam tamen enunciationem donationis futuræ non esse promissionem, constat ex dictis.

CAPUT V.

Quàm leve sit fundamentum Caramuelis, ostenditur.

SUMMARIUM.

An promissio acceptata sit contractus, aut transferat dominium? num. 56.

An sit prava consequentia à contractu ad translationem dominii? num. 57.

Qua sit legitima formula promissionis? nu. 59.

An ex promissione, & acceptatione simul oriatur obligatio? num. 61.

An promissio sit conditionata, & afferat acceptationem pro conditione? num. 62.

An tota vis obligandi stet in promissione, & quomodo? num. 63.

56 Ad priorem syllogismum, Authores admittentes in promissione obligationem justitiæ, negant minorem, quòd promissio acceptata non sit contractus. Ad probationem concedunt priorem partem antecedentis, quòd videlicet promissione non transfertur dominium; & negant posteriorem, quòd scilicet promittens affirmet, se translaturum esse dominium; solùm enim affirmat, se assumere obligationem transferendi dominium.

57 Et antequam ad ulteriora progrediar, vide pravitatem hujus consequentiæ: [Promissione acceptata non transfertur dominium: ergo promissio acceptata non est contractus.] Sunt enim multi contractus, in quibus non transfertur dominium, sed solùm confertur jus ad rem. Nam per contractum sponsalium sponsi non transferunt dominium suorum corporum, sed solùm conferunt jus ad acquirendum id dominium corporum per matrimonium futurum. Similiter cùm duo mutua promissione paciscuntur, alter dandi centum mensuras tritici post unius anni tractum, alter dandi ducenta scuta post duplicis mensis; sanè verum contractum celebrant: nec tamen transferunt dominium tritici, vel pecuniæ. Numquid contractu locationis transfertur dominium rei locatæ? Numquid contractu depositi transfertur dominium rei depositæ? Numquid contractu census transfertur dominium in pensiones annuas?

58 Dices, licèt non transferatur dominium in pensiones annuas, acquiri tamen dominium, aut quasi dominium juris ad pensiones annuas. Si ista respondes; dicam similiter, promissione non acquiri dominium rei promissæ; sed dominium, aut quasi dominium juris ad rem promissam.

59 Ad id, quod additur, genuinam formulam promissionis esse, *Ego dabo tibi mille scuta*; constat ea dictis, quam sit falsum. Nam si id dicit referendo, quòd daturus est, non promittit; si verò id dicit, se obligans, aut obstringens fidem suam ad donandum, promittit. Genuina ergo formula est, *Me obligo, aut obligo fidem meam ad donandum mille scuta*. Unde constat, negandam esse minorem, nempe in promissione nullam esse obligationem moralem.

60 Ad probationem minoris, concedo nullam oriri obligatio-

nem

nem ante acceptationem; & nego nullam oriri post acceptationem. Ad hujus consequentiæ probationem, dico, neutram esse formulam acceptationis, scilicet neque hanc, *Recipiam, si dederis*, neque hanc, *Recipiam, licet non dederis*; sed hanc, *accepto obligationem, quam assumis*; sive *admitto jus istud quale quale, quod mihi confers*.

61 Sed notanda est pravitas consequentiæ, quæ hic intervenit. [Ex sola promissione non oritur obligatio; & ex sola acceptatione non oritur obligatio: ergo ex promissione acceptata non oritur obligatio.] Stat enim, quòd ex neutra seorsim oriatur obligatio; & quod eam utraque simul oriatur obligatio: idque quamvis formula acceptationis sit ea, quam assignat Caramuel, nempe, *recipiam, si dederis*. Nam qui diceret, [Promitto tibi mille aureos, si dixeris eam formulam, *recipiam, si dederis*,] de levitate, & inconstantia argueretur à prudentibus, si sic acceptata promissione, illam non impleret; non quia promissio per se sola obligat fidem illius; neque quia ea formula, *recipiam, si dederis*, obligat illum ad donandum; sed quia ex conjunctione promissionis, & acceptationis resultat obligatio fidei. Ideò enim promissio præcisè illa non obligat, quia nemo obligatur ad donandum invito; ubi autem constat, donatarium futurum, non solùm non esse invitum, sed esse volentem; jam promissioni accrescit, quidquid requiritur, ut fides obstringatur; sic enim adjungitur promissioni acceptatio, quæ quidem dat vires promissioni, ad fidem promittentis obstringendam.

62 Et confirmatur. Ideo enim nuda promissio non obstringit fidem ante acceptationem, quia ea nuda promissio habet tacitam conditionem, nempe [promitto tibi mille aureos, si acceptaveris:] unde non purificata conditione, nullum effectum præstat promissio. At purificata conditione, jam promissio redditur absoluta, & absolutè obstringens fidem promissoris.

63 Id, quod additur num. 591. quòd, ut acceptatio possit aliquem promittentem obligare, debet habere rationem præcepti, adjurationis, aut contractus; rectè diceretur, si acceptatio per se imponeret eam obligationem. Sed falsum est omnino, neque ab authoribus cogitatum, quòd acceptatio per se habeat talem vim obligandi. Nam ea vis obligandi stat in promissione, non quidem nudè sumpta, sed purificata conditione, quam affert promissio: obligatio enim promissionis pendet ab acceptatione tanquam à conditione, sub qua promittitur.

CAPUT VI.

Corollaria ex dictis.

SUMMARIUM.

An ex mente Caramuelis neque politicè obliget promissio acceptata? nu. 64.
An assertio Caramuelis, quod promissio acceptata inducit obligationem divinam, non cohæreat cum ejus doctrina? nu. 66.
An sit probabilius, promissionem acceptatam obligare ex justitia? Et an pendeat ex animo promittentis? nu. 66.
An promittens sine animo se obligandi, maneat obligatus? nu. 67.

64 Colliges primò, quid dicendum sit circà eam periodum Caramuelis, quam scribit *lib. 2. Theolog. intin. disp. 4. cap. 2. nu. 257.* ubi agens de promissione acceptata, ait: [Existimo inducere duas obligationes: alteram merè humanam titulo honestatis; alteram divinam, levem tamen, titulo veracitatis: de quibus inferius disputabo.] Sed quænam est hæc obligatio purè humana, titulo honestatis invecta? Numquid politice tantùm obligans, & non in foro interno? Illam quidem obligare in foro interno, ex virtute fidelitatis, constat ex cap. 4.

65 Et quidem neque politicè obligare promissionem acceptatam, manifestè infertur ex fundamento Caramuelis, quod retuli cap. 1. illud enim, si quid probat, convincit, nullam penitus obligationem, etiam politicam, oriri ex promissione acceptata. Nam promissio ante acceptationem, nullam obligationem etiam politicam inducit. Acceptatio autem cùm juxta Caramuelem contineat hanc formulam, *Recipiam si dederis*, & pendeat à mera voluntate libera donantis, nullo modo obstringit promissorem etiam politicè. Deinde neque politicè est præceptum, adjuratio, aut contractus. Vel ergo admittere debet Caramuel obligationem fidelitatis ad standum promissis, vel negare eam obligationem merè humanam, seu politicam: cum ratio pariter in utroque militet.

66 Quà autem dicit, promissionem acceptatam inducere *obligationem divinam, levem tamen, titulo veracitatis*, multò minus cohæret cum iis, quæ tradit in *ea disp 9. lib. 2. à num. 588. & præcipuè num. 604.* ubi ait, nullatenus mentiri eum, qui promittit mille scuta, & posteà non vult ea donare. Scio, plures authores, attribuere veracitati obligationem promissionis acceptatæ: in veracitate enim admittunt duas quasi partes; unam, qua homo conformat verba menti; alteram, qua conformat facta verbis, id est, promissis. Caramuel tamen in eo loco disputationis nonæ non aliam agnoscit rationem veracitatis, nisi quæ prohibet formale mendacium.

67 Colliges secundò, quænam sit probabilior opinio in ea quæstione; An promissio acceptata obliget ex justitia? Cui breviter respondeo, apud me probabiliorem esse sententiam, quam tuetur P. Molina *tom. 2. de just. disp. 262.* & P. Lugo Cardin. *tom. 2. de just. disp. 23. sect. 6. num 90.* & probabilem dicit P. Lessius *de just. cap. 18. dubit. 8. num. 54.* nempe obligationem justitiæ pendere ex animo promittentis. Nam promittens potest velle assumere obligationem justitiæ. Cùm enim possit dare alteri dominium rei suæ, quid vetat, quod possit dare alteri jus ad rem suam? Et sicut transferendo in Petrum dominium rei, donat illi rem; ita transferendo in illum, non dominium adæquatum, sed duntaxat jus ad rem donandam; illam promittit. In dubio autem, an promissio sit cum animo obligandi se ex justitia, & dandi alteri jus ad rem; censendum est, non esse ex justitia, sed ex fidelitate: quia *in obscuris, quod minimum est, sequimur*, ut tradit Regula 30. de Regul. jur. in 6.

68 Colliges tertiò, quid dicendum de ea opinione P. Vasquii citati supra *cap. 2. num. 17.* nempe promittentem sine animo se obligandi, adhuc manere obligatum propter verba promissoria. Cui ex parte consentit P. Lugo Cardinal. *ea disput. 23. numer. 90.* asserens, promissionem factam obligare ex fidelitate, eo quod verba promissoria obligant ex fidelitate ad conformandum facta cum dictis. Quam sententiam admitto, si verba significent expressè animum se obligandi. Non verò si fiat promissio per ea verba, *Dabo tibi centum*, nam hæc verba sunt indifferentia ad significandum animum promissorium, & ad enunciandum simpliciter donationem futuram. Quare si quis dicat, *Promitto tibi datarum centum*, sine animo dandi, verum censeo, quod affirmat P. Vasquez.

69 Circà hanc materiam promissionis, & ejus obligationem vide P. Lessium, & Card. Lugo supra relatos.

CATALOGUS

Opinionum ad hunc tractatum pertinentium, quæ defectu fundamenti deficiunt à probabilitate.

1 Quæstio prima. *An judex possit ferre sententiam secundùm opinionem minus probabilem?* Authores, qui partem affirmativam tuentur, eo ducuntur fundamento, quòd sicut quilibet alius, ita & judex, potest sequi minus probabilem. Sed hoc fundamentum sola æquivocatione fulciri, clarè ostendi *in 1. part. Crif. Theologicæ disp. 15. cap. 15. art. 3. num. 626. & seqq.* & ideò ex hoc solo fundamento censeo non esse probabilem. Et nota, Innocentium XI damnasse ut scandalosam eam propositionem in decreto novissimo, & est secunda ex damnatis. Vide *disp 77 cap. 1.*

2 Quæstio secunda. *An parvitas materiæ in rebus præceptis sit ea, quæ est minor octava parte?* Cujus quæstionis affirmativam sententiam docuit Caramuel ex eo solo fundamento, quòd gradus caloris sunt duntaxat octo; & inde colligit, quòd octava pars caloris sit materia magna; & minus octava parte sit materia parva: & idem esse debere in moralibus. Id autem fundamentum subsistere non posse, ideòque eam opinionem à probabilitate deficere, ostendi *in 2. part. Crif. Theol. disp. 31.*

3 Quæstio tertia. *An sufficienter impleatur præceptum recitandi officium canonicum, si illud quis tauli ante mediam noctem incipiat, & sine interruptione recitando post mediam noctem finiat.* Cujus affirmativam partem tuetur Leander à SS. Sacram. sed illam opinionem niti non nisi argumentis fallacibus, adeòque deficere à probabilitate; multis ostendi *in 2. part. Crif. Theolog. disp. 35. cap. 5. & seq.* Immò verò eam repugnare principiis certis, atque adeò esse certum, quòd sit falsa, ostendi ibid. cap 4.

4 Quæstio quarta. *An completorium in officio canonico non pertineat ad diem antecedentem, sed ad subsequentem?* Et quia Caramuel insinuavit, pertinere ad diem subsequentem, & ea opinio potest sumi practicè, id est, in ordine ad hoc, quòd possit recitari die subsequenti; ejus fundamentum esse prorsus inane, adeoque omninò deficere à probabilitate practica, clarè ostendi *in 2. part. Crif. Theol. disput. 35. cap. 1. sed & cap. 3.* ostendi etiam principium certum, cui ea opinio manifestè repugnat; ob quam causam debet etiam censeri certum, quòd sit falsa in ordine ad praxim.

5 Quæstio quinta. *An votum castitatis Religiosæ solum extendatur ad vitandos actus consummatæ luxuriæ?* In qua quæstione ad partem affirmativam videtur inclinare Caramuel ex eo fundamento, quod Religiosus non voveat pudicitiam, sed castitatem; & quòd S. Thomas videtur hoc discrimen ponere inter utramque, quòd pudicitia sit præcipuè circà signa venereorum, castitas verò circà veneream commixtionem. Sed id fundamentum esse nullum, & S. Thomam planè ei contradicere, atque adeò eam opinionem à statu probabilitatis cadere, apertè ostendi *in 2. part. Crif. Theolog. disput. 36. cap. 2.* quamvis etiam ibid. cap. 3. & 4. ostenderim, apertè repugnare principiis certis, adeòque esse certum, quòd sit falsa.

6 Quæstio sexta. *An votum castitatis Religiosæ non extendatur ad fugiendos actus internos luxuriæ?* Et non extendi, asseruit Caramuel ex nova usurpatione pudicitiæ, quam non vovet Religiosus, ut ipse

ut ipse ait. Cujus opinionis totum fundamentum est, quòd S. Augustinus dixerit, pudicitiam esse virtutem animi, & castitatem corporis. Sed in eo fundamento esse insignem æquivocationem circà intelligentiam ejus textus S. Augustini; & S. Doctorem pro eodem usurpare pudicitiam, & castitatem, apertissimè demonstravi in 2. *part.* Crisis *Theolog. disp.* 37. *cap.* 2. per octo capita, adeòque ejus fundamentum esse nullum, & consequenter eam opinionem non esse probabilem. Sed prætereà *ibid. cap.* 10. ostendi, eam aperte repugnare principio certissimo, atque adeò esse certum, quòd sit falsa.

7 Quæstio septima. *An liceat sponsis de futuro morosè delectari de copula coniugali futura?* Cujus partem affirmantem aliqui authores, tennerunt, eo fundamento ducti, quod in eo casu delectantur de re licita. Sed si loquuntur ii authores de delectationn sensibili, id fundamentum sola æquivocatione niti, adeòque eam opinionem non esse probabilem, ostendi in 2. *part. Crif. Theol. disp.* 41. *cap.* 3. *art.* 4. *nu.* 67.

8 Quæstio octava. *An liceat viduis morosè delectari de copula coniugali præterita?* Cujus partem affirmativam tenuerunt aliqui. Qui si loquantur de delectatione sensibili, eorum fundamentum, [Nempe eam delectationem esse de objecto licito.] esse ingentem æquivocationem; atque adeò eam opinionem carere prorsus fundamento, & consequenter non esse probabilem, ostendi *ibid. num.* 68.

9 Quæstio nona. *An pollutio in somnis contingens possit esse volita in causa, & prævisa in illa?* Cujus partem negativam tenent Ioannes Sancius, & Caramuel ex eo fundamento, quòd quælibet causa potentior est, quando est præsens, quàm cùm abest. In quo esse ingentem æquivocationem, adeòque fundamentum esse nullum, demonstravi in 2. *part. Crif. disp.* 43. *cap.* 2. *&* 3. atque adeò eam opinionem non esse probabilem. Sed insuper *ibid.* ostendi, esse incompossibilem cum principio certo, atque adeò certum esse, quòd sit falsa.

10 Quæstio dècima. *An qui certus est de peccato lethali commisso, & dubius de ejus confessione, teneatur ad illud confitendum?* In qua nonnulli affirmarunt non teneri. Sed ejus opinionis fundamenta esse planè sophistica, demonstravi in 2. *part. Crif. Theol. disp.* 47. *cap.* 4. *&* 6. adeòque eam opinionem non esse probabilem. Sed ulterius ibidem *cap.* 5. ostendi, eam pugnare cum principiis certis, atque adeò esse certum, quòd sit falsa.



TRA-

TRACTATUS QUARTUS.

DE OPINIONIBUS DUBIÆ Probabilitatis.

TErtium medium ex his, quæ proposui disp. 56. cap. 9. art. 3. ad discernendum opiniones practicè probabiles ab iis, quæ tales non sunt, neque tutò possunt reduci ad praxim; est dignoscere, an opiniones, quæ ad discussionem veniunt, sint dubiæ probabilitatis; ita ut viri sapientes frequenter dubitent de probabilitate earum; aut ipse confessarius, sive consultor dubitet, an talis opinio habeat practicam probabilitatem. Capita autem, unde hoc dubium de probabilitate opinionis oriri possunt, proposita sunt in loco citato. Et inde etiam constat, opiniones dubiæ probabilitatis non esse practicè probabiles; quia dubium de probabilitate opinionis est dubium practicum, in quo tutior pars necessariò eligenda est. Cujus pauca aliqua proponam exempla, licèt multa possem. Et tamen hìc aliquæ opiniones proponuntur, ut certò falsæ, propter acoluthiam doctrinæ.

Et iterùm protestari placuit, nullatenus esse mihi animo damnare, aut censura, vel nota aliqua inurere opiniones aliorum, nisi quantum ipsa vis consequentiæ ad id obligaverit.

DISPUTATIO LXX.

An possit dari confessio valida informis ex defectu doloris efficacis?

CAPUT PRIMUM.

Præmittuntur aliqua ad resolutionem quæstionis.

ARTICULUS I.

Quatuor prænotata.

SUMMARIUM.

Quid sit Sacramentum validum informe? num. 1.
An sit improbabilis opinio, quæ docet, validam esse confessionem sine contritione, aut proposito? n. 2. & seq.
An sit certò falsa opinio docens, confessionem posse esse cum effectu justificationis absque ullo dolore? n. 4.
An sit certum necessariò requiri dolorem efficacem, ut pœnitens consequatur effectum Sacramenti? n. 5.
Quid sit dolor efficax? num. 6.
Status quæstionis, An ad valorem confessionis sufficiat dolor inefficax? n. 8.
Et an cum ignorantia & quali? n. 9.

1 PRæmitto primò. Sacramentum validum informe esse illud, quod constitutum est adæquatè in sua essentia cum omnibus suis partibus essentialibus. illud tamen non causat effectum gratiæ, defectu dispositionis in recipiente. Ita baptismus, quem recipit adultus sine ulla contritione, aut attritione peccatorum, licèt validus sit, est tamen informis, quia defectu ejus contritionis baptizatus non recipit effectum gratiæ, donec prædicta contritio accedat.

2 Præmitto secundò, optimè dixisse P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp 20. sect. 5. num. 4.* esse improbabilem eam opinionem, quæ docet, validam esse confessionem informem tamen, quæ sit sine ulla contritione, aut atritione, & sine proposito efficaci non peccandi; sive hic defectus cognoscatur à pœnitente, sive non cognoscatur: quam aliqui Doctores antiqui docuerunt, censentes, eos actus internos pœnitentis non esse partes essentiales Sacramenti. Id tamen docuerunt ante Concilium Tridentinum, in quo opposita doctrina definitur *sess. 14. cap. 3.* de Sacramento pœnit. his verbis. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicantur.* Quare ea opinio antiquata, & saltem improbabilis censenda est. Et ideò P. Vasquez 3. *part. quæst. 92. art. 2. dub. 1. num. 13.* ait, esse manifestam falsitatem in ea opinione, quæ negat, contritionem esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Et P. Arriaga *tom. 4. disp. 13. sec. 2. num. 8.* loquens de ea opinione; asserit: *Quorumcumque ergo sit ea opinio, debet censeri omninò improbabilis; & idem dico, etiamsi bona fide contingat ille defectus doloris.*

3 Scio, & non sine admiratione refero, etiam post Tridentinum aliquos Authores docuisse, esse validum Sacramentum pœnitentiæ etiam sine atritione; & sine proposito non peccandi, eo quòd de essentia Sacramenti sit sola confessio, & absolutio. Ita Christophorus à S. Iosepho, Ludovicus à Conceptione, & Delgadillo apud P. Matthæum de Moia *tom. 1. select. tract. 3. disp. 5. quæst. 2. num. 2.* apud quem etiam Martinus de Ledesma dicit, eam esse probabilem. Sed præfatus P. Moia *quæst. 3. num. 1.* satis clare indicat, censere se, illam esse improbabilem. Et *num. 2.* refert Sotum asserentem, oppositam doctrinam esse *tanquam orthodoxam veneranter amplectendam.* Et Bellarminum dicentem, *neque jam amplius in dubium revocari posse, cum in Conciliis œcumenicis, Florentino, & Tridentino, disertis verbis legamus.* Et Canum erroris insimulantem illam opinionem.

4 Hinc fit multo magis esse improbabilem sententiam eorum, qui dixerunt, non solùm ad valorem Sacramenti; sed etiam ad effectum justificationis consequendum sufficere confessionem ejus, qui bona fide accedit sine ullo dolore de peccatis, sola voluntate suscipiendi Sacramentum, & ejus effectum. Quia hæc opinio expressè adversatur definitioni Tridentini supra positæ. Authores ejus opinionis vide apud P. Matthæum de Moia *tom. 1. select. tract. 3. disp. 5. qu. 2. nu. 4.*

5 Præmitto tertiò, esse certum apud omnes Theologos, ad hoc ut pœnitens per Sacramentum pœnitentiæ consequatur effectum gratiæ, necessariò requiri, ut habeat dolorem efficacem de peccatis mortalibus cum proposito efficaci non peccandi de cætero. Nam id constat ex Concilio *Trident. sess. 14. cap. 4. de Sacram. pœnit.* illis verbis: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.*

6 Ubi notabis, illum dolorem dici efficacem, cum quo non componitur voluntas peccandi de cætero; illum verò inefficacem, cum quo ea voluntas componitur.

7 Scio, esse paucos aliquos, qui dixerint, solam displicentiam de peccato sufficere ad obtinendum effectum justificationis; quos refert P. Moia ubi supra *nu. 7* sed omninò reiicienda est ea opinio, utpote adversa Tridentini definitioni.

8 Præmitto quartò, quæstionem valde agitatam inter Theologos esse, an quamvis ad effectum gratiæ consequendum sit necessarius dolor efficax de peccatis mortalibus; ad valorem tamen Sacramenti pœnitentiæ sufficiat dolor inefficax, cum quo compossibile est propositum peccandi de cætero. Itaq; quæritur, an quando peccator accedit ad confessionem cum solo dolore inefficaci, ex ignorantia juris, vel facti: (id est vel quia ignorat, dolorem debere esse efficacem, vel quia habens dolorem inefficacem, putat per ignorantiam, illum esse efficacem) Sacramentum illud sit validum, atque adeò non iterandum, licèt tunc non consequatur effectum justificationis.

9 Et dato, quòd dolor inefficax sufficiat ad valorem Sacramenti cum ea ignorantia; quæritur ulterius, an ea ignorantia debeat esse invincibilis; an potiùs si sit cum ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, sufficiat adhuc ad valorem Sacramenti?

ARTICULUS II.

Quid de Sacramento informi defectu attritionis extensivæ?

SUMMARIUM.

An sit probabilis opinio P. Suarii de Sacramento pœnitentiæ valido informi defectu contritionis extensivæ? n. 10.
Impugnatio Ioannis à S. Thoma. n. 11. & seq.
Dissolvitur impugnatio. n. 13. & seq.
Quotupliciter possit se habere attritio ad peccata? n. 14.

An

An attritio universalis faciat confessionem formatam? nu. 15.
An attritio, quæ habet pro motivo turpitudinem contra Religionem, se extendat ad peccatum furti? nu. 16.
An peccata oblita possint manere inclusa in confessione, & non in attritione? Et quomodo intelligatur textus Concilii? nu. 18. & seq.

10 PRæmitto quinto, probabilem esse opinionem P. Suarez, *qui tom. 1. in 3. part. disp. 20. sectio 5. nu 7.* docuit, posse dari confessionis Sacramentum validum, & informe defectu contritionis extensivæ: nempe in eo casu, quo quis habens quatuor peccata lethalia, doleret de tribus, de quarto autem non doleret per inadvertentiam invincibilem. In quo casu docet, validum esse Sacramentum, quia habet omnes suas partes essentiales, non autem conferre gratiam pro tunc, donec accedat contritio de illo quarto peccato. Similiter docet, Sacramentum esse validum, & informe in eo casu, si ille homo per oblivionem taceret illud quartum peccatum, & solùm doleret de illis tribus explicatis. Asserit enim, quòd licet validum sit Sacramentum, non confert gratiam, donec accedat dolor illius quarti. Et simul docet, in utroque casu propositum non peccandi de cætero esse debere universale.

11 Mag. Joannes à S. Thom. *3. part. quæst. 81. artic. 6. §. Hæc sententia*, impugnat eam sententiam P. Suarez in hunc modum: [Hæc sententia Suarez valde difficilis est, & contra illa statim se offert difficultas. Quia peccata inculpabiliter oblita (id est, quæ diligenter cogitanti non occurrunt) in universum inclusa intelliguntur in confessione, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis munda me, Domine*, ut inquit Concilium Trident. *sess. 24. cap. 5.* ergo etiam manent inclusa talia peccata oblita in ipsa attritione, qua fit talis confessio. Antecedens est expressum in Concilio. Consequentia verò probatur. Quia impossibile est, aliqua peccata manere inclusa in confessione, & non manere inclusa in attritione: quia illa confessio informatur tali dolore, seu attritione: ergo idem est manere inclusa in confessione, & manere inclusa in attritione, cum qua fit talis confessio. Sed cum illis peccatis oblitis justificatur homo in tali confessione, quia pro illis dicit Propheta, *Ab occultis meis munda me, Domine*, quæ mundatio non fit sine remissione peccatorum: ergo etiam cum tali attritione non extendente se ad peccata oblita, nisi virtualiter, justificatur homo.

12 Nec valet differentia, quam Suarez conatur ponere inter integritatem confessionis, & integritatem contritionis. Quòd integritas confessionis solùm est de præcepto, non de necessitate medii; unde quomodocumque satisfiat illi præcepto, confessio manet integra formaliter. Pœnitantia autem interior est medium per se requisitum ad remissionem peccati: ergo si respectu alicujus peccati hæc contritio non extenditur, illud non manet remissum, quia non applicatur ei medium per se necessarium. Cæterùm hæc solutio nullo modo stare potest cum verbis Concilii, siquidem Concilium non solùm admittit, quòd stante tali peccato oblito post diligentem discussionem manet confessio integra, sed etiam quòd habet effectum; siquidem dicit, quòd pro illis peccatis oblitis *fideliter* cum Propheta dicimus, *Ab occultis meis munda me, Domine*: ergo talia occulta seu oblita manent mundata. Vel ergo ad illa extenditur attritio, seu dolor; vel non? Si non extenditur: ergo sine extensione attritionis non solùm datur Sacramentum validum, sed formatum; quod negat Suarez, & ruit ejus sententia. Si extenditur; non formaliter, & expressè; quia illa peccata sunt oblita; ergo virtualiter: ergo ad peccata inculpabiliter oblita extenditur virtualiter attritio. Neque est major ratio, quòd una attritio extendatur, & non alia. Nam Concilium universaliter loquitur de omni peccato oblito, quod manet inclusum in confessione, & remissum: ergo quæcumque attritio virtualiter extenditur ad omnia peccata oblita: ergo sufficiens est ad remissionem illorum: ergo numquam ex defectu extensionis confessio est informis.]

13 Hæc objectio solum indiget explicatione ejus sententiæ. Igitur demus casum, in quo Petrus reus furti, & sacrilegii pergit ad confessionem. Et oblitus furti confitetur dumtaxat sacrilegium.

14 Quod ad dolorem attinet, duplici modo potest habere attritionem. Primò ob motivum universale, quod amplectatur omnia peccata mortalia, quæ commisit, v. g. ob turpitudinem peccati mortalis in genere. Secundò potest habere attritionem ob motivum speciale, scilicet ob illam specialem turpitudinem sacrilegii.

15 Si primo modo procedat, non est dubium, quin illa confessio sit formata, & consequatur effectum gratiæ: quia illa attritio cum sit universalis, comprehendit etiam implicitè, & virtualiter illud peccatum furti oblitum.

16 Si verò secundo modo procedat, sic illa attritio non se extendit ad peccatum furti, quia habet pro motivo illud, quod solùm est contra religionem. Et hoc modo asserit P. Suarez, quod illud Sacramentum est validum; eo quod habet omnes actus requisitos ad valorem Sacramenti, scilicet confessionem omnium, quæ in memoriam veniunt, attritionem de peccato explicato in confessione, & propositum universale non peccandi de cætero. Quia tamen illud peccatum furti remitti non potest sine penitentia interna, & ea, quam ille habet, ex oblivione non extenditur ad furtum; inde est, quod non consequatur effectum gratiæ, donec internè pœniteat de furto.

17 Jam verò facilis est solutio eorum, quæ obiicit Joannes à S Thoma. Ad id, quod affert ex Tridentino, nempe *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt; in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*; respondeo, ibi agere Concilium de inclusione peccatorum (quæ quis defectu memoriæ non confitetur) in confessione, non in contritione, aut dolore, ut evidenter patet ex contextu. Ad id, quod subjungit, impossibile esse, aliqua peccata manere inclusa in confessione, & non manere inclusa in attritione, distinguo: [si attritio sit universalis,] concedo, [si attritio sit specialis, & specialiter respiciens peccatum explicatum,] nego.

18 Ad id, quod superaddit, id non posse stare cum verbis Concilii, eo quòd Concilium asserit, eam confessionem, in qua est oblivio alicujus peccati, consequi effectum gratiæ; dicendum est, loqui Concilium, supponendo, contritionem, aut attritionem sufficientem. Et ideo qui obliviscitur peccatum, & habet attritionem universalem, consequitur effectum gratiæ; quia jam illud peccatum manet inclusum tam in confessione, quàm in attritione.

19 Ad dilemma subjunctum, nempe *vel ergo ad illa oblita extenditur attritio, vel non?* Respondeo, si loquamur de attritione sacrilegii ob specialem suam turpitudinem, illam attritionem non extendi ad furtum. Et negatur consequentia subjuncta, nempe: *ergo sine extensione attritionis non solùm datur Sacramentum validum, sed etiam formatum*: Quia Concilium non asserit, quod in attritione speciali unius dumtaxat peccati, cætera peccata maneant inclusa quoad pœnitentiam internam.

20 Ad ultimum, quod superaddit, scilicet, *neque est major ratio quod una attritio extendatur, & non alia*; patet ex dictis. Nam attritio, quæ respicit sacrilegium ob specialem suam turpitudinem, non potest extendi ad furtum, in quo ea specialis turpitudo non reperitur. In eo autem fallitur magnus iste antagonista, quòd putet, non posse dari attritionem specialem ad unum peccatum, sed omnem attritionem esse debere universalem: cujus oppositum constat ex dictis.

CAPUT II.

An sit probabilis opinio, quæ docet, dari confessionem validam informem ex defectu doloris efficacis, qui defectu procedit ex ignorantia invincibili?

ARTICULUS I.

Authoris judicium.

SUMMARIUM.

Opinio asserens, confessionem esse validam, & informem, cum dolore inefficaci ex ignorantia invincibili. nu 21.
An ea opinio sit dubiæ probabilitatis? no. 23.
An contritio, quatenus disponit ad justificationem, sit pars Sacramenti; & quid inde pro conclusione? nu. 25.
Responsio refutata. nu. 27. & seq.
An fundamentum partis adversæ sola æquivocatione nitatur; & quæ? nu. 29. & seq.
An authores adversæ opinionis non satis clarè illã doceant? n. 32. & seq.
An opposita opinio deseratur jam communiter à Doctoribus? Et quid multi de ea censeant? nu. 34. & seq.

21 NOn pauci Theologi opinantur, dari posse confessionem validam informem cum defectu doloris efficacis, qui tamen existimetur efficax. Censent enim, ad valorem Sacramenti sufficere dolorem inefficacem: sed quia ad consequendum effectum gratiæ requiritur dolor efficax, informem manere illam confessionem, & excusari hominem à peccato ob illam ignorantiam. De quo videndus est P. Granado *tom. 5. in 3. part. controv. 7. tract. 3. disp. 3. sect. 3.* & apud ipsum Cajetanus, Victoria, Canus, Sotus, Navarrus, & alii. Vide etiam P. Moja *tom. 1. select. tract. 3. disp. 5. quæst. 4. num. 3.* ubi alios authores refert. Ex quibus aliqui docent, id ita esse, dummodo ea ignorantia sit invincibilis. Qua ratione etiam novissimè eam defendit Mag. Joannes à S. Thoma *3. part. quæst. 84. art. 6.* sicut & P. Granado supra relatus. Alii verò censent, id etiam verum esse cum ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili. De hoc postremo dicendi modo dicemus capite sequenti; de priori verò in præsenti.

22 Eam opinionem, quæ docet, sufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, dolorem inefficacem, quamvis existimatum efficacem, ex ignorantia invincibili; ego sanè non audeo dicere improbabilem propter magnum pondus authoritatis, scilicet virorum sapientum, qui illam defendunt. Ego tamen numquam audebo eam consulere, aut ad praxim deducere, quia verè dubito de ejus probabilitate; sicut etiam dubito de mente S Thomæ circa hanc

hanc quæstionem. Ideòque est mihi ea opinio dubiæ probabilitatis. *Mihi dixi*; fortè enim Doctores alii exhibebunt solutionem argumentis, quam ego non invenio, in qua quiescat animus.

23 Ad sic dubitandum, moveor primo. Nam Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. *de Sacram. pœnit.* agens de contritione, quæ est pars Sacramenti, docet expressè, esse dolorem efficacem excludentem efficaciter voluntatem peccandi, illis verbis: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Certum autem est, eum dolorem cum tali proposito esse dolorem efficacem: ergo sine eo dolore efficaci Sacramentum non est validum; cùm Sacramentum carens aliqua parte essentiali non possit esse validum.

24 Nec satisfacies, si dicas, Concilium loqui de contritione, ut disponente ad effectum justificationis; non verò quatenus præcisè est pars Sacramenti.

25 Etenim quatenus disponit ad justificationem, debet esse efficax: sed quatenus disponit ad justificationem, est pars Sacramenti: ergo quatenus est pars Sacramenti, debet esse efficax. Consequentia patet ex præmissis. Major traditur à Doctoribus oppositæ opinionis.

26 Minor traditur à Concilio ibid. *cap.* 3. illis verbis: *Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Cùm ergo dicat Concilium, ea ratione esse pœnitentiæ partes, quà requisitæ sunt ad remissionem peccatorum; & ad remissionem peccatorum requiratur dolor efficax, infertur, dolorem efficacem, & non alium, esse partem Sacramenti: nec video, quomodo aliter intelligi possunt verba Concilii.

27 Respondebis iterùm ex doctrina adversariorum, dum Concilium dicit, contritionem requisitam ad justificationem, quà talem, esse partem Sacramenti Pœnitentiæ; intelligendum esse, aut de verè requisita, aut de probabiliter existimata. Unde ea verba Concilii subibunt hanc interpretationem. *Quatenus ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur* [aut verè, aut putativè,] *hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*.

28 Hæc tamen responsio non est probabilis, tum quia vim inferet verbis Concilii: nec datum est privatis Doctoribus sic limitare definitiones Conciliorum. Quòd si hæc interpretatio posset subsistere; posset etiam dici, materiam remotam Eucharistiæ esse vinom verum, vel putativum, sive probabiliter præsumptum; & sic de reliquis materiis Sacramentorum: hoc est absurdissimum: ergo & id, unde infertur.

29 Moveor secundò. Nam video, fundamentum adversæ partis sola æquivocatione fulciri. Ex eo enim probant suam conclusionem: quia si non sufficeret contritio, seu attritio probabiliter existimata, cogerentur fideles ad iterandas confessiones; cùm non possint esse certi de vera attritione efficaci: sufficiet ergo attritio existimata efficax.

30 Stat autem æquivocatio in hoc, quòd cùm attritio, quæ in se est inefficax, & probabiliter putatur efficax, sufficiat ad implendam obligationem; Authores oppositi asserunt, sufficere ad valorem Sacramenti. Itaque pœnitens, qui habet attritionem inefficacem, quam efficacem probabiliter putat, licèt coram Deo, & à parte rei non recipiat Sacramentum validum; quia tamen probabiliter putat, suam attritionem esse efficacem; & consequenter probabiliter putat, se recepisse Sacramentum validum, non tenetur ad iterandam confessionem: sufficit enim probabilis persuasio, quòd receperit Sacramentum validum; ad hoc ut non teneatur ad ampliorem diligentiam: non enim in hac vita consequi possumus certitudinem omnimodam. Quòd si confessione subsequenti ea contritio, vel attritio fuerit efficax, peccata prioris confessionis invalidæ remittentur indirectè, sicut reliqua peccata propter oblivionem omissa.

31 Hinc efformatur argumentum. Ideò necesse esset asserere, esse validum Sacramentum cum contritione inefficaci, reputata efficaci; ne fideles sub incertitudinem valoris Sacramenti tenerentur ad iterandas confessiones: sed quamvis Sacramentum sit à parte rei invalidum, non tenentur fideles iterare confessiones, dum probabiliter existimant, esse validum Sacramentum: ergo non est necesse asserere, Sacramentum esse validum. Consequentia patet; & major est adversariorum. Minor etiam patet: quia licèt probabilis existimatio nihil prosit ad valorem realem Sacramenti; prodest tamen, ut non insistet obligatio præstandi ampliorem diligentiam: namqui probabiliter existimat, se implevisse præceptum (maximè circa actus internos, qui difficilè à nobis cognoscuntur usque ad evidentiam) non tenetur ad ampliùs.

32 Moveor tertiò. Nam multi Authores, qui pro ea opinione referuntur, non satis clarè illam docent, sed nimis obscurè. Et Sotus, qui præcipuus est ex iis, qui citantur, qui scripserunt post Tridentinum; *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. *concl.* 5. petit ad valorem confessionis aliquam detestationem cum aliquo proposito mutandi vitam. Propositum autem est voluntas efficax. Authores autem obscurè loquentes non dant sufficientem probabilitatem opinioni.

33 Huc accedit, quòd P. Conink *disp.* 4. *de pœnit. dub.* 5. *num.* 38. loquens de Authoribus, qui citari solent circà hanc materiam de confessione valida informi, ex defectu doloris requisiti; ait: [Quidam enim putant, ad valorem Sacramenti sufficere dolorem naturalem: alii putant sufficere sextum dolorem (scilicet, *si quis doleat de peccato, sine proposito se emendandi, etiam virtuali*) ex dictis: alii alia sentiunt, & obscurè loquuntur, & pro diversis sententiis citantur, quas non tenent.]

34 Moveor quartò. Nam (ut loquitur Illustriss. Tapia *in cat. Moral. lib.* 1. *quæst.* 8. *art.* 11. *num.* 9) *Si opinio est jam communiter deserta, non assignatur pro illa authoritas, sed testimonium sui authoris ad fundandam probabilitatem*. Atqui opposita opinio communiter deseritur à Doctoribus ex iis, qui scripserunt post Tridentinum. Et non pauci eam reiiciunt, tamquam probabilitate carentem.

35 Fagundez *lib.* 2. *in* 2. *Eccles. præcep. cap.* 7. *num.* 6. ait: [*Et ideò hodie noviores Theologi* cum Suario non admittunt Sacramentum confessionis validum, & informe ex defectu intensivo doloris.] Et ibidem *cap.* 5. *num.* 6. ait, eam opinionem de attritione existimata non esse probabilem. Et paulò inferius ait, se non posse eam approbare. *Et cap.* 7. ait: [Sed hæc doctrina Soti jam satis manet improbata supra *cap.* 5. *num.* 6.] Qui omnes dicendi modi satis declarant, eam opinionem non censeri probabilem à P. Fagundez.

36 P. Castro Palao etiam videtur censere improbabilem hanc sententiam de dolore existimato efficaci. *Nam tom.* 4. *tract.* 23 *disput. unic. punct.* 7. *num.* 4 ait: [Hinc convincitur sententia Soti, & aliorum affirmantium, contritionem, seu dolorem præsumptum sufficientem esse ad Sacramenti valorem, quamvis non ad effectum.] *Et num.* 5. id verbum *convincitur* repetit circa Sacramentum pœnitentiæ validum informe, ex defectu contritionis: constat autem, id verbum *convincitur* significare evidentiam saltem moralem.

37 Cardinalis Lugo *disp.* 14. *de pœnit. sect.* 6. *num.* 71. dicit, eam opinionem *reiici efficaciter ex doctrina Concilii Tridentini, & Florentini*. Quæ verba satis denotant, eam opinionem non esse admittendam tamquam probabilem.

38 P. Arriaga *tom.* 8. *tract. de pœnit. disput.* 8. *sect.* 1. *num.* 1. loquens de illis, qui docent, ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non requiri dolorem efficacem; ait: *Verùm hi altiùs nimis clarè opponuntur verbis Tridentini jam citatis*. Censet ergo eam opinionem non esse probabilem, ut pote quæ nimis clarè opponitur definitioni Tridentini: quia non potest esse probabilis opinio, quæ satis clarè opponitur Tridentino. *Et tom.* 7. *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 2. & 3. loquens expressè de ea opinione opposita, asserit, eam reiici debere.

ARTICULUS II.

Occurritur objectionibus.

SUMMARIUM.

Subtilitas, quam quidam inveniunt in verbis Concilii. nu. 39.
Quàm sit imperceptibilis ea subtilitas? nu. 40.
An sit paritas in omnibus à satisfactione ad contritionem? num. 41. & sequent.
An in satisfactione distinguenda fiat acceptatio, & executio? no. 44.
An acceptatio satisfactionis sit pars constituens Sacramentum? nu. 45.

39 Objicies primò ex Mag. Joanne à S. Thoma 3. *part. quæst.* 84. *artic.* 1. (quod etiam P. Granado supra relatus, licèt brevioribus terminis, conatur suadere) illis verbis: [Oportet bene notare, quanta subtilitate, & discretione locutum sit Concilium de dolore, quatenus est pars Sacramenti, & ut planè attritione, quatenus est dispositio ad impetrandum effectum Sacramenti, qui est remissio peccatorum. Nam cùm loquitur de attritione, seu dolore, ut est pars, & materia Sacramenti, solùm dicit *sess.* 14. *cap.* 3. *Quod isti actus pœnitentis hac ratione dicuntur partes Sacramenti, quatenus ex institutione Christi requiruntur ad integritatem Sacramenti, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem* Ubi ly *quatenus*, & ly *hac ratione*, significant, Concilium loqui de partibus Sacramenti in sensu formali, id est, sub ea ratione, qua sunt partes. Ad hoc autem ut sint partes, seu materia Sacramenti, non explicat Concilium aliquas particulares conditiones attritionis, seu doloris, sed solum quatenus ex institutione Christi requiruntur ad plenam, & perfectam remissionem peccatorum; id est, ad illam, quæ datur in hoc Sacramento per claves Ecclesiæ; hæc enim est plena & perfecta remissio. Ad hanc autem requiritur dolor ex institutione Christi, & quatenus est sub illa institutione, est pars. Institutio autem Christi hoc addidit supra dolorem consideratum ex sua natura, & motivo, quòd ordinetur, & subiiciatur clavibus Ecclesiæ: ergo sub isto respectu & ordine habet ille dolor esse pars, & materia Sacramenti. At verò quando Concilium loquitur *in cap.* 4. de attritione, quatenus est dispositio ad effectum Sacramenti, sic ait. *Illam verò contritionem imperfectam*, &c. Ubi Concilium, quia loquitur de attritione, ut dispositio est, & non solùm ut pars Sacramenti, expressit illas duas conditiones:

nempe *quòd excludat voluntatem peccandi cum spe veniæ*, quas non expressit, quando loquutum est de attritione, ut est pars Sacramenti.] Hucusque Joannes à S. Thoma.

40 Sed ea subtilitas tanta est, ut mentem meam prætervolet; ideò doctioribus remisi plenam Crisim hujus opinionis. Et quidem subtilitas hujus magni Doctoris videtur consistere in eo, quòd eam dictionem ex institutione Christi referat dumtaxat ad subjectionem ad claves. Ego vero non percipio hanc subtilitatem, quia in ea dictione non solùm reperio, quòd referatur ad subjectionem ad claves, sed etiam *ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem*, quo pacto includit actus pœnitentis eo modo, quo requiritur ad effectum gratiæ percipiendum. Unde iterùm instauratur argumentum supra factum. [Ea ratione sunt partes, qua ex institutione Christi requiruntur ad perfectam remissionem: sed ex institutione Christi dolor efficax requiritur ad perfectam remissionem: ergo quatenus est dolor efficax est pars Sacramenti.] Et hinc constat, falsum esse, & negandum, quòd sub illa subtilitate meditatus est author argumenti.

41 Obiices secundo: ex Cano (apud P. Vasquez 3. *part. quæst.* 92. *art.* 2. *num* 4.) satisfactio est pars Sacramenti: & tamen non est necesse, quòd præcedat absolutionem; sed posita post absolutionem, integrat Sacramentum: ergo similiter contritio poterit esse pars Sacramenti, quamvis non ponatur ante absolutionem, sed hac transacta. Ergo quamvis pœnitens non habeat dolorem efficacem ante absolutionem; si post eam illum habeat, poterit pœnitens consequi effectum Sacramenti. Unde antequam illum dolorem habeat, Sacramentum erit validum, & informe.

42 Sed si valet paritas inter contritionem & satisfactionem; sicut ante satisfactionem impletam consequitur pœnitens effectum gratiæ: ita ante dolorem re ipsa habitum posset consequi pœnitens effectum Sacramenti; quod est absurdum, nec admissum à Cano.

43 Deinde optimè arguit P. Vasquez ibid. *num.* 16. eam esse manifestam contradictionem: nam ex ea sententia infertur apertè, quòd esset validum Sacramentum absque ullo prorsus dolore, sicut est validum, antequam ponatur satisfactio; cùm tamen Canus asserat, non esse validum Sacramentum pœnitentiæ; si non detur aliquis dolor, saltem inefficax.

44 Respondeo ergo in satisfactione, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, duo esse consideranda. Primum est acceptatio castigationis impositæ à confessario. Secundum est executio illius castigationis. Igitur dicendum est, acceptationem illius castigationis saltem virtualem, esse partem essentialem Sacramenti; quamvis ejus executio sit solùm pars integralis. Quod inde constat, quòd ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiritur, quòd pœnitens subiiciat sua peccata utrique clavi Sacerdotis, sive utrique potestati tam ligandi, quàm solvendi. Quod satis apertè declarat Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. *de Sacram. Pœnit.* illis verbis. *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponant, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad absolvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.*

45 Cùm ergo constet, pœnitentem subiicere debere sua peccata potestati ligandi; & alibi declaret Concilium, satisfactionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ; infertur, satisfactionem, quæ includit acceptationem pœnitentis, esse partem, ex qua componitur ipsum Sacramentum. Aliunde autem ex communi sensu Ecclesiæ habetur, executionem satisfactionis non esse partem essentialem, sive ex qua componitur Sacramentum in esse validi.

46 Id autem non reperitur in contritione, in qua non est ea duplex diversi temporis actio: sed est una indivisibilis; atque adeò nihil est in contritione, quod ad tempus futurum reservari possit.

CAPUT III.

An sit probabilis opinio docens, esse Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam mortaliter culpabilem?

ARTICULUS I.

Opinio affirmans; & Doctores eam improbantes.

SUMMARIUM.

Opinio asserens, confessionem esse validam & informem cum defectu doloris, aut propositi ex ignorantia mortaliter culpabili. numer. 48.
Duplex modus intelligendi eam opinionem. nu. 49.
An ea opinio sit dubiæ probabilitatis? n. 50.
Authores graves, apud quos non bene audit ea opinio. n. 50. & seq.

47 Casus, de quo loquitur quæstio præsens, contingere potest, cùm quis accedit ad confessionem peccatorum mortalium cum sola displicentia, sive dolore inefficaci, in quo neque formaliter, neque virtualiter reperitur propositum efficax non peccandi de cætero; idque ex negligentia, & ignorantia mortaliter culpabili: cùm scilicet tenetur præstare diligentiam, ut cognoscat obligationem suam, & non præstat.

48 In hoc casu docent aliqui, Sacramentũ pœnitentiæ esse validum & informe; neque obstare valori Sacramenti illud peccatum mortale actuale ignorantiæ vincibilis, quod committitur in ipsa confessione. Ita Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 8 *artic.* 1. *dub.* 3. Canus 5. *part. Relect. de pœnit.* §. *Dupliciter. & seq.* Covarrub *in cap. Alma mater.* 2. *part. Relect.* §. 4. *num.* 13. Cajetanus *tom.* 1. *opusc. tract.* 5. *quæst.* 5. quos refert P. Vasquez 3. *part. quæst.* 92. *artic.* 2 *dub.* 11. *num.* 2. & 9.

49 Ex quibus aliqui dicunt, id Sacramentum esse validum, quando pœnitens ex ignorantia mortaliter vincibili non advertit illum confessionis defectum. Alii vero dicunt, quòd etiam si advertat defectum suum, & ignorantiam suam, dummodo illam confiteatur, Sacramentum fore validum. Et ita si quis ignoranter dubitaret, an sufficiat is dolor inefficax, & quia non vult præstare diligentiam ad vitandam eam ignorantiam; si hanc confitetur, erit validum Sacramentum.

50 Assero, hanc opinionem (ut minimum) esse dubiæ probabilitatis: quia licèt Authores graves eam doceant, sunt multa, quæ clarissime suadent, eam esse certò falsam. Et quidem P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 5. *num.* 4. loquens de hac opinione, ait: *Hic verò dicendi modus tam est improbabilis, quàm fundamentum ejus: neque est utilis ad pacem conscientiarum, sed potius valde noxius & ad corruptionem earum.* Et *sect.* 4. *num* 4. dixerat *continere intolerabilem errorem.* Quod maxime notandum est in Authore, qui parcissimus, & cautissimus est in censuris ferendis. Utinam censuras tulisset de probabilitate, & improbabilitate opinionum. Nam cùm hodie recentiores aliqui opiniones improbabiles velint evehere ad sacrum culmen probabilitatis, non sine periculo animarum; nihil magis accuratè discutiendum est, quàm probabilitas, & improbabilitas opinionum.

51 P. Vasquez 3. *part. qu.* 92. *art.* 2. *dub.* 11. *num* 26 ait: *Ex dictis etiam constat, quam falsi sint omnes illi dicendi modi, quos retuli supra.* Ubi apertè loquitur de eo modo dicendi, in quo statuitur Sacramentum validum cum dolore inefficaci ex ignorantia mortaliter culpabili. Et id verbum *Constat*, denotat certitudinem moralem. Judicat ergo certò falsum eum dicendi modum.

52 P. Castro Palao censet etiam, hanc sententiam esse improbabilem, dum *tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 7. *num.* 5. in his & aliis modis dicendi utitur eo verbo *Convincitur*; quòd significat, esse moraliter certam falsitatem talis opinionis. Nam quòd convincatur de falsitate, & quòd sit certò falsa, pro eodem habetur.

53 P. Granado *tom.* 2. *in* 3 *part. controv.* 7. *tract.* 3. *disput.* 3. cum admittat Sacramentum validum informe ex defectu doloris requisiti; *sect.* 1. *num.* 2. ait: [Si in ipsa susceptione Sacramenti pœnitentiæ *novum peccatum lethale* committat, *non video*, quo pacto ipsum Sacramentum possit esse validum.] Quibus verbis significat, se non invenire in eo puncto sufficientem probabilitatem. *Et sect.* 3. *num.* 24. loquens in speciali de hoc casu, in quo inveniatur ignorantia mortaliter culpabilis; ait: esse *impossibile*, quòd eo modo possit esse confessio valida informis.

54 Card. Lugo *disput.* 24. *de pœnit. sect.* 6. *num.* 70. loquitur etiam de hoc casu, in quo Sacramentum dicatur validum cum dolore inefficaci ex ignorantia mortaliter culpabili; dum dicit: [Hi omnes modi explicandi reiiciuntur efficaciter ex doctrina Concilii Tridentini, & Florentini.] Qui modus loquendi, ut supra notavimus, non convenit in opinionem, quæ verè est probabilis.

55 Favet etiam Fagundez *lib.* 2. *in* 2. *Eccles. præcept. cap.* 5. *num.* 6. qui ait, non esse probabilem opinionem, quæ docet ad valorem Sacramenti sufficere attritionem existimatam, etiam ex ignorantia invincibili: quod à fortiori intelligit de existimata ex ignorantia mortaliter vincibili. Vide, quæ circà hoc assertum P. Fagundez notavi *cap. præced. artic.* 1.

56 P. Arriaga *tom.* 7 *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 3. loquens de opinione, quæ doceat pœnitentem, qui actualiter committat peccatum mortale in confessione defectu doloris efficacis, recipere Sacramentum validum; subdit: *Hoc autem planè est intolerabile.* De opinione autem, quæ verè est practicè probabilis, non dicitur esse intolerabilis.

57 Mag. Joannes à S. Thom. 3. *part. quæst.* 84. *art.* 6. §. *Inter hæc.* ait: [Ideòque resolutè colligo, Sacramentum informe solùm contingere, quando quis accedit cum ignorantia invincibili, aut vincibili veniali, non mortali.] Id autem verbum *resolutè colligo*, videtur denotare certitudinem moralem.

ARTICULUS II.

Quantum sit fundamentum ad evertendam probabilitatem ejus opinionis?

SUMMARIUM.

An opinio adversa repugnet Tridentino. nu. 58.
An confessio facta cum ea ignorantia mortaliter culpabili non contineat cessationem à peccatis? n. 59.
Responsio refutata. nu. 60. & seq.
An cùm quis se accusat de peccato mortali actuali, ea non sit accusatio, sed jactantia? nu. 63. & seq.

An

An qui non se accusat de illa ignorantia culpabili, deficiat ab integritate confessionis? n. 66.
An ad peccatum mortale requiratur advertentia rationis, saltem dubitando? Et quid inde pro conclusione? n. 68. & seq.
An ignorantia sit culpabilis, cùm non est voluntaria; aut non sit voluntaria, cùm deest advertentia? n. 70.
An sit in potestate voluntatis habere advertentiam rationis? num. 71. & seq.
Quando datur ignorantia, quæ sit virtualiter voluntaria? num. 73. & seq.
Quo sensu verum sit, ignorantiam esse voluntariam, quando homo tenetur id scire? n. 75.
Quomodo hæc doctrina non excuset malitiam gravium delictorum? n. 76. & seq.

58 QUantum repugnet ea opinio principiis certis, & moraliter evidentibus, constat primò. Nam ea opinio repugnat definitioni Concilii Tridentini *sess. 6. cap. 14. de justificat.* illis verbis: *Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali; eaque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem,* &c.

59 Juxta quam definitionem, pœnitentia Christiani hominis continet cessationem à peccatis: sed confessio facta cum ea ignorantia mortaliter culpabili non continet cessationem à peccatis: ergo confessio facta cum ea ignorantia mortaliter culpabili non est pœnitentia hominis Christiani. Consequentia est evidens, quia syllogismus est in secundo modo secundæ figuræ syllogisticæ. Major est definita in Tridentino Minori nihil evidentius. Nam habere actualiter ignorantiam mortaliter culpabilem est committere actualiter peccatum mortale: at peccatum mortale actuale, & cessatio à peccatis, incompossibilia sunt, & contradictoriè repugnantia.

60 Dicet aliquis, ibi non agere Concilium de Sacramento pœnitentiæ, sed de virtute pœnitentiæ, sive de pœnitentia quatenus est virtus: nam ubi dixit, *Eaque contineri, non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum;* subjungit: *Verùm etiam eorundem Sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam.* Cùm ergo Sacramentalis pœnitentia non contineat confessionem in voto, sed in re, videtur manifestum, quòd non loquitur ibi Concilium de Sacramento, sed de virtute pœnitentiæ.

61 Sed hæc responsio non satisfacit. Nam Sacramentum pœnitentiæ includit virtutem pœnitentiæ, & ex hac constituitur; itaut non sit Sacramentum pœnitentiæ, quod non constituitur ex virtute pœnitentiæ: sed virtus pœnitentiæ continet cessationem à peccatis: ergo Sacramentum pœnitentiæ continet cessationem à peccatis.

62 Constat secundò. Nam qui committit in ipsa confessione illud novum peccatum mortale ignorantiæ vincibilis; vel se accusat de illo, vel non se accusat? Si primum; infertur, quòd illa non est accusatio, sed jactantia, & irrisio. Patet: nam cùm quis manifestat peccatum suum cum complacentia illius, est manifesta jactantia: ergo à fortiori erit jactantia, cùm illud refert, non solùm complacendo de illo complacentia simplici, sed etiam exercendo illud voluntate efficaci.

63 Deinde nam, ut loquitur P. Suarez *tom. 4. in 3 part. disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 4. illa sententia, quæ absolvit hominem actualiter peccantem, *continet intolerabilem errorem*: ergo illa est accusatio imprudens, & frustranea.

64 Prætereà si pœnitens, dum actualiter confitetur, subripit pecuniam à confessario, & se accusat de illo furto, quod actualiter committit, est accusatio irrisoria, & imprudens; & si ita vult absolvi ab illo peccato, vult accipere absolutionem, quæ *continet intolerabilem errorem:* sed non minus peccat mortaliter, dum committit actualiter in ipsa confessione illud peccatum mortale ignorantiæ vincibilis: ergo eodem modo ea accusatio est irrisoria, & contendens extorquere sententiam absolutionis, quæ continet intolerabilem errorem.

65 Si verò non se accusat de illo peccato mortali ignorantiæ vincibilis; infero: ergo deficit advertenter ab integritate confessionis; tacens peccatum mortale, quod advertenter committit. Quod argumentum magis declaratur argumentatione sequenti.

66 Constat tertiò. Nam vel pœnitens advertit malitiam illius ignorantiæ, vel non advertit? Si advertit, & tacet illud in confessione; deficit advertenter integritas confessionis. Si advertit, & confitetur illud; ea non est accusatio, sed jactantia & irrisio; cùm dicat peccatum suum non solùm cum complacentia, immò vero cum voluntate efficaci. Et præterea absolutio cadens supra illud peccatum actuale advertenter commissum, est sententia continens intolerabilem errorem, ut dicebat P. Suarez supra relatus.

67 Si verò non advertit malitiam illius ignorantiæ, utique non peccat mortaliter: nam ad peccatum mortale requiritur advertentia rationis saltem dubitando de illa, aut formidando, sive in generali, sive in speciali. Quæ positio, ut existimo, nititur ratione demonstrativa, quam tradidit P. Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. 8. num.* 18 his verbis: *Ratio autem naturalis est, quia non potest homo sese applicare ad aliquid considerandum, vel addiscendum, nisi præcedat cogitatio aliqua, qua possit voluntas moveri: quia homo non se applicat nisi per voluntatem; & voluntas non potest se movere nisi prævia cogitatione. Propter quòd ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio, quæ propterea non poterit esse voluntaria, sed naturalis, seu ab extrinseco proveniens: ergo quando nulla talis cogitatio in mentem subit, qua possit voluntas excitari ad appetendam, vel quærendam scientiam, vel considerationem, non est in potestate hominis se ad illam movere; & consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est involuntaria, ac propterea inculpabilis, & invincibilis.* Hæc P. Suarez. Quo eodem modo discurrit P. Vasquez *t. 2. disp.* 107 *cap.* 3. & P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *sum. cap* 16. *num.* 21. vide inferius *disp.* 75.

68 Hinc construitur argumentum. Ponamus ergo hominem, qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum dolore inefficaci, ob ignorantiam, qua afficitur; nescit enim, debere se muniri dolore efficaci, & qui nihil cogitet, neque dubitando, neque formidando, de obligatione habendi dolorem efficacem, neque de malitia ejus defectus.

69 Tum sic. Illam ignorantiam non posse esse mortaliter culpabilem, aut vincibilem, sic ostendo. Ut sit mortaliter culpabilis, sive vincibilis, debet esse voluntaria: atqui in his circunstantiis nequit esse voluntaria: ergo neque moraliter culpabilis. Major, & consequentia sunt evidentes.

70 Minor probatur. Tunc ignorantia est voluntaria, quando voluntas potest adhibere conatum ad habendam scientiam, vel considerationem: sed in his circunstantiis non potest: ergo in his circunstantiis ignorantia nequit esse voluntaria. Probatur minor; nam cætera patent. Nam voluntas deserendi eam ignorantiam, non potest dari sine prævia cognitione, sicut neque quævis alia voluntas: sed hæc prævia cognitio non datur, ut supponimus in ipsa hipothesi: ergo voluntas non potest præstare conatum ad deserendam ignorantiam.

71 Rursus non est in potestate voluntatis, quòd detur ea cognitio prævia, quæ prærequiritur, ut voluntas velit deserere eam ignorantiam; quia si esset in potestate voluntatis, habere eam præviam cogitationem; posset, & deberet voluntas id præstare per aliquem actum suum; & cùm actus voluntatis existere non possit sine cognitione prævia; ad illum actum voluntatis, qui vellet eam præviam cognitionem, requireretur alia prævia cognitio: ergo vel procedendum est in infinitum, vel sistendum est in una cognitione prævia, quæ non sit voluntaria: ergo quoties hæc cognitio prævia non datur, impotens est voluntas ad volendum deserere eam ignorantiam.

72 Confirmatur, & explicatur. Ubi non datur prævia cogitatio, saltem dubitando, aut formidando, non potest voluntas operari; quia *nihil volitum, quia præcognitum*, ut clamant Philosophi: sed ut supponitur, in his circunstantiis non datur ea cogitatio circà eam scientiam quærendam: ergo voluntas tunc non potest operari circà eam scientiam quærendam.

73 Dices, ignorantiam esse interpretativè, & virtualiter voluntariam, quando homo debet scire id, quod ignorat: atque adeò cùm homo debeat scire, quòd requiritur dolor efficax ad Sacramentum pœnitentiæ, & illud ignoret; ea ignorantia erit interpretativè voluntaria; unde illi ea ignorantia imputabitur ad culpã.

74 Hæc tamen responsio manifestè convincitur. Quia etiam virtualis, & interpretativa voluntas objecti A. non datur sine aliqua prævia cognitione ejus objecti A. Tunc enim datur voluntas virtualiter, & interpretativè, quando homo videns causam necessariò connexam cum effectu, vult efficaciter causam. Sic ille qui videt, ex tactu impudico resulturam pollutionem, dum vult actum impudicum, virtualiter vult pollutionem, cujus malitia propterea illi imputatur. In quo casu jam habet cognitionem præviam illius pollutionis ut illatæ ex positione causæ. Cùm ergo in nostro casu nulla penitus adveniat cogitatio de malitia illius ignorantiæ, aut de obligatione deserendi eam ignorantiam; non potest ignorantia esse voluntaria.

75 Quod autem dicitur, ignorantiam esse voluntariam, quando homo tenetur scire id, quod ignorat; in bono sensu, & formali, verum est: quia in his circunstantiis, in quibus nulla præcedit cogitatio de malitia ejus ignorantiæ, non tenetur hic, & nunc illud scire; quia tunc non potest: neque enim potest dari obligatio ad id, quod hic, & nunc est impossibile. Itaque homo per se tenetur ad scire; per accidens autem, defectu ejus advertentiæ, seu præviæ cognitionis, non tenetur.

76 Dices, hæc doctrina, quæ postulat advertentiam rationis, ad hoc ut committatur peccatum lethale, videtur januam aperire ad excusanda multa crimina furti, adulterii, homicidii, sacrilegii, &c. Hoc autem est magnum absurdum: ergo ea non est sustinenda.

77 Respondeo, in his & similibus delictis, quorum malitia clarè cognoscitur ab hominibus, id dictante ipso lumine naturali; numquam deficere, aut ferè numquam, advertentiam rationis, ut assiduo experimento comprobatur. Nam Deus Optimus Maximus, qui assiduè confert hominibus auxilia ad vitanda peccata, assiduè confert illustrationes menti cujuslibet hominis, quamtumvis barbari, ratione quarum quilibet homo, nisi velit oculos mentis avertere, cognoscit, & advertit malitiam eorum

delictorum; & cùm peccant, id præstant non sine actuali remorsu conscientiæ. Cum quo stat, quòd si quando sine advertentia rationis exercent aliquam actionem materialem peccati; ea inadvertentia censenda sit invincibilis, & inculpabilis.

DISPUTATIO LXXI.

An attritio sufficiens ad valorem, & effectum Sacramenti possit esse naturalis, & ex motivo humano, & naturali?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua, & referuntur sententiæ.

SUMMARIUM.

Duplex quæstio sub hoc titulo. n. 1.
An dolor de peccatis ex timore pœnæ temporalis à Deo inflictæ sit attritio supernaturalis? n. 2.
Quæstio procedit de motivo purè humano. n. 3.
Prima opinio, sufficere ad effectum Sacramenti attritionem ex motivo humano. n. 4.
Secunda sententia illi opposita. n. 5.

1 Duplex quæstio sub hoc titulo continetur. Prima, an ad valorem Sacramenti sufficiat dolor naturalis, & ex motivo humano? Secunda, an præfatus dolor sufficiat ad effectum Sacramenti consequendum? Et dicam prius de secunda, & mox inferam, quid circà primam tenendum est.

2 Præmitto, dolorem peccatorum, qui elicitur ex timore malorum temporalium, quatenus à Deo infliguntur in pœnam peccati, non elici ex motivo humano: id enim motivum est supernaturale. Et ideo attritio habita ex eo motivo sufficiens est ad valorem, & effectum Sacramenti pœnitentiæ. De quo videndi sunt P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 5. sect. 2.* & P. Cuninck *3. part. qu. 1. dub. 5. num. 8.*

3 Procedit ergo quæstio de attritione elicita, ex motivo merè humano. V. g. ex timore infamiæ apud homines, & non ut respicit Deum tamquam ultorem peccati.

4 Prima opinio docet, ad effectum Sacramenti pœnitentiæ consequendum, sufficere attritionem elicitam ex timore infamiæ apud homines, aut jacturæ bonorum. Pro qua P. Matthæus de Moja *tom. 1. selectarum tract. 3. disput. 5 quæst. 4. à num. 6.* refert (accurate & diligenter examinatis eorum verbis) Sotum *in 4. dist. 14. quæst. 2. artic. 5. & dist. 18. quæst. 3. art. 3.* Canum *in relect. de pœnit. 3. part. & 5. part.* Pitigianum *in 4. tom. 1. dist. 4. quæst. 4. art. 3. conclus. 3.* Notatque P. Moja discrimen inter Sotum, & Canum, quòd Sotus illam attritionem ex motivo humano elicitam dicit esse sufficientem dispositionem, si invincibiliter existimetur contritio; Canus verò admittit sufficere eam attritionem ex motivo pure humano cognitam ut talem.

5 Secunda sententia docet, ejusmodi attritionem elicitam ex motivo pure humano, & consequenter solis naturæ viribus habitam, non esse sufficientem ad effectum Sacramenti consequendum. Ita apud citatum P. Moja, Illustr. Tapia in catena morali *lib. 5. qu. 2. art. 2.* Conradus, Thomas Hurtado, & alii; & propugnatur ut certa à reliquis Theologis.

CAPUT II.

Falsam esse primam opinionem, tamquam certum defenditur.

SUMMARIUM.

An constet ex Tridentino, dolorem ex motivo humano non sufficere ad effectum Sacramenti? n. 6
An attritio requisita ad effectum Sacramenti sit donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, & quid inde pro conclusione? n. 7.
Quid censeant Theologi de opinione opposita? n. 8. & seq.
An attritio possit esse entitativè naturalis, & supernaturalis quo ad modum? n. 10
An actus entitativè naturalis possit attingere objectum supernaturale? num. 11.
Quomodo determinetur voluntas ad eliciendum potius actum supernaturalem, quam naturalem? n. 12.

6 Dicendum est, & firmiter tenendum, esse certò falsam eam opinionem, quæ docet, sufficere ad effectum Sacramenti consequendum, illum dolorem peccatorum elicitum ex motivo merè humano, & viribus naturæ habitum. Quæ conclusio indubitabilis esse debet propter definitionem Concilii Trident. *sess. 14. cap. 4. de Sacr. pœnit.* illis verbis. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Et brevioribus terminis dixerat sessione 6. de justificatione canon. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

7 Ex quibus verbis hæc instruitur demonstratio. Attritio, quæ sufficit, & disponit ad consequendum effectum Sacramenti pœnitentiæ, est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti: sed attritio elicita ex motivo mere humano, & viribus naturæ habita, non est donum Dei, neque impulsus Spiritus Sancti: ergo attritio elicita ex motivo mere humano, & viribus naturæ habita non sufficit, nec disponit ad effectum Sacramenti pœnitentiæ consequendum. Consequentia est inevitabilis, quia syllogismus est dispositus ad normam secundæ figuræ, & quarti modi artis syllogisticæ, quem vocant *Baroco*. Major est expressa definitio Concilii Tridentini. Minor autem est ex terminis evidens; nam motus, qui est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti, est quid supernaturale; motus autem elicitus viribus naturæ, & ex motivo mere humano, non est quid supernaturale.

8 Ideò P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 20. sect. 2. num. 8.* censet, eam Soti opinionem esse certò falsam: ait enim, suam sententiam esse certam, qua affirmat, *attritionem illam, quæ est sufficiens dispositio in hoc Sacramento ad gratiam consequendam, debere esse supernaturalem*. Implicat autem, sententiam esse certam, & oppositam non esse certò falsam. Idem aderit *sect. 5.*

9 P. Moja citatus refert varias Theologorum censuras reprobantes eam opinionem. Nam Petrus de Ledesma *tom. 1. summ. cap. 7. de pœnit. conclus. 4.* ait, esse temerariam. Et Serra de Sacramentis *quæst. 6.* ait, quod patet ex Concilio Tridentino, non sufficere attritionem naturalem ad effectum Sacramenti recipiendum. Refert etiam alias aliorum Theologorum graviores censuras, Petri de Tapia, Conradi, Thomæ Hurtado, & P. Ripalda. Et P. Molina in *concord. disp. 14.* fine, oppositam opinionem dicit parum tutam. Denique decreto novissimo sacræ Congregationis universalis Inquisitionis, quod jussu Ss. D. Innocentii XI. promulgatum est, damnatæ, & prohibitæ sunt tamquam scandalosæ sexaginta quinque opiniones morales; quarum quinquagesima septima hæc est. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Vide hoc decretum intrà *disp. 79.*

10 Notandum est etiam, quod ibidem notavit P. Moja, diverso modo censendum esse de opinione, quæ ponit actus entitativè naturales, sed supernaturales quo ad modum, & elicitos ex gratia Christi, ita ut hujusmodi actus, qui quidem respiciunt motivum supernaturale, possint disponere ad justificationem: neque enim negari potest, hanc opinionem esse probabilem.

11 Enim verò quæstio celebris est inter Theologos, an actus entitativè naturalis possit attingere objectum supernaturale? Et communis sententia docet, id fieri posse. Et in hoc sensu admittunt aliqui authores, quòd actus entitativè naturalis respiciens motivum supernaturale possit esse dispositio ad justificationem; reperientes in illo actu quemdam modum supernaturalem.

12 Et quamvis ego censeam, posse actum naturalem attingere objectum, & motivum supernaturale, non admitto, quòd possit de facto ille actus deservire ad justificationem. Nam cùm intellectus cognoscit illud objectum supernaturale, tunc voluntas potens attingere illud actu naturali, & supernaturali; si habeat immissum à Deo concursum ad utrumque actum, poterit elicere utrumque. Sed tamen cùm voluntas numquam eliciat duos actus circà idem omnino objectum, censeo, philosophandum esse in hac materia eodem modo, ac philosophamur circà duos actus numero distinctos circà idem objectum. Ratio autem, quare voluntas non eliciat duos, aut plures actus numero distinctos, est, quia Deus offert concursum ad istum determinatum actum, & suspendit concursum ad reliquos; neque enim aliunde voluntas, sicut quælibet alia causa, potest determinari quo ad individuum. Similiter circà idem objectum supernaturale non habet voluntas duos actus: & solùm elicit actum supernaturalem, quando præcedit cognitio objecti supernaturalis immissa à Deo ex gratia Christi. Et hujus ratio est; quia cùm non possit elicere duos actus circà idem objectum, determinat Deus, offerendo concursum ad actum supernaturalem, & negando concursum ad actum naturalem.

CAPUT III.

An sit probabile, attritionem ex motivo merè humano sufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

Opinio affirmativa, num. 13.

An

An ea opinio sit dubiæ probabilitatis; & repugnet Tridentino? num. 14.
An attritio, quatenus est pars Sacramenti, sit donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti? nu. 16.
An fundamentum opinionis oppositæ sit nullius momenti? n. 17.
An authores adversæ partis non respondeant ad textus Concilii? num. 18.
Aliqui Theologi loquentes de ea opinione tamquam de non probabili? nu. 19. & seq.

13 OPinio est aliquorum, quos refert P. Moja citatus *num.* 16. attritionem naturalem, & ex naturali motivo elicitam, quamvis non sufficiat ad effectum justificationis consequendum, sufficere tamen ad valorem Sacramenti; ita ut, si talis attritio bona fide habeatur, Sacramentum pœnitentiæ sit validum, licèt informe. Sic opinantur Ludovicus Lupez, Thomas Hurtado, Cajetanus, Sylvester, Capreolus, Paludanus, & alii apud Authorem citatum.

14 Censeo, eam opinionem esse falsam: & quamvis multi Authores eam tueantur, egotamen nimquam audebo consulere eam ad praxim. Ideòque hæc opinio mihi est dubiæ probabilitatis. Mihi enim videtur repugnare verbis Tridentini capite præcedenti relatis. Loquens enim de attritione, quæ est pars Sacramenti, ait, *esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum*. Attritio autem habita viribus naturæ, & ex motivo merè naturali, non est donum Dei, nec Spiritus Sancti impulsus, ut ex terminis notum est.

15 Nec satisfaciet, qui dixerit, Concilium loqui de attritione, quatenus disponente cum Sacramento ad effectum justificationis; non verò quatenus præcisè est pars Sacramenti.

16 Enimverò verba Concilii supra relata *ex cap.* 3. *de Sacram. pænit.* multum urgent: in quibus docet, eos actus pœnitentis, *quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur*, *hac ratione pænitentiæ partes dici*. Ex quibus verbis patet, attritionem, quatenus requiritur ad justificationem, esse partem Sacramenti pœnitentiæ: sed quatenus requiritur ad justificationem, est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti: ergo quatenus est pars Sacramenti, est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti. Non est ergo validum Sacramentum pœnitentiæ, dum attritio non fuerit donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti.

17 Probatur secundò, eam opinionem censeri debere dubiæ probabilitatis. Nam fundamentum adversariorum omnino deficit. Ideò enim asserunt, Sacramentum pœnitentiæ cum attritione habita ex motivo humano, reputata supernaturali esse validum, quamvis informe; ne fideles ob incertitudinem valoris Sacramenti cogerentur iterare confessiones: sed licèt Sacramentum pœnitentiæ sit coram Deo invalidum, dum tamen reputatur probabiliter validum, fideles non tenentur iterare confessiones: ergo non est necesse, quòd dicatur Sacramentum esse validum. Major est adversariorum, & consequentia legitimè infertur. Et minor etiam constat: quia quamvis existimatio probabilis nihil conducat ad valorem Sacramenti, conducit plurimùm ut cesset obligatio iterandi confessionem: quia qui probabiliter judicat, se satisfecisse obligationi Sacramenti, non tenetur ad ampliorem diligentiam.

18 Probatur tertiò. Nam adversarii non respondent ad eos textus Concilii, qui tantam difficultatem ingerunt in hac materia. Dum ergo ad eos non respondetint, non possunt dare probabilitatem conclusioni nisi post diligentem discussionem quæstionis. Ut constat ex *disp.* 57. neque est diligens discussio quæstionis, ubi non discutitur præcipuum ejus fundamentum.

19 Denique probatur assertio. Multi enim authores ex doctissimis loquuntur de ea opinione tamquam de non probabili. P. Vasquez 3. *part. quæst.* 92 *art.* 2. *num.* 9. cum retulisset varios dicendi modos, in quibus continetur opinio, quam modo impugnamus, sic ait: *Hunc modum dicendi non video peculiari ratione probari ab iis Doctoribus, sed unusquisque videtur arbitrio suo in hac re judicium ferre*. Quæ verba denotant, ei opinioni deficere fundamentum probabilitatis. Accedit etiam id, quod diait *ibidem num.* 26. (ut retuli *disp. præcedenti cap.* 3. *art.* 1.) videlicet constare, quàm falsi sint omnes illi dicendi modi; in quibus continetur etiam opinio, de qua agimus.

20 P. Castro Palao eam opinionem censet certò falsam. Nam *tom.* 4. *tract.* 23. *disput. unic. punct.* 7. *num.* 5. ubi loquens expressè de hac opinione, utitur hoc termino *convincitur*. In quo clarè denotat, eam convinci de falsitate, sive esse certò falsam, ut supra notavi.

21 P. Fagundez *l.* 2. *in* 2. *Eccles. præceptum cap.* 5. *num.* 6. loquitur expressè de hac opinione, quæ ponit attritionem naturalem sufficientem ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & affirmat non esse probabilem. Denique ea opinio comprehenditur sub damnatione, & prohibitione Ss. D. Innocentii XI. in decreto novissimo sacræ Congregationis; ut constat *ex cap. præcedent.* juxta quam damnationem non solùm hæc opinio dicenda est dubiæ probabilitatis; sed etiam improbabilitatis certæ.

DISPUTATIO LXXII.

An sit probabilis opinio, quæ admittit confessionem validam informem ex defectu integritatis, cum ignorantia mortaliter vincibili?

CAPUT I.

Resolutio quæstionis.

SUMMARIUM.

Opinio aliquorum. nu. 1. & 3.
Aliqui male citati. nu. 2.
Leve fundamentum ejus opinionis. n. 4.
Statuitur, eam opinionem esse dubiæ probabilitatis. n. 5.
Doctores apud quos non benè audit ea opinio. n. 6. & seq.
An ea opinio repugnet Tridentino? n. 11.
Dilemmate convincitur ea opinio. n. 12.
Item alio dilemmate. n. 13.
An sine aliqua advertentia possit esse ignorantia vincibilis? n. 14.

1 ALiqui Doctores admittunt, confessionem validam informem, cum defectu integritatis, ita ut hic defectus oriatur ex ignorantia mortaliter culpabili, ita ut in ipsa confessione actualiter committatur id peccatum mortale ignorantiæ vincibilis. V. g. cùm quis obliviscitur in confessione aliquorum criminum mortalium, quia magnam habuit negligentiam in examinanda conscientia, ita ut ea negligentia fuerit culpa mortalis.

2 Antoninus Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 31. citat pro ea sententia omnes eos Doctores, qui docent, posse dari confessionem validam informem. Sed planè fallitur. Nam eorum aliqui solùm admittunt confessionem validam informem cum ignorantia mortaliter culpabili.

3 Pro ea opinione potest citari Sotus *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 3. *art.* 3. *conclus.* 6. §. *rimus igitur.* Pro qua etiam videtur stare Canus *relect. de pænit. part.* 5 Rodriguez *tom.* 1. *summ. cap.* 57. & pauci alii.

4 Ducuntur autem præcipuè eo fundamento, quòd oportet non reddere nimis molestum Sacramentum pœnitentiæ circà iterandas confessiones, id quæ ad pusillorum conscientias sedandas. *Scrupuli enim* (ait Sotus citatus) *qui homines in hac re magis molestant, sunt de iteranda confessione*.

5 Dicendum tamen est, eam opinionem (ut minimum) esse dubiæ probabilitatis. Primò. Quia licèt aliqui Authores non contemnendi, eam doceant; tamen doctissimi viri eam reprobant ex ea parte, qua docet, esse validum Sacramentum pœnitentiæ, in quo actualiter committitur id peccatum mortale ortum ex ignorantia vincibili; quos retuli *disp.* 70. *cap.* 3.

6 Ubi P. Suarez dixit, eum dicendi modum *esse improbabilem*, sicut *fundamentum ejus*, esseque *valdè noxium conscientiis, & ad corruptionem earum*. Et absolutionem in ea confessione datam *continere intolerabilem errorem*. Sic etiam censent aliqui Authores, quos ibidem citavi.

7 Nam P. Vasquez 3. *part. qu.* 92. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 5. expressè loquens de opinione admittente confessionem validam, cum defectu integritatis ex ignorantia mortaliter culpabili, docensque oppositam sententiam, addit: *Ratio meo judicio pro hac sententia est manifesta*. Implicat autem, quòd rationis unius sententiæ sit manifesta; & quòd opposita sententia non sit manifestè falsa.

8 P. Castro Palao, quem ibidem retuli dicentem, convinci de falsitate opinionem, quæ admittit Sacramentum pœnitentiæ validum cum dolore inefficaci ex ignorantia mortaliter culpabili; postea *num.* 5. subjungit: *Quartò, & principaliter convincitur communis sententia Thomistarum affirmantium, Sacramentum pænitentiæ dari posse informe, id est, validum absque effectu*. Et jam ibidem notavi, id verbum *convincitur* significare, quòd opinio sit certò falsa, sive quòd idem est, positivè improbabilis.

9 P. Granado, quem ibidem retuli, in verbis ibidem relatis satis declarat, se non invenire probabilitatem in opinione, quæ admittit Sacramentum pœnitentiæ validum, cùm in ipsa suscepitione Sacramenti novum peccatum lethale committitur.

10 Card. Lugo ibidem relatus suffragatur etiam huic asserto, dum ait: reiici efficaciter ex doctrina Concilii Tridentini, & Florentini eam opinionem, quæ admittit Sacramentum pœnitentiæ validum cum dolore inefficaci ex ignorantia mortaliter culpabili. Et eodem modo suffragatur nostræ sententiæ P. Fagundez ibidem relatus. Sicut etiam P. Arriaga, quem ibidem retuli, asserens, esse plane intolerabilem opinionem, quæ doceat, esse validum Sacramentum ejus, qui committit peccatum mortale in ipsa confessione. Quibus accedit Joannes à S. Thoma ibidem relatus.

11 Argumenta autem, quibus convincitur, in ea opinione relata non esse probabilitatem securitatem; immò verò esse improbabilem; eadem sunt ac illa, quibus *disput.* 69. *cap.* 3. *art.* 2. ostendimus, esse certò falsam opinionem de confessione valida ex defectu doloris efficacis cum ignorantia mortaliter culpabili. Primum. Quia repugnat Tridentino asserenti in pœnitentia hominis

Christiani contineri cessationem à peccatis: atqui in illo, qui confitetur absque integritate ex ignorantia mortaliter culpabili, pœnitentia non continet cessationem à peccatis: ergo id Sacramentum pœnitentiæ non est validum.

12 Secundum. Nam vel ille pœnitens se accusat de illo peccato actuali commisso ex ignorantia mortaliter culpabili; vel non se accusat? Si primum; ea non est accusatio pœnitentis; sed jactantia, & irrisio. Sicut si confitens subriperet aurum à confessario, & se accusaret de illo furto in illa confessione. Si verò non se accusat de illo novo peccato, quòd advertenter committit; jam deficit formalis integritas confessionis.

13 Tertium. Nam vel pœnitens advertit malitiam ejus ignorantiæ, vel non advertit? Si advertit, & confitetur, illa non est accusatio, sed jactantia. Si advertit, & non confitetur, deficit formalis integritas confessionis.

14 Si verò pœnitens non advertit, saltem dubitando, vel formidando malitiam ejus ignorantiæ, certum debet esse, quòd non peccat mortaliter. Relege hæc tria argumenta latius proposita *in eo art. 2.*

CAPUT II.

An sit probabilis opinio asserens, validam esse confessionem ejus, qui mortale peccatum in confessione tacet, sciens in hoc mortaliter delinquere; & simul existimans invincibiliter, se validè absolvi à reliquis peccatis suae explicatis.

SUMMARIUM.

Authores partis affirmativæ? nu. 15.
An Navarrus stet pro parte affirmativa? nu. 16.
Fundamenta opinionis affirmativæ? n. 17 & seq.
An opinio affirmativa sit improbabilis? n. 20.
An sit improbabile, eum, qui committit peccatum mortale in confessione, validè confiteri? ibidem.
An ea opinio repugnet Tridentino? n. 21. & seq.
An ea opinio destituatur omnino authoritate? n. 23.
An deficiat ab integritate materiali & formali, qui advertenter tacet peccatum mortale? n. 24.
An quod homo putet, reliqua peccata manere validè explicata, sit per accidens ad integritatem formalem? n. 25.
An integritas formalis consistat in eo, quòd explicentur omnia peccata, ad quæ hic, & nunc quis tenetur? n. 26. & seq.
Aliæ duæ objectiones solvuntur? n. 28. & seq.
Doctores, qui censent improbabilem eam opinionem? n. 30.

15 Hic casus potest contingere in homine rustico, seu aliàs rudi, ut sciens, se peccare mortaliter in tacendo peccatum in confessione, putet tamen invincibiliter valere illam confessionem quoad reliqua peccata, quæ explicat. In quo casu, P. Quintanadueñas *tract. 1. ad 2. Ecclesiæ præcepto singul. 23.* proponit hunc casum, & simul fundamenta, quibus probari videtur, illam confessionem esse validam, quamvis informem, atque adeò non esse repetenda illa peccata, quæ in ea confessione declaravit. Sed non resolvit quæstionem, manet enim dubius circa probabilitatem talis opinionis: & scimus, dubium de probabilitate esse dubium practicum, in quo tutior pars sequenda est: ideòque ipse ait, semper secutum esse in praxi partem tutiorem. Partem autem, quæ stat pro libertate pœnitentis, videtur docere Possevinus de officio Curati *cap. 7. num. 28.* illis verbis, quæ refert ipse Quintanadueñas *singul. 27. num 7.* idem videtur docere Fr. Ludovicus de S. Juan *in tract. de administr. Sacramen. ubi de pœnitentia num. 25.* apud P. Matthæum de Moja *tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 1. quæst. 8 nu. 2.* & apud eundem favet Ferrantinus *de scund disp. 1. qu. 79. nu. 14.* licèt id non asserat.

16 Sed maximè notandum est, quòd P. Moja ibidem *num. 4.* loquens de eadem opinione sic ait: [Cui etiam favet Navarrus *de pœnit. dist. 5. cap. Consideret. §. Cautus.* ubi ait, nulla ratione necessariò concludi posse, integritatem confessionis esse necessariam omnino ad ejus valorem.] Nam pace tanti Doctoris, alia est mens Navarri: ibi enim asserit, ex eo textu Augustini non concludi, esse necessariam integritatem confessionis; bene tamen *ex cap. Omnis utriusque sexus.* & ex lege Christi Domini. Ecce ejus verba *in loco cit. num. 7* [Ad secundum respondeo, concedendo, *hunc textum*, qui allegatur præcipuus, non probare necessariò, confessionem peccatorum semper debere esse integram; sed quòd non debeat illa dividi ex verecundia, vel hypocrisi. *At cap. Omnis. de pœnitent. & remiss.* satis hanc conclusionem probare, dum ait: *Omnia sua solus peccata confiteatur proprio sacerdoti.* Antiquiorautem lex videtur esse consuetudo jam inde ab Ecclesiæ incunabulis in hunc diem servata: quæ *lex à Christo in Apostolos*, & ab eis in alios, & ab illis in alios, quasi per manus derivata esse meritò creditur.] Hæc Navarrus.

17 Primum ergo fundamentum pro hac opinione est. Qui servat in confessione integritatem formalem (quamvis non servet materialem) validè confitetur: sed qui invincibiliter putat, se validè confiteri, quamvis taceat aliquod peccatum mortale, servat integritatem formalem: ergo qui putat invincibiliter, se validè confiteri, quamvis taceat aliquod peccatum mortale, validè confitetur.

18 Secundum fundamentum est. Si propter aliquid ea confessio esset invalida, maximè quia peccaret mortaliter in ipsa confessione: sed hoc non obstat valori confessionis: ergo illa confessio non est invalida. Probatur minor. Nam Authores non pauci admittunt confessionem validam ejus, qui tacet peccatum mortale ex oblivione mortaliter culpabili; atque adeò admittunt illud peccatum mortale oblivionis non obstare valori confessionis.

19 Tertium fundamentum desumitur à quibusdam exemplis, quæ idem Author proponit singul. 27. in quibus probabiliter docent Authores, peccata declarata cum quibusdam defectibus non esse repetenda.

20 Dicendum tamen est, eam opinionem esse improbabilem, & certò falsam. Patet primò. Nam, ut constat ex cap. præcedenti, qui in confessione committit peccatum mortale, invalidè confitetur: sed in præfato casu ille homo committit peccatum mortale; advertit enim, se peccare mortaliter, dum tacet illud peccatum: ergo in illo casu invalidè confitetur. Cujus syllogismi omnes tres propositiones sunt evidentes. Consequentia est evidens ex regulis artis syllogisticæ. Major est evidens ex cap. præcedenti. Minor ex ipsa propositione casus.

21 Patet secundò. Nam ea opinio adversatur manifestè Tridentino sess. 14. cap. 5. de Sacramento pœnitentiæ. Ubi sic definit Concilium. *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Christifideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.* Est ergo evidenter contra definitionem Concilii asserere, quòd sit valida confessio, in qua quis scienter aliquod peccatum mortale retinet: non enim potest esse valida confessio, de qua affirmat Concilium: *Nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponitur.*

22 Patet tertiò ex *eodem Tridentino sess. 6. cap. 14. de justificat. verbis supra relatis cap. 2.* in quibus definit Concilium, in Sacramento pœnitentiæ contineri cessationem à peccatis: ergo adversatur Tridentino, qui dicit, valere Sacramentum pœnitentiæ, in quo fit peccatum mortale cum plena advertentia. Quomodo enim cessat à peccatis, qui actualiter advertenter admittit peccatum mortale?

23 Patet quartò. Nullus enim Author probatæ authoritatis dixit, dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe defectu integritatis ex oblivione mortaliter culpabili cognita, sive cum peccato mortali advertenter commisso in ipsa confessione. Illi enim, qui admittunt confessionem validam cum ea ignorantia mortaliter culpabili; id admittunt, putantes, posse esse peccatum mortale sine plena advertentia malitiæ: sed in prædicto casu illud peccatum mortale taciturnitatis committitur advertenter in ipsa confessione: ergo nullus Author suffragatur ei opinioni; atque adeò ea opinio destituta est omnino authoritate Doctorum; unde neque ab extrinseco potest dici probabilis.

24 Patet quintò. Est enim evidens, non esse integram materialiter, neque formaliter illam confessionem, in qua pœnitens videt, & advertit, se non confiteri integrè peccata mortalia, quæ debet confiteri: ut clarius constabit in solutione primi fundamenti partis oppositæ: sed ille homo, qui advertenter tacet peccatum mortale, advertit, se non integrè confiteri omnia peccata mortalia, quæ debet confiteri: ergo ejus confessio non est integra materialiter, neque formaliter.

25 Confirmatur. Nam quòd ille homo putet, reliqua peccata manere validè in confessione explicata, sicut est per accidens ad hoc, quod putet se confessum esse omnia, quæ cognoscit; ita est per accidens ad hoc, quòd dicatur illa confessio esse integra formaliter. Nam integritas formalis exigit, quòd quamvis non confiteatur omnia, saltem pro æstimatione prudenti confiteatur omnia, quæ debet confiteri: sed in præsenti casu scienter non confitetur omnia, quæ debet confiteri: non ergo potest habere illa confessio integritatem formalem.

26 Ad primum fundamentum partis oppositæ respondeo, concessa majori, negando minorem. Etenim integritas materialis confessionis consistit in eo, quòd pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia, nullo omnino prætermisso: integritas autem formalis consistit in eo, quòd pœnitens confiteatur omnia ea peccata, ad quæ explicanda hic, & nunc tenetur. Unde qui ex oblivione inculpabili omittit aliquod peccatum, vel ex alia justa causa, licèt non faciat confessionem materialiter integram, facit tamen integram formaliter, quia hic, & nunc non tenetur ad amplius faciendum.

27 Jam verò in nostro casu ille homo, qui advertenter tacet peccatum mortale, nullo modo facit confessionem integram formaliter: quia hic, & nunc tenetur explicare illud peccatum, quod tacet. Neque ad integritatem formalem confessionis prodest, quòd putet invincibiliter, reliqua peccata esse validè explicata; quia id non aufert defectum integritatis formalis, eo quòd tacet peccatum, quando videt se obligatum ad illud explicandum.

28 Ad secundum respondeo, concessa majori, negando minorem.

norem. Ad probationem dico, nullum Authorem probatæ authoritatis dixisse, esse validam confessionem, in qua tacetur peccatum mortale ex oblivione mortaliter culpabili cognita, sive in qua committitur advertenter peccatum mortale.

29 Ad tertium respondeo, illa exempla non esse ad rem, quia in illis non datur peccatum mortale advertenter commissum; ut singillatim perpendenti patebit.

30 Denique eam opinionem esse improbabilem, clarè censent ii omnes Authores, qui docent, esse improbabile, quòd valida sit confessio, in qua committitur peccatum mortale ex ignorantia vincibili. Ita P. Suarez, P. Vasquez, P. Castro Palao, P. Granado, Lugo Card. P. Fagundez, P. Arriaga, & Mag. Joannes à S. Th. *relatis cap. preced.*

DISPUTATIO LXXIII.

An possit esse confessio valida informis defectu integritatis ex ignorantia invincibili?

CAPUT I.

Singularis dicendi modus proponitur.

SUMMARIUM.

Opinio affirmativa Joannis à S. Thoma, nu. 2.
Fundamentum ejus opinionis. nu. 3.

1 Nullus hucusque Author admiserat Sacramentum pœnitentiæ validum & informe defectu integritatis, nisi ex ignorantia vincibili, sive mortaliter culpabili. Omnes enim credebant, id Sacramentum esse non posse validum & informe, si deesset integritas confessionis ex ignorantia invincibili. Et ratio videtur clara, quia qui omittit peccatum in confessione ex ignorantia invincibili, quamvis non habeat integritatem materialem, habet tamen integritatem formalem, quatenus confitetur ea omnia, quæ in memoriam veniunt.

2 In quo tamen novam viam ingressus est Mag. Joannes à S. Thoma *qu. 84. artic. 6. §. Respondetur quod.* nam cùm dixisset, Sacramentum pœnitentiæ non posse esse validum cum defectu orto ex ignorantia mortaliter culpabili, eo quòd non pœnitet de peccato, quod actualiter committit, (quem dicendi modum maximè laudo) postea subdit: [Quando Sacramentum confessionis est informe ex defectu examinis, non datur in re diligens advertentia & examen; & sic peccata illa non sunt propriè oblita invincibiliter, & diligenter cogitanti non occurrentia, de quibus loquitur Concilium: sed in re sunt neglecta; solùm autem datur invincibilis ignorantia de ipsa sufficientia examinis, aut vincibilis venialiter. V. g. si quis incipit cum aliqua diligentia facere examen, & non dum absoluto & consummato, vocatur, seu divertitur ad aliquod ministerium necessarium, v. g. ad assistendum infirmo, vel aliquid simile, & postea omnino obliviscitur de absolvendo examine, & cum illo facto existimat se satisfecisse; quia res ista est arbitraria, nec certis regulis definitur; talis cum invincibili ignorantia defectus examinis accedit; & tamen quia in re non fecit diligentiam, non consequitur fructum confessionis; nec illa peccata oblita *includuntur in confessione*, quia non verificatur, quòd *diligenter cogitanti non occurrunt*, ut dicit Concilium.]

3 Docet ergo Joannes à S. Thoma, eum, qui negligenter se gessit in examine, licèt postea ignorantia invincibili putet, se satisfecisse obligationi examinis, non consequi effectum gratiæ. Nititurque illis verbis Concilii *sess. 14. cap. 5. de Sacramento pœnitentiæ: Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Nam ad consequendam remissionem peccatorum eorum, quæ in memoriam non veniunt, videtur requirere Concilium, quòd præcedat diligens cogitatio eorum: illa ergo diligenti cogitatione non præcedente, quamvis tempore confessionis detur ignorantia invincibilis, adhuc peccata oblita non includuntur sub illa confessione, atque adeò pœnitens non consequetur remissionem peccatorum.

CAPUT II.

Quid sentiendum de probabilitate ejus sententiæ?

SUMMARIUM.

An ea opinio sit dubiæ probabilitatis? nu. 4.
An examen sit necessarium ad confessionem tamquam medium, an tamquam præceptum? n. 5.
An obligatio examinandi conscientiam non sit denuo imposita, sed declarata à Tridentino? n. 6.
An sit necessariò consecuta ad obligationem rectè confitendi? ibidem.
An discussio conscientiæ, & actus confessionis sint actiones realiter diversæ? ibidem.
An examen sit pars Sacramenti? nu. 7.
An moribundo, qui non potest discutere conscientiam, desit medium ad justificationem; & quid inde pro conclusione? nu. 8.
An qui defecit in examine ex inadvertentia invincibili, & cætera implevit, posuerit totum medium justificationis? n. 9. & seq.
An qui in ipsa confessione advertit defectum examinis, ponat totum medium justificationis? n. 10.
An qui in confessione habet ignorantiam invincibilem defectus examinis, habeat impossibilitatem moralem? Et quid inde pro conclusione? num. 12.
An qui per inadvertentiam invincibilem defectus examinis tacet peccatum, confessio ejus habeat integritatem formalem? num. 13. & seq.
In quo consistat integritas formalis? nu. 15.
Ingens absurdum ex ea opinione consectum? n. 16. & seq.

4 Quæstionem hanc sub his terminis non invenio à Doctoribus agitatam. Jaciunt tamen principia generalia, ex quibus decidenda sit. Ego sanè valdè dubito de probabilitate hujus opinionis: ideò eam revoco ad numerum earum opinionum, *quæ mihi sunt dubiæ probabilitatis.*

5 Pendet autem hujus rei intelligentia ex ea quæstione, an examen prærequisitum ad confessionem sit necessarium tamquam medium justificationis, vel solùm tamquam præceptum. Itaque cùm dicit Concilium in verbis proximè relatis, *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt*, & item illa paulò ante dicta, *Posquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit*, inquirendum est, an Concilium proponat eam examinis diligentiam, dumtaxat tamquam præceptum, vel etiam tamquam necessarium necessitate medii.

6 In qua quæstione præmittendum est primò, hanc obligationem excutiendi conscientiam præviè ad confessionem, non esse denuo impositam à sacra Synodo Tridentina; sed ab illa declarari. Præmittendum est secundò, hanc obligationem examinis conscientiæ esse necessariò consecutam ad obligationem rectè confitendi: nam qui præcipit rectè confiteri peccata, simul præcipit, ut diligentiam adhibeat, ut ea ad memoriam revocet. Præmittendum est tertiò, discussionem conscientiæ, & actum confessionis esse duas actiones realiter diversas; licèt prima sit prærequisita ad secundam.

7 His positis pro certo tenendum est, illud examen non esse necessarium necessitate medii, sed necessitate præcepti. Patet. Si enim esset medium, deberet esse pars Sacramenti; neque enim aliquid pertinens ad confessionem Sacramentalem, potest esse medium, nisi vel ut totum, vel ut pars Sacramenti. Ex ipsa autem definitione Concilii constat, partes, quæ se tenent ex parte materiæ, esse eas tres, contritionem, confessionem, & satisfactionem. Quare ea diligens peccatorum cogitatio, non tamquam pars Sacramenti, sed tamquam quid prærequisitum proponitur à Concilio. Cùm ergo dicit Concilium, *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*; non sic intelligenda sunt, quasi peccata, quibus non præcessit diligens cogitatio, non maneant inclusa in eadem confessione in ordine ad remissionem, quamvis in ipsa confessione detur inadvertentia invincibilis ejus defectus; sed ad summum colligitur, peccata omissa non manere inclusa in ipsa confessione, si in ipsa est sufficiens advertentia de defectu cogitationis diligentis. Idque propter præceptum cogitandi diligenter peccata in ordine ad integritatem confessionis.

8 Confirmatur. Si diligens discussio conscientiæ esset necessaria necessitate medii ad justificationem; moribundo, cui deesset ea discussio, deesset medium necessarium justificationis, atque adeò faceret confessionem informem, & sine fructu: id est absurdum, & contra sensum omnium Theologorum: ergo discussio conscientiæ non est necessaria necessitate medii ad justificationem.

9 Hinc instruitur primum argumentum. Repugnat, quòd pœnitens ponat totum medium justificationis, & omnes partes illius, & quòd non consequatur justificationem; decrevit enim Deus justificare peccatorem, qui integrum & adæquatum medium justificationis posuerit; quamvis per ignorantiam invincibilem omisit aliquod aliud præceptum: sed qui ex inadvertentia invincibili defecit in ea diligenti cogitatione peccatorum, & cætera implevit perfectè, posuit totum medium justificationis, & omnes partes illius: ergo repugnat, quòd ille non consequatur justificationem; atque adeò repugnat, quòd ea confessio sit informis.

10 Ubi advertendum est, cùm quis in ipsa confessione advertit notabilem defectum examinis, non consequi justificationem, quia tunc non ponit omnes partes ejus medii. Non enim habet verum propositum non peccandi mortaliter (atque adeò neque verum dolorem de peccatis) qui in ipsa confessione peccat mortaliter. Cùm ergo ille, qui confitetur peccata mortalia advertens defectum examinis, in ipsa confessione peccet mortaliter; fit, quòd ille non habeat verum propositum non peccandi de cætero; atque adeò infertur, quòd non ponit omnes partes Sacramenti.

11 Confirmatur. Repugnat, quòd quis ponat medium interum, & adæquatum suæ justificationis, adimplens simul omnia præcepta, quæ hic, & nunc instant; & quòd non consequatur justifica-

ficationem: nihil enim ampliùs requirit Deus. Sed in hoc casu qui accedit ad confessionem cum inadvertentia invincibili illius defectus examinis, ponit integrum & adæquatum medium suæ justificationis, ut constat ex dictis; & non violat præceptum examinis diligenter faciendi, excusat enim inadvertentia invincibilis; & si qua sunt alia præcepta, quæ instent, ea implet, ut suppono: ergo repugnat, quod non consequatur justificationem.

12 Confirmatur secundò in moribundo: qui sine prævio examine facit confessionem, non quidem informem, sed fructuosam, per quam consequitur effectum justificationis; non aliam ob causam, nisi quia impossibile est, quòd habeat eam diligentem excussionem conscientiæ, ob angustias temporis: sed etiam impossibile est, quòd ille, qui habet inadvertentiam invincibilem defectus examinis, faciat illam excussionem conscientiæ: ergo eodem modo ejus confessio erit fructuosa.

13 Secundum argumentum est: Repugnat, quòd in confessione detur integritas formalis; & quòd defectu integritatis Sacramentum pœnitentiæ frustretur effectu; sed cùm quis per inadvertentiam invincibilem defectus examinis omittit in confessione aliqua peccata mortalia; in ea confessione datur integritas formalis: ergo repugnat, quòd ea confessio defectu integritatis frustretur effectu.

14 Major, si penetrentur termini, evidens censenda est. Convenit enim inter omnes Theologos ad confessionem non requiri integritatem materialem omnium peccatorum; & constat id ex Concilio Tridentino loco supra cit. Ideòque omnes docent, sufficere integritatem formalem. Quare ubi adest integritas formalis, non deficit integritas requisita ad confessionem: atque adeò repugnat, quod non deficiente integritate requisita ad confessionem, ea defectu integritatis deficiat effectus justificationis.

15 Minor verò ejusdem syllogismi constat. Tunc enim, juxta mentem omnium Theologorum, datur integritas formalis, quando, si taceantur aliqua peccata mortalia in confessione, id provenit ex impossibilitate evitandi eum defectum: sed cùm quis habet in confessione eam inadvertentiam invincibilem defectus examinis, pro tunc habet impossibilitatem evitandi eum defectum; nemo enim potest evitare defectum, quem non advertit: ergo ea confessio habet integritatem formalem.

16 Tertium argumentum desumitur ab absurdo. Nam si ille, qui negligenter excussit conscientiam, & posteà accedens ad confessionem patitur ignorantiam invincibilem ejus negligentiæ, faceret confessionem informem; sequeretur, quòd ille reliquas omnes confessiones, quas deinceps faceret, illas etiam faceret informes; & numquam consequeretur effectum justificationis, donec vel faceret diligenter illud examen, quod negligenter fecit, vel eliceret actum contritionis charitate formatæ; atque adeò si ita non fieret, incurreret damnationem æternam: atqui absurdum est, quòd per confessiones totius vitæ ille non consequatur effectum justificationi, quamvis inadvertentia de defectu examinis per totam vitam sit inculpabilis: ergo.

17 Sequela probatur. Nam illud examen peccatorum, quòd semel cum ea magna negligentia factum est, tam necessarium est reliquis confessionibus totius vitæ, quam fuit necessarium illi primæ confessioni. Qua propositione nihil evidentius. Nam sicut in prima confessione, necessarium fuit facere illud examen diligenter, ne illa peccata ob negligentiam examinis manerent omissa; cùm homo debeat ea peccata confiteri in una ex quibuslibet confessionibus totius vitæ, semper debebit facere illud examen eorum peccatorum, donec illud semel fiat diligenter. Et sicut in prima confessione excusat à peccato illa ignorantia invincibilis illius defectus; ita in cæteris confessionibus excusat à peccato eadem ignorantia invincibilis. Tum sic: sicut in prima confessione propter defectum examinis, & propter inadvertentiam invincibilem, illa prima confessio evasit valida, & informis; ita etiam cùm in reliquis confessionibus, ut suppono, persistat ille primus defectus examinis, & eadem inadvertentia invincibilis; similiter reliquæ confessiones totius vitæ evadent validæ, & informes. Loquimur enim in casu, in quo numquam per totam vitam recordatur homo resarciendi diligentiam illius examinis negligenter facti.

18 Respondebis, magnam esse disparitatem inter primam confessionem defectuosam ea parte examinis; & alteram subsecutam, quam factam supponimus cum diligenti examine. Etenim unicuique confessioni correspondet suum speciale examen: cùm ergo examen correspondens secundæ confessioni factum fuerit diligenter; nullus erit defectus examinis, qui secundam confessionem reddat informem.

19 Sed hæc responsio videtur non elevare difficultatem. Nam peccata omissa in prima confessione defectu examinis, per se pertinent ad secundam confessionem; quare si ante secundam confessionem adverteret, deberet renovare examen illorum peccatorum, quæ omissa sunt; & sicut illa prima confessio habebat defectum integritatis materialis propter illum priorem defectum examinis; ita secunda confessio habet eundem defectum integritatis materialis propter illum defectum priorem examinis: ergo ille prior defectus examinis influit in defectum, quem patitur secunda confessio: ergo ob eandem rationem hæc secunda confessio evadet informis; & sic de reliquis confessionibus totius vitæ.

DISPUTATIO LXXIV.

An peccata dubia sint necessariò in confessionis Sacramento exponenda?

CAPUT PRIMUM.

Compendium eorum, quæ olim docui.

NON EGET SUMMARIO.

1 HAnc quæstionem fusiori calamo discussi *in 2. part. Crisi Theolog. disp. 46. per totam*. Et post sedulam fundamentorum discussionem, in eam mentem veni, ut assererem, probabilem esse sententiam, quæ docet, peccata dubia non esse necessariò confitenda; probabiliorem tamen oppositam: illam tamen assertionem negativam, licèt probabilem, non esse declarandam hominibus indoctis, propter periculum incidendi in errores aliquos; quia indocti nesciunt distinguere inter dubium facti, & dubium juris, neque inter dubium practicum, & speculativum.

2 Sed post typis excusam eam disputationem, non cessavit mens mea, eundo, & redeundo, & circumeundo fundamenta utriusque partis; donec tandem decrevi, quæstionem hanc iterùm ad incudem revocare. Nec pudebit retractare sententiam olim traditam; immò vero magis pudebit silentio opprimere, quæ vera, & certa censuerim.

3 Et quidem ex viginti duobus Authoribus, quos refert Caramuel pro opinione negativa, novem dumtaxat, aut decem ei opinioni suffragari, ostendi ibid. *cap. 1. num.* 15. sed an illi omnes præditi sint illis qualitatibus, quæ requiruntur, ut sint omni exceptione majores, atque adeò sufficientes ad comparandam opinioni probabilitatem, alii viderint.

4 Igitur in ea disputatione *cap.* 2. per octo articulos manifestè ostendi, septem fundamenta allata à Caramuele pro sua opinione negante obligationem confitendi peccata dubia, esse merè sophistica, eaque nihil habere probabilitatis. Deinde argumenta, quæ desumpsit ex Tridentino, non esse efficacia, sed solutu facilia. *Et cap.* 3. ostendi, quinque alia argumenta, quæ Franciscus Verdea fert pro eadem opinione Caramuelis, esse levissima, & nullius momenti.

5 Accessi deinde *cap.* 4. ad discutienda fundamenta sententiæ affirmantis obligationem confitendi peccata dubia. *Et art.* 1. deveniens ad testimonia S. Thomæ, & veterum Theologorum, inveni eos inniti ei principio, quod in dubiis tutior pars est eligenda; confitenda ideò esse peccata dubia, quia id tutius est.

6 Ego autem in eo *art. 1. nu.* 220. sic respondi. [Hoc argumentum non multum premit. Nam vel Christus instituit, quòd fideles confiteantur peccata dubia, vel non instituit? Si primum; cur Authores non reddunt hanc rationem: cui, si subsistat, nemo refragari potest? Si Christus non instituit, nec de eo detur speciale præceptum, periculum cessat, si homo confiteatur alia peccata. Nam dum ab his absolvitur directè, indirectè manebit absolutus à dubiis, sicut ab illis, quorum obliviscitur.] Hæc ibi. An autem ea ratio de tutiori parte eligenda sit convincens, si aliquid aliud superaddatur, mox dicam.

7 Deinde in tribus articulis sequentibus prolixè examinavi aliud fundamentum, quod unicum est pro sententia affirmante obligationem confitendi peccata dubia: & adhuc me urget; nempe quod Christus Dominus ita instituerit. Id autem infertur ex praxi omnium fidelium, & doctrina omnium Theologorum, qui scripserunt ante P. Thomam Sanchez (quadraginta refert hic Author) qui omnes unanimiter id tradiderunt. Et quidem praxis, & consuetudo universalis omnium fidelium cum firma persuasione de obligatione præcepti facit evidentiam moralem; non enim distinguitur à traditione universali, cui tanta authoritas meritò tribuitur in Ecclesia. Sed tamen *art.* 4. occurrit mihi responsio, quæ tunc visa mihi est probabilis; & quam posteà latius examinabo. Et denique *cap.* 6. probavi satis urgenter, opinionem affirmativam obligationis esse probabiliorem.

CAPUT II.

Revocat Author suam priorem assertionem de probabilitate intrinseca opinionis negativæ.

SUMMARIUM.

An opinio negativa sit dubiæ probabilitatis. nu. 8.
Fundamentum desumptum ex communi praxi omnium fidelium. nu. 9.
An hæc quæstio sit facti, nempe an Christus ita instituerit. nu. 10.
An non possit dubitari de antiqua praxi omnium fidelium tamquam obligatoria. nu. 11.
An praxis communis fidelium cum firma persuasione de obligatione faciat evidentiam moralem? Et quid inde pro conclusione. nu. 12.

An

An in materia Sacramentorum praxis fidelium cum firma persuasione faciat majorem evidentiam moralem? nu.13.
Et quid inde pro conclusione? nu.14.
An consuetudines antiquæ receptæ tanquam obligatoriæ attribuantur traditioni Apostolorum, vel Conciliorum? nu.15.
Quantam tribuat S. Augustinus consuetudini universali? nu.16.
Quid de communi consensu authorum antiquorum? nu.17.
An quod communi consensu fidelium probatur, quod humana potestas efficere non potuit, derivetur ex traditione Apostolorum? n.18.

8 POst diuturnam hujus quæstionis meditationem, non erubesco affirmare, me non reperire sufficientem probabilitatem ad praxim in ea assertione, quæ negat obligationem confitendi peccata dubia; & ideò expressè retracto, quæ loco citato tradidi de ejus probabilitate: & expressis terminis pronuncio, illam opinionem *mihi* esse dubiæ probabilitatis: atque adeò in ea, tanquam in dubio practico, tutiorem partem eligendam esse.

9 Fundamentum, quod olim me urgebat, & modò me cogit ad consendum, non esse sufficientem probabilitatem in opinione negativa obligationis confitendi peccata dubia; sed eam obligationem esse certam; est, quod desumitur à communi usu & praxi fidelium in tota Ecclesia. De qua sic loquitur Lugo Card. *disp.* 56. *de pœnit. sect.* 7. *num.* 62. [Potissimum fundamentum hujus doctrinæ desumendum est ex usu & praxi totius Ecclesiæ; cujus initium non agnoscitur: quare credendum est, ab ipsis Apostolis promanasse, qui vim, & obligationem inclusam in hujus Sacramenti institutione melius potuerunt intelligere.] Quid ad hoc respondeat Caramuel, relatum, & apertè convictum reperies in ea *disp.* 46. *cit cap.* 4. *art.* 2.

10 Pro cujus confirmatione ferè totum *art* 3. hic transcribo. [Pro rei claritate duo præmitto. Primum, hanc esse quæstionem de facto, nempe: An Christus D. instituerit, quòd peccata mortalia dubia exponantur in confessione?

11 Secundum, de praxi communi antiqua fidelium in tota Ecclesia tanquam obligatoria non posse dubitari saltem à tempore S. Thomæ; quia si talis non esset, aliqui Authores antiqui oppositum affirmassent, aut de ea obligatione dubitassent; de qua tamen ne unus quidem ex antiquis dubitavit. P. Th. Sanch. *lib.* 1. *sum. c.* 10. *num.* 66. ait: [Eo ipso quòd dubium est, an peccatum sit mortale, est certum illius confitendi præceptum, id testante usu Ecclesiæ, ut colligitur ex universis Doctoribus antiquis & neothericis, quos statim referam, qui tanquam rem certam unanimi consensu hoc præceptum ita intelligunt.] Et refert quadraginta Authores pro hac sententia. Nam P. Enriquez non loquitur clarè, & ex neothericis est. Quæ verba viri doctissimi, magnum pondus afferre videntur, ut quilibet prudens pro certa reputet hanc sententiam. Prætereà autem.

12 Probatur primò. Nam in quæstione de facto, praxis communis fidelium in tota Ecclesia cum firma persuasione de obligatione gravi, facit evidentiam moralem, juxta ea, quæ dixi *disp.* 23. *c.* 5. sed hæc quæstio est de facto, scilicet [An Christus D. ita instituerit?] Et est communis praxis fidelium in tota Ecclesia, cum firma persuasione de obligatione gravi, saltem usque ad tempora Thomæ Sanchez, qui id scribebat ferè ad annum 1610. Ergo est moraliter evidens, quòd datur obligatio gravis confitendi peccata mortalia dubia.

13 Probatur secundò. Nam etsi praxis fidelium in tota Ecclesia cum firma persuasione de aliqua obligatione faciat evidentiam moralem in aliis materiis; atqui multo magis urget in materia Sacramentorum, & in iis, quæ Christus instituit circà illa: tum quia cum ea, quæ Christus instituit, pertinentia ad usum Sacramentorum, maiori ex parte non scripta, sed tradita reliquerit in Ecclesia, & quasi exarata in ipsa consuetudine, & praxi fidelium; ideò in hac materia Sacramentorum urgentissimum argumentum est ipsa praxis fidelium cum firma persuasione de obligatione. Tum etiam quia Concilium Tridentinum sæpiùs repetit, hanc praxim fidelium, & communem Ecclesiæ persuasionem facere evidentiam. Et ita *sess.* 13. *cap.* 7. de Sacramento Eucharistiæ agens de præcepto confitendi ante sumptionem Eucharistiæ, ait: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati*, &c. Quid enim est, *declarat*, nisi idem quod [demonstrat, & certissimum & indubitabile reddit.] Et *sess.* 14. *cap.* 5. de Sacramento pœnitentiæ, agens de confessione Sacramentali, ait: *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse à Domino*, &c. Et *cap.* 7. agens de casuum reservatione, inquit: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit*; quam persuasionem proponit, ut certissimum veritatis argumentum.

14 Cùm ergo in hac quæstione inquiramus, [An Christus D. instituerit præceptum confitendi mortalia dubia?] Et inveniamus in omnibus fidelibus hanc praxim cum firma persuasione ejus obligationis confitendi peccata mortalia dubia, & versemur in materia Sacramentorum, cujus doctrina adeò pendet à prædicta praxi, & communi persuasione; colligi videtur, hanc praxim, & persuasionem communem de obligatione confitendi peccata mortalia dubia, facere evidentiam.

15 Probatur tertiò ex dictis *disp.* 23. *cap.* 5. Etenim consuetudines antiquas in tota Ecclesia receptas tanquam obligatorias tribuit Augustinus traditioni Apostolorum, vel Conciliorum decretis. Ita enim asserit *lib.* 4. contra Donatistas, *cap.* 24. vide Augustini textum ea *disp.* 23. *nu.* 142. Et præcipuè tradit *lib.* 4. contra Donatistas, *cap.* 6. *ut ibid.* retuli, cujus hæc sunt verba: *Illa consuetudo, quam & tunc homines sursum versùs aspicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur.* Et ferè idem tradit in textu, qui refertur *in c. Illa dist.* 12. quem retuli eadem *disp. num. eod.* ergo cùm detur in tota Ecclesia praxis, & consuetudo confitendi peccata mortalia dubia, tribuenda est Apostolis: & cùm *sursum versùs aspicientes*, non videamus initium ejus praxis, rectè ab Apostolis tradita esse credetur.

16 Probatur quartò. S. Augustinus *epist.* 118. versans eam quæstionem, [Quid faciendum sit in materia Ecclesiastica?] Ponit tanquam regulam indubitabilem, praxim, & consuetudinem universalis Ecclesiæ. Sic enim ait: *Similiter si quid horum tota frequentat Ecclesia. Nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Cùm ergo in tota Ecclesia observetur, quòd fideles confiteantur omnia peccata mortalia dubia; quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ erit.

17 Probatur quintò ex P. Arriaga, qui ea *disp.* 31. *de pœnit. cit. num.* 44. sic arguit: [Hoc ipso, quòd doctrina hæc nostra sit tradita à Doctoribus, & pertineat maximè ad mores; rectè colligimus, eam fuisse traditam à Christo Domino; qui in rebus tam necessariis, & usum Sacramentorum concernentibus, non patietur, invalescere ferè per totam Ecclesiam aliquid falsum.]

18 Probatur sextò. Nam ut optimè Melchior Canus *lib.* 3. de locis *cap* 4 *§. Tertia via.* ait: [Si quidquam est nunc in Ecclesia, communi fidelium consensu probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit; id ex Apostolorum traditione necessario derivatum est.] Sed quòd fideles ex obligatione se accusent de peccatis mortalibus dubiis, praxis est communi fidelium consensu probata; quod tamen humana potestas non potuit instituere: ergo id ex Apostolorum traditione derivatum esse, credendum est.] Hucusque in eo *ar.* 3.

CAPUT III.

An ineluctabilem confirmationem præmittat quoddam notabile.

SUMMARIUM.

An ex institutione Christi totum illud sit materia remota Sacramenti, supra quod debebat cadere pœnitentia interna? n.19.
Urgens confirmatio ex Tridentino. nu 20.
S. Thomas & alii Doctores pro eadem doctrina. n.21.
An homo debuerit habere contritionem de peccatis dubiis ante institutionem Christi? Et quid inde pro conclusione? num. 22 & seq.
Quomodo circà extensionem contritionis ad peccatum dubium valeat id, quod in dubiis tutior pars eligenda est? num.24 & seq.
An circà peccatum dubium nulla sit ratio probabilis, quæ liberet ab obligatione contritionis? n.26.
An ex lege virtutis pœnitentiæ teneatur homo habere contritionem de peccato, cujus commissio probabilis est? nu.27 & seq.

19 AD argumentum propositum olim videbatur mihi responsio sufficiens, quam tradidi eo *cap* 4 *art.* 4. Sed post diuturnam cogitationem, reperio, eam responsionem non satisfacere. Pro cujus rei expositione præmittendum est, ex institutione Christi Domini *totum illud esse materiam remotam Sacramenti pœnitentiæ, supra quod ante institutionem Sacramenti debebat cadere pœnitentia interna.*

20 Hæc propositio mihi videtur tradita à Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 14. de Iustif. ubi cùm dixisset, Christum Dominum instituisse Sacramentum pœnitentiæ, doctrinam prosequitur his verbis. [Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse à baptismali; eaque contineri, non modo cessationem à peccatis, & *eorum detestationem*, aut cor contritum, & humiliatum; verùm etiam *eorundem Sacramentalem confessionem*, saltem in voto, & suo tempore faciendam.] Ubi maximè notandum est id verbum *eorundem*: cujus sensus est, eorundem peccatorum Sacramentalem confessionem faciendam esse, quorum detestatio habenda est.

21 Hanc doctrinam supponit, & tradit ut certam P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 22. *sect.* 9. *num* 1. asserens, totum id esse de necessitate confessionis, quod est de necessitate contritionis. Eandem tanquam certam tradit Mag. Ioannes à S Th *de Sacram. disp.* 33. *art.* 4. §. *Graviorem.* Et traditur ab Angelico Doctore *in* 4. *dist* 17. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. ubi ait: *Dicendum, quòd cùm propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, cùm ad contritionem tenetur.*

22 Hinc manifestè confirmatur sententia, quæ affirmat, peccata dubia (de quibus rationabiliter, & prudenter dubitatur, juxta dicta ea *disp* 46. *cap.* 1. *num.* 2.) necessariò esse confitenda. Etenim ex institutione Christi debet homo exponere in confessione to-

ne totum id, circà quod ante institutionem Christi Domini, debebat habere detestationem, seu contritionem: sed homo ex lege virtutis pœnitentiæ, ante institutionem Christi, de peccatis dubiis debebat habere detestationem, seu contritionem: ergo homo debet ea ponere in confessione peccata dubia. Major patet ex prænotatione proximè facta.

23 Minor etiam patet. Nam dum instat præceptum reconciliandi se cum Deo, tenetur ea lege pœnitentiæ ita pœnitere, ut possit firmare judicium probabile, quod se restituerit ad amicitiam Dei: atqui si homo ante institutionem Christi Domini non haberet contritionem, quæ extenderetur ad peccatum dubium, non ita pœniteret, ut posset formare judicium probabile de recuperatione amicitiæ Dei; dubitans enim de peccato mortali à se commisso, non potest formare judicium probabile de recuperatione amicitiæ Dei; cùm non componatur dubitatio, & assensus probabilis: propterea ergo debebat habere contritionem de peccatis dubiis.

24 Hinc infertur, quomodo in extensione contritionis ad peccatum mortale dubium valeat illud principium, quòd in dubiis pars tutior eligenda est. Etenim tunc instat hoc principium, quando homo circà agenda est in dubio practico: sed quando quis dubitat, an peccaverit mortaliter, circà contritionem internam versatur in dubio practico: ergo quando quis dubitat, an peccaverit mortaliter, instat principium illud in ordine ad extensionem contritionis ad peccatum dubium. Major, & consequentia patent.

25 Probatur minor. Tunc dubium est practicum, quando circà agenda datur dubium, quod non potest homo rationabiliter deponere, id est, quando nulla ratione certa, aut verè probabili potest illud deponere: sed quando quis dubitat, an peccaverit mortaliter; in ordine ad contritionem habendam, ita procedit dubium, ut nulla ratione certa, aut verè probabili possit illud deponere: ergo tunc est dubium practicum.

26 Hæc minor patet ex ipsa suppositione. Nam cùm homo in ea hypothesi verè sit dubius de peccato mortali à se commisso, nulla est ratio certa, nec probabilis, qua ab eo dubio possit exire: nam si daretur ratio certa, implicaret, quòd esset dubius; & si esset ratio probabilis de non commissione peccati, posset habere assensum de non commissione illius, cum quo assensu non componitur dubitatio. Deinde in ordine ad pœnitendum taliter, quòd posit formare judicium probabile de recuperatione amicitiæ Dei; ante quam habeat contritionem, nulla potest esse ratio certa, aut probabilis; dum nulla adest, ut credat, se non peccasse.

27 Dices. Quando est probabile, quod homo peccavit mortaliter, & simul est probabile, quod non peccavit; tenebatur homo, etiam ante institutionem Sacramenti pœnitentiæ, ad habendam contritionem: & tamen modò non tenetur subiicere Sacramento pœnitentiæ illud peccatum mortale, quod probabiliter creditur non commissum, ut docet communis sententia: ergo quamvis ante institutionem Sacramenti pœnitentiæ teneretur homo ad pœnitentiam internam peccati dubii; non inde infertur, quòd post institutionem teneatur ad illud confitendum. Major patet. Nam in articulo mortis debet eligi medium certius pro securitate salutis æternæ: qui autem probabiliter credit, se peccasse lethaliter, non est certò securus de sua salute æterna, & habet medium certius pro securitate illius, nempe contritionem de peccato probabiliter commisso: ergo ante institutionem Sacramenti pœnitentiæ, saltem in articulo mortis tenebatur homo ad contritionem de peccato probabiliter commisso, etsi haberet credulitatem probabilem de non commissione illius.

28 Respondeo, ex dictis *disput.6. & disp.55. & 56.* difficile reperiri casum, in quo, dum quæstio est facti, intellectus vi æqualis probabilitatis utrimque relucentis, posit elicere assensum probabilem. Tunc enim intellectus, in quæstione facti, constitutus inter duo testimonia æqualis fidei, aut inter duas conjecturas æquivalentes testimoniis, necesse est, quod maneat dubius, aut quod temerè procedat ad assensum; propter ea argumenta, quæ in iis locis late ponderavi. Deinde pro obligatione confitendi peccata probabiliter cognita, aut de quorum non commissione habetur probabilitas; omninò videnda sunt, quæ dixi *disp.46. cap.7.*

29 Sed quia aliquando potest contingere, quòd homo habeat assensum dumtaxat probabilem de non commissione peccati; in quo casu licèt homo prudenter credat, quòd non peccavit, non tamen manet certus de non commissione peccati; ideò in hoc casu habet locum, & urgere videtur proposita objectio; quia quamvis juxtà communem sententiam non teneatur illud confiteri; tenetur tamen conteri, saltem cùm imminet periculum damnationis æternæ: atque adeò non verificatur, quod confitenda sunt ea omnia peccata, ad quæ debebat se extendere contritio, ante institutionem Sacramenti pœnitentiæ.

30 Pro cujus rei claritate notandum est, aliud esse, quòd ex lege virtutis pœnitentiæ teneatur quis habere contritionem de peccato, & aliud, quòd ad id teneatur ex lege reddendi securam suam salutem æternam. Hæ enim duæ leges valde diversæ sunt. Assero ergo, ex lege virtutis pœnitentiæ (etiam ante institutionem Sacramenti) teneri hominem pœnitere de peccato dubio taliter, quòd possit formare judicium probabile de recuperatione gratiæ Dei, nempe quando instat præceptum reconciliandi se cum Deo. At quando habet assensum dumtaxat probabilem de non commissione peccati; cùm virtute illius assensus possit formare judicium probabile de persistentia in gratia Dei, non tenetur ea lege virtutis pœnitentiæ ad contritionem; quamvis teneatur ad illam ex lege reddendi securam suam salutem æternam.

31 Hinc facilè respondetur ad objectionem, distinguendo majorem: quando est probabile, quòd non peccavit, ante institutionem Sacramenti, tenebatur homo [ea lege virtutis pœnitentiæ,] ad habendam contritionem, nego; tenebatur, nempe in articulo mortis, [ex lege reddendi certam suam salutem æternam,] concedo. Neque aliud concluditur ea probatione majoris subjuncta. Inde ergo constat manifesta disparitas inter peccatum dubium, & peccatum, quod probabiliter putatur non commissum.

CAPUT IV.

Enervatur responsio, quam olim dedi ad argumentum cap.2. propositum de institutione Christi D.

SUMMARIUM.

Qua ratione rectè processerint S. Thomas, & reliqui Theologi, dum probant peccata dubia esse confitenda ex obligatione eligendi tutiorem partem? nu.33 & seq.

Quomodo inferatur firma persuasio fidelium de institutione Christi, cùm authores antiqui recurrant ad tutiorem partem in dubiis eligendam? nu.39 & seq.

An ea persuasio fidelium non nitatur jure naturali, sed positivo? nu.41. & seq.

Quomodo inde inferatur evidentia moralis de institutione Christi? nu.43.

32 IN *ea disp.46. cap.4. art.4.* conatus fui respondere ad argumentum desumptum ex eo, quòd Christus D. instituerit Sacramentum pœnitentiæ, ut confitenda etiam sint peccata dubia; & quòd hæc fuerit praxis omnium fidelium, cum firma persuasione de obligatione confitendi illa. Re tamen profundius, & maturius perpensa, invenio, eam responsionem non posse subsistere.

33 Et quidem pro ea responsione illud videbatur urgere, quod omnes Theologi antiqui usque ad P. Thomam Sanchez unanimiter asserentes, esse obligationem confitendi peccata dubia, non recurrebant ad institutionem Christi declaratam ea communi praxi fidelium cum firma persuasione de obligatione; sed solum recurrebant ad id principium, quòd *in dubiis tutior pars eligenda est*.

34 Sed cùm reliqui Theologi ferè omnes à me citati *eo cap.4. art.1.* dum eam rationem tradunt de tutiori parte eligenda, citent D. Thomam; res hæc conficietur, id est, mens antiquorum penetrabitur, si mentem D. Thomæ collegerimus. Itaque cap. præced. ostendimus, illud principium de tutiori parte eligenda in dubiis, valere in hac materia de peccato dubio respectu præcepti de pœnitentia interna. Quare si supponamus (ut supponi debet juxta dicta cap. præced.) institutum esse à Christo D. Sacramentum pœnitentiæ ad ea peccata, ad quæ debebat se extendere contritio ante institutionem Sacramenti, certissimum existimo, quòd valet hoc principium de tutiori parte eligenda in dubiis. Quia cùm præceptum contritionis obliget ad reconciliandum se cum Deo, itaut homo possit formare judicium probabile de comparata amicitia Dei; in eo qui dubitat, an peccaverit lethaliter, (ante institutionem Sacramenti) non potest dari tale judicium probabile, nisi eligat partem tutiorem eliciendi actum contritionis.

35 Jam vero S. Thomas, *qui in 4. dist.21. quæst.2. artic.3. ad 3.* (ut retuli *eo cap.4. art.1. num.207.*) dixit, eum, qui peccatum dubium non confitetur, *periculo se committere*: ibid *dist.17 qu.3. art.1. quæstiunc 4. corp.* dixit, *propositum confitendi esse annexum contritioni; & tunc teneri ad propositum confitendi, cùm tenetur ad contritionem*; verbis relatis cap. præced. ex quibus patet, apud S. Thomam ea duo firmiter statui; & quod confitenda sunt ea, de quibus homo debet habere contritionem; & quòd periculo se committit, qui peccata dubia non confitetur.

36 Etenim si habet contritionem de peccato dubio, cùm instat præceptum reconciliandi se cum Deo, & non confitetur illud, neque habet propositum confitendi; jam confessio, sive propositum confitendi non sequitur contritionem, contra id, quod dixit S. Thomas in secundo textu. Si verò de peccato mortali dubio non habet contritionem, periculo peccandi se committit: quia cùm instat præceptum reconciliandi se Deo, id debet præstare taliter, ut possit formare judicium probabile, quod assecutus sit gratiam Dei: quod judicium non potest formare ante contritionem, qui dubitat, an peccaverit mortaliter.

37 Quæ autem S. Thomas indubitanter docet de confessione, aut proposito illius, non repetit, nec necesse est, quod repetat, id esse ex institutione Christi; quia omnia, quæ de confessione statuit tamquam certa, supponit esse ex institutione Christi; cùm alibi doceat, nihil præstare posse Ecclesiam circà substantiam Sacramentorum.

38 Jam verò ex dictis facile est dissolvere, & confutare eam responsionem, quam exhibui *eo disp.46. cap.4. art.4. à num.235.*

pro solvendo eo efficacissimo argumeoto, quod desumitur à communi praxi fidelium. Ad primam positionem *ex num.*235. in qua statuebam, omnes Aothores antiquos, ad assertiooem de peccato dubio confitendo, solùm niti eo principio, quod io dubiis tutior pars eligenda est: idem dico, quod ad S. Thomam, ex quo ipsi cooclosiooem, & ejus rationem desumpserunt: nempe, quia supponebant, debere expooi in confessione totum id, ad quod se debet extendere contritio; circà quam clarius constat, quomodo valeat illud principium de tutiori parte eligenda, ut supra dixi. Et cùm id sufficiens ad sustinendam eam conclusionem, non debet desiderari aliud argumentum desumptum à communi praxi fidelium, maximè cum de hac dubitari non possit.

39 Ad secundam positionem ex *num.*236. io qua statuebam, si praxis fidelium esset cum firma persuasiooe de institutione Christi, nempe qua Christus instituisset confessionem de peccato mortali dubio, indubitabile fore, quòd confitendum esset peccatum mortale dubium; dico: praxim fidelium esse cum firma persuasione de obligatione, quam secum importat ipsa confessio; cùm aliunde sciant fideles, obligationem, quam secum importat ipsa confessio, esse ex iostitutione Christi; & Theologi cum S. Thoma supponant, ita esse institutum à Christo D. Sacramentum, ut debeat se extendere confessio ad omne id, ad quod debet se extendere contritio. Sic etiam praxis, & consuetudo fidelium confitendi ante sumptionem Eucharistiæ cum firma persuasione de ea obligatione, facit evidentiam moralem de tali obligatione, quin requiratur in ipsis fidelibus expressa notitia de institutione Christi, aut de origine ejus obligationis. Ut satis constat ex illis verbis Concilii sess. 13. cap. 7. de Sacram. Euchar. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse*, &c. Et hinc etiam constat ad tertiam positionem statutam *num.*237.

40 Ad quartam positiooem, qua *num.*238. statuebam, eam praxim fidelium de coofitendo peccato mortali dubio inniti solùm ei principio de tutiori parte eligenda in dubiis; dico eam praxim, & firmam persuasionem fidelium inniti io eo principio de tutiori parte eligenda in dubiis eo modo, quo Theologi antiqui illam tradunt: nempe supponendo, ex institutione Christi D. confessionem debere extendi ad ea omnia peccata, ad quæ debet se extendere contritio, etiam ante institutionem Christi D. Quo pacto irrefragabile est illud principium, quòd in dubiis tutior pars eligenda est, ut constat ex dictis.

41 Ad quiotam positionem, qua *num.*239. statuebam, persuasionem fidelium de obligatione confitendi peccata mortalia dubia inniti jure naturali, non positivo; dico, eam persuasionem fidelium non inniti jure naturali, sed positivo: nam etsi juris naturalis sit illud principium, quòd in dubiis pars tutior eligenda sit; tamen ea firma persuasio fidelium non nititur solùm in eo principio, sed etiam in eo jure positivo, quòd pertinent ad confessionem omnia ea, ad quæ debet se extendere contritio.

42 Hinc etiam patet, non satisfacere argumento eam responsionem, quam exhibebam *num.*240. quòd praxis communis fidelium nitebatur in eo principio juris naturalis; quod probabiliter tantum procedit, si nihil aliud attendatur. At dum conjungitur cum altero principio, quòd confessio se extendit ad omne id, ad quod se extendit contritio; patet, quòd non inoititur solùm in jure naturali, sed etiam in positivo certo. Ex quo irrefragabiliter sequitur, admittendum esse, quòd hæc obligatio confitendi peccata mortalia dubia est ex iostitutione Christi.

43 Et *num.*241. admisi praxim communem fidelium cum universali persuasione gravis obligationis, ex jure positivo ortæ, facere evidentiam moralem. Cùm ergo ex dictis constet, hanc firmam persuasionem ortam esse ex jure positivo, modo dicto; fatendum est, esse certam ea obligationem. Et hinc constat ad ea omnia, quæ respondebam io *art.4. cit.*

C A P U T V.

Aliud argumentum, quod olim proposui pro obligatione confitendi peccata dubia. Ubi quid de scrupulosis?

S U M M A R I U M.

An ut quis accedat ad Eucharistiam, debeat censere probabiliter se esse in statu gratiæ? Et quid inde pro conclusione? ou.44.
An medium justificationis ante communionem Eucharistiæ non sit sola contritio? Et quid inde pro conclusione? nu.45. & seq.
An scrupulosus non teneatur confiteri, nisi ea peccata quæ certo scit? uum.49.
An aliquando per accidens cesset obligatio confitendi aliqua peccata ratione impossibilitatis? ou.50.
An in scrupuloso detur impossibilitas moralis confitendi peccata dubia? uum.51.
An obligatio sit solùm confitendi peccata rationabiliter dubia? ou.52.

44 IN ea *disput.46.cap.6.* proposui argumentum, quod maximè confirmat certitudinem sententiæ de obligatione confitendi peccata mortalia dubia. Quod quia ibi fusius propositum relegi potest, hic illud breviter insinuo. Ut quis accedat ad Eucharistiam, debet formare judicium speculativum probabile, quo censeat, se esse io statu justificationis; sed qui dubitat de peccato mortali à se commisso, oon aliter potest habere judicium probabile de sua justificatione, nisi confiteatur illud peccatum mortale dubium: ergo qui sic dubitat; ut accedat ad Eucharistiam, tenetur confiteri illud peccatum mortale dubium.

45 Probatur Mioor: nam qui sic dubitat de peccato mortali à se commisso, non potest formare id judicium probabile de sua justificatione, nisi assumat aliquod medium suæ justificationis: atqui id medium necessariò debet esse confessio: ergo qui sic dubitat de peccato mortali à se commisso, necessariò debet illud confiteri.

46 Minor probatur primò. Nam juxta definitionem Tridentini ex *sess.*13. *cap.*7. cùm quis accessurus est ad Eucharistiam, si indiget contritiooe, indiget etiam confessione; noo enim sufficit sola contritio, nisi adjungatur confessioni. Secundò. Nam, ut loquitur S. Thomas cap. præcedenti relatus, propositum confitendi est annexum contritioni, ita ut quoties homo tenetur elicere contritionem de aliquo peccato, teneatur etiam facere confessionem de illo.

47 Tum sic. Præceptum integritatis confessionis eamdem omnino latitudioem habet, ac præceptum confessionis ante sumptionem Eucharistiæ præmittendæ: sed ex argomento proximè facto, ad sumptionem Eucharistiæ requiritur contritio peccati mortalis dubii: ergo ad iotegritatem confessionis requiritur confessio peccati mortalis dubii.

48 Obiicies præcipuè contra doctrinam *cap.3. & 4.* traditam. Scrupulosus, qui dubitat, an commiserit peccatum mortale, non tenetur illud confiteri, juxta communem sententiam Doctorum; & tameo cùm urget præceptum reconciliandi se Deo, tenetur elicere actum contritionis, ita ut possit formare judicium probabile, quòd comparaverit amicitiam Dei: ergo falso principio nititur, dum asserimus, ex institutione Christi præceptum confessionis exteodi ad ea omoia, ad quæ se extendit præceptum contritioois.

49 Sed hæc objectio parum urget. Pro cujus claritate præmitto primò, esse communem Doctorum sententiam, peccata dubia ejus, qui nimis scrupulosus est, non esse audienda à confessario, nisi pœnitens possit jurare se commisisse ea peccata mortalia. De quo vide, quæ dixi ea *disp.46. cap.2. art.3.*

50 Præmitto secundò, multa esse peccata, quæ licèt per se confitenda sint ex obligatione; per accidens tamen aliquaodo cessat obligatio confitendi ea, ratione alicujus circunstantiæ, quæ reddit impossibilem moraliter declarationem eorum peccatorum. Cujus plurima sunt exempla: Sic enim si navis in medio mari fluctuet in periculosa aliqua tempestate, & in navi sint vectores quingenti, & unus dumtaxat confessarius, impossibile sit, quòd in eo vitæ periculo omoes seorsim confiteantur; ideòque sufficiet, si aliqua dumtaxat confiteantur peccata, ut omnes quantocyus absolvantur.

51 Jam verò peccata dubia per se confitenda sunt ex obligatione; per accidens autem cessat obligatio in eo, qui judicio confessarii est nimis scrupulosus. Nam, ut dixi in additionibus, quæ sunt *in 2. part. Cris. Theolog. ad finem, nu.53.* in tali homine datur impossibilitas moralis confitendi ea dubia; quia nisi ea dubia spernat, incurrit periculom incidendi in magnam mentis ægritudinem, immò & io desperationem, ut experientia compertum est. Quamvis ergo scrupulosus teneatur elicere contritionem universalem, quæ se extendit etiam ad peccata mortalia, de quibus dubitat; per accidens tamen non tenetur ea confiteri propter id periculum.

52 Et memineris, esse dumtaxat obligationem confitendi peccata mortalia, de quibus rationabiliter dubitatur, non tamen ea, de quibus irrationabiliter; qualia sunt dubia hominis scrupulosi. De quo vide, quæ dixi ea *disp.46. cap.1. num.2.*

D I S P U T A T I O LXXV.

An irregularitas, quæ est pœna delicti, sit censura Ecclesiastica; & talis, ut in eam cadat absolutio?

C A P U T I.

Prænotantur aliqua, & referuntur sententiæ.

S U M M A R I U M.

Duplex est irregularitas: alia est pœna, alia non; & hæc non potest esse censura. ou.1.
Opinio Soti, irregularitatem, quæ est pœna, esse censuram, & tolli per absolutionem.
An Authores omnes, qui pro ea citantur, illam doceant? nu.3.

1 NOtum est apud omnes, esse duplex genus irregularitatis: alia enim est, quæ imponitur in pœnam alicujus delicti; alia verò quæ non est pœna, sed imponitur ob aliquam indecentiam. Deinde omnes indubitanter supponunt, non esse censuram Ecclesiasticam eam irregularitatem, quæ non est pœna delicti.

2 Solùm

2 Sedùm ergo est quæstio, an irregularitas, quæ est pœna delicti, sit censura Ecclesiastica; & consequenter an talis sit, ut per absolutionem auferri possit, sicut excommunicatio per absolutionem tollitur. In qua quæstione Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1.* primus fuit, qui contra sententiam communem omnium Theologorum, & Canonistarum, qui eum antecesserant, docuit, eam irregularitatem, quæ est pœna delicti, esse censuram Ecclesiasticam, & posse tolli per absolutionem: & infert, per facultatem absolvendi à censuris, quæ conceditur in bulla Cruciatæ, eam irregularitatem posse tolli. Quem secutus est Corduba *lib. 5.* de indulgentiis *quæst. 43. dub. 4.* & aliqui scriptores, quos refert Diana *part. 1. tract. 11. resol. 27.* nempe Ioannes Gutierrez in *quæst. Canon. lib. 1. cap. 37. num. 6.* Salonius, Aragon, Bañez, Ledesma, Fernandez, Vega, Ioannes de la Cruz, Carb°, Castillo, Naldus, Salas, Nuño, & Petrus Corneio, quem refert Diana *par. 4. tract. 2. resol. 81.*

3 Sed non rectè citantur hi omnes Authores. Nam Ioannes Gutierrez non aserit irregularitatem esse censuram: solùm enim affirmat, irregularitatem, quæ incurritur ab eo, qui ministrat in usu ° rdinum, irretitus aliqua censura, esse effectum censuræ; & ideò hanc solam speciem irregularitatis posse tolli per absolutionem. Reliquorum Authorum mentem investigare, modò non vacat; fides sit penes citantem eos.

CAPUT II.

Quid censendum sit de ea opinione Soti; & quid censeant de ea Doctores alii?

SUMMARIUM.

An ea opinio Soti sit dubiæ probabilitatis? n. 4.
Quid de ea censeat Suarius? n. 5. & seq.
Quid de illa censeant alii Doctores graves? n. 8. & seq.

4 Censeo dicendum, eam opinionem Scoti (ut minimum) esse dubiæ probabilitatis: & consequenter non habere sufficientem securitatem ad praxim. Et quidem P. Suarez *tom. 5. in 3. par. disp. 1. sect. 3* multis declaravit, censere se improbabilem eam opinionem. Et imprimis *ea sect. 3. num. 1.* ait: *Hæc quæstio definita videtur ab Innocentio III. in cap. Quærenti, de verborum significatione.* Et *nu. 2.* loquens de opposita sententia, ait: *Mihi tamen certa videtur.* Et ibidem. *Sit ergo certum, tantum esse in Ecclesia illas tres species censuræ.* Cùm ergo censeat P. Suarez suam sententiam esse certam, & definitam ab Innocentio III. censet, oppositam opinionem Soti esse certò falsam, & improbabilem. Implicat enim, quòd una propositio sit certa, & quòd opposita non sit certò falsa. Vide *in 1. par. Cris. Theol. disp. 4. num. 6.*

5 Idem P. Suarez ibidem *num. 3.* agens de Authoribus ejusopinionis, ait: *Verum tamen illam nullo textu, ratione, vel authoritate probant; & ideò admittenda non est: præsertim cùm repugnet responsioni Innocentii III. in dicto cap. Quærenti,* Et mox ferè immediatè subjungit: *Mirumque est, cur Soto nullam illius textus mentionem fecerit, neque aliquid responderit.* Constat autem, quòd Author non dat probabilitatem opinioni, quando non respondet obiectionibus, præcipuè adeò concludentibus. Nam ut latè tradidi in *part. 1. Crisf. Theolog. disput. 1.* Author, qui non discutit diligenter quæstionem, examinando omnia fundamenta utriusque partis, non dat probabilitatem opinioni.

6 Et *num. 5.* hæc verba habet: *Unde etiam falsum est, quod de facul ute absolvendi per Bullam Cruciatæ Soto intulit: quamquam nonnulli Theologi illam sententiam amplexi sint; & multi confessarii minus docti, eorum authoritate nixi illa facultate utuntur.* Nota id verbum *minus docti*. Censet enim P. Suarez, esse inductos eos, qui ab irregularitate, tanquam à censura absolvunt. Et paulò post referens id fundamentum ejus opinionis, nempe quod privilegium Cruciatæ est amplissimè interpretandum, subiungit. *Verum tamen intelligendum hoc est, quantum cum probabili ratione, aut fundamento possunt: hic autem nullum invenitur; quia si irregularitas censura non est, ut re vera non est, potestas, quæ ex iis verborum privilegii limitata est ad censuras, non potest rationabiliter ad aliquam irregularitatem extendi.* Et *disp. 40. sect 3. num. 3.* agens de eadem opinione Soti ait: *Neque juri, neque traditioni Doctorum, neque praxi Romanæ Curiæ, neque rationi consentanea est.* Ex quibus omnibus patet, ex sententia P. Suarez eam opinionem Soti esse non solùm improbabilem negativè defectu fundamenti probabilis; sed etiam certò falsam.

7 P. Ludovicus de Molina *tom. 3. de Just. tract. 3. disp. 80. §. Nostra* agens de hac ipsa quæstione, ac de sententia negante, irregularitatem esse censuram, sic ait: [Nostra Navarri, communiorque Doctorum sententia, vel inde sanè est omnino amplectenda, quòd ea, quæ dicta sunt, cum minimum, reddunt *dubiam* contrariam sententiam.] Dicit autem dubiam eam sententiam, quia dubium est de probabilitate ejus: non enim dicitur de sententia probabili, & practicabili, quòd sit dubia, & nullo modo amplectenda.

8 Idem censet Bonacina de censuris *disp. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 4.* ubi sic ait. [Quantum spectat ad irregularitatem, *certum est*, illam non esse censuram.] Implicat autem, eam sententiam esse certam, & oppositam non esse certò falsam; ut sæpius diximus. Et idem Bonacina paulò ante dixerat de sua sententia: [Hæc propositio *patet* ex Innocentio III.] &c. verbum autem *patet* idem significat, ac *certum est*.

9 Vivaldus de irregularitate *num. 17.* contra Sotum negat, irregularitatem esse censuram, subjungens: [Ut *patet clarè* in cap. *Quærenti* de verborum significatione.] Id autem verbum *patet clarè* denotat evidentiam moralem. Est ergo, juxta Vivaldum, evidens moraliter sententia, quæ contradicit opinioni Soti.

10 Antonius Gomez vir præstantis doctrinæ in Bullam Cruciatæ ad decimam clausulam aserit, Sotum in hac re *misero errore* lapsum fuisse. Ut refert P. Moja *tom. 1. select. tract. 5. qu. 5. nu. 2.*

11 Et apud eundem ibidem Magister Sacri Palatii expungendam judicavit in summa P. Sa eam opinionem de absolutione irregularitatis per Bullam Cruciatæ. Tenor autem correctionis hic est; *Non est ullo modo tenenda sententia quorundam affirmantium. Quia in contrarium est praxis Romanæ Curiæ.*

12 Ludovicus Turrianus *in select. centur. 2. dub. 29.* asserit, eam opinionem de absolutione irregularitatis per Bullam, esse improbabilem. Ut refert Diana *part. 4. tract. 2. resol 81.*

13 P. Matthæus de Moja *tom. 1. select. tract. 5. quæst. 5.* eam opinionem censet omninò improbabilem. Etenim *num. 3.* sic ait: *Unum* (fundamentum) *ego superaddam, quòd contrariam* (opinionem) *omnibus invisam reddat. Nimirum aut illam non esse probabilem, aut probabile esse, virtute Cruciatæ absolvi, & dispensari posse irregularitatem ex homicidio provenientem.* Et *num. 15.* ait, inferri saltem probabiliter ex ea universali opinione, posse virtute Cruciatæ absolvi ab irregularitate ex homicidio voluntario, etiam publico, & subdit: *Quod horribile est dicere.* Et paulò post subjungit: *Hoc autem omni probabilitate destitutum esse patet.* Et concludit sic: *Ergo non subjacet opinioni, quòd virtute Bullæ possit absolvi irregularitas ex homicidio, quomtumvis occulto, & casuali, ne dum voluntario. Ex quibus concluditur, nullam irregularitatem ex delicto esse virtute Bullæ dispensabilem. Aliàs difficile esset, absurdum illatum evitare. Quod omninò fugiendum est; quidquid contra senserint Authores citati.*

14 Augustinus Barbosa in *lib. 5.* decretalium *cap. Quærenti, de verb. signif.* satis clarè significat suam sententiam, quòd nulla irregularitas sit censura, esse certam & oppositam certò falsam; ait enim: *Unde sustineri non potest resolutio Soti.* Quæ verba significant, eam resolutionem non esse probabilem: nam quæ verè probabilis est, non est cur sustineri non possit. Et paulò post cum retulisset distinctionem, quam exhibet Sotus irregularitatis, quæ sit censura, & ejus, quæ talis non est, subdit Barbosa: *Hæc distinctio apertissimè convincitur ex prædictis fundamentis.* Ea autem dictio *apertissimè convincitur* denotat certitudinem moralem, quòd ea opinio de falsitate convincatur. Et mox idem genus certitudinis significat, dum ait: *Constat enim, omnia* (fundamenta) *atque concludere etiam in irregularitatibus, quæ ex culpa contrahuntur: tum illud, quòd irregularitas pœna sit sua natura perpetua, quod censuræ minimè convenit; tum illud, quòd absolutio non dicatur de irregularitate,* &c.

Pater Dicastillo *tractat.* de censuris *disput. 1. dub. 4. num. 91.* affirmat, hanc opinionem, [quod irregularitas sit censura, & quod ab ea possit absolvere confessarius virtute Bullæ Cruciatæ,] esse parum probabilem, ejusque rationes esse aliquantulum probabiles. Cùm ergo in decreto Sacræ Congregationis, quod publicari jussit Ss. D. Innocent XI. damnetur ea propositio (quæ est tertia in eo decreto) docens, prudenter operari eum, qui sequitur opinionem tenuiter probabilem; infertur, non posse reduci ad praxim eam opinionem de irregularitate, si talis opinio solum est aliquantulum probabilis. Et in eadem *dub. 4. num. 77.* hæc verba habet: [Sanè multi, gravesque Authores, dum incidunt in sententiam Soti. . non multum in ea probabilitatis agnoscunt; *debile* enim putant *fundamentum*, quòd nomine censuræ intelligatur irregularitas; ut ex re *tam falsa*, aut *non satis fundata* in solida doctrina juris Canonici, velint colligere, irregularitatem posse absolvi, vel tolli virtute facultatis generaliter concessæ absolvendi à censuris.] Hucusque Dicastillo. Qui autem sint hi Authores, declarat, citans Martinum de Ledesma, Ludouicum Lopez, Bartholomæum de Ledesma, Mancium, Petrum Sotum, Peñam, Navarrum, Henriquez, Villadiego, Perezium, Rodriquez, Toletum, Antonium Gomez, Acostam, Ugolinum, Suarium, Valentiam, Auilam, immò & ipsum Sotum, qui retractavit suam priorem opinionem.

CA-

CAPUT III.

Fundamenta nostra sententiæ proponuntur tanquam moraliter certa.

SUMMARIUM.

An nostra sententia sit definita ab Innocentio III.? n.15.
An censura sit pœna, quæ ordinatur ad correctionem? nu.16. & seq.
An suspensio, quæ est perpetua, vel ad tempus determinatum, sit censura? n.21.
An communis acceptio hujus vocis, censura, faciat evidentiam moralem pro nostra conclusione? n.22.
An communis intelligentia interpretum juris faciat evidentiam moralem pro nostra conclusione? n.23.
An consuetudo dispensandi, non absolvendi, circà irregularitatem, sit evidens interpretatio juris? n.24. & seq.
An sic consuetudo indubitata Romani Pontificis, dispensare, non absolvere circà irregularitatem? Et quid inde pro conclusione? n.25.
Quomodo authores oppositi non afferant præjudicium nostræ conclusioni? n.28.
Neque assertio Ioannis à S. Thoma. n.29.
Confirmatio ab ingenti absurdo. n.30. & seq.
Altera confirmatio ab alio absurdo. n.32.

15 Inconcussa sunt, & quæ ad moralem evidentiam cogunt, fundamenta nostræ sententiæ. Primum est, quod desumitur ex definitione Innocentii III. *in cap. Quæsivit* de verborum significatione. Ubi interrogatus Pontifex, quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, sic ait: *Respondemus, quòd per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valet intelligi.* Esset ergo responsio Pontificis inanis, & nullius momenti, si etiam irregularitas esset censura. Sicut etiam esset inanis responsio, si interrogatus Pontifex, quid intelligatur nomine Sacramenti, responderet, sub eo nomine intelligi Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam. Nam cùm ea responsio Pontificis sit doctrinalis, & per eam intendat docere Ecclesiam, quid significetur nomine censuræ Ecclesiasticæ, debuit dare responsionem adæquatam interrogationi.

16 Secundum fundamentum est. Etenim censura Ecclesiastica, ex communi omnium Doctorum consensu, est pœna, quæ ordinatur ad correctionem delinquentis; ideòque non durat, nisi donec emendetur peccator: sed irregularitas, quæ est pœna, non ordinatur ad correctionem delinquentis; immò vero est impedimentum ex natura sua perpetuum: ergo irregularitas non est censura Ecclesiastica. Consequentia est evidens.

17 Et minor est apud omnes nota. Nam qui irregularitatem incurrit propter homicidium, vel propter violationem censuræ; irregularis manet, etiam si emendetur, & satisfaciat. Qua de re invenies multos textus *in cap.5. & seq. dist.50. & cap. Presbyterum.* eadem *dist.* dicitur: *Nulla ratione in sacro ordine, post lapsum, aut permanere, aut revocari posse cognoscat.*

18 Maior probatur. Etenim censuras Ecclesiasticas imponi ad correctionem, constat ex multis textibus juris canonici. Et ita *cap.1.* de judiciis, ubi agitur de excommunicatione maiori dicitur. *Nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus.* Et *cap.1. de sent. excomm.* sic dicitur. *Cùm medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat; cautè provideat Iudex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit, & medentis.*

19 Et Clement. I. de decimis *Tandiù maneant ab officiis, administrationibus, & beneficiis suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint.* Agit enim Pontifex io ea Clementina de censura suspensionis.

20 Et *cap. Ex litteris. de offic. deleg.* in quo agit Pontifex de interdicti censura, sic ait. *Interdicti sententiam ab eodem Patriarcha tandiù facietis inviolabiliter observari, donec eidem Patriarchæ de injuriis irrogatis sufficienter fuerit satisfactum.* In quibus textibus maximè notanda est ea dictio *donec*, quæ denotat, tollendam esse censuram, ubi peccator se emendaverit. Et ideò ponitur ea dictio *donec* in omnibus iis textibus, in quibus agitur de aliqua censura. Sicut etiam in *cap. Non est.* de sponsalibus. Ubi etiam ponitur ea dictio *donec*. Et *in cap. Quamquam. de censib. in 6.* ubi agitur de excommunicatione simul, & interdicto. Et ideò omnes juris interpretes conveniunt in eo, quòd censura ex natura sua est medicinalis, & ordinatur ad correctionem. Quod etiam constat *ex cap. Dilect. de sent. excomm. in 6. & ex cap. Corripiantur. & seq.24. qu.3. & ex Trid. sess.25. cap.3. de Reform.*

21 Hinc fit, quòd quamvis suspensio numeretur inter censuras; quia tamen est quædam suspensionis species, quæ licèt sit pœna delicti, est tamen perpetua, vel ad tempus determinatum, ideò Doctores affirmant, hanc suspensionis speciem non esse censuram, neque tolli per absolutionem, sed per dispensationem. Ut videri potest apud P. Suarez *tom.5. in 3. part. disp.25. sect.1. num.3.* & constat ex Tridentino *sess.24. cap.6. de reform.* ubi conceditur Episcopis, quod possint dispensare *in suspensionibus ex delicto occulto provenientibus.* Cùm tamen certum sit, censuram non tolli per dispensationem, sed per absolutionem. Manet ergo certa ea maior, quòd censura ex natura sua ordinatur ad correctionem; eamque tollit Ecclesia ubi peccator se emendaverit, & satisfecerit. Quod cùm non inveniatur in irregularitate, manifestò constat, hanc non esse censuram.

22 Tertium fundamentum est. Nam ut tradidi *in 1. par. Crit. Theolog. disp.12. cap.4.* in illis quæstionibus, quarum resolutio omninò dependet à significatione, & usurpatione vocum, communis sententia omnium, aut ferè omnium facit evidentiam moralem: sed quæstio præsens omninò dependet à significatione, & usurpatione ejus vocis *censura*: ergo in hac quæstione sententia omnium, aut ferè omnium Doctorum facit evidentiam moralem. Rursus cùm quæstio sit designificatione vocis *censura*, & de usurpatione, quam habet in jure canonico, sententia omnium, aut ferè omnium interpretum juris, facit evidentiam moralem: cùm ergo omnes juris canonici interpretes conveniant in hoc, quòd nomine censuræ nihil aliud in iure canonico intelligitur præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum; fit esse moraliter evidens, quòd irregularitas non sit censura, etiamsi sit pœna delicti. Et hæc ratio multo magis viget in præsenti quæstione, in qua significatio vocis *censura* non solùm constat ex communi sententia omnium interpretum, sed etiam ex declaratione authentica ipsius Principis, scilicet Innocentii III. *in citato cap. Quærenti.*

23 Quartum fundamentum est. Nam, ut ostendi in additionibus (quas invenies in fine secundæ partis Crisis Theologicæ) à *num.26.* communis intelligentia omnium, aut ferè omnium interpretum, facit evidentiam moralem quo ad sensum legis; & in hoc sensu ibidem ostendi, verum esse id axioma juris prudentum, quòd *Sententia communis interpretum habenda est pro lege*; certum enim est, legem accipiendam esse in eo sensu, in quo eam intelligunt omnes interpretes communi consensu. Atqui omnes interpretes sic intelligunt sacros canones loquentes de censuris, ut solùm loquantur de illis pœnis, quæ ordinantur ad correctionem: ergo id censeri debet moraliter evidens; atque adeò irregularitatem, quæ est pœna delicti, non esse censuram, utpote quæ non ordinatur ad correctionem.

24 Quintum fundamentum est. Quia ut ostendi *disput.23. cap.4.* lex humana accipit authenticam, & evidentem interpretationem ex communi consuetudine. Ut constat *ex cap. Cùm dilectus.* de consuetudine. Ubi dicitur: *Consuetudo est optima legum interpres.* Et ita quando lata est lex, & de intelligentia illius dubitatur, ita firmiter standum est consuetudini, ac si lex ipsa exprimeret illam interpretationem, quam dat consuetudo. Et hinc fit, quòd hæc interpretatio, quam dat consuetudo, non est interpretatio conjecturalis, aut probabilis, sed interpretatio authentica, utpote habens vim legis; ut etiam exprimitur *in leg. Nam Imperator. ff.* de legibus.

25 Iam vero consuetudo recepta in Ecclesia est, ut irregularitas etiamsi sit pœna delicti, non tollatur absolutione, sed dispensatione: atque adeò non tollatur tanquam censura, sed tanquam impedimentum canonicum: ergo hæc consuetudo interpretatur authenticè leges Ecclesiasticas agentes de irregularitate, ut non habeatur pro censura. Quod autem hæc sit consuetudo recepta in Ecclesia, testantur omnes iuris interpretes.

26 Confirmatur. Quia consuetudo est res facti. In quæstione autem facti omnes, aut ferè omnes Authores attestantes factum, faciunt evidentiam moralem, ut ostendi *in ea disp.12. cap.5. conclus.3.* Est ergo moraliter evidens consuetudo, de qua omnes testantur. Quòd si in materia iuris, omnes iuris interpretes testantes consuetudinem, faciunt de ea evidentiam moralem. Cùm ergo in hac materia iuris de irregularitate omnes iuris interpretes attestentur eam consuetudinem, ea reputanda est moraliter certa, & indubitabilis.

27 Deinde evidentia moralis ejusdem consuetudinis ostenditur. Est enim notum apud omnes fideles, Pontificem sæpe dispensare in iis irregularitatibus, quæ sunt pœnæ criminum, & numquam absolvisse ab illa. Deinde etiam apud omnes notum est, quòd cùm Pontifex præbet facultatem, ad tollendam irregularitatem, numquam præbet facultatem ad absolvendum, semper illam præbet ad dispensandum. Hæc ergo adeò inviolabilis consuetudo Romani Pon-

Pontificis declarat ; apud ipsum irregularitatem non tolli tanquam censuram , nempe per absolutionem : sed tanquam impedimentum canonicum distinctum à censura . Et ideò meritò dixit Magister sacri Palatii supra *cit.* illam opinionem esse contra stylum Curiæ Romanæ . Stylum autem Curiæ Romanæ in significatione vocum materiæ canonicæ facere evidentiam moralem, compertum est : cùm significatio vocum non pendeat à cujusque libito ; & significatio vocum , quæ est in materia canonica dependeat omninò à Romano Pontifice , & ejus Curia .

28 Cui certitudini non afferunt præiudicium Theologi , & Summistæ , qui aliter opinantur , nam secuti sunt Sotum sine nova alia ratione. Sotus autem illam opinionem *nullo textu , ratione , vel authoritate probat* , ut loquitur P. Suarez relatus supra *cap.* 2 neque *illius textus* Innocentii I I I. *mentionem fecit , neque aliqui respondit* ; ut ait , P. Suarez ibidem relatus . Immò idem Sotus eam opinionem retractasse videtur . Ut observavit P. Suarez *tom.5. in 3. part. disp.40. sect.3. num.3.* ubi sic ait . *Nomine ergo censuræ generatim posito numquam comprehenditur irregularitas , ut rectiùs docuit idem Soto lib.5. de justitia qu.1. art.4.*

29 Hinc confunditur assertio Magistri Ioannis à S. Thoma ex proprio ejus ore. Nam cum 2. 2. *tract. de irregular. disp. 38. art.1. & num.1.* fateatur , esse sententiam omnium iurisperitorum , quòd irregularitas non est censura , ut constat ex dictis , *num.3.* ait , Suarium posuisse in definitione id verbum *medicinalis* , ut in ipsa definitione inculcaret suam opinionem, quòd nulla irregularitas est censura . Sed cùm explicatio juris canonici pendeat ab interpretibus ejus ; & omnes juris interpretes , immò & ipse Romanus Pontifex cum sua Curia , ut constat ex dictis , sic intelligant , perperam ab illis disceditur .

30 Sextum fundamentum est . Nam si irregularitas , eo quòd sit pœna delicti , dicatur esse censura , sequeretur , aliqua impedimenta dirimentia matrimonii esse censuras : hoc est absurdissimum , & contra praxim , & consuetudinem Ecclesiæ : ergo id , unde infertur , erit absurdissimum , & certò falsum . Consequentia obligat . Circà quam advertendum est, in recta argumentatione cùm consequens est certò falsum , antecedens non posse esse probabile: nam benè valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis . De quo vide *in 1. par. Crif. Theolog. disp* 8.

31 Iam verò major ostenditur . Etenim aliqua sunt impedimenta dirimentia matrimonii , quæ sunt pœnæ , quæ ipso facto incurruntur ob aliqua delicta ; qualia sunt impedimentum criminis , & impedimentum raptus , ut apud omnes constat . Hinc instruitur argumentum . Ideò irregularitas , licèt sit impedimentum canonicum ad suscipiendos ordines , & ad usum eorum , dicitur esse censura, quia est pœna delicti , quæ ipso facto incurritur : sed impedimentum criminis (idem esto de raptu) licèt sit impedimentum matrimonii , est tamen pœna delicti , quæ ipso facto incurritur : ergo similiter impedimentum criminis erit censura Ecclesiastica , quæ possit per absolutionem tolli . Quod si quis Author auderet affirmare , magnum scandalum generaret in Ecclesia .

32 Addo septimum fundamentum ex P. Suarez *disput.* 40. *sect.* 3. *num.* 3. Nam , si irregularitas esset censura , celebrans cum illa nouam incurreret irregularitatem ; est enim certa regula , quam ex multis textibus statuit idem P. Suarez *disp* 42 *sect.5.* illum clericum fieri irregularem , qui exercens ordinem , censuram violat : sed est planè falsum , & contra communem sensum Doctorum , quòd celebrans cum irregularitate incurrat novam aliam irregularitatem : ergo nulla irregularitas est censura .

C A P U T IV.

aliud fundamentum proponitur .

S U M M A R I U M.

An ex opposita opinione inferatur , posse virtute Cruciatæ absolvi ab irregularitate ex homicidio voluntario? n.33. & seq.
An irregularitas ex homicidio voluntario sit solùm pœna delicti , & non ex defectu lenitatis ? n.36.
An irregularitas ex homicidio voluntario non incurratur ab ignorante pœnam ? num.37.
An irregularitas ex defectu lenitatis solùm incurratur à ministris justitiæ ? nu.38.
An post baptismum non remaneat irregularitas ex homicidio voluntario , maneat tamen ex defectu lenitatis? nu 39.
An Episcopus possit dispensare in aliqua irregularitate ex homicidio, non tamen ex defectu lenitatis ? n.40
An sit probabile, quòd virtute Cruciatæ possit quis absolvi ab irregularitate ex homicidio voluntario ? n.41.
Quàm sit digna hæc materia , super qua consulatur Romana Cathedra? nu 42.
Quantam difficultatem habeant Romani Pontifices dispensandi in irregularitate ex homicidio ; & quid inde pro conclusione ? n.43. & seq.
An sit absurdum dicere , concedi cuilibet confessario, quod Concilium negavit Episcopis? n.51.
Duo alia absurda. n.52. & seq.
An sit improbabile antecedens , ex quo infertur consequens improbabile? n.54. & seq.
An quoad hoc discurrant aliqui ordine præpostero? ibid.
An cùm cognoscitur aliqua conclusio esse improbabilis , fiat denuò improbabile antecedens , quod putabatur probabile ? n.58.

33 Octavum fundamentum est . Si irregularitas, quæ est pœna delicti, esset censura, posset confessarius absolvere ab ea, virtute Cruciatæ Bullæ saltem semel in vita, & semel in morte: hoc est magnum absurdum : ergo & quòd ea irregularitas sit censura. Maiorem admittunt non pauci , quos retuli *cap.5.*

34 Minor probatur. Nam inde sequeretur, quòd virtute Cruciatæ posset confessarius absolvere ab irregularitate ex homicidio voluntario: hoc autem est ingens absurdum : ergo absurdum est , quòd possit confessarius virtute Cruciatæ absolvere ab irregularitate , quæ est pœna delicti .

35 Maiorem negant præcitati Authores , asserentes , irregularitatem ex homicidio voluntario non esse dumtaxat pœnam delicti , quia simul est irregularitas ex indecentia, sive ex defectu lenitatis; & ideò hanc speciem irregularitatis non esse censuram .

36 Sed doctissimus P. Moia *tom.1. select. tract.5. quæst.5. à num.3.* sic ait : [Vnum (fundamentum) ego superaddam , quod contrariam (opinionem) omnibus invisam reddat . Nimirum aut illam non esse probabilem ; aut probabile esse, virtute Cruciatæ absolvi & dispensari posse irregularitatem ex homicidio provenientem .] Huiusque P. Moia, qui prosequitur probans urgenter, irregularitatem ex homicidio voluntario non esse ex defectu lenitatis, sed solùm ex delicto. Quod ex eo probat primò, quòd hæc species irregularitatis ex homicidio non contrahitur absque culpa mortali, ut censent communiter Theologi , ex quibus plurimos refert numero viginti: irregularitas autem ex defectu lenitatis contrahitur absque culpa: ergo irregularitas ex homicidio non est irregularitas ex defectu lenitatis. Sed hoc facile solvitur, si dicas, duplicem esse irregularitatem ex defectu lenitatis; aliam ex sola indecentia , ut in judice; aliam ex indecentia simul , & culpa , ut in homicida .

37 Secundò probat ex eo, quòd irregularitas ex defectu lenitatis incurritur ab ignorante invincibiliter illam: at irregularitas ex homicidio non incurritur ab ignorante invincibiliter pœnam juxta Authores, quos ibi refert non pauros *nu.*6 & 7. Sed respondebitur , id non esse probabile , quia sacri canones significant, indecens esse, quòd offerat sanguinem Christi , qui effudit sanguinem humanum . Pro quo per accidens est , quòd sciat , vel ignoret rationem pœnæ .

38 Tertiò probat , quia irregularitas ex defectu lenitatis solùm incurritur ab his, qui ad mortem alicuius concurrunt tanquam ministri justitiæ, ut tradunt triginta Authores, quos refert, & sequitur Diana *part.11. tract.2. resol.*63 ergo irregularitas ex homicidio voluntario non est ex defectu lenitatis . Sed respondebis , id intelligi de ea irregularitate ex defectu lenitatis, quæ est ex sola indecentia; non de illa , quæ est ex indecentia simul, & culpa .

39 Quartò probat , ex eo quòd baptismus non tollit irregularitatem ex indecentia , aut ex defectu lenitatis, ut tenent plures Doctores , quos refert *nu.*10. Cùm tamen post baptismum ejus , qui commisit homicidium, non remaneat irregularitas ex tali homicidio, ut tenent Authores, quos ibidem referr ex generali regula, quòd baptismus tollit omnem pœnam ex culpa etiam homicidii provenientem . Sed respondebitur , si id ita est, ideò esse, quia per baptismum abolentur etiam effectus peccati actualis: quare extinguitur defectus lenitatis , qui oritur ex homicidio ; non autem defectus, qui oritur absque culpa .

40 Probat quintò . Nam Episcopus ex concessione Tridentini potest dispensare in irregularitate ex homicidio casuali occulto : cùm tamen nequeat dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis , juxta communem sententiam . Sed respondebitur , dispensare Episcopum in defectu lenitatis , qui continetur in homicidio casuali occulto. Sed qui dixerit , ea quinque argumenta esse probabilia ; urgebitur ea consequentia P. Moia , scilicet eam disiunctivam initio propositam esse veram , vel non esse probabilem eam opinionem de absolutione irregularitatis ex delicto virtute Cruciatæ ; vel esse probabile, quòd possit absolvi virtute ejusdem ab irregularitate ex homicidio voluntario ; cùm tamen hoc secundum sit ingens absurdum .

41 Sed hinc offendimus in illud barathrum , quòd velint nonnulli suadere , esse probabile , quòd confessarius virtute Cruciatæ possit absolvere ab irregularitate ex homicidio voluntario . Et licèt adeò absurda sit ea opinio , non destituitur patronis . Nam id esse probabile (ut refert P. Matthæus de Moia *tom.1. select. tract.5.*

tract. 5. quæst. 5. num.13. & 14) censuit Ludovicus à Conceptione *tom.3. tract. 1. §.12. verb. Opinio. 1. num.16.* & Leander à Murcia *in quæstionibus regularibus cap.7. qu 8. num.62.* licet ille secundus solùm extendat ad irregularitatem ex homicidio casuali occulto ; primus verò ad omnem irregularitatem ortam ex homicidio voluntario.

42 Ego quidem censeo, dignam esse hanc materiam, super qua consulatur Romana Cathedra, in qua consultatione spero damnatum iri tamquam certò falsam ejusmodi opinionem. Etenim Romani Pontifices maximam habent difficultatem in concedendis his dispensationibus circà irregularitatem ex homicidio voluntario, aut casuali occulto, sive publico. Ad quam dispensationem, magnam præmittunt deliberationem, nec volunt proprio judicio rem determinare; sed eam committunt sacræ Congregationi Cardinalium interpretum Concilii Tridentini. Quis ergo credat, Pontifices, qui tam difficulter dispensant in hac irregularitate, & cum adeò maturo consilio; id ipsum commisisse cuilibet confessario, ut pro suo privato judicio virtute Cruciatæ facillimè tollat eam irregularitatem? Maximè cùm ea opinio, quæ id concedit confessario, tam frivolis nitatur rationibus, quas capite sequenti examinabimus.

43 Quanta autem sit hæc difficultas, & deliberatio Summorum Pontificum, & qua praxi utantur in concedendis his dispensationibus, refert Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum *lib. 5. cap.1.* ubi sic ait *num.3.* [Summus Pontifex in dispensationibus hujusmodi concedendis non parum difficilem se reddit, nimisque ab eis abhorret; cùm abominabile sit, quòd effundens sanguinem humanum, offerat sanguinem Christi, & Hostiam immaculatam, vel officium Deo ad altaris ministerium præstet.]

44 Et *num.5.* subjungit: [Sicut etiam magnopere attendi consuevit tempus perpetrati delicti, an videlicet homicidium ipsum sit recens, vel antiquum: nam si est de recenti patratum, magis punitur, ac difficilius datur dispensatio, ac remittitur, quàm antiquum; & tanto minus conceditur dispensatio hæc ab eodem summo Pontifice, si homicidium prædictum sub illius Pontificatu patratum fuerit.]

45 Et *num.13.* refert stylum, quo procedunt Pontifices in deliberatione hujus dispensationis. Sic enim ait: [Nec ita passim hujusmodi supplicationes signantur à Papa, nisi, postquam porrectæ fuerint Domino Datario, ab eodem prius remittantur ad Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini, ubi ipsæ supplicationes proponuntur, discutiuntur, & planè examinantur; ut inde discernatur, an gratia sit concedenda, vel deneganda: quòd si videatur concedenda, remittitur supplicatio ad Datarium cum his verbis, in illius calce appositis, scilicet, *videtur signanda, si Sanctissimo placuerit*: Et hoc modo postmodum signabitur, & expedietur per registrum secretum, additis prius, post secundam illius partem, verbis, seu clausulis restrictivis, & idem erit de homicidio casuali,] &c.

46 Et *num.15.* subdit: [Pro Presbytero autem, qui homicidium commisit in rixa, semper consuevit committi Ordinario, qui constito sibi, homicidium hujusmodi in subitanea, & improvisa rixa per oratorem fuisse commissum, & aliàs narrata esse vera, ipsum oratorem absolvat, injuncta ei aliqua pœnitentia salutari arbitrio suo, & eum eo dispenset: ipsoque oratore ab executione suorum ordinum, arbitrio ejusdem Ordinarii suspenso. Quod si ipse Presbyter fuerit aliquomodo culpabilis, dabitur decretum, ut ab Ordinario absolvatur, injuncta ei gravi pœnitentia salutari, quæ cæteros deterreat à similibus committendis: ipsoque oratore ab executione suorum ordinum ad decennium, & deinde arbitrio ejusdem Ordinarii suspenso, & dummodo orator non celebret in loco commissi delicti: & quandoque (quod idem est) in Ecclesia loci, ubi commissum fuit delictum, numquam celebret. Quod si fuerint duæ Ecclesiæ æquè viciniores loco delicti, intelligitur de utroque, ut declaravit Clemens VIII.

47 Et *num.19.* addit: [Ubi ratio ita postulat, additur clausula, *habita prius pace ab hæredibus defuncti*, si in supplicatione non erat expressum.] Et *num.20.* subjungit: [Et quamvis idem dicendum videretur de irregularitate contracta ex homicidio proveniente ex veneficio, attamen sciendum est, quod in his dispensationibus concedendis, se Summus Pontifex difficiliorem reddit: quia plus est, hominem veneno interficere, quàm gladio occidere, & proptereà licet eadem sit irregularitas, sicut in homicidiis voluntariis; attamen in his casibus Papa difficilius dispensat, propter atrocitatem, & proditionem, ut sciunt Curiales.]

48 Et ibidem agens de hujusmodi dispensationibus obtinendis per sacram pœnitentiariam, subdit: [Ubi dispensatio super hoc non impetratur, nisi maxima cum difficultate, & propter gravissimas causas; nec ibi prævalent favores, aut personarum contemplationes: nam si Presbyter, qui tale delictum patravit, non poterit abstinere ab executione ordinum sine scandalo; tunc committitor discreto viro confessori, &c. qui, si ita est, ipsum oratorem, audita prius ipsius Sacramentali confessione, absolvat, injuncta ei gravi, & perpetua pœnitentia salutari, ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso. Et quandoque dispensatur, ut possit suos ordines exercere, & in altaris ministerio ministrare, si ob scandalum, non valet à præmissis abstinere: ac propterea additur clausula; *& dummodo ipse orator ab executione ordinum abstinere non valeat sine scandalo, cum eo dispenses*, &c. Hæc tamen causa scandali vitandi non semper consuevit admitti in his, & similibus casibus: nam si explicabitur, quòd aliàs orirentur scandala, respondebitur; *si timet scandala, discedat*.]

49 Et *num.21.* superaddit. [Pro presbytero autem, qui alium presbyterum interfecit, ex gravissimis etiam causis, dari consueverunt absolutio, & dispensatio super irregularitate inde contracta; injuncta ei pro modo culpæ gravissima, & perpetua pœnitentia salutari, per quam corpus acriter affligatur, ac sentiat atrocitatem admissi sceleris, ut inde animæ suæ plenius consulatur; injunctis etiam eleemosynis pro modo facultatum ipsius oratoris, piis orationibus, & celebratione missarum pro anima defuncti; quodque iis, quibus presbyter occisus, dum viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciat, & subveniat in eo, in quo tenetur.]

50 Vides quanta eum difficultate, deliberatione, & circumspectione concedant Pontifices dispensationes super hac irregularitate. Quod omnino esset frustraneum, immò & stultum, si indulsissent, ut confessarii virtute Cruciatæ tollere possent pro arbitrio suo hujusmodi irregularitates. Ad quid enim deservit ex consultatio Congregationis Cardinalium, si confessarius, aliquando indoctus, potest suo arbitrio hanc causam resolvere? Ad quid protrahitur tempus vacandi ab usu ordinum usque ad decennium, si à primo die patrati delicti potest confessarius rem totam concludere? Ad quid hujusmodi irregularis adibit Romanam Curiam, ut tam difficilem obtineat dispensationem, & cum eo onere non celebrandi in eadem Ecclesia; & sub ea contingentia, ut denegetur ei dispensatio, & sibi dicatur, quòd *si timet scandala, discedat*; & cum onere pœnitentiæ perpetuæ, quæ corpus affligat; si totum hoc facillimè potest à confessario impetrare absque iis oneribus, & requisitis?

51 Deinde absurdum est dicere, quòd Pontifex concedat cuilibet confessario, quòd Concilium Tridentinum negavit Episcopis *sess.24 cap 6. de reform.* ubi Episcopis conceditur dispensare *in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario*.

52 Aliud autem absurdum sequeretur, nempe quòd majorem potestatem haberet confessarius virtute Cruciatæ, quam habet ipse Commissarius Generalis Cruciatæ; cui expressè denegatur potestas dispensandi in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario.

53 Tertium etiam absurdum sequeretur, nam in aliquibus concessionibus Jubilæi concedit Pontifex, quod confessarii possint dispensare in irregularitatibus, excipiendo semper illam, quæ est ex Bigamia, & homicidio voluntario. Sequeretur autem, quòd clausula absolvendi simpliciter ab omnibus censuris (qualis ponitur in Bulla Cruciatæ) majoris virtutis esset, quàm clausula, quæ dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris, & dispensandi in irregularitatibus; quia in hac secunda excipitur ea, quæ est ex Bigamia, & homicidio voluntario.

54 Et quidem hæc mihi sufficiunt, ut credam, esse omnino improbabile, quod possit confessarius virtute Cruciatæ absolvere ab irregularitate contracta ex homicidio. Et iste quidem est casus, in quo adversarii procedunt discursu præpostero, ut notavi *in 1. part. Curs. Theolog. disp.8.* ubi adverti, dum ex præmissis, quæ probabiles reputantur, eliciunt conclusionem, quæ aliunde est improbabilis; ne dicant, eam conclusionem esse probabilem propter præmissas, quæ videntur probabiles, sed è converso aliquam ex præmissis jam non esse probabilem propter conclusionem improbabilem: illud enim antecedens improbabile est, ex quo infertur consequens improbabile; ut evidens est in dialectica.

55 Hujus rei aliqua exempla proposui in ea *disp 8.* quale est illud de opinione asserentium, pueros rationis compotes ante septennium non teneri legibus Ecclesiæ: quæ opinio si universalissimè accipiatur, est improbabilis: est enim improbabile, quod possint accipere sacram synaxim non jejuni; cùm tamen hæc lex non sit juris Divini, sed Ecclesiastici.

56 Sic etiam opinio multorum docet, non incurri pœnam ab ignorante illam: quæ tamen opinio si universalissimè accipiatur, est improbabilis. Nam duplex illud impedimentum criminis, & impedimentum raptus, quæ dirimunt matrimonium, improbabile est, quod non incurrantur ab ignorante eam pœnam, quæ quidem imponitur propter ea delicta. Unde ex hoc consequente improbabili redditur improbabilis ea opinio universalissimè sumpta, nisi aliqua limitatione coerceatur.

57 Discurrunt ergo præposterè, qui sic arguunt. [Probabile est, quòd confessarius virtute Cruciatæ absolvit ab irregularitate, quæ dumtaxat est pœna delicti: sed irregularitas ex homicidio probabile est, quod est dumtaxat pœna delicti: ergo probabile est, quòd confessarius virtute Cruciatæ absolvit ab irregularitate ex homicidio.]

58 In quo tamen procedere deberent inverso ordine. Nempe [Si confessarius virtute Cruciatæ posset absolvere ab irregularitate, quæ solùm provenit ex delicto, posset absolvere ab irregu-

regularitate, quæ provenit ex homicidio, quatenus probabile est, quòd hæc irregularitas solùm est pœna delicti: sed improbabile est, quòd possit absolvere ab irregularitate, quæ est ex homicidio: ergo improbabile est, quod confessarius virtute Cruciatæ possit absolvere ab irregularitate, quæ solum provenit ex delicto.

59 Nec novum videri debet, quod una opinio, quæ olim reputabatur probabilis, modò cognoscatur esse improbabilis. Sic enim semper accidere debet, quoties denuo apparet aliqua conclusio improbabilis, quæ manifestè inferatur ex præmissis, quæ olim videbantur probabiles; ut tradidi *disp.8. cit.*

CAPUT V.

Quam levia sint fundamenta partis opposita.

SUMMARIUM.

An opposita opinio nitatur fundamento levissimo? n.60.
An censura sit solùm ea pœna, quæ ordinatur ad correctionem? num.61.
An ex opposito sequeretur, quòd quis posset absolvi à degradatione, & ab impedimentis dirimentibus? n.62.
An in summario Cruciatæ redundent verba ex errore ministri? n.64.
An in Bullis redundent verba synonima? n.65. & seq.
An separatio à communione Eucharistiæ sit pœna, ad quam referuntur verba generalia Bullæ? n.68.
An privilegia Bullæ non sint extendenda, nisi quantum cum probabili fundamento possunt? n.69. & seq.
Quare plures Authores citati pro ea opinione Soti non faciant securam probabilitatem? n.72. & seq.

60 JUre meritò dixit P. Suarez relatus *cap.2.* illam opinionem Soti nullo texto, ratione, vel authoritate probari; quia argumenta, quæ afferuntur ab Authoribus hujus opinionis, adeò levia sunt, ut pro nihilo sint reputanda. Et hoc erat sufficiens ad negandam probabilitatem ejus opinionis; quamvis non repugnaret adeò clarè definitioni Innocentii III. & reliquis principiis certis, quæ in proximis capitibus ostendimus. Implicat enim esse probabilem opinionem, quæ nititur fundamento levi.

61 Obiiciunt primò. Censura nihil aliud est, quàm pœna Ecclesiastica: sed irregularitas imposita propter delictum est pœna Ecclesiastica: ergo irregularitas imposita propter delictum censura est; atque adeò poterit confessarius absolvere ab ea virtute Cruciatæ.

62 Respondeo, maiorem in suo sensu universali falsam esse, & ideò negandam. Vel juxta supradicta distinguendam: pœna enim Ecclesiastica, quæ ordinatur ad correctionem est censura; non autem illa, quæ ad correctionem non ordinatur, sed solùm ad punitionem. Vel distingue sic: videlicet quod pœna Ecclesiastica, quæ imponitur per modum inhabilitatis perpetuæ, vel ad certum tempus, non est censura; benè tamen illa, quæ non sic imponitur.

63 Responsio tradita patet ex dictis. Quod etiam constat: quia si quævis pœna Ecclesiastica esset censura, ita ut ab ea absolvi posset virtute Cruciatæ; etiam degradatio, quia est pœna Ecclesiastica, esset censura. Unde fieret, quòd Sacerdos degradatus hodie propter atrocia delicta cras absolvi posset virtute Cruciatæ à degradatione; & posset eadem die celebrare: qui esset error gravissimo scandalo plenus. Quod etiam argumentum militat in impedimentis criminis, & raptus matrimonium dirimentibus; ut supra perpendimus.

64 Obiiciunt secundò. In Bulla Pii IV. anno 1565. conceditur confessario facultas absolvendi ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, & subjungitur, *y de todas las censuras, y penas Ecclesiasticas:* ergo præter eas tres censuras memoratas in Bulla, sunt etiam aliæ censuræ: ergo irregularitas continebitur sub nomine censuræ.

65 Respondeo, ea verba, quæ afferuntur Hispani idiomatis, non esse verba Bullæ, sed summarii, quod conficit minister Commissarii generalis Cruciatæ; minister autem non solet esse peritissimus juris: & ideò non est mirum, quòd erraverit quo ad hoc.

66 Secundò respondeo, id sine errore potuisse apponi in Bulla pro solita multiplicatione verborum, quæ in Bullis, & instrumentis publicis solent apponi, ita ut eadem res per plura vocabula synonima significetur, ut cum pluribus notavit Augustin. Barbosa *in cap. Quærenti. de verbor. signif.* Et ita cum in Bulla propositæ sint in specie illæ tres censuræ, posteà eædem vocabulo universali significantur. Et nota non dici, *& à reliquis censuris*, sed *& ab omnibus censuris*, in quo satis clarè agnoscitur discrimen. Nam si dixisset à *reliquis*, denotaret esse alias censuras præter tres: cum autem solum dicat *ab omnibus*, id est dumtaxat repetitio trium censurarum.

67 Obiiciunt tertiò. In omnibus Bullis Cruciatæ indulgetur, ut confessarius possit absolvere à censuris, & pœnis: ergo quamvis irregularitas ex delicto proveniens non contineatur sub nomine censuræ, saltem continebitur sub nomine pœnæ, quæ enim alia pœna potest intelligi magis propriè, quàm irregularitas ex delicto?

68 Respondeo primò ad normam solutionis præcedentis, eam dictionem *pœnis* esse repetitionem eodem modo, quo supra diximus. Respondeo secundò cum Navarro in summa latina *cap.27. n.254.* eam dictionem poni propter eam pœnam, *qua aliquot canones pœnitentiales mandant arceri quem intra aliquod tempus à communione* scilicet Eucharistiæ. *cap. Presbyt. 82. dist. & cap. De his vero. 33. q.2.* Et cum *August. Barbos. in cap. Quærenti. de verb. signif.* ea dictio *pœnis* ponitur etiam propter quoddam genus excommunicationis, quæ solùm privat externa societate fidelium, quæ olim magis erat in usu, & aliquod ejus vestigium remanet apud Monachos nigros S. Benedicti. Quæ duæ pœnæ quia imponebantur propter correctionem ad similitudinem censuræ, per absolutionem tollebantur.

69 Obiiciunt quartò. Privilegia Cruciatæ latissimè interpretanda sunt, ut tenent omnes: ergo dum conceditur in Bulla facultas absolvendi à censuris, id etiam extendendum est ad irregularitatem, quæ est pœna.

70 Ad hoc respondet P. Suarez *tom.5. in 3. part. disp.1. sect.3. num..* [Intelligendum hoc est, quantum cum probabili ratione, aut fundamento possunt (extendi) hic autem nullum invenitur: quia si irregularitas censura non est, ut revera non est, potestas, quæ ex vi verborum privilegii limitata est ad censuras, non potest rationabiliter ad aliquam irregularitatem extendi.]

71 Quòd si eadem objectio instauretur circa eam dictionem à pœnis, ut propterea id privilegium extendendum sit ad irregularitatem, quæ est pœna. Respondendum est eodem modo, quòd privilegium extendendum est, quantum cùm probabili ratione extendi potest: nulla autem ratio probabilis est, ut extendatur, nisi ad solas eas pœnas, quæ tolluntur per absolutionem; neque ulla ratio probabilis est, ut irregularitas dicatur tolli per absolutionem, ut constat ex supradictis.

72 Obiicies quintò. Unus Author doctus, & probus sufficit ad probabilitatem opinionis: sed hanc opinionem, quòd irregularitas ex delicto sit censura, docent, non unus, sed quindecim relati *cap.1.* ergo ea opinio absque dubio erit probabilis.

73 Sed ex dictis *in 1. par. Crif. Theolog. disp.11.* Hæc objectio non urget. Primò. Quia contra sententiam ex principiis intrinsecis certam nulla prævalet authoritas privata scriptorum, ut tenent omnes Doctores, quos retuli in ea *disp.11. cap.4.* & ex ibidem dictis constat, esse exceptionem contra authoritatem Doctorum, quòd asserant contra principium certum. Quàm autem certa sit nostra sententia, & quàm certa moraliter principia, quibus nititur, ex toto disputationum decursu satis constat.

74 Deinde est etiam exceptio contra authoritatem Doctoris, quòd tradat opinionem ex levibus fundamentis. Et in hoc nihil prodest authorum multitudo. Et ideò P. Suarez *tom.1. de Relig. lib.2.* de diebus festis *cap.14. num.2.* opinionem decem authorum censet practicè improbabilem, subjungens. *Neque enim sufficit multitudo authorum sine ratione, aut fundamento probabili, maximè in re, quæ multùm potest urgere contra bonos mores.* Vide ex *disp.11. cap.8. art.2.* & P. Thomas Sanchez *lib 3. de matrim. disp.44. nu.3.* de quadam opinione septem authorum asserit, ab illa recedendum esse, & subjungit, *non esse credendum Doctoribus, quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento.* Vide in citato *cap.8. art.1.* Quàm autem sint levia fundamenta adversæ opinionis, satis constat ex dictis.

75 Deinde considerandum est, an reliqui authores, qui citantur, nitantur sola authoritate Soti, & posteriores sola authoritate priorum. Nam qui sola authoritate priorum nituntur, non addunt probabilitatem; ut ostendi in *1. part. Crif. disp.11.*

76 Præterea considerandum est, an Authores ejus opinionis sint ex illis, qui diligenter discutiunt utrimque fundamenta opinionis: quæ quidem Sotus videtur non diligenter discussisse; præcipuè cùm P. Suarez supra citatus dixerit, eam opinionem Soti *nullo texto, ratione, vel authoritate probari.* Et alibi dixerit, neque iuri, neque traditioni Doctorum, *neque praxi Romanæ Curiæ, neque rationi consentaneam esse.* Immò addit, Sotum non solùm non respondisse ad textum suffragantem oppositæ parti, sed neque illius mentionem fecisse.

DISPUTATIO LXXVI.

An sit dubiæ probabilitatis opinio asserens, tempore pestis non teneri Parochum administrare Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ unctionis?

CAPUT PRIMUM.

Refertur ea opinio cum suis fundamentis.

SUMMARIUM.

Opinio Dianæ, quòd Gregorius XIII. declaraverit non teneri Parochum ad hæc Sacramenta. n.1.
Eam declarationem esse suspectæ fidei, immò & falsam. n.2.
Decretum Concilii Mediolanensis de ministrandis his Sacramentis tempore pestis. n.3.

An

An sit habenda fides declarationibus Cardinalium, cùm non videatur in authentica forma? nu. 4.
Quid possit authoritas scriptorum in hoc puncto? nu. 5.

1 ANtoninus Diana *part. 5. tract. 3. resol. 53.* postquam proposuit sententiam, quæ affirmat, teneri Parochum ad administrandum Sacramentum Eucharistiæ; subjungit sequentia: [Sed ipse (Marchinus de bello Diu *part. 3. cap. 2.*) *ibi num. 4. & sequent.* & meritò contrariam sententiam docet cum Philiarcho de off. Sacerd. *lib. 4. cap. 3.* Majolo de Irregular. *lib. 2. cap. 20. num. 3.* Benzonio in specul. Episcopor. *lib. 1. disp. 7. qu. 1. conclus. 6.* Tabiena *verb. Episcopus, num. 5.* & aliis. Et ita definivit Gregorius XIII. anno 1577. die 10. Decembris in quadam epistola ad Cardinalem S. Praxedis Carolum Borromæum, nunc inter Divos evocatum, auditis Cardinalium votis, sequentis tenoris. *Die 10. Decembr. 1577. facta Sanctissimo relatione in Consistorio, Sanctissimus decrevit, subscribendas esse simpliciter litteras ad Cardinalem Sanctæ Praxedis die 13. ejusdem mensis. Congregatio censuit, scribendas esse litteras in hanc formam. Parochi tempore pestes teneantur omnino in suis Ecclesiis parochialibus, &c. Ministrent verò Parochianis peste infectis Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptismi per alios. Licèt Alciatus diceret, quòd ex duobus ultimis verbis videatur prohiberi, ne Parochi etiam volentes, per seipsos hæc duo Sacramenta ministrent; tamen tota Congregatio dixit, quòd ista erat mens Sanctissimi in prohibendo hæc Parochis ad commodum Parochianorum, qui sani essent. Hi enim verisimiliter nollent conversari cum Parochis euntibus ad infirmos peste.* Ita sacra Congregatio. Et hæc opinio intelligenda, ubi Parochus pestilentum confessiones audivit, & absolvit; secus autem si infirmus non valuit confiteri, quia amisit loquelam, vel est surdus, vel si adsit tantùm Diaconus pro administratione hujus Sacramenti.] Hucusque Diana. Qui id duplex fundamentum affert pro sua sententia, & authoritatem quinque scriptorum, & præcipuè declarationem Gregorii XIII. factam per sacram Congregationem.

2 Et ut ab hoc ultimo initium ducamus, ea declaratio mihi valde suspecta est adeo, ut credam illam esse fictam ab aliquo, & absque sufficienti fundamento allatam; atque adeò Pontificem id non declarasse. Moveor. Nam hæc epistola dicitur missa ad S. Carolum Borromeum anno 1577. Mox verò anno 1579. celebravit idem S. Carolus Concilium quintum Provinciale Mediolanense, cui adfuerunt sexdecim Episcopi; cui præfuit idem S. Carolus; & in prædicto Concilio præcipitur Parochis, ut infectis peste ministrent Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ unctionis. Quo modo ergo S. Carolus obedientiæ Christianæ prototypus, auderet decernere in Concilio sanctionem oppositam declarationi Pontificiæ; maximè cum adhuc superstes esset idem Romanus Pontifex? Quis credat S. Carolum in hac contrarietate non consulturum esse Romanam Cathedram, ut mentem illius exploraret, & ab ejus declaratione ne latum quidem unguem discederet? Quis credat, si S. Carolus aliter intellexit declarationem Pontificis, non redditurum esse rationem hujus intelligentiæ in Concilio, ne videretur contrarius doctrinæ, & declarationi Romanæ Cathedræ? Deinde injusta esset sanctio Concilii, præscribens Parochis administrationem eorum Sacramentorum in eo casu, in quo eorum vita periclitabatur propter contagionem; si Parochi ex declaratione Romani Pontificis non habebant obligationem ea administrandi, ut notat P. Suarez verbis infra referendis. *Episcopi autem illos compellunt ad Eucharistiam ministrandam: quod non esset justum, si ipsi ex vi officii non tenerentur.*

3 Decretum autem Concilii V. Mediolanensis part. 2. Constitutionum sub tit. *Cura spiritualis sigillatim unicuique, &c.* sic se habet. *Sacram autem Eucharistiam (nisi ob vomitum, aliudve impedimentum necesse est aliquid mora interponi) quam primùm pro Viatico ægrotanti, etiam si cibum sumpserit, omnino ministrabit; nisi manifestò appareat, illum à morbo convalescere. Pestilentia enim ægrotans in eo statu versatur, ut timendum sit, ne vel ad punctum temporis mortem obeat. Quare Extremæ etiam Unctionis Sacramentum sine cunctatione, moraque ei ministrare poterit.* Vbi notandum est id verbum, *Omnino ministrabit:* id enim denotat, id esse præscisse necessarium, & ex nulla causa excusandum.

4 Et quidem si Diana diceret, se vidisse decretum Congregationis in forma authentica, fortasse majorem fidem haberemus ejus dicto: sed nihil tale dicit, immò neque citat Authorem, apud quem illud legerit. Præcipuè cùm his declarationibus simplici scriptorum dicto relatis tenuis fides habeatur; immò verò nullam fidem habendam illis esse, nisi in authentica forma videantur, decreto ipsius sacræ Congreg. sancitum est. Nam cum facta fuerit editio Concilii Tridentini cum declarationibus sacræ Congregationis, ea editio interdicta fuit primum; deinde permissa sub ea conditione, quod initio libri apponeretur hæc clausula. *His declarationibus sacræ Congregationis Concilii nullam fidem esse in judicio, vel extra à quoquam adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem sacræ Congregationis pro tempore existentium, munitus fuerit, &c.* Et ita legitur hæc declaratio in novis editionibus Concilii, in quibus extant prædictæ declarationes typis simul excusæ.

5 Quod attinet ad alterum fundamentum desumptum ab authoritate eorum quinque Scriptorum, illud quidem parum urget. Nam contra principia certa nulla valet authoritas, ut constat ex sæpe dictis *disp. 55. & 56. & in 1. part. Crist. Theolog. disput. 11.* maximè cùm authores non discutiunt exactè, & diligenter fundamenta utriusque partis, neq; respondent ad argumenta partis oppositæ.

CAPUT II.

Proponitur, & roboratur vera, & certa sententia.

ARTICULUS I.

Præmittitur, quanta sit obligatio Episcopi, & Parochi ad succurrendum subdito in gravi necessitate spirituali constituto.

SUMMARIUM.

Triplex genus necessitatis spiritualis. nu. 6.
An Pastor teneatur etiam cum periculo vitæ succurrere subdito in gravi necessitate spirituali? nu. 7.
Quæ sit mens S. Augustini circa hoc punctum? nu. 8.
Quare præferendum est bonum spirituale proximi proprio corpori? num. 9.
An omnes teneantur succurrere proximo etiam cum periculo vitæ in ejus spirituali necessitate extrema? Et an Pastor etiam in gravi? nu. 10.
Quæ sit ratio hujus majoris obligationis in Pastore? nu. 11.
Triplex ratio hujus obligationis. nu. 12.
An etiam in magna utilitate spirituali proximi teneatur Pastor subvenire cum periculo magni dispendii temporalis? n. 13.

6 SIcut in materia eleemosynę distinguunt Theologi necessitatem extremam, gravem, & communem, ita etiam pro obligatione impendendi subsidium spirituale, distinguunt idem triplex genus necessitatis spiritualis. Necessitas spiritualis extrema est, cùm proximus versatur in periculo proximo damnationis æternæ. Et licet possit esse necessitas extrema, cùm proximus est in periculo proximo labendi in peccatum mortale ea vehementia passionis, & tentationis gravitate; modò tamen de ea non loquimur. Necessitas spiritualis gravis est, quando licèt non sit periculum proximum æternæ damnationis, sunt tamen circunstantiæ, quæ salutem æternam reddunt difficilem. Necessitas spiritualis communis est, quam patiuntur communiter peccatores criminibus irretiti.

7 Vt ergo viam præmuniamus præcipuæ assertioni, præmittendum est, Episcopum, & Parochum, & quemcumque alium, cui incumbit cura animarum, teneri strictissima obligatione, etiam cum periculo cujuscumque detrimenti temporalis, immò & propriæ vitæ, succurrendi subdito, in gravi necessitate spirituali constituto. Ita S. Thomas 2. 2. *qu. 26. art. 5. & quæst. 185. art. 5.* & P. Suarez de Charit. *quæst. 1. punct. 2. §. Quarto dico.* P. Granado *2. controv. 3. de Charit. tract. 7. disput. 4. num. 4.* P. Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 9.* P. Ægidius de Coninck de Charit. *disp. 25. dub. 7. conclus. 1. & 3.* Mag. Aravio 2. 2. *qu. 26. art. 4. dub. 2. concl. 1. & 2.* Mag. Bañez *ibid. concl. 4.* Aragon *ibid. qu. 2.* Navarrus in Manual. *cap. 2.* & Illustriss. Tapia *tom. 2. caten. moral. lib. 3. qu. 2. art. 5.* qui citat etiam S. Thomam *opusc. 18. cap. 16.*

8 Qui omnes didicerunt à S. Augustino *epist. 180.* ad Honorat. ubi agens de obligatione Episcoporum, inquit. *Magis timemus, ne membra corporis Christi, destituta spirituali victu, necentur; quam ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur.* Nisi fortè *quisquam contenderit, non esse ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium.*

9 Quare autem bonum spirituale proximi præferendum sit cuilibet bono temporali nostro, etiam vitæ corporalis propriæ, rationem tradit S. Thomas in ea *qu. 26. artic. 5.* illis verbis. *Illud magis est ex charitate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate, ut dictum est. Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus. Et ideò proximum, quantum ad salutem animæ, magis debemus diligere, quàm proprium corpus.* Et ex his inferius colligit: *Et ideò non est de necessitate charitatis, quòd homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere.* Quam doctrinam Doctor Angelicus didicit à S. Augustino *lib. 1. de doctrina Christ. cap. 27.* ubi sic ait: *Ampliùs alius homo diligendus, quàm corpus nostrum, quia potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus.*

10 Ex his inferunt Theologi, quemlibet fidelem teneri ad conferendum subsidium spirituale proximo, etiam cum periculo vitæ, si proximus constitutus sit in extrema necessitate spirituali; id enim tradunt omnes Doctores supra citati. Episcopum autem, & Parochum teneri eodem modo, etiam cum periculo vitæ, non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali proximi sibi subditi.

11 Ratio autem, ob quam obligatio Episcopi, & Parochi protrahatur etiam ad necessitatem gravem, est, quam tradidit P. Suarez supra citatus *num. 4.* ubi ait: *Si intervenit obligatio justitiæ, & ex officio, ut in Episcopo, & Parocho, non solùm in extrema, sed etiam in gravi obligabit; ut D. Thomas citatus artic. 5. docet, & infra in ead. 2. 2. quæst.*

qu. 185. artic. 5. & tradunt alii scholastici communiter; atque etiam Pavres non rard. Ratio est: quia ratione officii, & stipendii ad hoc obligatur: & intervenit quasi pactum inter oves, & pastorem; ut illæ alant pastorem, hic verò subveniat illis, quando maxime indigent. Sicut etiam dux maximè tenetur adesse exercitui in periculo, & conflictu; & Magistratus sæcularis tenetur defendere civem innocentem in gravi necessitate cum suo periculo, ratione officii. Aliam rationem addidit 3 *part. disp. 44. sect. 3. num.* 18. his verbis. *In extrema necessitate etiam illi obligantur, qui pastores non sunt: plus ergo debet obligari pastor.*

12 In quibus periodis hujus Doctoris Eximii continentur tria argumenta pro conclusione. Primum desumitur ex pacto, quod intercedit inter pastorem, & oves, & ad quod ipse pastor se obligat, dum assumit officium pastoris; quod officium cum hoc onere venit. Secundum argumentum desumitur à paritate ducis, qui tenetur non deserere milites in conflictu, etiam cum periculo propriæ vitæ. Sicut etiam à paritate gubernatoris in casu simili. Tertium verò argumentum desumitur ex eo, quòd major est obligatio pastoris, quàm cujuslibet alterius fidelis: sed quilibet alter fidelis tenetur etiam cum periculo vitæ subvenire proximo in extrema necessitate: ergo pastor tenetur subvenire etiam cum periculo vitæ, in gravi necessitate. Si enim pastor non teneretur etiam in gravi, non haberet majorem obligationem, quam quilibet alius fidelis; quod est absurdum.

13 Addendum etiam est, non solùm in gravi necessitate subditi, sed etiam in magna utilitate ejus spirituali teneri pastorem etiam cum periculo magni dispendii temporalis. Sic enim docuit P. Suarez *in ea disp. 9. de Charit. sect. 2. num. 5.* his verbis. *Si accedat obligatio justitiæ, quæ potest intercedere etiam, quando non est necessitas subditorum, est tamen magna utilitas: nam ad hanc procurandam obligat officium, etiam cum aliquo detrimento corporali, quamvis non vitæ, sed inferioris ordinis.*

ARTICULUS II.

Convincitur, teneri Pastorem cum periculo cujuslibet dispendii temporalis providere tempore pestis administrationem Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

Explicatur conclusio. nu. 14.
Auctores suffragantes conclusioni. nu. 15
An moribundus sit in gravi necessitate recipiendi Eucharistiam; & quare? nu 16. & seq.
Argumenta, quæ probant hanc necessitatem gravem, ex Suario. n. 20.
An ea conclusio habeat aliquam limitationem, & quam? nu. 21.
An opposita assertio sit dubiæ probabilitatis? nu 22.

14 CONclusionem in fronte articuli propositam tamquam certam propugno. Dixi *Pastorem*, ut sub eo nomine contineatur tam Episcopus, quàm Parochus, sicut & quivis alius, cui ex officio incumbit cura animarum. Dixi, *cum periculo cujusvis dispendii temporalis*; sub quibus verbis etiam continetur periculum vitæ propriæ, quale solet intercedere tempore pestiferæ luis. Dixi, *providere*, & non dixi, ministrare: quia dummodo resideat Pastor, non tenetur per se ipsum ministrare Sacramenta, sufficit enim si provideat ministros idoneos, & vigilet supra ministrationem.

15 Hanc sententiam propugnat P. Suarez *tom. 4. in 3 part. disp. 44. sect. 3. num.* 17. P. Castro Palao *tom. 4. tract. 21. de Euchar. disput. 11. punct. 14 num.* 4. Lugo Cardin. *disput. 16. de Euchar. sect. 2. numer.* 35. P. Fagundez *in 3. Eccles. praecept. lib. 3. cap. 3. numer. 1*, & apud ipsum Toletus *lib. 4. cap. 10. numer.* 5. Navarrus *in Man. cap. 26. numer. 137. & cap. 24. num. 11. &* 18. Sotus *in 4 dist. 12. quæst. 1. art.* 6. Concilium Compostell. an. 1566 *act. 3 cap.* 37. Enriquez *lib. 8. de Euch. cap. 55. num.* 2. Tabiena *verb. Episcopus. num.* 3. Sà *verbo Charitas. num* 3. Villalobos *part. 1 tract. 4. diff.* 19.

16 Probatur conclusio hoc argumento, quòd apud me habet moralem certitudinem. Pastor tenetur etiam cum periculo vitæ succurrere subdito oppresso gravi necessitate spirituali; ut constat ex art. præced. sed moribundus est in gravi necessitate spirituali recipiendi in eo articulo sacram Eucharistiam: ergo Pastor tenetur succurrere subdito in eo articulo, ministrando ei sacram Eucharistiam.

17 Probatur minor eo argumento quo usus est P. Castro Palao supra citat. in hæc verba *Adde, nullo tempore fidelem magis indigere auxilio hujus Sacramenti* (Eucharistiæ) *quam tempore mortis, utpote in quo diabolus sciens, quia modicum tempus habet, graviores insidias parat, & pro viribus deiicere procurat.*

18 Hoc eodem argumento usus est Card. Lugo loco supra cit. sic differens. [Ex institutione hujus Sacramenti, ut nutrimenti, colligitur, ut vidimus, obligatio sumendi illud, quando *necessarium* putabitur: numquam autem potest *magis esse necessitas* hujus cibi, quam in illo articulo, ex quo pendet ultima æternitas, & imminet ultima lucta cum hoste ad decernendum de tota re.

19 Sed audiendus est P. Suarez (à quo ambo Doctores relati desumpserunt) *tom. 4 in 3. part. disp. 44 sect 3. num.* 17. sic loquens. [Dico tertiò, absolutè teneri, Parochum Viaticum ministrare infirmis tempore pestis cum ordinario periculo contagii, quod in tali occasione esse solet. . . Eamque (conclusionem) confirmat usus Ecclesiæ; nam omnes Parochi timorati hoc observant, etiam si intelligant, ægros esse dispositos per Sacramentum confessionis. Episcopi etiam illos compellunt ad Eucharistiam ministrandam: quod non esset justum, si ipsi ex vi officii non tenerentur. Populo item magnum esset scandalum, si Parochus subditos suos sine Viatico mori sineret: signum ergo est ejusdem obligationis.] Ita ibi P. Suarez.

20 Et statim *num.* 18. magis explicat radicem hujus obligationis, in hæc verba. [Est in hoc Sacramento quædam *necessitas moralis*; vel quia *auxilium*, quod per tale Sacramentum datur, *moraliter necessarium* censetur ad perseverandum in justitia per pœnitentiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrentes: vel etiam quia potest aliquando *conferre gratiam primam*, quam imperfecta pœnitentia prius non contulit. Unde multo major erit hæc necessitas, si fortasse Sacramentum pœnitentiæ administrari non potuit; ut quia infirmus non sentit aliquid, vel quia non adest Sacerdos, sed tantùm Diaconus. Quibus etiam accedit fructus essentialis ipsius Viatici, qui magni momenti est, & præferendus multis incommodis temporalibus. Ex quibus omnibus simul sumptis, & prudenter consideratis insurgit quædam *necessitas*, quæ licèt non sit extrema, videtur tamen esse *valdè gravis*; atque adeo sufficiens ad obligandum Parochum, qui non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitia obligatur: & ideò non tantùm in extrema, sed etiam in *gravi necessitate* subditi obligatur cum aliquo periculo communi, & ordinario talis (contagiosæ) ægritudinis. Nam in extrema necessitate etiam illi obligantur, qui Pastores non sunt: plus ergo debet obligari Pastor. Unde D. Thomas 2. 2. *quæst.* 184. *art. 7. & quæst. 185. art. 5.* agens de obligatione Pastorum, non requirit ad illam extremam necessitatem, sed opportunitatem, & absolutam necessitatem.] Hæc Suarius.

21 In quibus verbis satis dilucidè expressit P. Suarez omnia capita, ex quibus consurgit gravitas hujus necessitatis moralis, qua afficitur moribundus accipiendi sacram Eucharistiam. Unde ex dictis convincitur, teneri Episcopum providere, & Parochum ministrare per se, vel per substitutum, Sacramentum Eucharistiæ tempore pestis, etiam cum periculo contagii. Quæ assertio limitanda est, ut non subsistat, casu, quo majus detrimentum spirituale sequeretur, ex eo quòd Pastor exponeret periculo vitam. V. g. si ex eo periculo vitæ remansurus esset populus sine Parocho, qui tam necessariò tempore reliquis opitularetur in ministerio spirituali: quia bonum spirituale unius non est præferendum bono spirituali totius populi.

22 Ex quibus omnibus fit, opinionem Dianæ, & aliorum, quos ipse refert, esse ut minimum, dubiæ probabilitatis; atque adeò ex ea non posse gubernari conscientiam, sed tamquam in dubio practico securiorem partem in praxi amplectendam esse.

CAPUT III.

An tempore pestis teneatur Parochus ministrare Sacramentum Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

An Parochus teneatur ministrare sacram Unctionem cum periculo contagii, casu, quo æger non possit recipere aliud Sacramentum? num. 23.
An eodem modo teneatur, casu, quo æger recepit Sacramentum pœnitentiæ, & non potuit recipere Eucharistiam? n. 24.
An fideles teneantur præcepto recipiendi extremam Unctionem? n. 25.
An quando ægrotus recipit Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, teneatur Parochus ministrare sacram Unctionem cum periculo infectionis? nu 26.
Resolutio difficultatis ex mente Suarii. num. 27. & seq.

23 PRæmitto primò tanquam certum, teneri Parochorum ministrare, etiam cum periculo contagii, sacram Unctionem, si ægrotus peste infectus non potest recipere aliud Sacramentum. Hæc conclusio est certa ex præjactis principiis, & admittit ipse Diana suprà citatus, & communiter Doctores. Nam in extrema necessitate spirituali proximi tenetur Parochus (immò & in defectum Parochi quivis alius minister idoneus) etiam cum periculo vitæ, afferre subsidium spirituale: sed in eo casu proximus est in extrema necessitate spirituali recipiendi sacram Unctionem: ergo Parochus etiam cum periculo contagii tenetur ministrare ei sacram Unctionem. Minor patet. Nam contingens est, eum esse in statu peccati mortalis, atque adeò in periculo damnationis æternæ; à quo evadet per Sacramentum Extremæ Unctionis, receptum cum debita dispositione juxta illud B. Jacobi in sua epist. cap. 15. *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. Et ad hoc non est necesse, quòd certò sciat Parochus, ægrotum esse in statu peccati mortalis. Et ideò bene notavit P. Suarez *in ea disput. 44. cit. sect. 3. num.* 15. ex Adriano, quoties dubitatur verisimiliter de æterna salute proximi, adesse prædictam obligationem, & esse necessitatem gravem.

24 Præmitto secundò, etiam tamquam certum, in casu, quo mori-

moribundus peste infectus recepit Sacramentum pœnitentiæ, & non potuit recipere Eucharistiam, teneri Parochum, etiam cum periculo contagii, ministrare ei Sacramentum extremæ unctionis. Colligitur manifestè ex dictis. Etenim etsi talis ægrotus non censeatur esse in extrema necessitate, est tamen in gravi: Parochus autem in necessitate gravi proximi tenetur ei opitulari, etiam cum periculo vitæ, ut constat ex cap. præced. art. 1. Quòd autem sit in gravi necessitate constitutus, constat ex artic. 2. nam cùm contingens sit, pœnitentiam, ex parte dispositionis pœnitentis, fuisse defectuosam, qui defectus suppletur per aliud Sacramentum; atque adeò forsitan extrema Unctio conferet gratiam primam; ideò in eo casu necessitas hujus Sacramenti censetur gravis; ut optimè notavit P. Suarez relatus artic. proximo. Quibus etiam accedit necessitas vincendi tentationes eo tempore periculoso occurrentes, atque adeò necessitas persistendi in statu gratiæ. Ex qua consideratione augetur gravitas necessitatis spiritualis.

25 Præmitto tertiò, fideles nullo præcepto obligari ad suscipiendum hoc Sacramenaum, scilicet cum jam in periculo mortis susceperint Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ; quia nullum tale præceptum invenitur. Et ita S. Thomas *in 4 dist. 23. artic. 1. quæst. 3. ad 1.* asseruit, hoc Sacramentum non esse de necessitate salutis. Et ideò hanc assertionem propugnant communiter Theologi. Vide P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 44. sect. 1. num. 2.*

26 Quare tota difficultas devolvitur ad hoc punctum, an quando ægrotus recepit utrumque Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, teneatur Parochus tempore contagionis ministrare subdito peste infecto hoc Sacramentum, propter magnam utilitatem auxiliorum, quæ confert ad vincendas tentationes eo tempore occurrentes; atque adeò ad persistendum in statu gratiæ?

27 Cui difficultati tam solidè satisfacit P. Suarez *ea disp. 44 sect. 3. num.* 20. ut ejus verba exhauriant totam difficultatem: quibus rem sic explicat. [Ultimo asserò, Parochos, seu Pastores proprios animarum teneri ministrare Sacramentum extremæ Unctionis in tempore pestis, si id facere possint *sine morali periculo vitæ*; & ad hoc periculum vitandum tenentur adhibere convenientia remedia, prudentium Medicorum arbitrio, ut sine illo (periculo) possint huic operi vacare: absolutè tamen non tenentur ministrare hoc Sacramentum cum morali periculo vitæ corporalis. ‘. Hic enim generalem regulam negativam statuimus, quando vitari non potest morale periculum vitæ corporalis: quia hoc Sacramentum neque est medium necessarium ad salutem, neque ex Divino præcepto: & prætereà supponit jam, per se loquendo, duo alia Sacramenta, quibus sufficienter subvenitur necessitati subditi; & ideò si periculum revera ita immineat, ut hic, & nunc vitari non possit, non sunt obligandi Pastores hoc Sacramentum ministrare. Nihilominus tamen quia hoc etiam Sacramentum *est magnæ utilitatis*, & per se spectat ad ministerium & obligationem Parochorum, tenentur prævenire periculum, si commodè possunt, & tentare remedia convenientia, ut illud *sine periculo probabili* administrent: partim anticipando collationem hujus Sacramenti statim in principio talis ægritudinis, priusquam multum inficere possit; quia cùm hæc ægritudo sit per se lethalis, & aliàs sit adeò noxia, & contagiosa, non oportet aliquem terminum ejus expectare, ut hoc Sacramentum detur, sed statim à principio dari potest: partim procurando, ut in loco puro & libero æger constituatur sine vestibus quoad fieri possit, ut minus sit contagii periculum: partim utendo aliqua virgula argentea oblongiori, ad ungendum à distantiori loco: partim adhibendo ea, quæ purè essentialia sunt, & brevissima mora, quoad fieri possit: denique sumendo alia antidota, ac præservativa, quæ ad hoc conferre possunt. Nam, si his omnibus adhibitis remediis, judicio peritorum Medicorum non sit morale periculum contagii, non sunt excusandi Parochi ab hoc munere, etiam si fortasse sit aliquod *dubium*, quòd sæpe nascitur potius *ex nimio timore*, quàm ex re ipsa. Atque hoc observatum est in usu inter viros prudentes, ac timoratos.] Hęc P. Suarius.

28 Juxta quam assertionem dicendum est, in casu, quo tempore pestis, ægrotans suscepit utrumque Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, si ex ministratione sacræ Unctionis Parochus incursurus est *periculum proximum* infectionis, judicio peritorum Medicorum, non tenetur illi ægroto prarbere sacram Unctionem. Si vero id periculum fiat *remotum* per adhibitionem eorum mediorum, quæ in periodo antecedenti proponit P. Suarez, aut aliàs judicio peritorum Medicorum non sit proximum, tenetur illam Parochus ministrare. Et ideò in verbis relatis supra *num. 3.* ex Concilio V. Mediolanensi de Sacramento Eucharistiæ dicitur, *omnino ministrabit*; de Sacramento vero extremæ Unctionis dicitur, *ministrare poterit*.

DISPUTATIO LXXVII.

Confirmatio nostra doctrina ex decreto novissimo SS. D. N. Innocentii XI.

CAPUT I.

Proponitur Decretum.

NON EGET SUMMARIO.

1 Post impositam ultimam manum huic tertiæ parti Crisis Theologicæ prodiit decretum sacræ Congregationis, Romanæ & universalis Inquisitionis, die 4. Martii ann. 1679. quòd Ss. D. Innocentius XI. promulgari jussit; in quo damnantur tamquam scandalosæ, & prohibentur sexaginta quinque opiniones in materia morum. Et decretum est tenoris sequentis.

2 Feria 5. die .. Martii 1679 in generali Congregatione sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

3 Sanctissimus D. N: Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarũ pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpius discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis; idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem I.
probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem II.
etiam minus probabilem.

Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca III.
quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinio- IV.
ne minus probabili.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm V.
in vita eliceret condemnare non audemus.

Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se VI.
obligare præceptum charitatis erga Deum.

Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habe- VII.
mus aliam viam, qua justificari possumus.

Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, VIII.
non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus ca- IX.
ret culpa, ac defectu veniali.

Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. X.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos XI.
actus externos.

Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. XII.
Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali XIII.
de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non qui- XIV.
dem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hęreditas.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrie- XV.
tate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hęreditate consecutas.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secun- XVI.
dùm se.

Satis est; actum fidei semel in vita elicere. XVII.

Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, XVIII.
ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis XIX.
firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat XX.
supernaturalem.

Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum noti- XXI.
tia solùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

xxii. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

xxiii. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

xxiv. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

xxv. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

xxvi. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

xxvii. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

xxviii. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

xxix. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

xxx. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugit.

xxxi. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

xxxii. Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

xxxiii. Licitum est tam heredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

xxxiv. Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

xxxv. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm, incipere eandem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

xxxvi. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

xxxvii. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

xxxviii. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

xxxix. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

xl. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævię inito, cum intentione lucri.

xli. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

xlii. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.

xliii. Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

xliv. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

xlv. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

xlvi. Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

xlvii. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos; non vero dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

xlviii. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Mollities juræ naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam xlix.
non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, l.
adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum li.
ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalas, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scan- lii.
dalo, si absit contemptus.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus liii.
partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem re- liv.
liquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini lv.
manducationem.

Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter lvi.
vivunt, est nota prædestinationis.

Probabile est, sufficere attritionem naturalem modò honestam. lvii.

Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus lviii.
consuetudinem.

Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ra- lix.
tione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, lx.
Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi ver- lxi.
satur, quam potest, & non vult omittere, quin immò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua lxii.
utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro lxiii.
bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia lxiv.
mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciant Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

Sufficit illa Mysteria semel credidisse. lxv.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii, prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicumque in posterùm se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscripti, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura & nota, necnon à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ super eisdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Ricardus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, indictione secunda, die vero 4. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divina Providentia Papę XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicę Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ ac Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Romę ex Typographia Rever. Cam. Apostolicę. M.DC.LXXIX.

CAPUT II.

Aliqua observanda circà hoc decretum.

SUMMARIUM.

An hoc decretum prodierit immediate ab Innocentio XI.? nu. 3.
An hoc decretum sit Romani Pontificis loquentis ex Cathedra? nu. 4.
An præfatum decretum statutum fuerit ex matura deliberatione? nu. 5.
Aliæ quæstiones circà hoc decretum, n. 6. remissivè.

2 In

2 IN 1. *part. Crif. Theol. disput. 9. cap. 20.* per plures articulos discussi quæstiones varias maximè conducentes ad eum finem, ut apud omnes certum esse debeat, ejusmodi propositiones damnatas nullatenus posse ad praxim reduci. Et ex ibidem dictis breviter circà hoc decretum similia adnotabo.

3 Dico primò, tamquam certum tenendum esse, quamvis consultatio de damnabilitate harum propositionum facta fuerit in Congregatione Romanæ Universalis Inquisitionis; hoc tamen decretum immediatè prodiisse ab Innocentio XI: ut constat ex verbis decreti. *Idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata, statuit & decrevit, pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas & prohibendas. Vide, quæ dixi ea disput. 9. cap. 20. art. 2.*

4 Dico secundò, hoc decretum est Romani Pontificis loquentis ex Cathedra. Probatur ex dictis ibidem artic. 3. Tunc Romanus Pontifex loquitur ex Cathedra, & tamquam caput Ecclesiæ, quando decretum edit pro universa Ecclesia, illudque vult ab omnibus fidelibus indubitanter admitti: sic se habet hoc decretum: ergo in eo Pontifex loquitur ex Cathedra, & tamquam caput Ecclesiæ. Minor constat evidenter ex ipsius decreti tenore. Major autem ex præcitato cap. art. 3.

5 Dico tertiò, hoc decretum statutum est ex matura deliberatione. Constat ex ipso proœmio illis verbis: *Plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpius discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis; idem Sanctiss. D. N. re postea maturè considerata, statuit, & decrevit,* &c. Quid autem intersit cognoscere quòd decretum Romanæ Cathedræ statutum fuerit ex matura deliberatione, *vide ex præcitata disp. 9. cap. 20 art. 4.*

6 An hoc decretum sit declaratorium simul, & prohibitorium, & an illud sit definitio Pontificia, vide ibidem *art. 5. & 6.* Quod attinet ad censuram Theologicam, quam præfatæ propositiones damnantur, ut scandalosæ, & in quo consistat, vide ibidem *artic. 7.* An autem propositiones, quas Romana Cathedra damnat tamquam scandalosas, maneant improbabiles, & certò falsæ, latè discussi ibidem *art. 8. & 9.*

CAPUT III.

Quotupliciter confirmetur nostra doctrina ex decreto.

SUMMARIUM.

An nostra doctrina confirmetur ex hoc decreto, quatenus scopus hujus voluminis est discernere opiniones probabiles à non probabilibus? n. 7.
An ex hoc decreto colligatur nostra sententia, quod ad probabilitatem non sufficit quisquilibet Author? n. 8.
An ex eodem decreto inferatur, quod sæpe diximus, doctrinam morum, quæ stat pro libertate, utcumque deficiat à probabilitate, esse scandalosam? n. 9.
Demonstratur assertio. nu. 10.
Primus modus, quo doctrina morum deficit à probabilitate. n. 12.
Secundus modus. 12.
Tertius modus. 13.

7 DOctrina à nobis tradita præcipuè in hac 3. *part.* multipliciter confirmatur ex hoc decreto. Primò, nam scopus hujus tertiæ partis est, ut salva doctrina de vera probabilitate practica, discernantur opiniones, quæ sunt practicè probabiles, ab illis, quæ tales non sunt. Ad quem scopum collimat hoc decretum, quatenus notat eas sexagiota quinque opiniones, quæ ab aliquibus dicebantur probabiles; damnatque, & prohibet tamquam scandalosas; ut jam deinceps à numero practicè probabilium excludantur. Ideò in proœmio decreti dicitur: [Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in *segregandis noxiis doctrinæ un pascuis ab innoxiis à fel. record.* Alexandro VII. prædecessore suo inchoatum prosequi volens,] &c.

8 Secundò, confirmatur nostra doctrina ex hoc decreto. Nos enim propugnamus, ad practicam probabilitatem opinionis non sufficere unum, aut plures scriptores, nisi isti sint omni exceptione majores, ut constat *ex 3. part. Crif. Theolog. disput. 11. & ex hac 3. part. disput. 57.* Quæ doctrina ex hoc decreto maximum robur accipit: in eo enim damnantur multæ opiniones, quæ ab aliquibus dicebantur probabiles: non ergo sufficit ad practicam probabilitatem, quòd opiniones utcumque tradantur ab aliquibus scriptoribus.

9 Tertiò ex hoc decreto confirmatur id, quòd sæpe diximus, nempe doctrinam morum, quæ stat pro libertate, utcumque deficiat à probabilitate, esse scandalosam. Ideò enim illæ opiniones in hoc decreto damnantur, ut scandalosæ, quia deficiunt à probabilitate; cùm tamen stent pro libertate. Quod satis clarè colligitur ex eo, quòd in hoc decreto excluditur expressè probabilitas aliquarum opinionum, ut constet, eas ex defectu probabilitatis scandalosas remanere. Et ita damnatur propositio quadragesima quarta, nempe: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat.* Et propositio quinquagesima septima, scilicet: *Probabile est sufficere attritionem naturalem,* &c. Et propositio sexta, videlicet: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

10 Et quidem illa doctrina scandalosa est, quæ præbet occasionem ruinæ: sed doctrina morum stans pro libertate, utcumque deficiat à probabilitate, præbet occasionem ruinæ: ergo utcumque deficiat à probabilitate, scandalosa est. Minor patet. Nam illa doctrina præbet occasionem ruinæ, quæ docet esse licitum id, quod illicitum est: atqui eo ipso quòd doceat tamquam licitum id, quod utcumque deficit à probabilitate, eo ipso docet esse licitum, quod revera est illicitum; cùm sit illicitum gubernare conscientiam ex dictamine, quòd non pertingit ab probabilitatem: ergo utcumque deficiat à probabilitate, præbet occasionem ruinæ.

11 Quotupliciter doctrina morum deficiat à probabilitate, ex hoc, & ex duobus tractatibus antecedentibus, immò verò ex multis aliis locis hujus voluminis satis constat: scilicet tripliciter deficere posse. Primò, quatenus doctrina est certò falsa, utpote militans contra principium certum. Qua ratione ita deficit à probabilitate, ut sit positivè improbabilis; ut constat ex toto tractatu 2. & ex aliis locis.

12 Secundò deficit à probabilitate, quatenus doctrina, licèt non sit certò falsa, tamen levi fundamento nititur, vel sophistico, vel æquivoco: qua ratione ita deficit à probabilitate, ut revera non sit probabilis: cùm de essentia doctrinæ probabilis sit, niti fundamento gravi: id quod constat ex tractatu 3. & ex aliis locis. Et quod possit propositio esse non probabilis, quamvis non sit certò falsa, manifestò constat: nam hæc propositio; *Crines Adami fuerunt rubri,* non est certò falsa: & tamen non est probabilis, quia non est sufficiens fundamentum ad illam adhærendam.

13 Tertiò deficit à probabilitate doctrina morum, quatenus inter sapientes communiter dubitatur de probabilitate opinionis. Qua ratione ejusmodi doctrina moralis ita deficit à probabilitate; ut reverà detur dubium practicum de ejusmodi probabilitate; atque adeò propter dubium practicum sit obligatio eligendi tutiorem partem: id quod satis constat ex hoc tractato 4. & aliunde passim.

14 His ergo tribus modis potest esse scandalosa doctrina morum; nam cùm sit illicitum operari quolibet ex his tribus modis; doctrina, quæ docet, licitum esse operari aliquo ex his tribus modis, scandalosa est.

CAPUT IV.

An in diœcesibus, vel provinciis, in quibus hoc decretum non est promulgatum ab Episcopis, habeat vim obligandi?

NON EGET SUMMARIO.

15 COntra obligationem, quam affert hoc decretum, non desunt, qui sic obiciant. Leges Pontificiæ non obligant, donec promulgentur juridicè in diœcesibus, aut saltem in provinciis: sed hoc decretum dumtaxat Romæ promulgatum est, non autem in diœcesibus, neque in provinciis: ergo nondum obligat eos, qui sunt extra provinciam Romanam. Majorem tradunt Doctores, quos allegavi in *1. part. Crif. Theol. disp. 9. cap. 20. art. 11.*

16 Ad cujus rei explicationem suppono, in hoc decreto esse duplicem rationem, alteram declarationis, alteram præcepti: hoc enim decretum partim est declaratorium, partim præceptivum, sive prohibitorium. Quòd sit declaratorium, patet eodem modo, ac ostendi, duo decreta Alexandri VII. talia esse *Nam disp. 9. cap. 20. artic. 5. num. 343.* illud ostendi his verbis: [Declaratio enim nihil aliud est, quàm manifestatio alicujus veritatis, quæ ab aliquibus ignorari, aut in dubium verti posset: hæc autem decreta manifestant, eas quadragiota quinque opiniones esse scandalosas; de quo quis dubitare posset propter aliquos Theologos aliter censentes. Et quidem decreta expresso judicio damnant eas opiniones ut scandalosas: non potest autem id fieri nisi afferendo, & manifestando, eas esse scandalosas: sicut sententia, quæ damnat aliquem ut furem, est vera sententia declaratoria criminis.] Hæc dixi in loco citato, quæ eodem modo conveniunt in hoc decretum Innocentii XI. Quòd autem id decretum sit prohibitorium, ex ejusdem tenore evidens est. *Vide in art. 5. cit. ab nu. 3*0. comperies, quomodo obstringat conscientias. *Et num. 342.* quomodo eas graviter obstringat.

17 His positis dicendum est primò (& si probabile sit adhuc, leges Pontificias non obligare, donec juridicè promulgentur in diœcesibus, vel provinciis) hoc decretum, quatenus damnat eas sexagiota quinque opiniones, non indigere promulgatione juridica facta in singulis diœcesibus, & provinciis; sed sufficere certitudinem moralem de publicatione facta Romæ

18 Probatur. Statim atque habeo certitudinem moralem de veritate alicujus doctrinæ, maximè in materia morum, teneor in praxi sequi eam doctrinam: sed ubi habeo certitudinem mora-

lem, quòd Pontifex promulgavit Romæ illud decretum, in quo damnantur eæ opiniones, habeo certitudinem moralem de veritate doctrinæ illis opinionibus oppositæ, quæ doctrina procedit io materia morum: ergo ubi habeo certitudinem moralem, quòd Pontifex promulgavit Romæ illud decretum damnatorium, teneor sequi eam doctrinam. Ergo licet id decretum non promulgetur in diœcesibus, & provinciis, dum certò scio esse promulgatum Romæ à Pontifice, sufficit hæc notitia certa moraliter, ut obstringat conscientias ad conformandos mores cum ea doctrina. Propositione majori nihil evidentius. Certum enim est, graviter peccare eum, qui in materia gravi discedit in praxi à doctrina certa.

19 Minor etiam est manifesta. Pontifex enim Romanus, ex speciali assistentia Spiritus Sancti, errare non potest in materia morum, dum tamquam communis Magister docet Ecclesiam: atqui Romanus Pontifex tamquam communis Magister docet Ecclesiam, asserens, eas opiniones esse scandalosas: ergo in hoc non errat. Ergo tradit doctrinam veram pro formandis moribus. Ergo ubi certò scio, eam doctrinam traditam esse à Romano Pontifice; certus maneo de veritate ejus doctrinæ.

20 Dicendum est secundo, id decretum etiam quà prohibitorium obligare, licèt non promulgetur juridicè in diœcesibus, neque io provinciis, dum certitudine morali constat, illud fuisse Romę promulgatum. Et quidem quòd requiratur hæc notitia certa de promulgatione facta Romæ, indubitabile est: nam igooranti legem, aut dubitanti iovincibiliter de illa, aut de illius promulgatione à Superiore facta, non intimatur sufficienter lex.

21 Probatur hæc secunda conclusio. Nam, ut docui *ea disp. 9. cap. 23. art. 11.* ex decreto Alexandri VII. antiquata manet ea opinio asserentium, requiri promulgationem legis Pootificiæ factam in singulis diœcesibus, vel provinciis. Eo quòd ea opinio incompossibilis est cum declaratione facta ab Alexandro VII. Nam in priori decreto declarat scandalosam istam propositionem: *Post decretum Urbani VIII potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quo etiam modo procedunt aliæ duæ declarationes de opinione octava, & duodecima. Inde autem infertur evidenter, illam opinionem de promulgatione facienda in diœcesibus, vel provinciis non posse subsistere.

22 Etenim illa opinio non potest subsistere, quæ repugnat principio certo: sic se habet hæc opinio de promulgatione facienda in singulis diœcesibus, vel provinciis: ergo hæc jam non potest subsistere. Major est metaphisicè evidens, ut sæpius ostendimus.

23 Probatur minor. Nam ea opinio est iocompossibilis cum eo decreto Alexandri, & cum damnatione earum trium propositionum; quod decretum, quatenus declarat, eas esse scandalosas, est omnino certum: Authores autem, qui dicebant post decretum Urbani VIII. licere adhuc dare alteri dimidiatum stipendium, aut posse accipere duplicatum, nitebantur eo fundamento, quòd id decretum Urbani oon erat promulgatum in provinciis; ut ostendi in relata *disp. 9. num. 419.*

24 Et quidem ea opinio ponit, illud decretum Urbani non obligare omnes fideles, quia uoo promulgatum in provinciis: & damnatio facta ab Alexandro ponit, illud decretum Urbani obligare omnes fideles, declarando, scandalosam esse propositionem, quæ affirmat, id decretum non obligare omnes fideles: ergo ea opinio incompossibilis est cum decreto Alexandri. Vide, quæ dixi in ea *disp. 9. cap. 20. art. 11. à num.* 416.

25 Huc spectat, quòd præcipui Authores, qui docent requiri promulgationem legis Pootificiæ io provinciis, non tam requirere promulgationem juridicam, quàm publicationem, seu notitiam moraliter certam. Et ideò P. Molioa *de just. tract. 2. disp.* 395. ait: [Sanè dicendum est, mentem Pii V. fuisse, bullam à se latam, non prius contractus, alioquio ex natura rei licitos, irritos comparatione ignoranter eos celebrantium reddere, quam in unaquaque diœcesi esset sufficienter promulgata; aut *alia via* ad omnium *cognitionem* potuerit perveoire.] Juxta cujus sententiam non requiritur determinatè promulgatio juridica legis; sed certa notitia de promulgatiooe legis Pontificiæ Romæ facta.

26 Ad argumeotum supra factum de incompossibilitate ejus opinionis cum decreto Alexaodri respondebat quidam Theologus valdè doctus, ea verba, *Post decretum Urbani VIII.* in damnatione facta ab Alexandro, oon esse apposita ut motivum, sed ut circumstantiam; potuisse aotem damnari probabilitatem propositionis; quin damnaretur circumstantia.

27 Sed hæc responsio non minuit vim argumenti. Nam in hoc non arguitur ex eo, quòd hoc sit motivum, & non circumstantia; sed ex eo quòd affirmatio unius non sit compossibilis cum affirmatione alterius. Et quando una propositio est incompossibilis cum aliqua veritate certa, talis propositio necessariò debet esse certò falsa. Est enim metaphysice evidens, duas propositiones incompossibiles non posse esse simul veras; sive incompossibilitas oriatur ex motivo, sive ex circumstantia.

28 Itaque illa opinio, quæ cootendebat, non obligare io aliis provinciis id decretum Urbani, quia oon promulgatum in illis; dicebat: *Post decretum Urbani licet Sacerdoti accipienti integrum stipendium, dare alteri Sacerdoti dimidiatum.* Damnatio autem facta ab Alexandro dicit: *Post decretum Urbani scandalosum est dicere, quòd licet ei Sacerdoti, dare alteri stipendium dimidiatum.* Quæ propositiones incompossibiles sunt, atque adeò nequeunt esse simul veræ. Si ergo hæc secunda vera est, necessario prior est certò falsa Nec potest esse certò falsa ob aliam rationem, nisi quia docet, decretum Urbani non obligare io provinciis, quia non promulgatum io provinciis.

29 His diebus propositæ mihi sunt dubitationes aliquæ circà praxim materiæ contentæ in his propositionibus, & in earum censura. Et ideo desideraveram explicare singillatim sensum earum. Sed ob justas aliquas causas non vacat modò eam tractationem aggredi. Legat, qui vult, lucernam decretalem P. Emmanuelis de Filguera ex sacro Clericorum Minorum Ordine, qui illas singillatim explicat. Sed quia opinor, aliter explicandum esse sensum legitimum aliquarum ex his propositionibus, eo sum affectus animo, ut ejusmodi tractationem aggrediar, si mihi ferè septuagenario vires superfuerint.



TRA-

TRACTATUS QUINTUS.

DE OPINIONIBUS IMMERITO DAMNATIS ab aliquibus.

PRobabilioristæ cupientes invisam facere doctrinam nostram de probabilitate, damnant dextrorsum sinistrorsum tamquam temerarias, & scandalosas plurimas opiniones; quarum catalogum invenies apud Fagnanum *tom. 1. in decretal. in cap. Ne innitaris.* Et quidem non paucæ earum opinionum dignæ sunt censura. Sed tamen sunt aliæ, quæ nullam censuram merentur, & quæ tutissimæ sunt pro regimine conscientiæ. Equidem non est animus omnes has ad examen vocare: sed duntaxat aliquas in exemplum; ut illi, qui damnant opiniones, intelligant, ad eam damnationem requiri diligentissimum examen; maximè cùm Doctores privati non habeant potestatem damnandi authenticè opiniones: sed solùm applicandi principia, ex quibus tales opiniones conspiciantur esse damnabiles. Id quòd in censuris Fagnani, & in aliis à Fagnano relatis, desideratur: damnant enim eas opiniones, & tamen non ostendunt principia, ex quibus illæ fiant damnabiles. Damnare autem opiniones authenticè, sine eo quòd necesse sit rationem reddere damnabilitatis earum, id spectat ad Romanam Cathedram.

DISPUTATIO LXXVIII.

An ad peccatum mortale prærequiratur cognitio malitiæ moralis?

CAPUT I.

Occasio, & status quæstionis.

SUMMARIUM.

Censura Lovaniensium de opinione requirente ad peccatum cognitionem malitiæ. n. 1. & 2.

Quotuplex sensus distingui debeat in ea propositione? Et quisnam ex iis sit damnabilis? n. 3.

1 DE hac quæstione satis superque dixeram *disp. 56. cap 6. art. 4.* neque necesse erat, hanc subjungere disputationem, nisi invenissem apud Fagnanum quamdam similem propositionem damnatam ab Universitate Lovaniensi, quæ censura, sicut & propositio censurata majori discussione indiget. Fagnanus itaque *in cit. cap. Ne innitaris. num.* 339. refert viginti & sex opiniones oblatas Universitati Lovaniensi ad ferendam de eis censuram:

2 Quarum vigesima quinta propositio hæc est: *Ut actio quæpiam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni, malive in ea sit; & ante quam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala.* Et subjungitur immediatè censura Academiæ Lovaniensis, his verbis: *Est contra communia Christianæ Theologiæ principia; & innumera, etiam immanissima, hominum peccata excusat cum pernicie animarum.*

3 Sed pace tantæ Academiæ, vel distinguendi fuerunt varii sensus, quorum alter damnabilis est; alii vero legitimi, immò & evidentes; vel admittenda propositio juxta sensum legitimum ex se obvium. Igitur primus sensus est, quòd, ad peccatum requiritur judicium directè enunciativum malitiæ, ita ut non sufficiat cogitatio dubitans de malitia morali actionis, sine eo judicio directo.] Secundus sensus est, quòd [ad peccatum requiritur aliqua cognitio malitiæ moralis, saltem dubitando de illa.] Sed quia multi existimant, non posse dari cogitationem dubitantem de malitia morali, quin etiam necessariò coexistat judicium enunciativum de malitia operandi cum conscientia dubia; tertius sensus est, quòd [ad peccatum requiritur judicium enunciativum, vel directum de malitia actionis, vel indirectum de malitia operandi cum conscientia dubia.] Ex quibus diversis sensibus tres oriuntur quæstiones tribus capitibus dirimendæ.

CAPUT II.

An ad peccatum requiratur aliqua cogitatio malitiæ moralis, saltem dubitando?

SUMMARIUM.

Quàm certa sit hæc doctrina? Et quid censeant Doctores? nu. 4.

Quid censeat P. Azor? nu. 5.

Quid Navarrus? nu. 6.

S. Thomas stat pro nostra sententia. n. 7.

Reliqui Authores pro eadem. num. 8.

An prima dubitatio de malitia morali sit in potestate voluntatis? Et quid inde pro conclusione? n. 9 & 10.

An nemo peccet, quin possit vitare peccatum ob eam rationem quia malum est? Et quid inde pro conclusione? n. 11.

Quomodo ex nostra sententia non excusentur immanissima crimina? n. 12.

4 EXistimo, esse doctrinam certam, & indubitatam, non posse dari peccatum actuale, quin præcedat aliqua cognitio, saltem dubitativa in particulari, vel in communi, de malitia morali actionis. Et quidem quamvis aliqui Authores citentur pro opposita assertione, eorum aliqui obscurè loquuntur, alii verò nihil tale asserunt: nullus autem eorum expressit, posse dari peccatum sine cogitatione saltem dubitativa malitiæ moralis. Cùm autem dicunt, sufficere cognitionem virtualem, sive interpretativam, sine dubio asserunt, esse cognitionem formalem eam, quæ enunciat malitiam moralem; & appellant virtualem, quando præcedente dubitatione de malitia carent cognitione enunciativa malitiæ.

5 P. Azor unus est ex illis, qui citantur pro opposita assertione; qui tamen *tom. 1. instit. moral lib. 1 cap. 16 quæst 5.* loquens in generali ait: [Ignorantia est probabilis & justa, si homo dum incipit aliquid factitare, *nihil* prorsus *dubitet* de eo, quod fieri oportet. Item si nulla penitus in ipsius mentem cogitatio incurrat, debeat secus facere, necne: quoniam quotiescumque nobis opus aggredientibus nulla *dubitatio*, aut cogitatio rei aliter faciendæ objicitur, & offertur; ignorantia est involuntaria: siquidem nemo potest ignorantiam exuere, atque deponere, nisi prius *credat, putet, suspiceturve*, se ignorare: aut saltem nisi prius *ambigat* de eo, quod fieri oportet, aut licet: tunc enim incipiet *dubitare*, an debeat operam, studium, aut diligentiam conferre ad sciendum, num id, quod facere tentat, & aggreditur, fieri fas sit, aut liceat.] Hucusque P. Azor, qui posteà subjungit, quomodo se gerere debeat, qui alieni muneri destinatur, ut speciales ejus muneris obligationes cognoscat.

6 Solet etiam citari Navarrus *in sum. lat. cap. 23. num 47.* Ubi solùm ait, quod [Ignorantia *communiter* nequit esse justa circà legem naturalem, & divinam.] Ubi optimè apposuit eum terminum *communiter*: quia ad ea, quæ sunt juris Divini, & naturalis, Deus providentia sua excitat cognitionem hominis; licèt non communiter, sed extra communem ordinem possit aliquando inveniri ignorantia, seu inadvertentia inculpabilis. In quo nostræ assertioni nullatenus contradicit Navarrus.

7 Pro nostra ergo conclusione stat primo S. Thomas *qu. 15. de verit. art. 4. ad* 10. ubi loquens *de delect. moros.* sic ait: *Ante quam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiam si non resistat: sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente, utpote cùm percipit homo, se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere; nisi expressè resistat, videtur consentire.* Ubi notabis, S. Doctorem non admittere consensum interpretativum, donec ratio cogitet de nocumento morali delectationis. Quæ ratio generalis est pro omnibus peccatis; quæ quidem sine consensu formali, vel interpretativo non fiunt.

8 Eamdem doctrinam tamquam indubitatam tradit P. Suarez *tom. 5. in 3. part. disp 4. sect. 8. num.* 18. verbis relatis *supra disp. 56. cap. 6. art. 4. num.* 288 & P. Vasquez 1. 2. *disput.* 123. *cap.* 2. *num.* 6. cujus verba retuli ibid. *num.* 286. *& seq.* Idem disertis terminis tradit P. Thomas Sanchez *lib. 1. sum. cap. 8. num. 7. & 8. & cap. 16. num.* 21. Et cùm hi tres Doctores in eamdem sententiam conspirant, mihi sunt ad instar plurium Universitatum; maximè cum

habeant Doctorem S. Thomam relatum. Hanc etiam sententiam ex professo docet P. Granado *in 1. 2. controv. 6. tract. 5. disp. 3. sect. 1.* qui pro eadem sententia refert etiam Alexandrum, S. Bonaventuram, S. Antoninum, Petrum de Tarantasia, Sylvestrum, & Cajetanum. Eamdem conclusionem docet expressè Mag. Joannes à S. Thoma *3. part qu. 84. art. 6. §. Ratio est,* & P Antonius Perez *1. 2. tract. 1. de peccatis disp. 2. cap. 5. nu. 13. & seq.* & quam plures alii. Et sanè oppositæ sententiæ libenter subscribent Jansenistæ, utpote ex qua videtur inferri, Deum præcipere impossibilia, ut jam ostendo.

9 Demonstratur primò conclusio. Impossibile est, quòd voluntas feratur in malitiam moralem, quin præcognoscat illam intellectus aliquo modo, saltem dubitando: sed non est in potestate voluntatis illa præcedens cognitio: ergo deficiente illa cognitione, non est in potestate voluntatis, ferri in malitiam moralem: ergo non habet libertatem ad illam amplectendam, & ad illam fugiendam. Major evidens est, quia nihil volitum, quin præcognitum; ut clamant Philosophi tamquam axioma lumine naturæ notum.

10 Nec minus evidens est minor. Quia si illa prima cognitio esset in potestate voluntatis; ut voluntas vellet habere eam cognitionem, debebat præcedere alia prior cognitio, quæ eum actum voluntatis duceret. Vel ergo ista prior cognitio est in potestate voluntatis; vel non? Si dicas esse in potestate voluntatis, de illa fiet idem argumentum; & sic fiet processus in infinitum. Si verò dicas, illam priorem cognitionem esse non posse in potestate voluntatis; concluditur, primam cognitionem malitiæ moralis non esse in potestate voluntatis; atque adeò illa deficiente, non inesse voluntati libertatem ad amplectendum, & ad fugiendum eam malitiam moralem; atque adeò voluntatem non peccare, dum deficiente ea cognitione malitiæ moralis aggreditur opus, quod ex se est peccaminosum; sed excusari ignorantia invincibili. Quòd si adhuc velis, sic peccare voluntatem, admittis peccatum sine libertate, atque adeò voluntatem peccare in eo, quòd sibi est impossibile operari: unde fit, Deum præcipere impossibilia. Cui libenter subscribent Janseniani.

11 Demonstratur secundò, ex P. Antonio Perez citat. Nemo peccat, quin possit vitare peccatum ob hanc rationem, quia malum est & peccatum: sed ut vitet peccatum, ob hanc rationem, quia malum est; requiritur attentio ad eam rationem mali: ergo nemo peccat sine attentione ad eam rationem mali. Major ex terminis est nota. Et prætereà probatur. Nam ut aliquis possit habere laudem non peccantis, necesse est, ut vitet peccatum, quia peccatum est: sed qui peccat, potuit habere laudem non peccantis; juxta id, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus*: ergo dum quis peccat, necesse est, quòd potuerit vitare peccatum ob eam rationem, quia peccatum est. Et minor etiam est evidens: quia ut aliquis vitet venenum, quia venenum est, necesse est, quòd aliqua ratione attendat ad rationem veneni.

12 Vide reliqua argumenta ex professo proposita *disp. 70. cap. 3. à num. 67* Ubi etiam videbis solutionem ejus absurdi, quòd proponit ea censura Lovaniensis: nempe ex ea sententia excusari posse immanissima crimina. Quòd absurdum longissimè abest à nostra sententia. Nam cùm ex communi placito Theologorum Deus O. M. incessanter immittat hominibus auxilia ad vitanda peccata; circà ea immanissima crimina præcipuè immittit Deus illustrationes, ratione quarum semper vident homines, esse turpia, & fugienda adulteria, homicidia, sacrilegia, &c.

C A P U T III.

An ad peccatum requiratur judicium enunciativum directum de malitia peccati?

S U M M A R I U M.

Explicatio quæstionis in hoc secundo sensu nu. 13.
An propositio in hoc sensu sit digna censura Lovaniensi? nu. 14.

13 Alter sensus, in quo potest intelligi ea propositio damnata ab universitate Lovaniensi, est, advertentiam rationis requisitam ad peccatum esse debere judicium enunciativum directum de malitia morali talis peccati; ita ut cum sola dubitatione de malitia morali operationis dicatur homo non peccare efficiendo talem actionem. V. g. aggreditur homo actionem mutuandi alteri pecuniam cum onere usuræ: & occurrit illi dubitatio de malitia morali ejus contractus; sed non elicit judicium enunciativum directum de malitia usuræ. In hoc casu juxta hunc sensum ejus propositionis damnatæ, homo non peccaret mutuando pecuniam cum onere usuræ. Quæritur ergo, quid censendum est de ea propositione; & an jure meritò dicatur ea propositio in hoc sensu damnabilis.

14 Et indubitanter dicendum est, propositionem in eo sensu esse improbabilem, & certò falsam; &, si in hoc sensu damnaverunt Lovanienses, meritò esse reprobatam. Quod manifestè ostenditur. Nam eo ipso, quòd quis dubitet practicè, an opus, quod aggreditur, sit peccatum; sine eo quòd subsequatur judicium directum de malitia morali; si nihilominus id exequatur, periculo peccandi se exponit: sed peccat, qui se exponit periculo peccandi: ergo qui cum sola dubitatione de malitia morali, & sine eo judicio directo aggreditur opus, peccat. Ergo ut detur peccatum, ultra dubitationem non requiritur judicium directum de malitia morali operationis. Quæ omnes propositiones evidentes sunt. Et hic videtur esse sensus, in quo loquitur ea propositio, quam reprobant Lovanienses; maximè iis verbis: *Oportet, ut procedat ab homine, qui noscit, & percipit, quid boni, mali in ea sit.* Nam qui dubitat, an actio sit mala moraliter, per hoc præcisè non noscit, neque percipit, quid mali in ea sit.

C A P U T IV.

An qui dubitat practicè, necessarium sit ad hoc ut peccet, quod habeat judicium de malitia morali operandi cum conscientia dubia?

S U M M A R I U M.

An qui invincibiliter putaret, non esse peccatum, operari cum conscientia dubia, adhuc peccaret? n. 16.
An extra casum ejus erroris invincibilis, peccaret homo, operans cum conscientia dubia, licet sine judicio reflexo? n. 17.
An ad dubitationem subsequatur timor; & ad timorem fuga? n. 18.
Exemplo explicatur conclusio. n. 19.
An ad plenam advertentiam, qua requiritur ad peccatum mortale, necessarium sit judicium de malitia? n. 20. & 21.
An sit probabile, ad dubitationem de malitia subsequi necessariò judicium reflexum? Et an juxta eam sententiam requiratur judicium de malitia, & quale? n. 22. & seq.
An in sensu hujus secundæ conclusionis non subiiciatur censura Lovaniensium? nu. 25.

15 Dixi cap. præced. sufficere ad peccatum, quòd detur cogitatio dubitans de malitia morali, quin requiratur judicium directum de tali malitia. Et ulterius procedit quæstio, an in dubitante licèt ad rationem peccati non requiratur judicium directum de malitia operationis, requiratur tamen judicium reflexum, quo quis judicet, esse peccatum mortale operari cum conscientia dubia?

16 Et quidem si daretur casus, in quo dubitans de malitia morali operationis, per invincibilem errorem putaret, se non peccare, operando cum ea dubitatione; certum est, quod quamvis operaretur cum dubio, non peccaret. Primò. Quia error invincibilis excusat à peccato, quia non potest esse voluntarium, quidquid fit ex errore invincibili. Secundò. Quia in solo dubio practico tenemur sequi partem tutiorem, non in speculativo: atqui in illo casu dubium non esset practicum, sed speculativum: ergo in illo casu non peccaret. Minor patet: quia in tali casu non dubitat homo, an hic, & nunc peccabit; nam illa existimatio invincibilis, quòd non peccat, incompossibilis est cum ea dubitatione, qua quis dubitet, an hic, & nunc peccet.

17 Extra hunc casum, & in communi hypothesi, in qua non datur talis error invincibilis, tamquam certum dicendum est, primò, ex sola cogitatione dubitanti de malitia morali operationis (etiam si non detur judicium reflexum, quo intellectus asserat, non licere operari cum conscientia dubia, nisi in tutiorem partem) peccaturum hominem, si aggrediatur opus, de quo sic dubitat; atque adeò ad peccatum non requiritur id judicium reflexum.

18 Probatur conclusio. Ad dubitationem de malitia morali subsequitur timor mali; & si quis efficaciter velit obsequi timori, & secundùm illum operari, ad timorem subsequitur necessariò fuga: ergo quamvis non detur id judicium reflexum, sed sola dubitatio de malitia morali, hæc sufficit ad peccatum.

19 Exemplo res explicatur. Accedit quis ad fluvium, & videt moveri in aquis propè ripam animal reptibile: dubitat an sit anguis lethifer, an potius anguilla piscis: ad hanc dubitationem subsequitur timor, & ad timorem fuga, quamvis non formet judicium, quòd in ea dubitatione fugiendum sit. Eodem modo contingit illis præcipuè, qui detestantur peccatum mortale. Nam ubi dubitant, an actio facienda, sit peccatum mortale, ad dubitationem subsequitur timor mali; & ad timorem fuga. In iis autem, qui non ita detestantur peccatum, ex sola dubitatione mali, sufficientem advertentiam comparant ad timorem, & ex timore ad fugam.

20 Dices. Ad peccatum mortale requiritur advertentia rationis, non qualiscumque, sed plena; ut tradit communis sententia Theologorum: atqui advertentia plena quomodo potest stare sine actu perfecto judicii?

21 Respondetur, advertentiam plenam non stare dumtaxat in actu judicii, sed sufficienter stare posse in dubio practico, sicut sufficientem advertentiam habet ad periculum homo, cùm dubitat, an animal reptibile, quod videt in aquis propè se, sit anguis, aut piscis.

22 Dicendum est secundò, probabile esse (extra casum erroris invincibilis supra memorati) eo ipso quòd detur dubitatio de malitia morali operis eliciendi, necessariò subsequi judicium enuncians, malum esse id agere cum conscientia dubia, sive enuncians, id malum morale timendum esse. Consequenterque

dicen-

dicendum, si vera est ea connexio dubitationis cum tali judicio reflexo, ad peccatum requiri alterum è duobus, vel judicium directum de malitia operationis; vel judicium reflexum de malitia operandi cum conscientia dubia.

23 Prima pars probari videtur. Nam qui dubitat de malitia morali operationis, cùm plenam habeat advertentiam rationis, & simul præstò habeat lumen naturale ad videndum, peccatum esse timendum; ex ipso lumine naturali determinatur ad cognoscendum, in ea dubitatione malum morale esse timendum & fugiendum.

24 Secunda verò pars certius constat. Nam cum adest advertentia rationis circa malum morale, vel est dubitando de illo, vel est non dubitando? Si dicas esse advertentiam rationis circà malitiam moralem non dubitando; debet esse enunciando illam: quia non potest dari medium; & ideò necessario debet vel enunciare malum, vel dubitare de illo. Si verò dicas, eam advertentiam rationis esse dubitando de malitia; cùm juxta eam sententiam proximè relatam, ad dubitationem subsequatur necessariò id judicium reflexum; si datur dubitatio, dari debet tale judicium reflexum, quòd in dubio mali timendum est à malo; sive (quòd idem est) in dubio, quod non potest deponi, tutior pars eligenda est.

25 Hinc infertur, illam propositionem, quam reprobat censura Lovaniensis, etiam si loquatur de judicio enunciativo, non posse reprobari in sensu proximè explicato. In quo ea propositio sic securè procedit: [Ut actio quæpiam sit peccaminosa oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & percipit *per judicium enunciativum directum, vel reflexum*, quid boni, malive in ea sit.] Nam licèt sufficiat dubitatio de malitia, ut diximus; cùm tamen juxta sententiam relatam, eo ipso quòd detur dubitatio de malitia operationis, necesse sit, ut adsit etiam judicium reflexum, quòd non liceat operari cum conscientia dubia; id dictante lumine naturali; inde est, quòd non sit absurdum requirere id judicium reflexum, necessariò consecutum ad dubitationem.

DISPUTATIO LXXIX.

An in urgenti necessitate pro salute animæ, liceat Episcopis dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium, quando non datur aditus ad Pontificem?

CAPUT I.

Exposita occasione quæstionis, statuitur conclusio, & Authorum suffragatio.

SUMMARIUM.

Censura Fagnani contra opinionem affirmantem? n.1.
An fuerit communis sententia Doctorum, post contractum matrimonium posse Episcopum dispensare? n.2.
Quam sit secura sententia, quòd ante contractum matrimonium possit dispensare? n.3.
Qui Doctores tueantur hanc sententiam? n.4.
Casus urgentis necessitatis, qui occurrit tempore Illustrissimi Domini Antonii Payno. n.5.

1 EX *disp.57. cap 3. art.1. colum.7.* satis constat occasio hujus quæstionis, nempe quòd Fagnanus enumerat inter opiniones scandalosas, & temerarias eam, quam docuit P Thomas Sanchez *lib.2. de Matrim. disp 40. num.7.* scilicet posse Episcopum dispensare in impedimentis dirimentibus, ante contractum matrimonium, in vrgentissima necessitate salutis animæ, quando non datur aditus ad Pontificem; vel est periculum in mora, eo quòd si expectetur dispensatio Pontificis, magnum imminet animæ periculum. Quam sit contemnenda hæc damnatio Fagnani, constat ex loco citato. Pro maiori tamen evidentia securitatis ejus opinionis, oportet illam iterùm ad incudem revocare.

2 Igitur post contractum matrimonium posse Episcopum dispensare, quando ex separatione magnum scandalum sequetur; nec datur recursus ad Pontificem, vel est periculum in mora, ante Thomam Sanchez fuit communis sententia Theologorum, & Canonistarum. Ita apud ipsum Thomam Sanchez *loc. cit. num.3.* Navarrus, Angles, Sylvester, Henriquez, Sotus, Tabiena, Armilla, Antonius Cucus, Spino, Barthol. à Ledesma, Capua, Rodriquez, Antonius Gomez, Ludou. Lopez, Vivaldus; & post Thomam Sanchez plures alii scilicet P. Coninck *de matrim. disp.33. dub.3. conclus.3.* P. Reginaldus *lib.31. n.202.* P. Fillincius *tract.10. de matrim. part.2. cap.10. quæst 2. conclus.2.* P. Castro Palao *tom.5. disp.4. punct. ult. §.1. n.6.* & apud ipsum (ultra relatos) P. Vasqu. 1. 2. *disp.178. cap.2. n.16* P. Rebellus 2. *part. de just. lib.3. quæst.5. nu.20.* P. Salas *disp.20. de legib. sect.3. num.25.* P. Gasp. Hurtado *disp.26. de matrim. diff.2. num 6.*

3 Dicendum ergo est, esse securissimam sententiam, quæ docet, ante contractum matrimonium posse Episcopum dispensare in impedimentis matrimonii jure humano statutis, in casu urgentissimæ necessitatis pro salute animæ; quando non est aditus ad Pontificem; vel est periculum in mora, puta propter periculum incontinentiæ. Et quamuis P. Thomas Sanchez tunc temporis id docuerit sine Authore; ipsum verò Thomam secuti sunt, quotquot post ipsum scripserunt. Quando autem opinio Authoris habet approbationem Doctorum subsequentium per diuturnum tempus; tunc ea opinio æquiparatur consuetudini longi temporis; quod in moralibus est magnæ authoritatis; ut loquitur Illustriss. Tapia. De quo vide *disp.57. cap 3. art.1. nu.66.*

4 Doctores autem, qui in hac resolutione Thomam Sanchez sequuntur, sunt P. Castro Palao *tom.5. disp.4 punct. ult. §.1. num.9.* & apud ipsum P. Vasquez, & P. Salas. Item P. Gaspar. Hurtado *de matrim. disp.26. diffic.2. n.7.* P. Reginaldus *lib* 31. *num.205.* item Basilius Ponce *lib.8 de matrim. cap.13. num.6.* Bonacina *de matrim. quæst.3. punct.15. nu.6.* Villalobos *part.1. tract.14. diff 25. num. 6.* Ælizius Bassæus *verb. Matrimonium. 9. n.4.* Sylvius in supplement. *quæst.50. art.1. quæsito 2.* Barbosa de potestate Episcopi *allegat.35. num.5.* Victorellus in notis ad Navarr. *cap.22. num.85.* Molfesius *tom.1. summ. tract.4. cap.12. num.35.* Diana *part.8. tract. 3. resol.80.* & apud ipsum P. Præpositus 3. *part. qu.7. de dispensat. impedim. dub.2. nu.16.* Item Leander à Ss. Sacram. *tom.2. tract.9. de matrim. disp.24. quæst.8.* & apud ipsum (ultra relatos) Homobonus in exam. *part.1. tract.5. quæst.32.* Cornejo *disput.7. dub. ult.* Machado *lib.4. part.6. tract.16. docum.11. nu.4. & 5.* Candidus *disquisit.28. art.16. dub.3.*

5 Et ideò Illustriss. Dom. Antonius Payno Archiepiscopus Hispalensis anno 1669. dignatus est audire, & approbare meam sententiam in hoc casu. Titius, & Berta à pluribus annis degebant vitam in concubinatu, communiter tamen reputati coniuges. Et, ut peccatores sunt stultissimi in re salutis æternæ, ita & isti erant in summo periculo æternæ damnationis, timentes infamiam temporalem, & damnationem Superiorum sibi ipsis imminentem; & ideò non audebant ad meliorem, & securiorem statum se reducere, Ob nimiam eorum paupertatem non erat aditus ad Romanum Pontificem. Et nisi occulto aliquo medio obtineretur gratis dispensatio, persorituri erant in eo statu damnationis æternæ. Dispensationem in eo casu ad Episcopum pertinere, asserui: acquievit Dominus Archiepiscopus, & dispensavit: & sic oues suas ad spem æternæ salutis erexit.

CAPUT II.

Proponuntur breviter inconcussa hujus sententiæ fundamenta.

SUMMARIUM.

An sit communis sententia, quòd potest Episcopus dispensare in legibus Pontificis, & in quo casu? Et quid inde pro conclusione? n.6.
An dispensatio impedimenti dirimentis, quæ dicitur fieri post contractum matrimonium, revera sit ante contractum? Et quid inde pro conclusione? nu.7.
An eadem ratio militet post contractum, & ante contractum matrimonium? nu.8. & 9?
An expediat communi Reipublicæ bono potestas Episcopi ad hanc dispensationem? Et quid inde pro conclusione? nu.10.
An hæc potestas Episcopi requiratur, ut sacri canones sint in ædificationem, & non in destructionem? nu.11.
An urgente gravissima necessitate, deficiat finis reservationis hujus potestatis Episcopalis? nu.12.
An intentio Pontificis reservantis sibi hanc potestatem debeat esse talis, ut non sit in dispendium animarum? nu.13.
An sit certum moraliter, non esse intentionem Pontificis reservare sibi hanc potestatem in hoc casu; atque adeò detur in eo locus epikeiæ? nu.14. & seq.
An commune judicium prudentum faciat certitudinem moralem, & in quo casu? nu.16. remissivè.
An possit Episcopus dispensare in voto castitatis, in casu urgentis necessitatis? Et quid inde pro conclusione? nu.17. & seq.
An ubi concurrunt opinio communis, & singularis, amplectenda sit singularis, si sit in favorem causæ piæ? num.19.
An in casu urgentis necessitatis liceat præferre opinionem tenuis probabilitatis opinioni probabiliori? num.20.
An confirmetur nostra sententia ex capite Ubi non est. *de dispensat. impuber?* nu.21.
In quo sensu accipiatur id verbum Toleretur? ibid.
An constet, dispensationem ejus canonis committi Episcopo? nu.22.
An is canon intelligatur, casu quo non sit recursus ad Pontificem? nu.23.
An decisiones juris favorabiles extendantur ad casus similes, quando datur identitas rationis? nu.24.
Et quid inde pro conclusione? nu.25.
An teneatur Episcopus ex charitate ad dispensandum, quando urget necessitas pro bono animæ? n.27.
Error censuræ Fagnani. n.28.

6 PRimum fundamentum est. Nam communis, & recepta Theologorum, & Canonistarum sententia docet, posse Episcopum dispensare in legibus Pontificis in casibus urgentis necessitatis,

tatis, maximè pro bono salutis animarum, quando non datur aditus ad Pontificem, vel est periculum in mora. Ita docent Abbas, Baldus, Romanus, Lignado, Speculator, Felinus, Cotta, Millis, Rebuffus, Lambertinus, Beroardus Diaz, Ludov. Gomez, Dueñas, Staphilæus, Cucus, Gutierrez, & Gratianus: quos refert, & sequitur P. Thomas Sanchez *cit. num.* 3. Et ultra eos eandem doctrinam tradunt P. Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 14. *num.* 10. P. Vasquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 178. *cap.* 2. P. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 3. *numer.* 25. P. Baldellus *lib.* 5. *disput.* 49. *num.* 7. P. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 5. *num.* 7. P. Reginaldus *lib.* 31. *numer.* 202. item Illustriss. Tapia *tom.* 1. *caten. moral. lib.* 4. *quæst.* 20. *art.* 5. *numer.* 9. Basilius Ponze *lib.* 8. *de matrim. cap.* 6. *numer.* 7. Bonacina *disput.* 1. *de legib. quæst.* 2. *punct.* 1. *numer.* 17. Barbosa *de potest. Episc. part.* 2. *allegat.* 33. *num.* 17. *& allegat.* 35. *num.* 3. *& plures alii*. Qui Doctores eo fundamento nituntur, quia non est credendum, esse intentionem Pontificis reservare uni sibi hanc facultatem, in casibus urgentis necessitatis, quando non est aditus ad ipsum. Et P. Suarez aliam addit rationem his verbis: [Quibus omnibus addenda est *consuetudo*, quæ est optima legum interpres, & ad jurisdictionem acquirendam sufficit.] Sed ante contractum matrimonium potest dari casus urgentis necessitatis; & impedimenta, de quibus loquimur in præsenti, sunt statuta legibus Pontificiis: ergo in talibus casibus urgentis necessitatis ante contractum matrimonium potest Episcopus dispensare.

7 Secundum fundamentum est. Post contractum matrimonium admittit communis sententia Theologorum, & Canonistarum, posse dispensare Episcopum in casu urgentis necessitatis, quando non datur aditus ad Romanum Pontificem; scilicet in impedimentis dirimentibus; ut docent quatuor & viginti Doctores allegati supra *num.* 2. & viginti alii relati *num.* 4. ergo etiam potest dispensare ante contractum matrimonium, si occurrat casus similis necessitatis. Consequentia patet primò; quia licèt illa dispensatio dicatur fieri post contractum matrimonium, revera non fit nisi ante contractum; quia matrimonium invalidè contractum revera non est matrimonium, & cùm dispensatio impedimenti, quæ tunc datur, fit ad illud contrahendum, utique datur ante illud contractum.

8 Patet secundo eadem consequentia. Ratio enim, propter quam Authores locuti sunt de dispensatione impedimenti facta post contractum matrimonium invalidè, est, quia post invalidè contractum potest urgere necessitas ad illud validè contrahendum: sed ex casibus supra propositis constat, posse dari urgentissimam necessitatem pro bono salutis æternæ, & in quo non detur recursus ad Romanum Pontificem, antequam de facto contrahatur matrimonium: ergo antequam contrahatur, potest Episcopus dispensare.

9 Patet tertiò. Nam ratiò motiva dispensandi est urgentissima necessitas pro bono animæ, & impossibilitas adeundi Romanum Pontificem: sed respectu hujus necessitatis est per accidens, quòd matrimonium sit de facto contractum, vel non sit; cùm tam magna necessitas occurrere possit ante contractum, quàm post contractum: ergo etiam ante contractum potest fieri dispensatio. Ergo eadem ratio motiva dispensationis militat, sive sit post contractum, sive ante contractum matrimonium.

10 Patet quartò ex P. Castro Palao ubi supra. [Ideò conceditur Episcopo potestas dispensandi in his impedimentis matrimonio contracto, quia communi Reipublicæ bono, animarumque saluti expedit, ne, urgenti necessitate, homines salutari remedio destituantur.] Sed etiam communi Reipublicæ bono, animarumque saluti expedit, ne, urgente necessitate ante contractum matrimonium, homines salutari remedio destituantur: ergo eadem potestas dispensandi in his impedimentis dirimentibus concedenda est Episcopo, etiam ante contractum matrimonium.

11 Tertium fundamentum est. Nam sacri canones ita intelligendi sunt, ut sint in ædificationem, & non in destructionem juxta modum loquendi Apostoli: at si sacri canones statuentes impedimenta dirimentia, ita intelligantur, ut etiam in casu, quo periclitatur salus animæ, ante contractum matrimonium non possit Episcopus dispensare; utique sacri canones intelligerentur, ita ut essent in destructionem, & in perniciem animarum sic periclitantium: ergo intelligi debent, ita ut in gravissima necessitate pro salute animarum, possit Episcopus dispensare, quando non est aditus ad Pontificem, vel est periculum in mora.

12 Confirmatur primò. Finis hujus reservationis, qua Romanus Pontifex sibi reservat has dispensationes, est utilitas publica, & bonum regimen Reipublicæ Christianæ: sed hic finis deficit, si urgeat gravissima necessitas pro salute animarum; nec sit aditus ad Romanum Pontificem, vel sit periculum in mora: ergo cessante fine reservationis, cessat reservatio; atque adeò pro iis casibus habet Episcopus potestatem dispensandi. Consequentia patet. Nam deficiente fine legis in casu particulari, cessat lex. *De quo vide disp.* 62. *cap.* 2. *art.* 3.

13 Confirmatur secundo. Dum Romanus Pontifex eam sibi potestatem reservat, non est credendum, esse suam intentionem reservare sibi eam potestatem dispensandi, in dispendium animarum: atqui si in casu urgentissimæ necessitatis, in quo periclitatur salus animarum, vellet Pontifex reservatam sibi uni potestatem dispensandi, quando impossibilis est recursus ad ipsum, vel est periculum in mora; ea reservatio potestatis esset in dispendium animarum: ergo absolutè credendum est, non esse intentionem Romani Pontificis reservare in eo casu urgentissimæ necessitatis.

14 Quartum fundamentum est. Etenim quando certum moraliter est, non esse mentem, aut intentionem Superioris comprehendere sub lege sua aliquem casum; tunc habet locum Epikeja: sed cùm fere quadraginta sint Doctores qui (sive loquantur in generali de potestate dispensandi in legibus Pontificiis; sive in speciali circà impedimenta dirimentia matrimonium, doceant, non esse conforme suavi regimini Ecclesiæ, atque adeò non esse intentionem Pontificis reservare uni sibi eam potestatem dispensandi in illis casibus urgentis necessitatis; maximè cùm fere nullus sit, qui expresse contradicat; tanquam certum moraliter formandum est judicium, quod non est intentio Romani Pontificis reservare uni sibi eam potestatem dispensandi in talibus casibus: ergo hic habet locum Epikeja.

15 Majorem docent S. Thomas 2. 2. *quæst.* 120. *artic.* 2. & in hunc locum Cajet. P. Suarez *lib* 6. *de legib cap.* 7. P. Vasquez *tom.* 2. *in* 1. 2. *disp.* 176. *cap.* 3. *num.* 13. & Illustriss Tapia *tom.* 1. *caten. lib.* 4. *quæst.* 18. *art.* 7. *num* 4. & communiter Theologi.

16 Minor autem ejusdem syllogismi inde constat, quòd rectè censere, an hæc sit intentio legislatoris, an alia; maximè pendet à judicio prudentum: constat autem *ex* 1. *part. Crisi. Theolog. disp.* 12. in iis, quæ omnino pendent à judicio prudentum, judicium omnium, aut ferè omnium Doctorum facere evidentiam moralem. Cùm ergo sit sententia ferè omnium Doctorum, non esse intentionem Pontificis reservare uni sibi potestatem dispensandi in illis casibus urgentis necessitatis; idque maximè pendeat à judicio prudentum; censendum est evidens moraliter, quòd non sit intentio Pontificis illam sibi sic reservare pro illis casibus.

17 Quintum fundamentum est. Nam votum absolutum castitatis, strictioris juris est, quàm ea impedimenta dirimentia; cùm hæc sint juris humani, & illud sit juris Divini; in quo voto absoluto castitatis solus Romanus Pontifex dispensat: & tamen in casu urgentis necessitatis, in quo non est recursus ad Pontificem, vel est periculum in mora, potest Episcopus dispensare, ut asserunt P. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *num.* 22. Sylvester *verb. Votum* 4. *qu.* 4. Navarrus *in manual. cap.* 12. *num.* 79. quos refert, & sequitur Thom. Sanchez cit. sicut etiam Patrem Enriquez, P. Valentiam, P. Sa, Palacios, Rodriguez, Ludovicum Lopez, & Antonium Gomez. Item Machado *tom.* 1. *lib* 4. *part.* 6. *tract.* 23. *docum.* 7. & apud ipsum (ultra relatos) Gregor Lopez *in l.* 2. *tit.* 14 *glos.* 2 *fin.* Fagundez *lib.* 2. *in præc. decal. cap.* 42. *num.* 28. Basilius Ponze *lib.* 8. *de matrim. cap.* 9 *numer.* 1. P. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. Item P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract.* 6. *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 9. P. Lessius *lib.* 2. *de just cap.* 40 *dub.* 18. *num.* 126. P. Castro Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disput.* 2. *punct.* 12. *num.* 1. Ergo in simili casu urgentis necessitatis, in quo non est recursus ad Romanum Pontificem, vel est periculum in mora; poterit Episcopus dispensare in impedimentis matrimonii, quæ sunt juris humani; sive ea urgens necessitas contingat post contractum, sive ante contractum matrimonium. Hæc consequentia urget à majori ad minus; si enim potest in iis, quæ sunt juris Divini, à fortiori poterit in iis, quæ sunt juris humani.

18 Neque obest, si dicas, esse disparitatem rationis, eo quòd votum castitatis est solùm impedimentum impediens; alia verò, de quibus in præsenti loquimur, sunt impedimenta dirimentia. Non, inquam, obest: tum quia votum castitatis excedit in eo, quòd est juris Divini. Tum præcipuè: quia tota ratio, ob quam potest Episcopus dispensare in voto castitatis in iis casibus, est, quia cùm nõ sit æquum regimini Ecclesiæ, quòd fideles in illis casibus maneant remedio destituti in dispendium suarum animarum, firma persuasio invaluit, non esse intentionem Pontificis, sibi reservare potestatem dispensandi in ejusmodi casibus. Quę ratio ęquè militat in utroque.

19 Sextum fundamentum est. Nam apud Authores sapientissimos est sententia recepta, quòd ubi concurrunt duæ opiniones, altera communis, & altera singularis, nempe unius, vel alterius Doctoris, si hæc secunda sit in favorem causæ piæ; opinio singularis debet præferri communi; ut tradunt P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. disput.* 18. *num.* 5. & apud ipsum Joannes Andreas, Ostiensis, Ancharranus, Henricus, Alexand. de Nevo, Præpositus, Rosella, Felinus, Decius, Barbatia, Beroius, Antonius Gabr. & Navarrus. Item P. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *punct.* 1. *num.* 12. & apud ipsum Mascardus. Item Villalob. *tom.* 1. *summ. tract.* 1. *diff.* 7. *num.* 3. Sed hæc, de qua loquimur in præsenti, est urgens necessitas favore animæ: ergo quamvis hæc sententia esset singularis, qualis erat tempore P. Thomæ Sanchez, & opposita esset communior; hæc opinio singularis amplectenda fuit in praxi.

20 Septimum fundamentum est. Nam, ut docent viri sapientes, in casu urgentissimæ necessitatis licèt præferre opinionem parum probabilem opinioni multum excedenti in probabilioritate. Ita Navarrus *cap. Inter verba. in* 2. *edit*, *coroll.* 53. *numer.* 115. Et Sotus *de secr. membr.* 3. *quæst.* 2. *conclus.* 3. quos refert, & sequitur P. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 36 *num.* 8. *& lib.* 1. *summ. cap.* 9. *numer.* 25. Ubi hanc rationem tradit: quia quam-

quamvis opinio aliàs esset parum probabilis, adjuncta urgentissima necessitate animæ, fit graviter probabilis. Unde optimè notavit Filguera in sua lucerna decretali *in proposit.* 3. hanc propositionem de probabilitate tenui in casu extremæ, aut urgentissimæ necessitatis non damnari ab Innocentio XI. quia posita ea urgentissima necessitate, jam probabilitas non est tenuis, sed valde gravis. Præcipuè cùm ea *propositio* 3. damnata ab Innocentio loquatur *Generatim* de probabilitate tenui tanquam licita in omni eventu. Ergo quamvis opinio, quam statuimus, esset parum probabilis; cùm ea tradatur pro urgentissima necessitate, illa quidem opinio præferenda est.

21 Octavum fundamentum ex Basilio Legionensi supra *cit.* est, quod desumitur *ex cap. Ubi non est*, de desponsat. impuber. ubi sic loquitur Pontifex: [Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur; nisi fortè aliqua *urgentissima necessitate* interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio *toleretur*.] Ubi notandum est cum eodem Basilio, id verbum *toleretur*, non sumi permissivè tantùm, sed approbative, sive dispensando. Et meritò: quia cùm id matrimonium contractum ante ætatem legitimam sit invalidum, non jubet Pontifex, quòd ut formaliter invalidum toleretur; nam matrimonia invalida numquam toleravit Ecclesia, id enim esset tolerare concubinatum. Quare mens Pontificis est, ut toleretur eo modo, quo justè, & licitè tolerari potest, nempe dispensando in impedimento dirimenti, ut contractus matrimonii fiat validus.

22 Notandum est secundò, ibi eam potestatem dispensandi committi Episcopo: tum quia non petit recursum ad sedem Romanam: tum præcipuè, quia jubet tolerari, *urgentissima necessitate* interveniente; ad hoc autem ut Pontifex dispenset, quamvis requiratur causa, non tamen requiritur *urgentissima* necessitas.

23 Notandum est tertiò, licèt Pontifex committat Episcopo dispensationem ejus impedimenti dirimentis pro *urgentissima necessitate*, id debet intelligi, quando non est recursus ad Pontificem, vel est periculum in mora; quia sic fert praxis, & consuetudo communis, ut constat ex Doctoribus citatis. Nam *consuetudo est optima legum interpres*. Ut deciditur *in cap. Cum dilectus*. de consuetud.

24 Notandum est quartò, decisiones juris, præcipuè favorabiles, extendendas esse ad casus similes, quando datur identitas rationis adæquata. Tunc autem dicitur dari identitas rationis adæquata, quando constat, inductum esse legislatorem ad ferendam legem, ex ea sola ratione, quæ exprimitur in lege. Ita P. Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 3. *num.* 16. id probans ex *ult. reg.* juris *in* 6. *cap. Si postquam. de elect. in* 6. *& ex cap. Quis in insulis. de Regular. & l. Cùm mulier ff. soluto matrim.* & dicit, esse communem jurisprudentum. Quem etiam sequuntur alii Theologi, inter quos *Illustriss.* Tapia *tom.* 1. *cat. mor. lib.* 4. *qu.* 17. *art.* 4. *nu.* 6.

25 Cùm ergo ex prædicto *cap. Ubi non est*. constet, totam rationem adæquatam, qua inductus est Pontifex ad concedendum Episcopis potestatem dispensandi in eo impedimento dirimenti ætatis, esse *urgentissimam necessitatem*, nempe quando non datur recursus ad Romanum Pontificem, vel est periculum in mora; & eadem omninò ratio militet in aliis impedimentis dirimentibus ex jure humano; dicendum est, decisionem ejus legis extendendam esse ex identitate rationis ad aliqua impedimenta dirimentia, quæ sunt ex jure humano: ita ut vi ejus legis, & extensionis illius liceat Episcopis dispensare in illis in urgentissima necessitate, quando non datur recursus ad Romanum Pontificem, vel est periculum in mora.

26 Dices, id intelligendum esse de dispensatione post contractum matrimonium. Respondeo tamen, id sine fundamento dici: quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; ut clamant jurisprudentes.

27 Addimus insuper, non solùm posse Episcopum dispensare in prædictis casibus; sed aliquando etiam teneri graviter ex lege charitatis: quando videlicet urget necessitas pro bono animæ; qualis est casus *cap.* 1. relatus, in quo duo illi vir, & fœmina reputati conjuges persistebant à multis annis in concubinatu, & ex timore infamiæ non audebant declarare crimen suum; ideòque persistebant in suo crimine; nec poterant celebrare matrimonium secreto modo; quia impedimento dirimenti ligati erant; nec poterant habere recursum ad Romanum Pontificem; ideòque erant in periculo persistendi sic usque ad mortem, atque adeò in periculo damnationis æternæ. Tunc ergo censui, teneri graviter ex charitate Dominum Archiepiscopum ad dispensandum. Quando enim proximus est in periculo damnationis, tenemur lege charitatis ei succurrere eo modo, quo possumus: sed illi conjuges reputati, erant in periculo æternæ damnationis; & Episcopus poterat eos inde educere, dispensando: ergo ad id tenebatur Episcopus ex lege charitatis.

28 Ex quibus omnibus manifestè constat, turpiter errasse Fagnanum; dum sententiam tam solidis fundamentis rationis, & authoritatis fulcitam inter temerarias, & scandalosas adnumeraverit.

DISPUTATIO LXXX.

An extra necessitatem extremam liceat egentibus accipere de alienis necessaria? Ubi præcipuè, an in gravi necessitate Reipublicæ liceat succurrere ex operibus ad alium finem a testatore destinatis?

CAPUT I.

Quid dicendum circà primam partem disputationis?

SUMMARIUM.

Propositio damnata ab Innocentio XI. nu. 1.
Quæ dixi olim de favore pauperis in gravi necessitate, quot conditionibus oneraverim? nu. 2.
Numquam licet furari, etiam in extrema. ibid.
An damnatio propositionis intelligenda sit in sensu formali, an etiam in materiali? nu. 3.
Si quid sensui ejus damnationis oppositum aliquãdo dixerim, revoco. n. 4.
An ultra necessitatem extremam, & gravem, admittenda sit, evidenter urgens? nu. 5.
Et an id colligatur ex S. Thoma? nu. 6.

1 Constat ex proximè dictis decreto novissimo sacræ Congregationis universalis Inquisitionis, damnatam esse tanquam scandalosam hanc propositionem, quæ est trigesima sexta: *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

2 Et quamvis ego *in* 1. *part. Crist. Theol.* propugnaverim, in aliquo casu posse concurrere circunstantias, in quibus graviter egens possit à divite subripere levamen suæ gravis necessitatis; tamen tot tantisque conditionibus oneravi eam conclusionem, ut potius respiciat speculationem quàm praxim, ut supra notavi *disp.* 56. *cap.* 8. *art.* 6.

Deinde numquam dixi licitum esse furari, sive in necessitate extrema, sive in gravi, quia quando licitè aliquid subripitur, id non est furtum, ut notavit S. Thomas proximè citandus.

3 Dubitari autem potest, an ea damnatio sacræ Congregationis intelligenda sit in sensu formali ut sonat, ita ut solùm damnetur assertio, quæ permittit furtum, ut furtum? An potius intelligenda sit in sensu etiam materiali, ita ut damnetur assertio, non solum qua asserit furtum ut furtum, sed etiam qua asserit posse quem in gravi necessitate subripere levamen sibi necessarium. Hanc tamen dubitationem non est meum decidere, sed consulenda est sacra Congregatio.

4 Et dum responsum sacræ Congregationis expectamus, omnibus testatum esse volo, quidquid circà hanc materiam dixerim, subiicere me ei decreto, & sensui illius: si quid autem ei decreto contrarium dixerim aliquando, nunc denuo libenter revoco.

5 Illud autem prætereà advertendum est cum S. Thoma infra citando, præter necessitatem extremam & gravem, aliam etiam admittendam esse, quam S. Thomas vocat *evidenter urgentem*, & aliqui Thomistæ appellant *quasi extremam*. Estque illa, in qua licèt non periclitetur vita, datur tamen evidens periculum proximum incidendi in aliquod magnum damnum, v. g. gravis morbi, captivitatis, ingentis jacturæ eorum bonorum, quibus indiget ad alimenta sua, & suorum. Et in hac necessitate evidenter urgente dicendum videtur posse egenum sibi ipsi opitulari de quibuscumque bonis, quæ magis sibi obviam fuerint; dummodo ille non inducat proximum in simile periculum. Dixi dicendum videtur; credo enim, id non contradicere decreto supradicto Innocentii XI. cui hanc assertionem omninò subiicio.

6 Hujus doctrinæ nullam meliorem probationem invenio, quam si recolamus textum S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7 qui cùm ei articulo præfixisset hunc titulum: [Utrùm liceat alicui *furari* propter necessitatem?] sic ait in corpore. [Ideò res, quas aliqui superabundanter habent, *ex naturali jure* debentur pauperum sustentationi. Unde Ambrosius dicit, & habetur in decretis *dist.* 47. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram desodis. Sed quia *multi sunt necessitatem patientes*, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus. Si tamen adeò sit *evidens & urgens necessitas* (nota quòd non dixit *extrema*, sed *urgens*) ut manifestum sit, instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum, puta cùm imminet *personæ periculum* (nota quòd non dixit *vitæ*, sed *personæ*) & aliter subveniri non potest, tunc licitè potest aliquis *ex rebus alienis* suæ necessitati subvenire, sive manifestè, sive occultè sublatis; nec hoc propriè habet rationem *furti*, vel rapinæ.] Hæc S. Thomas.

7 P. Granado 2. 2. *controu.* 3. *tract.* 11. *disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 11. observavit in præfato textu non loqui S. Thomam præcisè de necessitate extrema, nam ubi S. Thomas dicit *urgens necessitas*, ipse Granado notat sic, *Non dixit extremam*.

8 Deinde observandum est, quòd in verbis ejus textus antecedentibus non loquitur de extremè indigentibus, ubi dicit, *quia*

multi

multi sunt necessitatem patientes, constat enim non esse multos extrema necessitate laborantes; immò neque in iis verbis loquitur de patientibus urgentem necessitatem, ut constat ex distinctione, quam facit inter utrosque.

9 Quæ omnia efficacissimè confirmantur iis omnibus, quæ dixi *in 1. part. Crif. Theol. disp.20. cap.4.* Huc accedit, quòd P. Vasquez de Eleemosyna *cap. 1. dub.3. num.24.* in hunc sensum dixit: [Urgens necessitas primò potest esse corporis, ut cùm imminet infirmitas aliqua gravis; & hanc appellavit Medina *quasi extremam*: & in hoc casu obligat eleemosyna ex necessario adhuc status, & superfluo naturæ, *sicut extrema*, nisi sit alius, qui ei subveniat. ·. quia similis necessitas probabiliter *timenda est ut extrema*; nisi enim simili morbo succurratur, facilè salus, & vita illius periclitabitur.] Hucusque P. Vasq.

C A P U T II.

Discutitur secunda pars disputationis; scilicet an in præsenti caritate annonæ, gravique necessitate Reipublicæ, oporteat ei subvenire ex operibus piis in alios usus à Testatore destinatis.

A R T I C U L U S I.

Proponitur ratio dubitandi.

NON EGET SUMMARIO.

10 ADeò sanctum est apud omnes nationes statutum implendi ultimas testatorum voluntates, eas maximè, quæ respiciunt executionem piarum causarum; ut videri possit aliquibus temerarium, non solùm deficere ab exacta executione earum ultimarum voluntatum; sed etiam illud in quæstionem vocare.

11 Sed ut conspiciatur, quàm magno fundamento ducimur, ad hoc non modò discutiendum, sed etiam ad exequendum partem communi egestati favorabilem; sciendum est, in Concilio Provinciali Mediolanensi quinto celebrato à sexdecem Episcopis ann. 1579. cui præfuit S. Carolus Borromæus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis; indicitur hoc medium commutationis piarum causarum pro sublevanda egestate gravi Reipublicæ. Nam *in 2. part.* Concilii, quæ tota respicit instructionem pro tempore pestis, in primis dicitur, quantum fames invaluerit tempore pestis. Nam sub titulo *Præparatio annonæ*, &c. hæc verba habentur. *Cùm præsertim sæpè fiat, ut gravissimo illo tempore longè plures (quemadmodum usu compertum, litterisque traditum est) fame necentur, quàm pestilentia extinguantur.*

12 Pro sublevanda ergo fame, quæ eo tempore occurrit, præcipit Concilium Mediolanense Episcopis ejus Provinciæ, ut solicitos se gerant in obtinenda à Romano Pontifice facultate commutandi opera pia in sublevationem famis. Et ita sub titulo *Præparatio adjumentorum spiritualium*, &c. inter alias facultates, quæ dicuntur obtinendæ à Romano Pontifice, constituit hanc: *Facultas convertendi etiam alicujus eleemosynæ legatæ usum, saltem ad tempus, si quando ad pauperum necessitates sublevandas aliud expedire, vel necessarium censuerit. Quæ enim ob piam aliquam causam legata, relictave sunt, ut videlicet vel in Divinum cultum, vel in puellarum nubentium dotem, vel in alium ejus generis usum erogentur; ea tunc expedit ad egentium hominum victum, & sustentationem converti.* Ubi maximè notandum est id verbum *Expedit*. Nam in præsenti non inquirimus, an Romanus Pontifex possit commutare ex causa legata pia; neque quòd possit Pontifex, dubitamus; sed an id oporteat fieri. An autem in casu præsentis inopiæ, de quo inquiritur, facultas obtinenda sit à Romano Pontifice; an autem sufficiat illam obtinere ab Episcopo; aut fieri possit sine utriusvis authoritate, ex dicendis constabit.

A R T I C U L U S II.

Qualis, & quanta sit hæc necessitas Reipublicæ; an sit gravis, & an æquivalens extremæ?

S U M M A R I U M.

Triplex genus necessitatis, extrema, gravis, & communis. n.13.
Quanta sit obligatio opitulandi in extrema necessitate? n.14.
An gravis necessitas Reipublicæ æquivaleat necessitati extremæ particularium? n.15.
Confirmatio conclusionis ex P. Suario. n.16.
Item ex S. Thoma. n.17.
Item ex Illustriss. Tapia. n.18.
Sicut etiam ex Caietano. n.19.
Rationes conclusionis, quæ colliguntur ex prædictis authoribus. n.20.
Octo circumstantiæ, quæ concurrunt in præsenti necessitate Reipublicæ, quæ illam reddunt gravem, & æquivalentem extremæ. n.21. & seq.

13 TRiplicem necessitatem distinguunt Doctores (juxta ea, quæ dixi *in 1. part. Crif. Theol. disp.20. c.1.*) extremam, gravem, & communem. Extremam dicunt, cùm imminet periculum vitæ, aut incidendi in perpetuam amentiam, aut in detrimentum simile. Pro qua extrema necessitate recognoscenda non est expectandum, quòd quis incidat in periculum proximum mortis, sed satis est, quòd probabiliter timeatur hoc periculum, scilicet incurrendum fore, si non subveniatur. Et ideò P. Vasquez *opusc.* de eleemosyna *cap. 1. dub.3. num.8.* dixit. [Neque verò sola dicitur extrema, quando jam quis est emissurus spiritum, vel de salute desperatur; quia jam *frustra* fieret eleemosyna: sed quando *probabilia sunt signa* talis eventuræ necessitatis, aut *timetur* probabiliter.] Eadem, & eodem ferè tenore asserit P. Valentia *tom.3. disp.3. quæst.9. punct.4. §. Secundum est.* & apud ipsum notavit Ioannes de Medina *tract. de eleemosyna q.3.* Navarrus *in manual. c.24. n.5.* & passim Doctores. Vide reliqua, quæ de hac necessitate dixi ea *disp. 20. cit.* Quæ sit necessitas gravis, vide supra *n 1. & seq.* Quæ autem sit necessitas communis, vide *disp.20. cit. cap.1.*

14 In extrema necessitate esse gravissimam obligationem succurrendi egeno non solùm ex superfluo status, sed etiam ex necessariis ad statum, non verò ex iis, quæ sunt præcisè necessaria ad alimentum suum & suorum; omnes communiter Doctores conveniunt, ut constat ex ea *disp.20. nu.10.*

15 Assero ergo, necessitatem gravem Reipublicæ (qualem hodie patitur Hispalis; immò & ferè omnes urbes, & oppida bujus provinciæ Bæticę) equivalere necessitati extremæ particularium: & consequenter esse idem genus obligationis subveniendi huic gravi necessitati Reipublicæ, ac illud, quòd intervenit, quando necessitas unius particularis est evidenter extrema: atque adeò divites omnes teneri succurrere ei necessitati Reipublicæ, etiam ex necessariis ad statum, sive cum aliquo detrimento proprii status.

16 Hanc conclusionem tradit, & multis confirmat P. Suar. *de charit. disp.7. sect 4. conclus.1.* in hæc verba. [Si commune bonum, seu Respublica sit in gravi necessitate totius boni communis, tenetur privata persona illi subvenire etiam ex necessariis ad statum. Conclusio est ab omnibus communiter accepta. Ratio autem est: quia cæteris paribus commune bonum est præferendum proprio in temporalibus. Item ostendemus infra, debere hominem perdere vitam, si necesse sit, pro tuenda vita Reipublicæ: ergo à pari tenetur subire gravem necessitatem, ut subveniat gravi necessitati Reipublicæ. Denique buiusmodi gravis necessitas Reipublicæ raro erit sine extrema necessitate multorum particularium: ostendimus autem debere hominem ex his bonis subvenire extremæ necessitati alterius: ergo, &c.]

17 Idem docuit S. Thomas 2. 2. *qu.32. art.6.* ubi cùm dixisset, non teneri divites ad erogandam eleemosynam ex bonis præcisè necessariis ad statum, excipit tres casus. Et cum duos primos proposuisset, accedens ad tertium, sic ait: [Tertiò, quando occurreret *extrema* necessitas alicujus *privatæ* personæ; vel etiam *magna* necessitas *Reipublicæ*.] Ubi parificat S. Thomas extremam necessitatem privatæ personæ, & gravem Reipublicæ.

18 Et Illustriss. Tapia *ibid. art.4. n 6.* accedens ad explicationem proximi textus S. Thomæ, & ad eum tertium casum, subjungit: [Tertium in *extrema* necessitate privatæ personæ, vel *gravi* necessitate Reipublicæ: quia hæc *æquivalet extremæ* plurium particularium.]

19 Quod etiam tradiderat Caietanus *ibid.* ubi sic ait: [Constat, quòd tam *magna* necessitas Reipublicæ, quàm *extrema* necessitas alicujus occurrentis, necessitat ex ordine charitatis, qui est in præcepto, præponere bonum commune privato; & vitam proximi opportunis ad decentiam status, ut patet.]

20 Ex quibus eorum Doctorum verbis satis constant rationes, & argumenta, quibus nostra conclusio fulcitur. Prima: quia bonum commune præferendum est proprio. Secunda: quia non minus urget necessitas gravis Reipublicæ, quàm extrema privatæ personæ. Tertia: quia quoties datur necessitas gravis Reipublicæ, numquam, aut rarò contingit sine extrema necessitate aliquorum singularium.

21 Quòd si inquiras, unde constet, eum defectum annonæ constituere Rempublicam in necessitate gravi; ex circunstantiis, quæ nunc concurrunt in hac civitate, satis deprehenditur hujus necessitatis gravitas. Quas subiciam, ut quoties eædem circunstantiæ, aut eorum aliquæ concurrerint, deprehendatur gravitas necessitatis.

22 Prima, quia omnes pauperes & divites sentiunt ingens gravamen, & magnam molestiam in caritate annonæ, ita ut illi etiam, qui abundanter anteà vivebant, ad parsimoniam redacti sint.

23 Secunda. Illustrissimus Dominus Ambrosius Ignatius Spinula, & Guzman Archiepiscopus Hispalensis summa commiseratione ductus statuit distribuere magnam quantitatem panis omnibus pauperibus, quotquot ad suas ædes occurrerent. Et ita factum est quaternis diebus in unaquaque hebdomada, ita ut singulis pauperibus dimidia libra panis, quæ octo unciis constat, erogaretur, una die viris, altera fœminis. Singulis ergo diebus concurrebant avidissimè ad accipiendam hanc eleemosynam supra viginti millia hominum. Ex quo fit, quòd eo panis frusto indigebant quadraginta millia pauperum. Vnde manifestè deprehenditur, necessitatem Reipublicæ esse valde gravem, in qua hominum quadraginta millia tam modicam quantitatem panis tanta aviditate quærebant.

24 Tertia. Nam, ut asserebat supra P. Suarez, ex necessitate

gravi

gravi Reipublicæ communiter resultant necessitates extremæ particularium. Et quidem in hac annonæ penuria tot, tantæque necessitates particularium occurrunt, ut meritò timeantur necessitates extremæ aliquorum. Sunt in Civitate viduæ multæ, aliæque honestæ fœminæ, quæ ex sua tenui opera tenuiter aluntur: cessat autem in illis hæc opera, quia egestas communis cessare facit opificia, eo quòd ut plurimùm pecuniæ requiritur ad alendas familias; ita necesse est minui sumptus ad opificia minus necessaria. Unde fit, ut fœminæ illæ non invenientes materiam, cui operam suam adhibeant, fame opprimantur. Immò & ipsi viri, etiam qui ex opera sua vivunt, cùm materiam non inveniant, egestate opprimuntur. In tanta ergo multitudine egenorum timendum est, ne aliqui eorum fame pereant.

25 Quarta. Ex hac communi necessitate orta sunt quàm plurima furta nocturno tempore patrata: quòd est grande malum Reipublicæ, satisque declarat gravitatem necessitatis.

26 Quinta. Nam in simili necessitate communi, immò etiam in minori, experientia compertum est, seditionem populi excitatam esse; vulgus enim fame oppressum ferè insanit & furit, sanè in ingentem Reipublicæ perniciem, & publicæ tranquilitatis eversionem. Est ergo gravis necessitas, ex qua tam ingentia monstra proficiscuntur.

27 Sexta. In his famelici populi seditionibus capita Reipublicæ periclitantur: nam vulgus insanum egestatem existimat esse culpam gubernatorum, ideòque in illos impetum facit, & ad occisionem illorum aspirat. Est autem magna Reipublicæ pernicies defectus gubernatoris; nam vulgus sine capite est Babylonica confusio. Est ergo valde gravis ea necessitas, quæ tale monstrum parturit.

28 Septima. In hac communi necessitate edunt cibos valde noxios; ex quo experientia compertum est contrahi morbos lethales. Unde valde commune est, quòd post famen sequatur pestis. Quomodo ergo non erit gravis ea necessitas, ex qua tam magnum detrimentum Reipublicæ impendet.

29 Octava. Satis etiam demonstrat gravitatem necessitatis, quòd multæ fœminæ, quæ honeste vivebant, fame oppressæ cedant miseræ servituti Veneris.

ARTICULUS III.

Licitum esse, & expediens, opitulari gravi necessitati Reipublicæ annuis redditibus, qui ad alios usus pios ex ultimis voluntatibus testatorum destinati sunt.

SUMMARIUM.

Quomodo probetur conclusio ex Concilio Mediolanensi? n.30.
Quare sit obligatio subveniendi gravi necessitati Reipublicæ, tanquam extremæ? n.31.
An ultima voluntas testatoris non possit præjudicare juri Divino, destinanti bona exteriora ad subventionem pauperum? Et quid inde pro conclusione? n.32.
An administratores, qui in administratione procedunt eo modo, quo procederet testator, rectè administrent? n.33.
An testator, si videret præsentem necessitatem, teneretur illam præferre aliis operibus piis? nu.34.
An ordo charitatis obliget ad hoc, ut necessitas gravis præferatur communi? nu.35.

30 Conclusio in titulo articuli proposita ostenditur primò, ex authoritate Concilii Mediolanensis quinti sub S Carolo Borromæo, ut constat ex hoc *cap. art.* 1. Neque obstat, quòd Concilium loquatur de tempore pestis? nam id medium commutandi opera pia non indicit Concilium ad levamen contagionis, sed pro sublevanda fame, quæ eo tempore occurrit. Neque item obstat, qud Concilium jubeat, ut petatur facultas commutandi à Romano Pontifice: quia saltem inde colligitur esse causam urgentem, ut petatur facultas, & ut Romanus Pontifex eam concedat. Et, ut supra notavi, modò abstrahimus ab ea quæstione, an id possit fieri absque facultate Prælati Ecclesiastici, & an cum sola facultate Episcopi; de quo posteà.

31 Ostenditur secundò. Nam in extrema necessitate licitum est, & obligatorium ei opitulari ex quibuscumque bonis, quæ primò occurrere possunt, etiam alienis; ut omnes Theologi admittunt: sed necessitas gravis Reipublicæ æquivalet necessitati extremæ particularium, ut constat ex *art.* præcedenti: ergo licitum est, & obligatorium, opitulari gravi necessitati Reipublicæ ex bonis piorum operum, quæ ad alios usus ex ultimis testatorum voluntatibus destinata sunt.

32 Ostenditur tertiò, ea doctrina S. Thomæ 2.2. *qu.*66. *artic.*7. corpore, quam latè proposui *in* 1. *part.* Crisis *Theol. disp.*20. *cap.*2. *art.*3. Ex Dei institutione, & jure Divino hæc omnia bona exteriora destinata sunt ad sublevandas pauperum necessitates; quæ propositio saltem intelligi debet de necessitatibus extremis, aut quæ extremis æquivalent; sed nullum jus humanum appropriationis, aut ultimæ voluntatis testatoris potest præjudicare juri Divino: ergo nullum jus humanum, neque ultima voluntas testatoris potest obstare ei destinationi Divinæ, quo minus quælibet bona impendantur in necessitatibus extremis sublevandis, & consequenter in sublevanda necessitate gravi Reipublicæ, quæ ut constat ex *art. præced.* æquivalet extremæ. Consequentia ligat. Maiorem, & minorem tradit S Thomas, & sequuntur Theologi; & per se constant evidenter.

33 Ostenditur quartò. Nam administratores piorum operum nunquam melius administrabunt, quàm cùm administraverint eo modo, quo ipsi fundatores piorum operum hic & nunc administrarent; sed si viverent fundatores, & viderent præsentem Reipublicæ necessitatem, annuos redditus præsentis anni insumerent in sublevanda præsenti necessitate Reipublicæ: ergo si id præstant administratures, rectè administrant. Maior, & consequentia patent.

34 Probatur minor. Nam certò affirmamus, præstiturum fundatorem id, ad quod gravi obligatione tenetur; neque potest prudenter credi, virum pium, qui res suas Dei obsequio destinavit, defuturum esse suæ gravi obligationi; atqui si præsentem hujus Reipublicæ necessitatem videret, teneretur graviter levamen illius anteponere aliis operibus piis, quibus exequendis non instat tanta necessitas; ergo tanquam certum affirmandum est, fundatorem eorum piorum operum impensurum redditus annuos præsentis anni in præsenti egestate Reipublicæ sublevanda.

35 Minor probatur. Nam quando concurrunt necessitas gravissima, & necessitas communis, si ambæ non possunt sublevari, ordo charitatis obligat ad hoc, quòd gravissima præponatur communi. Et ita observavit P. Suarez de charit. *disp.*7. *sect.*1. *num* 8. in hæc verba: *Ne gravior necessitas propter minùs gravem omittatur.* Et P. Vasquez *opusc. de eleemosyna cap.*1. *dub.*3. *num.*29. ait: *Non tamen potest urgentem necessitatem relinquere, & communem sublevare absque præcepti violatione.* Et ita tradunt communiter Theologi. Teneretur ergo graviter fundator, si videret hanc Reipublicæ necessitatem gravissimam, levamen illius anteponere dotationi, v.g. puellarum nubilium; nec aliter posset operari sine præcepti violatione.

36 Et confirmantur hæc omnia ex dictis supra *cap.*1. circà obligationem sublevandi necessitatem urgentem, quæ talis sit, licèt non sit extrema.

CAPUT III.

Cujus Prælati authoritate fieri debeat hæc commutatio piorum operum in levamen publicæ necessitatis?

ARTICULUS I.

Quid possit Romanus Pontifex in hoc casu, & similibus?

SUMMARIUM.

An Pontifex possit commutare opera pia, & ultimas voluntates saltem ex causa justa? n.37.
Authores docentes, non posse Pontificem nisi ex causa justa. ibid.
Authores docentes, posse Pontificem, etiam absque justa causa. n.38.
Conditio, quæ tacitè includitur in dispositione ultimæ voluntatis. n.39.
Quæ ex his opinionibus sit probabilior? n.40.
An habeat eandem potestatem commutandi ultimas voluntates pro bono communi Princeps sæcularis supremus? n.41.
An ex dictis colligatur, posse Pontificem commutare opera pia in subventionem gravis necessitatis Reipublicæ? n.42.

37 Posse, Romanum Pontificem facere commutationem piorum operum, saltem ex causa justa, constat ex *Concil. Tridem. sess* 22. *cap* 6. *de reform. & sess.*25. *cap.*4. *de reform.* & docent communiter Doctores. Sed dividuntur in duas classes. Alii enim tradunt, non posse Pontificem facere hanc commutationem, nisi ea causa justa. Hi sunt P. Thomas Sanchez *lib.*4. *consil. cap.*2. *dub.*1. & apud ipsum Pinellus *Cod.* de rescindenda *vendit.* 1. *part. rubr. cap.*2. Burgos de Paz *num.*328. & 329. Sarmiento *lib.* 1. *cap.*8. *num* 21. Molina *lib.*4. *de primogen cap.*3 *num.*10. Socinus junior *consf.*65. *nu.*11. *lib.*2. Bartolus *l. final. C. Si contra jus.* Driedo *lib.*1. *de libert.* Christiana *cap.*4. *Covarrub. lib* 3. *variar. cap.*6.

38 Alii docent posse Pontificem, etiam absque causa justa, commutare ultimas testatorum voluntates. Hi sunt, quos refert P. Thomas Sanchez, *ibid.* Armilla verbo *Legatum.* 2. *num* 55. Tabiena *Legatum* 2. *num.*12. Sylvester *Legatum* 4. *qu.*12. & 13. Perusinus, & Angelus apud Tabienam *citat.* & Guillielmus apud Sylvestrum, & videntur favere, licèt pro opposita opinione citati, Driedo *lib.*1. *de libert. Christ. cap* 4. Covarrubias *lib* 3. *variar. cap.*6. *n.*7. & tenet expressè Mendosius de signatura gratiæ, verbo *Commutatio ultimæ voluntatis.* multos allegans.

39 Hi authores hujus secundæ opinionis nituntur eo fundamento, quòd qui disponit legatum in favorem boni publici, illud disponit sub ea tacita conditione, *si Princeps non aliter disposuerit.* Et ideò Pricenps poterit aliter disponere. Sed primæ opinionis Autho-

Authores probabilius dicunt, conditionem in eo legato inclusam esse, *si Princeps ex justa causa aliter disponendum non censue it*.

40 Quare juxta dicta certum est, posse Romanum Pontificem commutare ea opera pia publica saltem ex justa causa. Quòd autem possit commutare absque justa causa, & pro mera sua voluntate, probabile est. Probabilius autem, quòd non possit absque justa causa, quia Princeps non potest impedire, quòd Dominus rei disponat de illa pro libito suo, nisi detur justa causa ad mutandam ejusmodi dispositionem, & sub his terminis legatum pium testatoris includit eam tacitam conditionem supra relatam, *si aliter ex justa causa non disposuerit Princeps*.

41 Concedunt autem Doctores eandem potestatem Principi sæculari supremo. Et ita tradit P. Thomas Sanchez *citat.* & Doctores ab eo allegati. Et ratio est: quia quando testator facit legatum in bonum commune, sicut bonum commune subjacet gubernationi Principis sæcularis, ita & legatum. Quod intelligendum est de eo genere piorum operum, quorum materia est subjecta Principi sæculari. Et ideò hanc commutationem facere non potest in legato Missarum, beneficii, aut capellaniæ, templi construendi, aut instaurandi, &c.

42 Ex quibus omnibus constat, posse Pontificem commutare opera pia, cujusvis generis in opitulationem gravis egestatis Reipublicæ, qualem *cap. præced.* descripsi. Nam si ex alia justa causa potest, à fortiori poterit in hac gravi necessitate Reipublicæ, quæ, ut dixi, æquivalet extremæ.

ARTICULUS II.

An possit Episcopus facere hanc commutationem casu, quo non sit aditus ad Pontificem, vel sit periculum in mora?

SUMMARIUM.

43 VEram, & securam sententiam censeo, quæ docet, posse Episcopum commutare alia opera pia in opitulationem hujus gravis necessitatis Reipublicæ, casu quo non sit aditus ad Romanum Pontificem, vel sit periculum in mora. Ita Augustinus Barbosa de potest. *Epis. part.* 3. *allegat.* 83. *nu.* 16. ubi ait, id latè probari Moneta de commut ultimar. volunt. à *nu.* 384. Pro qua sententia stant à fortiori Doctores referendi *art. seq.*

44 Quæ doctrina apertè confirmatur ex iis, quæ tradunt Doctores in variis materiis circà potestatem Episcopi ad dispensandum in legibus Pontificiis, quoties Pontifex adiri non potest, aut est periculum in mora. Et primò quidem nulla materia gravior, quàm quæ respicit dispensationem circà impedimenta dirimentia matrimonium ex jure Pontificio: & tamen Doctores communiter concedunt, quòd potest Episcopus in illis dispensare in casu urgentis necessitatis, etiam ante matrimonium contractum, quando non est aditus ad Pontificem, vel est periculum in mora; ut docent omnes illi, quos allegavi *disp.* 77. *cap.* 1. ubi maximè notandum est, ferè omnia fundamenta, quæ proposui *ibid. cap.* 2. pro ea potestate Episcopi ad dispensandum in iis impedimentis dirimentibus, esse etiam in confirmationem hujus conclusionis; ut perpendenti patebit.

45 Secundò. Eodem modo concedunt Doctores Episcopo facultatem dispensandi in votis Papæ reservatis, quando instante necessitate non est recursus ad Pontificem, vel est periculum in mora. Ut tradunt Doctores, quos retuli *disp.* 77 *cap.* 2. *nu.* 17.

46 Tertiò. Cùm alienatio bonorum Ecclesiasticorum adeò graviter prohibita sit sacris canonibus; adhuc Doctores concedunt Episcopo facultatem alienandi in necessitate urgenti, quando non est recursus ad Romanum Pontificem, vel est periculum in mora. Ita Abbas *cap. fin. num.* 8. de Ecclesiis non alienandis. Cardinalis *Clement.* 1. *num.* 27. *qu.* 29 de rebus Ecclesiæ non alien. Felinus *cap. Cum accessisset. num.* 22. *de Constitut.* Gregorius Lopez *lib.* 2. *tit.* 14. *part it* 1. *gloss.* 1. quos refert, & sequitur P. Thomas Sanchez relatus.

47 Quartò. Idem conceditur Episcopo circa absolutionem à reservatis Papæ, urgente necessitate, & deficiente recursu ad Pontificem, vel instante periculo in mora. Ita Abbas, Ancharranus, Dominicus, Felinus, Angelus, Sylvester, Tabiena, Navarrus, Covarrubias, Margarita Confessorum, Henriquez, Sayrus, Ugolinus; quos refert P. Thomas Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 13. *n.* 56.

48 Ratio autem, quare Doctores concedant Episcopo potestatem ad hæc omnia, est: nam ex una parte Episcopus potest in sua diœcesi, quidquid Pontifex in tota Ecclesia, exceptis iis, quæ sibi reservat Pontifex; ut docet P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 61. *num.* 3. & apud ipsum Abulensis *in cap.* 6. *Matth. qu.* 87. Victoria, Sotus, Gambara, Thesaurus Christianæ Relig. Nicolaus de Cusa, Veracruz, Perez, Henriquez, & Maiolus. Aliunde verò reservatio Pontificis eatenus intelligenda est subsistere, quatenus (juxta phrasim Apostoli) est in ædificationem, & non in destructionem charitatis. Atqui si in necessitatibus urgentibus, ita esset hæc potestas reservata Pontifici, etiam quando non est possibilis aditus ad ipsum; ut nullum remaneret remedium pro sublevanda ea urgenti necessitate; id quidem esset in destructionem charitatis. Ideò P. Castro Palao supra *cit.* ait: [Negare enim in his casibus potestatem dispensandi, videtur esse *contra charitatem*, & suave Ecclesiæ regimen, & commune bonum: quod non est præsumendum.] Vide, quæ in confirmationm hujus rationis dixi *disp. præced. cap.* 2. *nu.* 10. *&* 11.

49 Cùm ergo cõcedatur Episcopo talis potestas dispensandi in legibus Pontificiis, & specialiter in materiis proximè memoratis, in casibus urgentis necessitatis, quando non est aditus ad Pontificem, vel est periculum in mora; absque dubio concedenda est similis facultas commutandi opera pia, quando id exigit gravis necessitas Reipublicæ, quæ, ut diximus, æquivalet extremæ quando scilicet non est ejusmodi recursus. Immò rationes hucusque productæ satis clarè probant, id etiam posse in necessitatibus urgentibus particularium.

50 Dices. Executio ultimarum voluntatum est juris naturalis; quia unusquisque cùm sit dominus rerum suarum, potest disponere de illis in usus perpetuos: quomodo ergo potest Episcopus infringere usum hujus dominii? Nec est eadem ratio de Pontifice: nam, ut supra vidimus *art.* 1. asserunt Doctores, dispositionem ultimæ voluntatis ordinatam ad bonum commune, includere eam tacitam conditionem, *si Princeps non censuit aliter disponendum*. Respectu autem Episcopi, non videtur habere locum ejusmodi conditio.

51 Respondetur ex dictis *cap.* 2. *art.* 3. id quidem esse juris naturalis, supposita appropriatione rerum, quæ jure gentium introducta est. Eiusmodi autem rerum appropriatio non potuit præjudicare institutioni Dei, qui hæc exteriora bona ordinavit pro sublevandis hominum necessitatibus. Est ergo juris naturalis, quòd homo disponat de bonis suis in usus perpetuos, dum non adfuerit id genus necessitatum, pro quibus sublevandis Dei ordinatione instituta sunt. Quare nihil obstat, quominus Episcopus faciat eam commutationem pro necessitate urgente.

ARTICULUS III.

An possit commutare Episcopus opera pia independenter à recursu ad Pontificem.

SUMMARIUM.

52 HUcusque locuti sumus de commutatione facienda ab Episcopo in casu, quo non est possibilis aditus ad Pontificem Romanum, vel est periculum in mora. Et modo inquirimus, an Episcopus possit facere eam commutationem piorum operum independenter ab eo, quòd sit, vel non sit recursus ad Romanum Pontificem; & ideò quamvis possit esse talis recursus possit per se ipsum Episcopus commutare?

53 Prima sententia affirmat, posse Episcopum commutare ultimas voluntates, & earum opera pia ex justa, & rationabili causa, de jure ordinario. Ita Sylvester, Ludovicus Beja, Angelus, Rosella, Armilla, Tabiena, Corduba, Sa, Menchaca, Benedictus de Ubaldis, Iosephus Ludovicus, & Spino, quos refert P. Thomas Sanchez *lib.* 4. *cons. cap.* 2. *dub* 7. affirmat Augustinus Barbosa de Potest. *Episc. part.* 3. *alleg.* 83. *n.* 5.

54 A quo

54 A quo dicendi modo non videntur multum distare, qui dicunt, posse Episcopum de jure ordinario commutare ultimas voluntates piorum operum in usus meliores, & Deo gratiores. Ita apud P. Thomam Sanchez *citat. dub.* 3. Sylvester *Legatum.* 4. *qu.* 4. Armilla *Legatum. num.* 59. Lapus *Clement. Quia contingit.* licèt id videatur dicere sub dubio: Hanc sententiam latè probat P. Comitolus *lib.* 7. *quaest.* 9 & ultra relatos refert pro illa Angelum, Tabienam, Petrum Perusinum, Antonium Butrium, Ludovicum Romanum. Et subjungit hæc verba Comitolus. [Cui opinioni, quia plurium, & meliorum, & Theologorum est, pugnaciter resistere, haud est hominis cum Christiana modestia disputantis, & verum sine contentione quærenti.]

55 Juxta quam opinionem poterit Episcopus commutare annuos redditus bujus anni, destinatos à fundatore pro maritandis puellis, in levamen necessitatis gravis, quam hoc anno patitur Respublica; cùm hæc sit causa multis nominibus justa.

56 Secunda sententia docet, non posse Episcopum commutare ultimas voluntates pias ex qualibet justa causa, posse tamen ea causa necessaria & urgente, non quidem infringendo omninò ejusmodi ultimas voluntates; sed si sint opera pia perpetua, posse ad tempus commutare in alium usum pro ea necessitate urgente sublevanda. Ita P. Thomas Sanchez ubi supra *dub* 7. & apud ipsum Guilielmus Benedictus, Ioannes Andreas, Felinus, Navarrus, Antonius, Panormitanus; qui notat, sicut etiam Felinus, si hæc commutatio facienda est ea causa necessaria, posse id præstare Episcopum absque consensu Patroni.

57 Exemplum hujus doctrinæ proponit P. Thomas Sanchez sic: [Ut si testator reliquit viginti annuatim pro anniversario faciendo alicujus Ecclesiæ, quæ indiget reparatione, nec sit aliunde, unde reparari possit; tunc de licentia Episcopi posset illa pecunia ad tempus converti in Ecclesiæ reparationem.] Quam doctrinam approbat Lugo Card. *tom.* 2. *de Just. disp.* 24 *sect.* 13. *nu.* 310.

58 Sed quamvis P. Thomas Sanchez confirmet hanc doctrinam authoritate eorum, quos proximè retuli; non tamen tradit fundamentum, quo ea doctrina nititur; nec miror, nam id opus consiliorum reliquit Author imperfectum, morte superveniente. Videtur tamen posse probari ex Concilio Tridentino *sess.* 22. *cap* 6. *de reform.* ubi dicitur: *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa, & necessaria causa fieri debent, Episcopi, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summariò, & extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.*

59 Circà quem textum aliqua notanda veniunt. Primum, hanc commutationem esse quoddam genus dispensationis; nam per hanc commutationem dispensatur in legibus, quæ præscribunt ultimas voluntates exactè implendas esse.

60 Secundum, cùm in jure communi dicitur, fieri posse dispensationem, non exprimendo, à quo facienda sit, intelligi faciendam ab Episcopo. Ita P. Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 8. asserens esse ex communi sententia Canonistarum; & P. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 5. *num.* 1. *& seq.* & apud ipsum glossa *cap. Quibusdam.* de pœnis. Ioannes Andreas, Vincentius, Goffredus, Philippus, Cardin. Henricus *ibid.* Item Innocentius, Baldus, Imola, Bellamera, Antonius, Ioannes de lignano, Decius, Aretinus, Alexander de Nevo, Felinus, Alciatus, Hippolitus, Archidiaconus, Anania, Probus, Silva *benef.* Milis, Gambara, Iacobatius, Angelus, Tabiena, Sylvester, Covarrubias, Villadiego, Dueñas, Antonius Cucus, Ugolinus, Borgasius, Antonius Gomez, D. Antoninus, Corduba, & Henriquez, & quam plurimi alii.

61 Tertium, quamvis aliqui dicant, id non intelligendum de canone Concilii, sed solùm de canone Pontificio, in quo permittitur dispensatio; id tamen non admittit P. Thomas Sanchez *cit. num.* 5 asserens, idem esse, sive sit canon Pontificis, sive Concilii, in quo id conceditur.

62 Hinc desumitur argumentum. Quoties in jure communi conceditur dispensatio, intelligitur commissa Episcopo; sed in eo textu Concilii Tridentini conceditur dispensatio; cùm commutatio ultimarum voluntatum sit quoddam genus dispensationis: ergo ea dispensatio, sive commutatio ultimarum voluntatum conceditur Episcopo.

63 Confirmatur. Concilium ad eam commutationem ultimarum voluntatum exigit causam justam, & necessariam: sed Romanus Pontifex potest facere hanc commutationem ex causa justa, quamvis non sit necessaria: ergo loquitur Concilium de commutatione, quæ possit fieri etiam ab Episcopo.

64 Ideò Augustinus Barbosa de potest. *Episcop. part.* 3. *allegat.* 83. *num.* 5. sic ait: [Concurrente igitur justa, & rationabili causa, *Episcopus*, tanquam Sedis Apostolicæ *delegatus*, ultimas defunctorum voluntates commutare potest, ut disponit Concilium Tridentinum *sess.* 22. *de reform. cap.* 6.] Censet ergo, in eo textu Concilium loqui de commutatione facienda ab Episcopo. Et pro hoc asserto allegat Mandosium de signatura gratiæ, Rubr. *Commutatio ultimæ voluntatis*. Rotam Romanam *decis.* 1122. Marcum Anton. variarum *resol. lib.* 1. *resolut. final.* Menchacam, Ludovicum Beja, & Iacobum Graffis.

65 In quo duo notanda sunt. Primum, quòd textum Concilii afferat pro commutatione facienda ex *justa, & rationabili causa*; cùm Concilium dicat ex *causa justa, & necessaria*: non ergo procedit exactè Barbosa omittens hoc ultimum verbum.

66 Secundum, quòd dixerit Barbosa, ex mente Concilii Tridentini Episcopum in hac commutatione procedere *tanquam Sedis Apostolicæ delegatum*. Quod non caret difficultate. Nam Concilium dumtaxat dicit expressè, quòd Episcopus *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus cognoscat, nihil in precibus, tacita veritate, aut suggesta falsitate fuisse narratum*. Quam difficultatem doctioribus remitto.

67 Ex hac ergo doctrina, quæ habet fundamentum in eo textu Tridentini, apertè concluditur nostra assertio, quòd Episcopus potest commutare pro una, vel altera vice opera pia perpetua in alimentum pauperum in eo casu gravis necessitatis Reipublicæ supra memorato. Etenim Episcopus potest cõmutare voluntates ea causa justa, & necessaria, quando non est aliunde, unde tali necessitati sufficienter provideatur: cùm ergo non sit, unde sufficienter provideatur ei necessitati gravi Reipublicæ, poterit Episcopus commutare pro hac vice annuos redditus piorum operum huic anno correspondentes, in alimenta pauperum.

68 Confirmatur ab exemplo, quòd P. Thomas Sanchez supra *cit. affert* Nam legatum, quod testator reliquit pro anniversario faciendo in aliqua Ecclesia, si hæc indigeat reparatione, nec sit aliud medium, unde reparari possit, potest Episcopus commutare, ut id legatum applicetur instaurationi templi: ergo etiam applicari poterit, ut instaurentur templa viva, quæ gravissima necessitate premuntur; cùm non sit minor necessitas instaurandi templa viva, quàm materialia.

CAPUT. IV.

An opera pia perpetua possint applicari ad alimenta pauperum in gravi necessitate Reipublicæ absque authoritate Prælati Ecclesiastici?

SUMMARIUM.

Quare non expediat commutare opera pia in subventionem Reipublicæ absque authoritate Prælati? n. 70.

An absolutè sit licitum convertere opera pia in levamen gravis necessitatis Reipublicæ absque authoritate Prælati? n 71.

An conclusio probetur ex eo, quòd gravis necessitas Reipublicæ æquivaleat extremæ? ibid.

An ex eo, quòd jus divinum urget ad præstandum levamen in gravi necessitate Reipublicæ? n. 72.

An ut hæc locum habeant, necessitas Reipublicæ debeat esse evidenter gravis? n. 73.

An hæc evidentia moralis possit resultare ex multis conjecturis probabilibus, sicut etiam in extrema necessitate unius particularis? n. 74.

69 Postquam exposuimus potestatem, quam habent Romanus Pontifex, Princeps sæcularis in suo regno, & Episcopus in sua diœcesi ad commutandas ultimas voluntates piorum operum, quæ in bonum commune instituta sunt; restat discutiendum, an etiam absque eorum authoritate possint patroni administratores piorum operum convertere pro hac vice annuos redditus eorum ad sublevandam gravem necessitatem Reipublicæ?

70 Dico primò. Non expedit, quòd ejusmodi administratores, ita convertant annuos redditus piorum operum absque authoritate Prælati. Primò, propter satisfactionem publicam. Nam cùm omnes in Republica sciant, tali tempore distribui dotes puellarum nobilium, v. g. si viderint, id deficere; magnæ exorientur querimoniæ, quasi administratores legatum dissipaverint, aut injustè insumpserint. Secundò. Quia cùm administratores debeant reddere rationem seu administrationis coram visitatore piorum operũ; poterit contingere, vel quòd visitator non approbet eam commutationem, vel quòd non sibi satisfaciat circà rectam distributionem factam in pauperes; & ita nolit acquiescere ei administrationis generi. Tertiò. Nam circà gravitatem necessitatis publicæ fortasse erunt varia hominum judicia, aliis suffragantibus, aliis refragantibus: quare delata causa ad Episcopum, ipse *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus cognoscat, nihil in precibus, tacita veritate, aut suggesta falsitate narratum*; ut loquitur Tridentinum in textu supra relato; atque adeò amputabitur omnis occasio dubitandi, aut damnandi ejusmodi commutationem.

71 Dico secundò. Si attentè considerentur, quæ supra dicta sunt *c.* 2. *art.* 2. & 3. Patroni administratores piorum operum possunt convertere annuos redditus bujus anni, ad sublevandam gravem hanc necessitatem Reipublicæ absque authoritate Prælati. Quod ex ibi dictis clarè ostenditur primò. Nam in extrema necessitate licitum est opitulari egeno extremè laboranti, sicut ex quibus libet aliis bonis, ita & ex annuis redditibus piorum operum, idque absque ulla Prælati authoritate: sed necessitas gravis Reipublicæ æquivalet necessitati extremæ, ut constat ex *c.* 2. *art.* 2. ergo in gravi necessitate Reipublicæ licitum est convertere annuos redditus piorum operũ in levamen ejus necessitatis absque ulla Prælati authoritate.

72 Secun-

72 Secundò. Quia cùm urget jus Divinum ad aliquod opus faciendum, nulla Prelati authoritas requiritur ad illud exequendum: sed jus Divinum urget in gravi necessitate Reipublicæ ad præstandum levamen illiu; cum ex institutione Divina hæc exteriora bona destinata sint ad sublevandas pauperum necessitates saltem gravissimas: ergo ad id levamen præstandum nulla Prælati authoritas requiritur.

73 Advertendum tamen est, hanc necessitatem Reipublicæ debere esse evidenter gravem, saltem evidentia morali; & ideò supra dixi oportere, quòd interveniat authoritas Episcopi, qui gradum ejus necessitatis discutiat. Nam si solùm sit probabiliter gravis hæc necessitas, erit quidem dubia, aliis affirmantibus juxta verisimiles conjecturas, aliis negantibus propter conjecturas alias: nam, ut docui *in 1. part. Oris. Theolog. disp.6.* in quæstione facti quando sunt testimonia (aut conjecturæ testimoniis æquivalentes) æquè probabilia ex utraque parte, res manet in statu dubii.

74 Notandum etiam est, quòd hæc evidentia moralis resultare potest ex multis conjecturis probabilibus simul sumptis. Nota etiam, quòd si probabiliter peribit egenus, deficiente hoc levamine, ea necessitas est evidenter extrema. Nam ut benè observavit P. Vasquez supra relatus, non est expectandum, quòd egenus sit jam in periculo mortis constitutus; sic enim non posset jam ejus necessitas sublevari. Quod idem dicendum est de communi necessitate Reipublicæ.

CATALOGUS

Opinionum, quæ damnantur à probabilioristis, & vindicatæ manent, remissivè.

PRima. *Principes sæculares ex genere, & natura sua potestatis possunt impedimenta matrimonium dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere eo modo, quo Summus Pontifex id potest, nisi sibi hanc potestatem reservasset.* Vide *disp.57. num.67.*

Secunda. *Qui accepit pretium pro actione turpi, ea patrata, non tenetur pretium restituere. Ibid. num. 78. & art.3. num.156.*

Tertia, *Confessarius tenetur sequi opinionem pœnitentis; neque ei potest negare absolutionem, quia non sequitur opinionem confessarii. Ibid. num. 85. & art.3. num. 96.* Quæ opinio sub quibus limitationibus intelligenda sit, vide *in 1. part. Cris. Theol. disp.15. cap.4. art 11. num. 347.* & in Additionibus ad finem *in 2. part. num.14. & 41.*

Quarta. *Licitum est defendere res temporales ingentis quantitatis ab injusto aggressore, etiam interficiendo, si alia via non potest recuperare.* Vide in eadem *disp.57. cap.3. art.5. à n.133.*

Quinta. *Ad impediendam alapam, vel fustis percussionem, quando hæc percussio est homini valdè dedecorosa, licitum est aggressorem occidere, si alia via non possit impediri? Ibid. art.3. num.169.*

Denique memoria retinendum est id, quod supra dixi, damnationem authenticam opinionis à sola authoritate Romanæ Cathedræ prodire posse; damnationem verò privatam solùm attendendam esse, quando Doctores applicant, & ostendunt principium, ea quo ea doctrina fiat damnabilis. Et tunc non fit damnabilis propter authoritatem privati Doctoris, aut Universitatis; sed propter argumentum saltem moraliter evidens.



SYL.

SYLLABUS VOCUM,

Quæ in indice subiiciendo continentur.

INDEX RERUM NOTABILIUM

In hac tertia parte Crisis Theolog. contentarum.

D. disputationem , N. numerum , P. paginam designat.

An

An

Parochus.

Parvitas materiæ.

Pauper.

Peccatum.

An

An

n

nes

F I N I S.